UANL
DAD AUTÓNOMA DE NUEV
CIÓN GENERAL DE BIBLIOTEC

CLAUS

SPICILEGIUM

BX1757
C5
v.2
1768

008A17

EX LIBRIS
HEMETHERII VALVERDE TELLEZ
Episcopi Leonensis

1080016014

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
ALERE FLAMMAM VERITATIS

UANL
UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN ®
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

R. D.

# JOSEPHI IGNATII CLAUS

*SS. Th. Licent. Canonici Auguſt. &c.*

# SPICILEGIUM UNIVERSALE SACRO-PROFANUM

## PARS SECUNDA

CONTINENS

*LIBRUM VI. ET VII.*

DE VIRTUTIBUS, ET PECCATIS.

VENETIIS,

Apud NICOLAUM PEZZANA.

MDCCLXVIII.

*SUPERIORUM PERMISSU, AC PRIVILEGIO.*

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
ALERE FLAMMAM VERITATIS
UANL
UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN ®
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS
Capilla Alfonsina
Biblioteca Universitaria
UNIVERSIDAD DE NUEVO LEON
Biblioteca Valverde y Téllez
45061

BX 1757
C5
V.2
1768

CAPILLA ALFONSINA

FONDO EMETERIO VALVERDE Y TELLEZ



# LIBER SEXTUS
## DE
# VIRTUTIBUS.

VIRTUS IN GENERE.
Horror peccati.
Bona conſcientia.
Cura minimorum.
Perfectio Chriſtiana.
Sancta Simplicitas.

§. I.

VIRTUTES THEOLOGICÆ.
FIDES.
Fidelis ſeu homo Chriſtianus.
Fidelitas, ſinceritas.
Myſteria fidei.
Præcepta Dei.
Obſervatio Feſtorum.
SPES, SEU FIDUCIA IN DEUM.
Oratio.
Orationes jaculatoriæ.
Meditatio.
Examen conſcientiæ.
Timor Domini.
CARITAS DEI.
Odium ſui ipſius.
Contemptus Mundi.
Conformitas cum voluntate Divina.
CARITAS PROXIMI.
Amicitia humana.
Correctio fraterna.
Bonum exemplum.
Zelus animarum.
Dilectio inimicorum.
Eleemoſynæ.
Miſericordiæ opera.
Eſurientes paſcere.
Potum dare ſitientibus.
Hoſpitio peregrinos excipere.
Operire nudos.
Viſitare infirmos.
Captivos redimere.
Mortuos ſepelire.

§. II.

VIRTUTES CARDINALES.
PRUDENTIA
Sapientia, Scientia.
Libri ſacri. Libri profani.
Artes. Aſtrologia.
Architectonica.
Cognitio linguarum.
Muſica. Philoſophia. Theologia.
JUSTITIA.
Solutio decimarum.
Gratitudo. Pœnitentia.
TEMPERANTIA.
Abſtinentia, Jejunium.
Humilitas.
Caſtitas, Virginitas.
Manſuetudo. Concordia.
Modeſtia. Mortificatio.
Mortificatio paſſionum.
Mortificatio Viſus.
Mortificatio Odoratus.
Mortificatio Guſtus.
Mortificatio linguæ per ſilentium.
Mortificatio Intellectus per captivationē.
Mortificatio Voluntatis per abnegationem.
FORTITUDO.
Conſtantia.
Perſeverantia. Patientia.
Adverſitates, materia patientiæ.
Morbi.
Mors amicorum, filiorum.
Paupertas. Deſolatio animi.
Tentationes. Perſecutiones.

## VIRTUS IN GENERE.

### 1. *Ut acquiratur ſola ſeria voluntate opus eſt.*

SEntentia eſt cujuſdam Sancti: Quidquid toto corde, tota intentione, toto deſiderio vis, id eſt certiſſime: vis toto corde manſuetudinem: manſuetus es: caſtitatem: caſtus es: &c. Hinc Sanctus Auguſtinus: Quid eſt quod imperat animus, ut moveatur manus, & tanta eſt facilitas, ut vix a ſervitio diſcernatur imperium. S. punct. 110. fol. 322. C. Prov. 11. v. 23. *S. Aug. l. conf. 9.*

Si magna dare aut facere non potes, ſaltem habeto voluntatem, ſi pauper es, habe deſiderium elargiendi immenſas eleemoſynas: offer Deo mille animas, mille vitas, &c. C. Gen. c. 4. v. 7.



003417

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
ALERE FLAMMAM VERITATIS
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

BX 1757
C5
V.2
1768

CAPILLA ALFONSINA

FONDO EMETERIO VALVERDE Y TELLEZ

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN

DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS



# LIBER SEXTUS
## DE
# VIRTUTIBUS.


VIRTUS IN GENERE.
*Horror peccati.*
*Bona conſcientia.*
*Cura minimorum.*
*Perfectio Chriſtiana.*
*Sancta Simplicitas.*

§. I.

VIRTUTES THEOLOGICÆ.

FIDES.
*Fidelis ſeu homo Chriſtianus.*
*Fidelitas, ſinceritas.*
*Myſteria fidei.*
*Præcepta Dei.*
*Obſervatio Feſtorum.*

SPES, SEU FIDUCIA IN DEUM.
*Oratio.*
*Orationes jaculatoriæ.*
*Meditatio.*
*Examen conſcientiæ.*
*Timor Domini.*

CARITAS DEI.
*Odium ſui ipſius.*
*Contemptus Mundi.*
*Conformitas cum voluntate Divina.*

CARITAS PROXIMI.
*Amicitia humana.*
*Correctio fraterna.*
*Bonum exemplum.*
*Zelus animarum.*
*Dilectio inimicorum.*
*Eleemoſynæ.*
*Miſericordiæ opera.*
*Eſurientes paſcere.*
*Potum dare ſitientibus.*
*Hoſpitio peregrinos excipere.*
*Operire nudos.*
*Viſitare infirmos.*
*Captivos redimere.*
*Mortuos ſepelire.*

§. II.

VIRTUTES CARDINALES.

PRUDENTIA
*Sapientia, Scientia.*
*Libri ſacri. Libri profani.*
*Artes. Aſtrologia.*
*Architectonica.*
*Cognitio linguarum.*
*Muſica. Philoſophia. Theologia.*

JUSTITIA.
*Solutio decimarum.*
*Gratitudo. Pœnitentia.*

TEMPERANTIA.
*Abſtinentia, Jejunium.*
*Humilitas.*
*Caſtitas, Virginitas.*
*Manſuetudo. Concordia.*
*Modeſtia. Mortificatio.*
*Mortificatio paſſionum.*
*Mortificatio Viſus.*
*Mortificatio Odoratus.*
*Mortificatio Guſtus.*
*Mortificatio linguæ per ſilentium.*
*Mortificatio Intellectus per captivationē.*
*Mortificatio Voluntatis per abnegationem.*

FORTITUDO.
*Conſtantia.*
*Perſeverantia. Patientia.*
*Adverſitates, materia patientiæ.*
*Morbi.*
*Mors amicorum, filiorum.*
*Paupertas. Deſolatio animi.*
*Tentationes. Perſecutiones.*


## VIRTUS IN GENERE.

1. *Ut acquiratur ſola ſeria voluntate opus eſt.*

SEntentia eſt cujuſdam Sancti: Quidquid toto corde, tota intentione, toto deſiderio vis, id eſt certiſſime: vis toto corde manſuetudinem: manſuetus es: caſtitatem: caſtus es: &c. Hinc Sanctus Auguſtinus: Quid eſt quod imperat animus, ut moveatur manus, & tanta eſt facilitas, ut vix a ſervitio diſcernatur imperium. S. punct. 110. fol. 322. C. Prov. 11. v. 23. S. Aug. 8. conf. 9.

Si magna dare aut facere non potes, ſaltem habeto voluntatem, ſi pauper es, habe deſiderium elargiendi immenſas eleemoſynas: offer Deo mille animas, mille vitas, &c. C. Gen. c. 4. v. 7.



003417

Via ad virtutem eſt exercitatio, hanc ſuavem efficiet ipſa conſuetudo, &c. C. Exod. 27. v. 8. fol. 530.

Cum opus aliquod præſtare non poſſumus, tam bonum Dominum habemus, ut deſiderium, & bonam voluntatem pro facto reputet. Abraham, quia ſolam voluntatem habuit ſacrificandi filium, audiit: quia feciſti hanc rem, benedicam tibi. Voluntas, ait S. Auguſtinus, theſaurus eſt pauperum, & ſemper habet, unde dat, cui plenum eſt caritatis pectus. N. 7. Maji.

*S. Aug. in Pſal. 36. Serm. 2.*

Judæus cum quibuſdam Chriſtianis iter faciens graviter ægrotare cæpit, petiitque baptiſmum. Cumque nulla ad manus eſſet aqua, inſtanter rogare cæpit, ut ſaltem ſabulo baptizaretur. Factum id eſt, adhibita forma Sacramentali, & ecce! mox Judæus convaluit, & cum ceteris proſequens iter, dein a Dionyſio Epiſcopo Alexandrino rite baptizatus eſt. Primus ille baptiſmus fuit invalidus, nihilominus deſiderium Judæi adeo placuit Deo, ut illum baptiſmo Sacramentali reſervarit. Ita Nicephorus.

De Sanctis Apoſtolis in die Pentecoſtes ait S. Leo: *O quam velox eſt ſermo ſapientiæ, & ubi Deus magiſter eſt, quam cito diſcitur, quod docetur.* Sic facilis eſt virtus 1. Quia eſt ſecundum naturam, & conformis rectæ rationi. 2. Quia aviditas virtutis non æſtimat labores & difficultates. 3. Quia gratia Chriſti dat alas roboris, & alacritatis, &c. C. in Eccli. c. 41. v. 22. Item Prov. 2. v. 20.

*2. Leo Ser. 1. de Pent.*

*2. Rara eſt inter proſperitates mundi.*

Sponſus laudat ſponſam: *Naſus tuus ſicut turris Libani, quæ reſpicit Damaſcum*: Turris hæc ſtabat inter amœna vireta, & erat ſpecula verſus hoſtilem Damaſcum: rara virtus eſt inter amœnitates mundi hoſtem obſervare. B. Serm. 57. n. 3.

Sanctus Bernardus ait: *Miraculum eſt in honore eſſe ſine tumore, in prælatione ſine elatione, in dignitate ſine vanitate.*

*S. Bern. Ser. 1. de Bas. B. V.*

Pater Divinus Chriſtum Filium ſuum agnoſcit, quia inter peccatores non peccat. M. conc. 5. aſſ. 1. n. 8.

Pientiſſimus quidam eremicola in meritis coram Deo æquihabetur Theodoſio Imperatori: quia iſte Princeps in eſu & potu erat moderatiſſimus, in ludis comicis & haſtiludiis de induſtria oculos avertebat, ut ſuam curioſitatem mortificaret, libros propria manu ſcribebat, & hoc ſuo labore ſe ſuſtentabat, ut æmularetur paupertatem, &c. D. 7. 29.

Gagates accenditur aqua, oleo reſtinguitur, ait Plinius: ita in adverſis virtus ardet, tepet in proſperis, & affuſo voluptatis oleo langueſcit. C. Apoc. 13. v. 10.

*Plin. l. 36. c. 19.*

David cum domi otioſus ſtertit, in turpe crimen adulterii incidit. Salomon inter opes & delicias ita depravatur, ut Deos alienos adorarit. Filius prodigus, quamdiu burſa turget, vivit luxurioſe, & tum primum ad patrem pœnitens reducitur, cum fame & egeſtate affligitur, &c.

*3. Magis lucet per tribulationes.*

Sanctus Joannes vidit Chriſtum emungentem lumina: fucus enim retundit lucem lampadis: ubi Labbata ait: *Emungit te Deus, & reſecat ſuperflua iſta, quæ te lucere impediebant.* B. Serm. 3. n. 29. & Serm. 21. §. 4.

*Labb. V. Exempl. part. 1.*

Lapis amianthus ardet quidem, ſed pulchior fit per ignem. S. punct. 14. fol. 601.

Deus per virgam amygdalinam monuit Aaronem, ut ad virtutes Sacerdotio convenientes eniteretur. Quare per amygdalinam? quia fructus amygdali haberi non poteſt, niſi prius durus cortex, quo fructus contegitur, confringatur. Ita fructus virtutis haberi non poteſt, niſi durus cortex multarum tribulationum frangatur. C. Num. 17. v. 8. fol. 839. c. 2.

Dioniſias lapis fuſcus eſt, rubeas habens notas, qui ſi aquæ mixtus conteratur, vinum fragrat: ita virtus adverſis quaſi contrita, fragrat acrius. *Pulegium floret hyeme, rigente ubique frigore; ita virtus imminentibus periculis adverſus omnia vitia decertat,* ait S. Ambroſius, *invicta ad labores, rigidior adverſus voluptates, dura adverſus illecebras.* Seneca hanc dat virtutis deſcriptionem: *Quemadmodum minora lumina ſolis claritas obſcurat: ſic dolores, moleſtias, injurias virtus magnitudine ſua elidit.* C. Apoc. 13. v. 10.

*S. Ambr. l. 1. offic. c. 33.* *Senec. ep. 66.*

Sicut mel omnia dulcorat; ita virtus etiam tribulationes dulceſcere facit. C. Prov. 24. v. 14.

*4. Gaudet tranquillitate bonæ conſcientiæ.*

Chriſtus manducabat, & *ipſi obſervabant eum*, ita juſtus inter obſervationes inimicorum ſemper hilaris, quia ſecurus. S. punct. 160. fol. 517.

Sanctus Gregorius: *Nequaquam terret exterius numerus hoſtium, quem non devaſtat intus turba vitiorum.* Et Sanctus Ennodius: Nitorem ſiderum non infuſa non obruit: ita neque bonam conſcientiam terror deprimit. S. punct. 16. fol. 600.



Sanctus Ambroſius: *Bona conſcientia non eget defenſione verborum, quæ ſuo nixa eſt teſtimonio, ipſa ſui index.* S. punct. 16. fol. 601.

Gaufridus ad Monaſterium pergens, obruebatur ingenti tædio & triſtitia. Sancto autem Bernardo pro eo orante obdormivit, & evigilans, ſicut antea dixerat, nunquam amplius lætus ero, ita nunc dicebat: Nunquam amplius triſtis ero. E. *Oratio* 15.

Et quid ni gaudeat ex toto corde Homo juſtus, cum certus ſit, quod virtutum ſuarum opera ſummopere placeant Deo? Deus ipſe affirmavit: *Exultabo in Jeruſalem, & gaudebo in populo meo!* Et Moyſes exhortans populum ad obſervantiam legis Divinæ: *Revertetur Dominus, ut gaudeat ſuper te in omnibus bonis, ſicut gaviſus eſt in Patribus tuis.* Hæc cogitatio: Deus delectatur in operibus meis: exhilaravit, & confortavit Sanctos Martyres in tormentis, ut ſe hoſtias vivas Deo offerrent: unde S. Cyprianus ad Martyres: Quid jucundius, & ſublimius, quam oſculari jam ora veſtra quæ glorioſa voce Dominum confeſſa ſunt? O beatum carcerem, quem illuſtravit veſtra præſentia! C. Sophon. c. 3. v. 17.

*Iſa. c. 65.* *Deut. 30.* *S. Cypr. l. 4. Ep. 1. ad Reg.*

*5. Quæ impedimenta aut inimicos habeat.*

Virtutem impedit 1.: Spes longioris vitæ; hac enim fretus bona conſilia quis diutius, diutiuſque differt, &c. B. Serm. 6. n. 16. 17. Serm. 7. n. 28.

2. Defectus conſuetudinis; ita David non potuit ſic incedere cum armis Saulis. B. Serm. 18. n. 38. Serm. 20. n. 35.

3. Proſperitas mundana; ideo Eliſeus duplicem ſpiritum petiit, quia inter felicitatem ſæculi vivere debebat. B. Serm. 32. n. 37.

4 Riſus & cavilli momorum. Aaronis Sacerdotium a Core: Magdalenæ unctio a Juda carpitur: Viri Zeloſi & Religioſi quot habent malignos cenſores? *Quidquid eſt pulchrum, ſequitur Momus.* C. Num. 16. v. 2.

*Clemens Alex. Strom. l. 7.*

5. Epiſcopo Sardenſi objecit Spiritus: *Non invenio opera tua plena coram Deo.* Cur autem non fuerunt plena? 1. Quia fuerunt infructuoſa, ſicut arbor florida non habens fructus. 2. Quia operans non fuit perſeverans in bono. 3. Quia erant ſine caritate. 4. Quia non facta bona intentione, ſed ex appetitu laudis & gloriæ. 5. Quia tepida & remiſſa. Epiſcopo enim convenit illud Pauli ad Timotheum: *Miniſterium tuum imple.* Et illud S. Hieronymi ad Paulinum: *Nihil in te mediocre eſſe contentus ſum, totum ſummum, totum perfectum deſidero.* C. Apoc.

*2. Tim. 4.*

6. Maximum virtutis obſtaculum eſt quilibet ſibi ipſi, cum ſuis paſſionibus, & ſiniſtris affectibus. Opus igitur eſt, ut homo vincat ſeipſum, hanc victoriam ſequitur conſolatio animi, hæc conſolatio eſt teſtimonium gratiæ &c. C. Apoc. 2. v. 17.

*6. Conſiſtit in medio.*

Chriſtus Dominus in omnibus elegit medium: natus eſt dum medium ſilentium tenerent omnia, in præſepi medius erat inter duo animalia, in monte Tabor inter Eliam & Moyſen, in cruce inter latrones, operatus eſt ſalutem in medio terræ. &c. A. lect. 2. n. 1.

Eccleſiaſticus monet: Noli eſſe juſtus multum: quæ verba multi ita exponunt, ut in rebus omnibus moderatio, & diſcretio attendatur. Sicut ager ex ſe pinguis cum optime colitur, depravatur: ita animus deſtruitur, ſi immoderata auſteritate conſtringitur. Hinc Plinius: *Bene colere neceſſarium eſt, optime damnoſum.* D. 3. 74.

Sicut in Iride plures quidem ſunt colores, nemo tamen ab uno ad alterum tranſire ita poteſt, ut diſtincte dicere queat, ubi prior color deſinat, & poſterior incipiat. Ita virtutes ita in medio conſiſtunt, ut ſi vel ad dextram vel ad ſiniſtram parum declinent jam non a vitio diſcernantur: hinc cito fit, ut prudentia in aſtutiam, liberalitas in prodigalitatem, fortitudo in temeritatem degeneret, &c. D. 9. 93.

In oleo ſummum, in melle infimum, in vino medium pars optima eſt: ita virtus indiget ſua temperatura: Juſtitia non ſit ſumma, nec infima: ſic fortitudo, temperantia & aliæ Virtutes. W. art. diſc. font. 11. Exempl. 21.

*Prima virtus eſt*, ait S. Ambroſius, *ut non frangaris adverſis, nec extollaris ſecundis.* Et Nanziazenus: *Virtus in medio vitiorum ſita eſt, velut roſa inter ſpinas.* Et Ariſtoteles, *Virtutem definit eſſe mediocritatem*. Unde Horatius: Virtus eſt medium vitiorum utrinque reductum. C. in Eccli c. 44. v. 3. Et in Ep. 1. ad Tim. v. 6.

*S. Ambr. in Pſal. 1. S. Nazianz. orat. ad Virg. Ariſt. l. 2. Ethic. c. 6.*

*7. Vera non ſinit ſe depravari.*

Inter notas veri hyacinthi illa eſt, quod, licet naſcatur in Æthiopia regione calidiſſima, tamen frigeſcat, & nulla ratione ſe patiatur incalidari, imo in os ſumptum, frigus intendat. Ita vera Virtus, etſi in mundo, & mundanis negotiis verſetur, non tamen debet incendi vitiorum igne, imo etſi in ore malevolorum volvatur, & mala exempla impiorum aſpiciat, debet invariabilis perſeverare. W. Art. diſc. Four. 6. Ex. 4.

Pro leproſo debebant duo paſſeres offerri: paſſer ſignificat hominem juſtum: nam 1. paſſer nidificat in tectis domorum, ne pulli rapiantur a ſerpentibus: ita homo juſtus mente non in terra, ſed in cælo habitat. 2. Paſſer non facile eſca capitur: ita juſtus ingluvie non decipitur, ſed carnem macerat. 3. Paſſer infirmitate & ſenio albeſcit: ita juſtus adverſitate mundatur; nam virtus in infirmitate perficitur, &c. His aliiſque induſtriis juſtus ſicut paſſer eripitur de laqueo venantium. C. Lev. 14. v. 4.

Virtus adamanti comparatur 1. ſicut adamas malleo & igni reſiſtit, imo durior fit; ita virtus ſuperat omnia adverſa. 2. Sicut adamas venenum enervat, & lymphationes abigit; ita virtus. 3. Sicut adamas diſſidet cum magnete, ferrum illi eripit, & ad ſe trahit; ita virtus, quod patet in martyribus, minas & tormenta tyrannorum ambivit, & ad ſe attraxit. C. Prov. 3. v. 15.

Hinc non omni ſpiritui credendum, ſed bene examinandæ ſunt actiones: multa putantur fieri ex zelo, & pietate, quæ revera fiunt ex ira, invidia, aut alia paſſione, &c. C. 1. Joann. 4. v. 1.

*8. Acquirenda eſt ſucceſſive.*

Apoſtolus ait: *Exerce teipſum ad pietatem.* (1. Tim. 4. v. 7.) Omnis enim res, ait Ambroſius, domeſticis exercitiis augetur. Miles quotidie exercetur in armis. Certaturi curſu quotidiano uſu palæſtram petunt. Ad ſapientiam, ait Ariſtoteles, tria requiruntur, natura, doctrina, & exercitatio. Cato ajebat, hominis ingenium eſſe ſimile ferro, quod ex uſu ſplendeſcit, in otio rubigine obducitur. &c. C. Lev. 22. v. 28.

Deus in Veteri Teſtamento prohibuit, ut victima, bos aut ovis non una die una cum fœtibus immoletur. Mater eſt voluntas, fœtus ſunt actus exteriores: hi non ſimul & ſemel poſſunt ſupprimi, ſed ſucceſſive. C. Lev. 22. verſ. 28.

*Virtus eſt bonum, quod per vim efficitur,* ait S. Gregorius Nazianzenus: *Virtus inclyta tacitis gradibus ſe tollit in altum.* C. in Eccli c. 44. v. 3. Sed hoc non fit uno ſaltu!

*Tunc intelliges æquitatem, & omnem ſemitam bonam.* (Prov. 2.) Virtus comparatur ſemitæ 1. quia recta eſt, cum via regalis ſit lata & larga. 2. Quia compendioſa & brevis eſt ad perfectionem & felicitatem. 3. Quia directa eſt. 4. Quia per montes & rupes ducit, quos currus circumeunt. Porro triplici motu homo juſtus movetur, ut ſatisfaciat per juſtitiam Deo, per æquitatem proximo, per judicium ſibi ipſi. Hinc motus etiam animæ per virtutem triplex eſt, Reflexus, Rectus, & Circularis. *Reflexus* cum anima a creaturis reſilit ad Creatorem. *Rectus*, cum recta ad proximum tendit, eique præſtat, quod debet. *Circularis*, cum in ſeipſam redit conſcientiæ quieti conſulens. Hæc autem omnia arduitatem habent. C. Prov. 2. v. 7.

*9. Eſt ſummum bonum in mundo.*

Virtutem ſummum bonum eſſe cenſent Philoſophi & Aſcetæ, 1. quia ſummum bonum eſt in animo, in animo autem nihil ſalutarius eſt virtute. 2. Quia perficit animam, & promovet ad perfectionem. 3. Quia omnia cetera bona reddit; nam virtutis beneficio, munera fortunæ & naturæ, quæ obeſſe potius quam prodeſſe poſſunt, bona fiunt. 4. Quia hominem, etiamſi cetera ei deſint, bonum ac probum reddit, ita, ut, etiamſi ceteris omnibus abundet, ſine virtute bonus ac probus non ſit. 5. Quia virtus omnia vincit, fortunam ſuperat, naturæ incommoda rejicit, incontinentiam coercet, feritatem proſternit. 6. Quia virtute nihil conſtantius ac firmius, dum enim extrinſecus adverſitatum venti nos agitant, dum amici deſerunt, & principes perſequuntur, ſola virtus animum reddit tranquillum, dicente Seneca: Hoc adverſus virtutem valent calamitates, quod adverſus ſolem valent nebulæ. 7. Quia virtus non poteſt non prodeſſe: hoc enim virtutis privilegium eſt, quod ea male uti non valeamus. 8. Quia menſura ac regula eſt ceterorum bonorum, & Deo nos ſimiles reddit, dum maxime purgat, & evehit ad ſupera. C. in Eccli 44. v. 3.

Virtus Abrahamum Patriarcham coram Deo, & hominibus glorioſum reddidit. De illo Eccleſiaſticus aſſerit: *Non eſt inventus* (Eccl. 44.)



*ventus ſimilis illi in gloria*, tum ob eximiam fidem & ſanctitatem, qua factus eſt Pater credentium, tum quia Deus cum eo ſingulare pactum iniit, novamque Religionem Judaiſmi dedit, tum denique, quia Meſſiam illi ex poſteris ejus naſciturum promiſit. C. Eccli. 44. verſ. 20.

Singularem laudem promeruit propter admirabilem fiduciam in Deum, qua paratus fuit filium unicum, ex quo poſteritatem ſperabat, immolare. Apoſtolus (Rom. 4.) ait, quod *contra ſpem in ſpem credidit*, nimirum contra ſpem naturæ credidit in ſpem gratiæ, & promiſſionis Divinæ, quod Deus reſuſcitaturus eſſet Iſaac. C. Ib. v. 21. Sanctus Chryſoſtomus laudat ejus obedientiam dicitque, quod fuerit (S. Chryſ. Hom. de Abrah.) *Martyr vivus & non vivus, mortuus & non mortuus*. C. Ibid.

Deus hominem pium ac virtuoſum omnibus bonis tam corpore, quam anima replet & remuneratur. C. Levit. 26. v. 3.

Non aurum & argentum, ſed virtutes ſunt veræ divitiæ, quæ nos felices reddere poſſunt: econtra pauperes non facit egeſtas, ſed cupiditas & impietas. (S. Greg. Hom. 15. Evang.) *Solæ divitiæ ſunt*, ait S. Gregorius, *quæ nos divites virtutibus faciunt*. C. Jac. 2. v. 5.

*10. Gaudet ſocietate bonorum.*

Societas bonorum ingentia emolumenta fert animæ, ſicut ſocietas malorum ingentia damna. Nam 1. Prodeſt propter communionem meritorum, bona conſilia, & exempla. S. punct. 62. fol. 217. Multa addiſcuntur pietatis, & ſcientiarum principia; hinc Ariſtoteles ajebat: Siquis congreſſus, & ſocietates hominum ferre non poteſt, aut beſtia, aut Deus eſt. S. punct. 62. ibid. ad finem. 3. Per ſocietatem bonorum etiam impii conſervantur, aut convertuntur: ſic zizania non ſunt eradicata propter triticum: Multi navigantes a naufragio præſervati ſunt propter Paulum Apoſtolum. Saul prophetavit inter Prophetas. S. Punct. 62. fol. 216.

Notum eſt illud de latrone, quod in Monaſterium furaturus irrepſerit: cum autem vidit ibi exempla fratrum, & præſertim pœnitentias, jejunia, & auſteritates pro impetranda felici morte, cogitare de ſua ſalute, & tum ſua ſcelera deteſtari capit, demum converſus, ac Monachus factus, piam vitam bona morte concluſit. E. *Converſio*. n. 33.

S. Herluinus adhuc ſæcularis videns unum Monachum coram SS. Euchariſtia in faciem proſtratum diu orare, animitus tactus, mundo valedixit, & ad Religioſa clauſtra tranſivit. N. 26. Aug.

Horror peccati.

*11. Neceſſario debet eſſe conjunctus virtuti.*

Electi vocantur Filii Dei. Hanc autem filiationem, amoremque eo modo probent, quo filius ille, qui, ut legitimum heredem ſe probaret, juſſus eſt cor defuncti Patris ſagitta vulnerare: tremere enim toto corpore cæpit, abjectaque ſagitta maluit carere hereditate, quam tantum nefas committere. B. Ser. 48. n. 17.

Certe virtus averſari debet peccatum ſuper omnia alia mala: Sic S. Anſelmus maluit mitti in infernum, quam Deum peccato offendere, conformiter ad effatum S. Chryſoſtomi: Gehenna gravius eſt delictum, offendere Deum. S. Paulus timet tentationes carnis propter periculum peccati. Ludovico Regi in pueritia ſæpe in faciem enunciat Mater, Mallem te Ludovice in feretro videre, quam in peccato. S. punct. 157. fol. 512.

Joannes Abbas per ſimilitudinem inſtruxit fratres, quomodo peccati pericula effugere debeant. Meretrix, aiebat, plures habens amatores a Viro honeſto in uxorem petita eſt: amatores venerunt ante domum cum noto ſibilo: illa autem oculos & aures ſignabat cruce. &c. Sic anima ſuggeſtionibus dæmonum ſenſus occludere debet. E. Verb. *Occaſio*, n. 1.

O quanta fuit nauſea, & ſollicitudo Sanctorum contra peccatum, ejuſque pericula. S. Tobias filio in teſtamento reliquit horrorem peccati: ubi Sanctus Antonius Paduanus: Ecce! quale teſtamentum Tobias condidit filio ſuo. *Cave, ne aliquando peccato conſentias*. S. punct. 157. fol. 511.

Solida virtus etiam umbram, & initia peccati averſari debet, ſciens, quam facile procedatur a levi ad graviora. Pompejus urbem obſeſſam rogavit, ut ægrotantes ſui milites reciperentur: conſenſit urbs; at recepti milites, qui ægritudinem aut ſimularunt, aut paulo poſt convaluerunt, urbem occuparunt. Sic fit! modica familiaritas eſt talis miles, quia mox venitur ad majora. B. Serm. 79. n. 11. & ſeq. Vide Titulum *Cura minimorum*.

Sicut ab unica occaſione bona ſæpe dependet æterna ſalus; ita ab una mala occaſione dependere poteſt æterna pernicies. B. Serm. 61. n. 16. Item Serm. 51. §. 7.

## Bona Conſcientia.

### 12. *Multa bona affert homini juſto.*

INprimis tranquillat animum, cumque contra timorem, quo nihil moleſtius, ſecurum reddit: *Quam miſerum eſt*, ait Seneca, *metuendo fieri ſenem!* hinc quo magis creſcit virtus, eo magis creſcit ſecuritas: quocirca nonnulli adeo perfecti evadunt, ut occurrente re terribili, nec primos formidinis motus ſentiant, quod ſignum eſt magnæ fidei & ſpei in Deum. *Dominus illuminatio mea, & ſalus mea quem timebo? Dominus protector vitæ meæ, a quo trepidabo!* ſic dixit ille: Etiamſi cælum, & terra ruant, Theodorus non timebit! S. Pachomius ſerpentes & ſcorpiones calcabat illæſus, crocodilo vectus flumina tranſnatabat. Perfecta caritas foris mittit timorem. S. Macarius in ſepulcro Paganorum pernoctans, cadaver capiti inſtar cervicalis ſuppoſuit, cumque dæmones circa cadaver tumultum, & murmur facerent, nil metuens dixit: *Surge, vade, quo potes!* &c. C. in Prov. 3. v. 26. ad fin.

Deinde felicitas bonæ conſcientiæ elucet ex continuo timore conſcientiæ malæ: *Dabo pavorem in cordibus eorum &c. terrebit eos ſonitus folii volantis.* (Levit. 26.) Hic pavor & pœna comes eſt peccati, de qua S. Iſidorus: *Nulla pœna gravior pœna conſcientiæ.* Pythagoras ait, neminem tam audacem eſſe, quem mala conſcientia non faciat timidiſſimum. Et Plutarchus: Facinoroſa conſcientia eſt inſtar ulceris in corpore, pœnitentiam relinquit in anima lancinantem. S. Baſilius: Sicut umbra corpora, ſic peccata ſequuntur animas. &c. C. Levit. 26. v. 36.

Hugonis Victorini effatum eſt: *Tranquilla conſcientia eſt, quæ omnibus eſt dulcis, nulli gravis, utens amico ad gratiam, inimico ad patientiam, cunctis ad benevolentiam.* C. Levit. 26. v. 36. (Hugo Vict. l. 2. de an. c. 32.)

### 13. *Quam felix in comparatione conſcientiæ malæ.*

*Merito hæc patimur*, quia peccavimus in fratrem noſtrum! Ecce! nondum facta eſt mentio Joſephi, & fratres in afflictione ſtatim illius recordantur. Nempe ſicut ebrius quamdiu bibit, non ſentit incommoda vini, ſed primum poſtea, dum edormierit crapulam; ſic peccatum primum poſtea inſurgit, & mentem gravius arrodens, monſtrat abſurditatem facti, ait S. Gregorius. Conſcientia domeſticum, & verum tribunal eſt. Econtra *Bona eſt ſubſtantia, cui non eſt peccatum in conſcientia*, ait Eccleſiaſticus. (Eccli. 13.) Et alibi iterum: *Non eſt oblectamentum ſuper cordis gaudium!* (Eccli. 30.) C. Gen. 42. verſ. 21.

Anima ſancta vinea Domini eſt, ita S. Bernardus: *Viro ſapienti ſua vita vinea eſt, ſua mens, ſua conſcientia: nihil incultum, deſertumque in ſe ſapiens derelinquit. Stultus non ita! cuncta apud eum neglecta invenies, inculta, & ſordida.* (S. Bern. Ser. 63. in Cant.) Quod ergo facit vinitor in vinea, hoc facit cultor animæ in anima. C. in Amos c. 9. v. 15. Item Ezech. 15.

Conſcientia bona ſummum bonum eſt in vita, in morte, & poſt mortem. Ibi non quæretur de nobis, quid legimus, ſed quid fecimus! Non quam bene ſcripſimus, ſed quam religioſe viximus! &c. C. 1. Petr. 3. v. 21.

Merito Apoſtolus puræ conſcientiæ ſpem, & fiduciam pollicetur; S. Auguſtinus enim ait: *Ipſa caritas bene operantis dat ei ſpem bonæ conſcientiæ*, ſicut econtra *mala conſcientia tota in deſperatione eſt, &c.* C. 1. Joann. 1. v. 4.

## Cura minimorum.

### 14. *Attendendum, ne peccata invaleſcant.*

*QUaſi a facie colubri fuge peccatum*: Nota, non ait, fuge peccatum ut leonem, urſum, bovem, ſed ut colubrum; quia coluber etiam adhucdum parvus, & heri natus virulentus eſt. B. Serm. 62. n. 12.

Pompejus petit ab urbe obſeſſa recipi milites ægrotos, & ſic urbem occupat. B. Serm. 79. n. 11.

*Væ! qui cogitatis inutile.* (Mich. 2.) Cur væ intentatur propter inutilem cogitationem? quia ab inutili paulatim devenitur ad iniquam. S. punct. 11. fol. 49.

*Capite nobis vulpes parvulas, quæ demoliuntur vineas*: Vulpes parvulæ, ait Bernardus, ſunt tentationes: O quoties parvula cogitatio, quæ ſub ſpecie vulpis irrepſit, vineas operum, & fruges evertit? (S. Bern. in Cant. 2.) S. punct. 35. fol. 156.

Primogenita Ægypti debuerunt occidi: Gregorius Nazianzenus primogenita vocat primos motus, & cogitationes, a quibus ſenſim devenitur ad majores. *Qui ſpernit modica paulatim decidet.* Ubi Gregorius: ſi curare parva negligimus, inſenſibiliter ſeducti audenter etiam majora perpetramus. Et alibi: qui flere minima peccata negligit, a ſta-



tu juſtitiæ non quidem repente, ſed partibus totus cadit. S. punct. 112. fol. 342.

Nazaræi non tantum ab uvis, ſed etiam ab acinis abſtinere jubebantur, ne ab his ad uvas, ab uvis ad vinum tranſirent. *Pepigi fœdus cum oculis meis*: (Job. 31.) Ubi Gloſſa: Viſum ſequitur cogitatio, cogitationem delectatio, delectationem conſenſus, conſenſum opus, opus conſuetudo, conſuetudinem neceſſitas, neceſſitatem deſperatio, deſperationem damnatio. S. Antoninus & S. Anſelmus ait: Religiones plurimas a neglectu minimorum ſucceſſive ad interitum veniſſe. C. Num. 6. v. 9.

### 15. *Tandem creſcit in ingentem Virtutem.*

*Eſtote prudentes ſicut ſerpentes.* Serpens ingentem taurum occidit, & paulatim devorat. Tu ſingulis diebus aliquid difficultatis devora, & tandem omnem ſuperabis. M. conc. 30. aſſ. 2. num. 11.

Deus ab initio creat terram inanem, & vacuam: Quare? Reſpondeo ut etiam nos in proficiendo hunc ordinem ſervaremus, & ab imperfectis ad perfecta progrediamur. C. Gen. c. 1. v. 2.

Deus in Levitico Judæis præſcripſit minutiſſimas cæremonias in Sacrificiis uſurpari ſolitas; ut oſtendat, nihil eorum, quæ ad Dei cultum pertinent, exiguum æſtimari debere, ait S. Cyrillus. (S. Cyrill. l. 11. de Adorat.) C. Levit. 6. v. 11.

Ilias in nuce, formica Callicratis & quadriga Mirmecidis fuerunt minima opera, hoc ipſo tamen pretioſa, quia artificioſa. T. 341.

Multi mercatores, pecunias, quas quotidie ex mercibus venditis redigunt, in unum ſcrinium conjiciunt, quod dum in fine hebdomadis aperiunt, ſæpe theſaurum inveniunt ſpe omni majorem. Dum in hac vita degimus, theſaurizare debemus pro æternitate: *Facite vobis theſauros!* & ex quo alio quam ex quotidianis operibus? ſicut divitiæ terrenæ ex meris minutis conſtant, v. g. ex meris obolis, ex meris tritici granulis, ex meris vini guttulis &c. Ita divitiæ ſpirituales meritorum congregandæ ſunt ex operibus minimis! raro enim datur occaſio ad opera heroica, & mirabilia! &c. C. Zachar. 4. v. 10.

Chriſtus verbo & exemplo docuit, quod res magnæ a parvis initium capiant, juxta illud Jobi: (Job. 8.) *Si priora tua fuerint parva, noviſſima tua multiplicabuntur nimis*: Expertus eſt ipſe Job: Dominus benedixit noviſſimis illius, magis quam principio ejus, facta ſunt ei quatuordecim millia ovium, & ſex millia camelorum, & mille juga boum, & mille aſinæ. C. Zach. 4. v. 10.

Mathematice demonſtrandum eſt, minimum eſſe tum numerorum, tum elementorum, corporumque omnium baſin & ſubſtantiam; quia maxima quæque ex minimo ſunt: tolle minimum, ubique nihil erat. C. Zach. Ibid.

Gaudet Deus in humilitatis commendationem res ex nihilo facere: ita homo imitetur Deum! Vis magnus eſſe, eſto parvus: ſic S. Tereſia ſingulare beneficium a Deo acceptura, ſeſe prius annihilavit, ut teſtetur, ſe coram Deo nihil eſſe, nihil poſſe. Sic S. Franciſcus abjectus, & humilis plures fundavit Ordines Virorum & mulierum, quam omnes alii. Sic Deus ipſe Joſephum ex carcere ad principatum Ægypti, Gedeonem ex area ad ducatum Iſraelis, Davidem ab ovibus, Saulem ab aſinis, diſcipulos a piſcatione ad Apoſtolatum vocavit. C. Gen. c. 38. in fine, & Zachar. c. 4. v. 10.

Hic mos eſt Dei, ut per humilia nos ducat ad excelſa: S. Jacobus Apoſtolus in Hiſpania tantum novem animas convertit. S. Chryſoſtomus, S. Gregorius Nazianzenus, S. Paulus erant corpore exigui, & tamen maximi Viri, &c. C. Zachar. Ibid.

Deus humilia reſpicit, & in eis oſtendit potentiam ſuam: Lepuſculus ſapiens eſt, formicæ & apes rempublicam formant: grandia animalia horrent a minimis, uti elephas a mure, leo a gallo. C. Prov. 30. v. 28. Item Prov. 6. v. 6.

### 16. *Signum eſt, qualis homo ſit in maximis.*

Vacante Abbatia, & duobus electis, unus ſupplicavit Friderico Imperatori, ut ſibi aſſiſteret, oblata magna argenti ſumma. Imperator hunc indignum reputans propter ſimoniam hoc actu illum repulit: ſcivit Monaſterii ſtatutum eſſe, ut quilibet Monachorum ſecum acum deferret: in capitulo igitur ſedens, repetiit a ſimoniaco acum, & cum iſte non haberet, bene autem illius corrivalis, hunc ad Abbatiam promovit, dicens, quia cum prior ille non obſervaret ſtatuta in minimis, etiam inutilis futurus eſſet in maximis. E. *Statutum* n. 2.

Ex pueritia hominis deſumi poteſt, qualis ille futurus ſit in adulta ætate. Et nemo militum promovetur ad Officium centurionis, niſi prius exiguam cohortem duxerit, multo minus inſtruenda exercitus acies ad prælium committitur, niſi prius in-

veli-

velitationibus fidem ſuam probaverit. Dantur Chriſtiani, qui ſi forte teneriori devotione inardeſcant, fidem ſuam Deo adeo conſecrant, ut etiam ad martyria ſeſe offerant. Ponamus talem Chriſtianum venire in occaſionem, ubi ab adverſario aculeatis verbis pungitur, & ecce! in furias biliose exardeſcit! Ponamus illum aliquot florenis furto aut iniquo contractu damnificari! & ecce! triſtatur, lamentatur, lacrymatur! Quis credat hunc hominem martyrium pro Deo ſubiturum, qui minutias unius verbi aculeati, aut damnum unius floreni ſufferre non poteſt?

Generoſa Apicula videns leonem, dixit illi: Quamvis ſis rex animalium, unguibus, & dentibus terribilis, ego tamen te non timeo! quod ſi excandeſcas, progredere in pugnam! ſic loquens involavit in rictum leonis, & ſupra nares inſidens oculum ejus aculeo fixit. Efferatus leo irrugiit præ dolore. Dein apicula avolans ſupra arborem deriſit ſuperbum leonem. Verum dum hæc agit incautius, incidit in rete araneæ, a qua illaqueata, & intoxicata miſere periit, ante mortem lamentans, quod ferociſſimum animal vicerit, & viliſſimo animalculo ſuccubuerit. Sic multis contingit, qui tentationes graviſſimas ſcelerum ſuperant, & ab exili dæmunculo deinde, ob verbulum aculeatum inimicitiis turpiter ſuperantur.

*17. Si non attendatur, magna mala poſt ſe trahit.*

Dominus Deus totum a nobis poſtulat: econtra dæmon modico eſt contentus. Qua de cauſa? An quia Deus eſt Dominus animæ noſtræ, diabolus autem fur? Verum id quidem eſt, ſed maxima ratio hæc: Dæmon modicum petit, cum norit a modico ſe ſtatim progredi poſſe ad multum: capillum petit, ajebat S. Franciſcus, at hunc ſi obtinet, mox ex crine funem efficit. Non ſtatim ſuadet ſtupra, adulteria, ſacrilegia: ſed obtutum laſcivum, verbulum liberius, ex his ſucceſſive funes, & catenas conficiet. P. Hom. Chr. p. 3. diſc. 33. n. 14.

Num. 21.

Iſraelitæ profecti de monte Hor itineris & laboris tædere cæperunt, & quamvis a Deo Manna de cælo benigne nutrirentur, ad Moyſen tamen murmurantes dixerunt: Anima noſtra nauſeat ſuper cibo leviſſimo. Quid evenit? Dominus Deus miſit in populum ignitos ſerpentes. O quoties tepidus Chriſtianus hanc actionem aut omiſſionem contemnit ut rem leviſſimam, quæ tamen grave damnum poſt ſe trahit. Monetur, ut hanc devotiunculam non omittat, & reſpondet eſſe rem leviſſimam! Ut illud periculum fugiat, & iterum repetit, eſſe rem leviſſimam! Quid fit? ſic foramen aperit ſerpenti infernali, quo irrepere poſſit, & grandia damna moliri. Multi ſunt in inferno, quorum pernicies initium duxit a re levi, &c.

Ex uno aſpectu curioſo, David fuit factus adulter.

2. Reg. 11.

## Perfectio Chriſtiana.

*18. Quibus mediis acquiratur.*

MEdia ad perfectionem ſuggerit Sanctus quidam Doctor: 1. Ambulare coram Deo: 2. In omnibus tam proſperis, quam adverſis ſe conformare voluntati Dei. 3. Mortificare vitium, quod præ ceteris tenacius adhæret. 4. Contemnere omnem honorem humanum. 5. Alienum eſſe ab omnibus hominibus. 6. Exuere omnem affectum erga res externas. 7. In omnibus actionibus fixum eſſe in Deo. 8. Totum ſe reſignare Deo. 9. Velle contemnere omnia, & contemni ab omnibus. C. in Gen. c. 17. v. 2.

Perfectio comparatur ſcalæ Jacob, in qua Angeli gradatim aſcendunt: culmen eſt caritas, gradus ſunt decem abrenunciationes. 1. Abdicare terrena. 2. Eadem oblivisci. 3. Eadem ut ſtercora odiſſe. 4. Parentum & amicorum amorem exuere. 5. Odiſſe animam ſuam. 6. Abnegare ſuam voluntatem. 7. Mortificare paſſiones. 8. Sequi Chriſtum. 9. Amare inimicos. 10. Adhærere Deo, eique ſpiritu uniri. C. Gen. c. 28. v. 12. fol. 228. col. 2. ſeq. Item Num. 33. v. 55. & ſeq.

In eo maxime fundatur, ut ſemper de novo incipiat ſervire Deo: *Parvulis eſt ludere*, ait S. Auguſtinus, *perfectis autem eſt lugere*. Unde S. Franciſcus ſub finem vitæ aiebat: Fratres incipiamus ſervire Deo; nam uſque nunc parum profecimus. C. in Eccli 18. v. 6.

S. Aug. Tom. 4.

Perfectio Chriſtiana partim eſt de præcepto, partim de conſilio: conſiſtit in caritate præſertim inimicorum, in imitatione Dei, & eradicatione vitii principalis, &c. C. in Matth. c. 5. v. 48. &c.

Lud. de Pont. T. 3. tr. 4. c. 11. Iſa. 6.

Perfecte vivendi regulas præſcribit Ludovicus de Ponte, & nimirum cuilibet operi addamus ſex alas Seraphim. 1. eſt Memoria præſentiæ Dei omnia videntis & attendentis. 2. Pura Majoris glo-



riæ Dei intentio, ſtudendo illi placere, & voluntatem ejus exequi. 3. Oratio, quæ omnibus operibus præmitti debet, petendo Dei auxilium. 4. Fiducia in Deum, quo te in omnibus actionibus fideliter adjutum iri ſperas. 5. Fortitudo in arduis rebus aggrediendis, & difficultatibus ſuperandis. 6. Perſeverantia uſque in finem operum, tolerando patienter quaſcunque moleſtias obvenientes. C. Michææ 6. v. 8. Non reſpiciendum retro, nec ſtandum. C. Philipp. 3. v. 13.

Anima ſancta comparatur palmæ 1. quia debet eſſe recta per juſtitiam. 2. Alta per continuam converſationem in cælis. 3. Semper virens & fructuoſa per exercitium bonorum operum. 4. Fortis, per invictam patientiam in adverſis. C. Cant. 7. v. 7.

*19. Non acquiritur ſimul & ſemel ſed ſucceſſive.*

Deus ab initio creavit terram inanem & vacuam: cur non ornatam, & perfectam? Sanctus Ambroſius reſpondet: ut nos ad imitationem Divini operis eundem in operando, & proficiendo ordinem ſervaremus. Procedere debemus ab imperfectis ad perfectiora. C. Gen. 1. v. 1. Hinc juſtus comparatur auroræ. C. Prov. 4. v. 18.

S. Ambr. l. 1. Hex. c. 7.

Epheſ. 4.

*Veritatem autem facientes in caritate, creſcamus in illo per omnia*. Nota: aliud eſt creſcere ad illum: aliud creſcere pro illo, aliud eſt creſcere in illo, videlicet Chriſto: primum eſt incipientium, alterum proficientium, tertium perfectorum. Segn. Manna 26. Aug. n. 1. Sicut ergo corpus in omnibus membris proportionaliter creſcit, ita oportet ſpiritum creſcere in omnibus verbis, cogitationibus, & operibus. n. 3. Nemo autem unquam pervenit ad ſtatum perfectorum, quin prius emenſus fuerit viam incipientium, & proficientium. n. 4.

Ab uno autem actu ſeu victoria ſuipſius ſemper fit progreſſus ad aliam, quia Deus dat majorem gratiam. Sic Honoratus quia a carnibus abſtinet in convivio, ad eam ſanctitatem pervenit, ut ſaxum ab excelſo monte abruptum, & Monaſterio ruinam minitans in ipſo curſu per crucis ſignum ſtiterit. E. Verb. *Abſtinentia* 1.

Prov. 24.

*Sapientia ædificabitur domus, & prudentia roborabitur*. Sicut domus ædificatur prudentia, arte, & virtute; ita eadem induſtria opus eſt in acquirenda perfectione: 1. Opus eſt, ut natura habiles, & proclives ſint, qui eo aſpirant; natura enim obſecundat gratiæ, & gratia perficit naturam; ſecus enim adverſo vento navigant. 2. Ut ſciant, virtutem non in labore corporis, ſed in vigore ſpiritus conſiſtere; multi enim magnos labores, jejunia, & auſteritates ſubeunt, & in virtute parum proficiunt. 3. Ut ſciant rectas intentiones bono, aut indifferenti operi præfigere; his enim bonitatem operis tot virtutibus, quot intentionibus augent. 4. Ut vel maxime diſcant operari ex caritate, quæ eſt Regina virtutum; ſicut enim qui aurum eligit præ argento, & alio ære, ceteris paribus citius diteſcit; ita qui operatur ex caritate, citius ad perfectionem aſcendit: hinc hortatur Apoſtolus: *Super omnia autem hæc caritatem habete, quod eſt vinculum perfectionis*. C. in Prov. 24. v. 3.

Homo perfectionis cupidus ſemper ſtudeat altius aſſurgere, nolle enim proficere eſt deficere, ait S. Bernardus. C. in Cant. 2. v. 10.

Via virtutis non patitur remanentes, redeuntes, & aberrantes. C. Phil. 3. v. 22.

*20. Non eſt difficilis.*

Perfectio Chriſtiana comparatur quidem arctæ ſemitæ, ſed tali de qua promittitur: *Non arctabuntur greſſus tui*. Ea enim eſt differentia inter greſſus corporis & animæ, hoc eſt affectus, quod illi longiore motu langueſcant, iſti majorem vigorem accipiant; cum enim affectus cæperint inflammari, ſemper cupies habere plus puritatis, plus paupertatis, plus obedientiæ: hinc additur: *Currens non habebis offendiculum*. Segn. Manna 31. Mart. n. 2.

Prov. 4.

Sicut in circino unus circini pes hæret fixus in centro, alter vero circumductus ſcribit peripheriam, ſeu circulum perfectiſſimi: ita cor per caritatem affixum Deo, movet manus, pedes, oculos ad auxilium proximorum, omniaque ex Dei nutu & amore facillime conficit. Sic omnes ejus actus erunt merum caritatis exercitium. C. in Eccli. 47. v. 10. Vide etiam Prov. 2. v. 20.

Perfectio conſiſtit in ipſa tendentia, & curſu ad perfectionem: *Perfectus eſt*, ait S. Auguſtinus, *qui ad perfectionem irreprehenſibiliter currit, atque etiam ipſa venialia non negligit mundare eleemoſyna*. C. in Ep. ad Phil. 3. v. 15.

S. Aug. l. de perfect. juſt. c. 9.

Cor hominis perfecti comparatur altari thymiamatis ob multiplicem analogiam; videlicet, quia debet eſſe incomputreſcibile in vitiis, deauratum in caritate, firmum in virtutibus &c. C. in Exod. 30. v. 1.

Sicut

Sicut aquila ſemper ſe magis perficit volando ac generando: ita juſtus in ſanctitate ſemper proficere ſtudet. C. Iſaiæ 40. v. 32.

### 21. *In quo conſiſtat.*

*Eccli 26. v. 6.* Aliqui conſtituunt perfectionem in patientia adverſitatum: Timuit cor meum *Delaturam civitatis, & collectionem populi, calumniam mendacem, ſuper mortem omnia gravia*. Per tria hæc, intelligitur 1. Proditio civitatis, qua cædi & furiis illa exponitur. 2. Congregatio populi tumultuantis, qua contra aliquem conſurgit. 3. Accuſatio falſa, qua agitur ad mortem, aut infamiam. Hæc perferre pro Deo, & juſtitia magna perfectio eſt, majorque quam exantlatio mortis. Sic S. Paulus exultavit in perſecutionibus & calumniis. Sic Monachus Abbakirus, Diaconus Macedonius, & S. Ignatius ad perſecutiones & opprobria lætati ſunt: primus a fratribus quotidie verberibus exceptus, alter ſine culpa e Monaſterio ejectus, tertius ob pietatis miniſteria mille calumnias paſſus exultarunt. *S. Franciſcus dicere ſolebat: Perfecta lætitia eſt, cum quis libenter amore Chriſti injurias, & opprobria ſuſtinet*. C. in Eccli 26. v. 6.

Alii conſtituunt perfectionem in amore Dei ex toto corde, ad quem requiritur 1. ut voluntatem ab omni amore & affectu terreno ſegreges, & mundifices. 2. Ut omnes cogitationes & opera ad Dei ſolummodo honorem, & gloriam dirigas. 3. Ut tua voluntas intime conjuncta ſit voluntati Divinæ, & imperturbata animi pace omnia, quæcunque ſeu bona ſeu mala evenerint, excipias, firmiter credens, quod Deus magis te, quam tu teipſum ames, &c. C. in Eccli. 7. v. 32. Et c. 47. v. 10.

## Sancta Simplicitas.

### 22. *Meretur colloquium Dei ad cor.*

HErodes, & Pilatus non poterant a Chriſto extorquere reſponſum: Quare? Reſpondet Cyprianus: Chriſtus contempſit faſtigia eorum. S. punct. 13. fol. 598.

*S. Ambr. ſerm. 30. in c. 7. Is.* David petiit alas columbinas, quia *intelligebat, quod altiora facilius penetrentur ſimplicitate mentis, quam levitate pennarum*. Ait Ambroſius. M. conc. 28. aſſ. 3. n. 8.

*Pſal. 63.* *Accedit homo ad cor altum, & exaltabitur Deus, &c.* M. conc. 32. aſſ. 2. n. 13. conc. 36. aſſ. 3. n. 12.

*Abſcondiſti hæc a ſapientibus, & revelaſti ea parvulis*. Myſteria fidei partim ſunt ſpeculativa partim practica; prudentes autem hujus ſæculi cum faſtu contemnunt tam eas veritates, quæ pertinent ad intellectum, quam illas, quæ ſpectant ad voluntatem; quia illorum principiis adverſantur: at humiles inſtar parvulorum utraſque amplectuntur. Hæc humilitas & ſimplicitas ſtare etiam poteſt cum ſublimiſſima ſcientia, uti in Auguſtino, Alberto, Thoma, aliiſque. In illa die bona anicula Catholica agnoſcetur ſupra Ariſtotelem in ſpeculativis, ſupra Tacitum in practicis; quia noſſe didicit finem ſuum, & adipiſci. Segn. Manna 4. Junii num. 2. Vide Prov. 3. v. 32.

S. Juniperus fatuum ſe, & mente captum ſimulabat, ut publice illuderetur a pueris. Dein hunc humilitatis actum Chriſto Crucifixo offerens, interrogatus ab illo fuit, mi Junipere, cur adeo deliras? repoſuit, Domine, ut amore tui, imitarer te, quia in urbe Hieruſalem amore mei, non minus deliraſti? Reſponſionis audaciam excuſat ardentiſſima caritas, & ſancta ſimplicitas.

### 23. *Placet Deo ſummopere.*

*Jac. de Vorag. in feſt. Nat. B. V.* Jacobus de Voragine narrat, quod quædam mulier habuerit captivum filium: ergo Statuæ B. V. e manibus infantulum JESUM adimit, ciſtæ includit, & minatur ſe tamdiu non reddituram, donec B. V. filium ſuum e carcere liberaret: ſequenti nocte B. V. filium liberavit. Manincor fol. 184. E. *Maria* n. 22.

Simplex quædam animula ſæpe devotior eſt, quam litteratiſſimi: ideo plorabat Auguſtinus: Surgunt indocti, & cælum rapiunt, & nos cum doctrinis noſtris ſine corde, ecce ubi volutamur &c.? A. lect. 8. §. 11. in fine.

S. Spiridion ſimpliciſſimus in Concilio Niceno de arguto Philoſopho triumphat. R. 1. cent. 2. part. mir. 6. E. *Doctrina*.

Pia cuidam feminæ unicus filius in captivitatem abreptus eſt: rogavit illa inſtanter Beatam Virginem pro liberatione filii, cumque diu nihil impetraret, Jeſulum in manibus Mariæ reſidentem abripuit, & domi in ciſta tamdiu concluſit, donec filius ab apparente ſibi Maria Virgine ex carcere liberatus fuit. Lucian. p. 2. conc. 72.

Innocentes puerulí ante Scholas in ſacello jentaculum ſumere ſueti, digni habiti ſunt, ut Puer JESUS de ſinu Matris deſcendens cum ipſis manducaret. Quod ubi Magiſtro retulerunt, ab eo inſtructi poſtera die



die dixerunt JESULO: Tu ſemper nobiſcum comedis, da ut in domo Patris tui etiam nos tecum comedamus. Annuit Divinus Puer, & invitavit eos ad diem Aſcenſionis, ubi omnes mortui ſunt. E. *Innocentia* n. 10.

In Japonia ſenex flagrante domo præ reliquis ſalvare cupit iconem papyraceam Crucifixi, hanc ergo maſticat & deglutit: poſtliminio venit ad Patrem ſpiritualem queritans, in imagine etiam duos latrones fuiſſe æri inciſos, & quærens, an non periculum ſubeſſet, ne malus latro ſibi aliquid vitii affricaret? vix tenuit riſum Pater, & bono animo eſſe juſſum dimiſit. T. n. 47.

B. Frater Joannes ex Ord. S. Franc. vidit Salmanticæ in aula Regem a ſuis miniſtris honorari, & quas ceremonias Regi exhiberi conſpexit, eaſdem in templo Venerabili exhibuit, identidem dicens: *Tuus eſt hic honor O Rex cæli & terræ*. T. n. 125. N. 11. Jan.

Quilibet Chriſtianus debet imitari pueros, innocentia, ſimplicitate, & candore, facilitate & teneritudine, & denique humilitate, juxta illud: *Niſi efficiamini ſicut parvuli, non intrabitis in regnum cælorum*. *Matt. 18.* Appoſite hic Haymo: ſicut parvulus non concupiſcit, alienas divitias non appetit, læſus non lædit, non aliud cogitat, aliud loquitur: ita & vos, niſi talem innocentiam habueritis, regnum cælorum intrare nunquam poteſtis. *S. Ambr. ſer. 35.* Et S. Ambroſius: *Habet & Chriſtiana ſimplicitas infantiam ſuam; ſicut enim infans neſcit iraſci, fraudare non novit, referire non audet: ita & Chriſtianitatis infantia non iraſcitur, ſpoliantibus non reſiſtit, cædentibus, non repugnat, &c.* C. in Iſa. 8. v. 18.

### 24. *Meretur auxilium Dei & Sanctorum.*

Pientiſſimus ac ſimpliciſſimus Juvenis in concione S. Vincentii Ferrerii audiit, quomodo Sancta Margarita diabolum catena ligatum percuſſerit. Rogavit ergo Deum, ut & ſibi occaſionem daret, egregie percutiendi dæmonem. Cum ergo aliquando in loco ſolitario oraret, vetula a nativitate muta locum intravit, quam ille putans eſſe dæmonem invaſit & occidit. Verum S. Vincentius occiſam reſuſcitavit, & juveni vitæ gratiam impetravit. E. *Margarita*. 1.

Sacerdos a puero caſtiſſimus in adulta jam ætate turpiſſimis tentationibus turbatus ad Beatiſſimam Virginem confugit. Non ſtatim exauditus vidit aliquando in altari, coram quo orabat, imagines Beatæ, & S. Gertrudis. Minari ergo auſus eſt, quod Beatiſſimæ aureum diadema, quod in capite gerebat, ni ſibi auxilium ferret, auferre, & Sanctæ Gertrudi imponere vellet. Placuit Dei Genitrici ſimplicitas, & eum ab omni deinceps carnis ſtimulo liberavit. E. *Maria* 47.

Paulus ſimplex miraculis adeo clarus, ut B. Antonius quos ipſe curare non poterat ad Paulum mitteret, cum aliquando pro homine rabido oraret Dominum, ut eum ſanaret, non ſtatim exauditus, indignari etiam auſus eſt dicens ad Deum: Non manducabo hodie, niſi eum curaveris. E. *Obedientia*. num. 5.

# PARS PRIMA.

## *VIRTUTES THEOLOGICÆ.*

## FIDES.

### 25. *Quid ſit, per definitiones conglobatas.*

EST cæleſte donum animæ in baptiſmo infuſum. Eſt cimmelion pretioſiſſimum, quo Divina liberalitas Chriſtianos ditat. Eſt lumen intellectus, quo videntur inviſibilia. Eſt ſumma capitalis, cum qua homo negotiari debet. Eſt veſtis pretioſa, qua ornatur anima. Eſt oculus animæ, qui ſolicite a pulvere cuſtodiendus. Eſt fundamentum virtutum. Eſt lamina ductilis in horologio, quæ rotulas gyrat. B. Serm. 40. n. 7. & ſeq. M. conc. 2. aſſ. 1. n. 4.

*Quid eſt fides, niſi credere quod non vides?* Fides eſt præambula ſpei: ſpes non ædificabit in patria, quem fides non conſolatur in via. *S. Aug. ſer. 18. in Joan.* Fides eſt argumentum non apparentium: ubi iterum Auguſtinus: *S. Aug. lib. de Trin.* Aufer argumenta, ubi fides quæritur, in ipſis Gymnaſiis ſuis jam Dialectica taceat; piſcatoribus credunt, non Dialecticis. S. Bernardus ait: Quid non inveniat fides? attingit inacceſſa, deprehendit ignota, comprehendit immenſa, apprehendit noviſſima, &c. C. Exod. 26. v. 31.

In morte Chriſti velum templi ſciſſum eſt: id eſt, ſublatis figuris veteris teſtamenti apertum eſt Sanctum Sanctorum, & fidei veritates revelatæ. C. Exod. 26. v. 31.

Eſt donum Dei, Gentilis parens Goæ duos filios ad baptiſmum adducit, ipſe vero in gentiliſmo obſtinate perſeverat. T. n. 120.

26. Ab-

UNIVERSIDAD DE NUEVO LEÓN
Biblioteca Valverde y Téllez

Sicut aquila ſemper ſe magis perficit volando ac generando: ita juſtus in ſanctitate ſemper proficere ſtudet. C. Iſaiæ 40. v. 32.

### 21. *In quo conſiſtat.*

Eccli 26. v. 6. Aliqui conſtituunt perfectionem in patientia adverſitatum: Timuit cor meum *Delaturam civitatis, & collectionem populi, calumniam mendacem, ſuper mortem omnia gravia.* Per tria hæc, intelligitur 1. Proditio civitatis, qua cædi & furiis illa exponitur. 2. Congregatio populi tumultuantis, qua contra aliquem conſurgit. 3. Accuſatio falſa, qua agitur ad mortem, aut infamiam. Hæc perferre pro Deo, & juſtitia magna perfectio eſt, majorque quam exantlatio mortis. Sic S. Paulus exultavit in perſecutionibus & calumniis. Sic Monachus Abbakirus, Diaconus Macedonius, & S. Ignatius ad perſecutiones & opprobria lætati ſunt: primus a fratribus quotidie verberibus exceptus, alter ſine culpa e Monaſterio ejectus, tertius ob pietatis miniſteria mille calumnias paſſus exulterunt. *S. Franciſcus dicere ſolebat: Perfecta lætitia eſt, cum quis libenter amore Chriſti injurias, & opprobria ſuſtinet.* C. in Eccli 26. v. 6.

Alii conſtituunt perfectionem in amore Dei ex toto corde, ad quem requiritur 1. ut voluntatem ab omni amore & affectu terreno ſegreges, & mundifices. 2. Ut omnes cogitationes & opera ad Dei ſolummodo honorem, & gloriam dirigas. 3. Ut tua voluntas intime conjuncta ſit voluntati Divinæ, & imperturbata animi pace omnia, quæcunque ſeu bona ſeu mala evenerint, excipias, firmiter credens, quod Deus magis te, quam tu teipſum ames, &c. C. in Eccli. 7. v. 32. Et c. 47. v. 10.

## Sancta Simplicitas.

### 22. *Meretur colloquium Dei ad cor.*

HErodes, & Pilatus non poterant a Chriſto extorquere reſponſum: Quare? Reſpondet Cyprianus: Chriſtus contempſit faſtigia eorum. S. punct. 13. fol. 598.

S. Ambr. ſerm. 30. in c. 7. Is. David petiit alas columbinas, quia *intelligebat, quod altiora facilius penetrentur ſimplicitate mentis, quam levitate pennarum.* Ait Ambroſius. M. conc. 28. aſſ. 3. n. 8.

Pſal. 63. *Accedit homo ad cor altum, & exaltabitur Deus, &c.* M. conc. 32. aſſ. 2. n. 13. conc. 36. aſſ. 3. n. 12.

*Abſcondiſti hæc a ſapientibus, & revelaſti ea parvulis.* Myſteria fidei partim ſunt ſpeculativa partim practica; prudentes autem hujus ſæculi cum faſtu contemnunt tam eas veritates, quæ pertinent ad intellectum, quam illas, quæ ſpectant ad voluntatem; quia illorum principiis adverſantur: at humiles inſtar parvulorum utraſque amplectuntur. Hæc humilitas & ſimplicitas ſtare etiam poteſt cum ſublimiſſima ſcientia, uti in Auguſtino, Alberto, Thoma, aliiſque. In illa die bona anicula Catholica agnoſcetur ſupra Ariſtotelem in ſpeculativis, ſupra Tacitum in practicis; quia noſſe didicit finem ſuum, & adipiſci. Segn. Manna 4. Junii num. 2. Vide Prov. 3. v. 32.

S. Juniperus fatuum ſe, & mente captum ſimulabat, ut publice illuderetur a pueris. Dein hunc humilitatis actum Chriſto Crucifixo offerens, interrogatus ab illo fuit, mi Junipere, cur adeo deliras? repoſuit, Domine, ut amore tui, imitarer te, quia in urbe Hieruſalem amore mei, non minus deliraſti? Reſponſionis audaciam excuſat ardentiſſima caritas, & ſancta ſimplicitas.

### 23. *Placet Deo ſummopere.*

Jac. de Vorag. in feſt. Nat. B. V. Jacobus de Voragine narrat, quod quædam mulier habuerit captivum filium: ergo Statuæ B. V. e manibus infantulum JESUM adimit, ciſtæ includit, & minatur ſe tamdiu non reddituram, donec B. V. filium ſuum e carcere liberaret: ſequenti nocte B. V. filium liberavit. Manincor fol. 184. E. *Maria* n. 22.

Simplex quædam animula ſæpe devotior eſt, quam litteratiſſimi: ideo plorabat Auguſtinus: Surgunt indocti, & cælum rapiunt, & nos cum doctrinis noſtris ſine corde, ecce ubi volutamur &c.? A. lect. 8. §. 11. in fine.

S. Spiridion ſimpliciſſimus in Concilio Nicæno de arguto Philoſopho triumphat. R. 1. cent. 2. part. mir. 6. E. *Doctrina*.

Pia cuidam feminæ unicus filius in captivitatem abreptus eſt: rogavit illa inſtanter Beatam Virginem pro liberatione filii, cumque diu nihil impetraret, Jeſulum in manibus Mariæ reſidentem abripuit, & domi in ciſta tamdiu concluſit, donec filius ab apparente ſibi Maria Virgine ex carcere liberatus fuit. Lucian. p. 2. conc. 72.

Innocentes pueruli ante Scholas in ſacello ientaculum ſumere ſueti, digni habiti ſunt, ut Puer JESUS de ſinu Matris deſcendens cum ipſis manducaret. Quod ubi Magiſtro retulerunt, ab eo inſtructi poſtera die dixerunt JESULO: Tu ſemper nobiſcum comedis, da ut in domo Patris tui etiam nos tecum comedamus. Annuit Divinus Puer, & invitavit eos ad diem Aſcenſionis, ubi omnes mortui ſunt. E. *Innocentia* n. 10.



In Japonia ſenex flagrante domo præ reliquis ſalvare cupit iconem papyraceam Crucifixi, hanc ergo maſticat & deglutit: poſtliminio venit ad Patrem ſpiritualem queritans, in imagine etiam duos latrones fuiſſe æri inciſos, & quærens, an non periculum ſubeſſet, ne malus latro ſibi aliquid vitii affricaret? vix tenuit riſum Pater, & bono animo eſſe juſſum dimiſit. T. n. 47.

B. Frater Joannes ex Ord. S. Franc. vidit Salmanticæ in aula Regem a ſuis miniſtris honorari, & quas ceremonias Regi exhiberi conſpexit, eaſdem in templo Venerabili exhibuit, identidem dicens: *Tuus eſt hic honor O Rex cæli & terræ.* T. n. 125. N. 11. Jan.

Quilibet Chriſtianus debet imitari pueros, innocentia, ſimplicitate, & candore, facilitate & teneritudine, & denique humilitate, juxta illud: *Niſi efficiamini ſicut parvuli, non intrabitis in regnum cælorum.*

Matt. 18. Appoſite hic Haymo: ſicut parvulus non concupiſcit, alienas divitias non appetit, læſus non lædit, non aliud cogitat, aliud loquitur: ita & vos, niſi talem innocentiam habueritis, regnum cælorum intrare nunquam poteſtis. Et S. Ambroſius:

S. Ambr. ſer. 35. *Habet & Chriſtiana ſimplicitas infantiam ſuam; ſicut enim infans neſcit iraſci, fraudare non novit, referire non audet: ita & Chriſtianitatis infantia non iraſcitur, ſpoliantibus non reſiſtit, cædentibus, non repugnat, &c.* C. in Iſa. 8. v. 18.

### 24. *Meretur auxilium Dei & Sanctorum.*

Pientiſſimus ac ſimpliciſſimus Juvenis in concione S. Vincentii Ferrerii audiit, quomodo Sancta Margarita diabolum catena ligatum percuſſerit. Rogavit ergo Deum, ut & ſibi occaſionem daret, egregie percutiendi dæmonem. Cum ergo aliquando in loco ſolitario oraret, vetula a nativitate muta locum intravit, quam ille putans eſſe dæmonem invaſit & occidit. Verum S. Vincentius occiſam reſuſcitavit, & juveni vitæ gratiam impetravit. E. *Margarita*. 1.

Sacerdos a puero caſtiſſimus in adulta jam ætate turpiſſimis tentationibus turbatus ad Beatiſſimam Virginem confugit. Non ſtatim exauditus vidit aliquando in altari, coram quo orabat, imagines Beatæ, & S. Gertrudis. Minari ergo auſus eſt, quod Beatiſſimæ aureum diadema, quod in capite gerebat, ni ſibi auxilium ferret, auferre, & Sanctæ Gertrudi imponere vellet. Placuit Dei Genitrici ſimplicitas, & eum ab omni deinceps carnis ſtimulo liberavit. E. *Maria* 47.

Paulus ſimplex miraculis adeo clarus, ut B. Antonius quos ipſe curare non poterat ad Paulum mitteret, cum aliquando pro homine rabido oraret Dominum, ut eum ſanaret, non ſtatim exauditus, indignari etiam auſus eſt dicens ad Deum: Non manducabo hodie, niſi eum curaveris. E. *Obedientia*. num. 5.

# PARS PRIMA.

## *VIRTUTES THEOLOGICÆ.*

## FIDES.

### 25. *Quid ſit, per definitiones conglobatas.*

EST cæleſte donum animæ in baptiſmo infuſum. Eſt cimmelion pretioſiſſimum, quo Divina liberalitas Chriſtianos ditat. Eſt lumen intellectus, quo videntur inviſibilia. Eſt ſumma capitalis, cum qua homo negotiari debet. Eſt veſtis pretioſa, qua ornatur anima. Eſt oculus animæ, qui ſolicite a pulvere cuſtodiendus. Eſt fundamentum virtutum. Eſt lamina ductilis in horologio, quæ rotulas gyrat. B. Serm. 40. n. 7. & ſeq. M. conc. 2. aſſ. 1. n. 4.

*Quid eſt fides, niſi credere quod non vides?* Fides eſt præambula ſpei: ſpes non ædificabit in patria, quem fides non conſolatur in via. Fides eſt argumentum non apparentium: ubi iterum Auguſtinus: S. Aug. ſer. 18. in Joan. Aufer argumenta, ubi fides quæritur, in ipſis Gymnaſiis ſuis jam Dialectica taceat; piſcatoribus credunt, non Dialecticis. S. Aug. lib. de Trin. S. Bernardus ait: Quid non inveniat fides? attingit inacceſſa, deprehendit ignota, comprehendit immenſa, apprehendit noviſſima, &c. C. Exod. 26. v. 31.

In morte Chriſti velum templi ſciſſum eſt: id eſt, ſublatis figuris veteris teſtamenti apertum eſt Sanctum Sanctorum, & fidei veritates revelatæ. C. Exod. 26. v. 31.

Eſt donum Dei, Gentilis parens Goæ duos filios ad baptiſmum adducit, ipſe vero in gentiliſmo obſtinate perſeverat. T. n. 120.

26. Ab-

UNIVERSIDAD DE NUEVO LEON

### 26. *Abſque operibus mortua eſt.*

Chriſtus Dominus vocatur ſpeculum ſine macula: ſicut ergo ſpeculum non repræſentat ſonum, ſed motum: ita Chriſtus nos Patri Divino non repræſentat propter ſolam vocem fidei, ſed propter opera. B. Serm. 20. n. 31. Serm. 40. n. 19. Serm. 44. n. 14. 15. &c. Serm. 48. n. 14. Serm. 70. n. 12.

*Homo fruſtra natat ſermonibus*: Per mare vitreum quod Joannes vidit, natandum eſt manibus, &c. Non foliis opus eſt, ſed fructibus, non verbis, ſed rebus ait Chryſoſtomus. S. punct. 148. fol. 460.

Non Sacrificium Aaron ſufficit, ſed requiruntur opera Moyſis, ut educatur populus. M. conc. 2. aſs. 1. n. 15.

Qui caniſtrum in capite tulit, periit; at pincerna, qui poculum in manu tenuit, ſalvatus eſt. M. conc. 2. aſs. 1. n. 18.

Galat. 5. v. 6. B. Campianus Angliæ Martyr in opere contra Lutheranos, ad illum Apoſtoli textum: *In Chriſto JESU neque circumciſio aliquid valet, neque præputium, ſed fides, quæ per caritatem operatur*, ita diſputabat: Fides, quæ coram Deo habet vim & valorem juſtificandi, eſt illa, quæ per caritatem operatur: Atqui fides ſola, quam ut juſtificativam Lutherani ſtatuunt, non eſt fides, quæ operatur per caritatem; alias non eſset *ſola*: ergo fides quam Lutherani ſtatuunt, non eſt illa, quæ coram Deo habet vim ſeu valorem juſtificandi. Adeoque hæc duo involvunt contradictionem, eſse fidem ſolam, & eſse juſtificativam; ut enim fides ſit juſtificativa, conjunctam debet habere caritatem. C. in Ep. ad Gal. c. 5. v. 6.

Sectarii continuo jactant illud: *Juſtus ex fide vivit*. Verum particula *ex* hic indicat cauſam exemplarem, & idem ſonat, ac ſi dicatur Juſtus juxta fidem vivit, quod idem eſt ac Juſtus fidem ſuam oſtendit operibus. Præterea Ezechiel eadem norma loquendi vitam tribuit obſervationi mandatorum: Ezech. 18. *Qui in præceptis meis ambulaverint, & judicia mea cuſtodierint, ut faciat veritatem, hic juſtus eſt, &c.* D. 12. 38.

Fides abſque operibus tantum facit ad majorem damnationem: dæmones in inferno ludificabunt characterem baptiſmi, &c. P. Hom. Chr. p. 1. diſc. 2. n. 15.

Homo mortuus non videt, non audit, non loquitur, non movet manum, aut pedem: ita fides, ſi non videt cæleſtia, ſi non audit pia monita, ſi non loquitur verba ædificatoria, ſi non movet manum ad ſolatium pauperum, ſi non præit bono exemplo, fides mortua eſt.

### 27. *Prærequiritur ad bona opera.*

Judæi ſolum ad oſtium tabernaculi, aut in tabernaculo ſacrificium offerre debebant, alias indignationem Dei incurrebant. Tabernaculum eſt Eccleſia, ſeu vera fides, extra quam nullum Sacrificium, aut etiam Martyrium Deo placere poteſt. C. Lev. 17. v. 3.

Chriſtus Lazarum excitaturus prius cum Martha colloquitur, dicente: *Domine ſi fuiſſes hic!* Nempe prius voluit illam in fide, quam fratrem in carne excitare. Magdalenæ in forma hortulani apparet, nec tangi ſe permittit, ut fidem illa eliciat. M. conc. 2. §. 1. num. 15.

Fides eſt fundamentum Religionis, Religio autem virtus eſt, qua Deum ut Creatorem, Dominum, ac Patrem rite colimus, eique debitum honorem deferimus, tum interius per adorationem, invocationem, & reverentiam, tum exterius per vota, ſacrificia, genuflexiones, & hymnos. Religio ergo eſt fides, qua Deum adoramus & colimus per opera ſancta. 2. Extendit ſe ad Legem Dei, hinc Religioſi vocantur, qui ſtudioſe Dei leges obſervant. 3. Religio eſt ipſa profeſsio fidei, & cultus Dei. 4. Vocatur ipſa excellentia cultus Dei, qua quis ſe totum Deo obſtringit, uti fit per vota Religioſa, &c. C. in Ep. S. Jac. 1. verſ. 26.

### 28. *Mirabiliter eſt diffuſa per totum orbem.*

Titulus in cruce ſcriptus erat Græce, Latine, & Hebraice: quare triplici lingua? Sanctus Auguſtinus dat rationem: *Quæ linguæ in toto orbe maxime excellunt, &c.* B. Serm. 44. n. 10.

Plotinus Philoſophus apud Galienum Imperatorem urgebat, ut civitatem ædificaret, in eaque regulas & ſtatum politicum Platonis obſervandum præciperet: Idem faciebant alii Philoſophi, & tamen efficere non potuere, ut vel una Reſpublica ſecundum Platonis ſtatuta ordinaretur. Mirum igitur eſt, legem & Fidem Chriſtianam mox in toto orbe fuiſse acceptatam, cum ea a rudibus piſcatoribus prædicabatur. Creſcit admiranda materies, cum cogitantur crudeliſsimæ perſecutiones, quibus tyranni hanc Religionem exquiſitiſsimis tormentis extinguere laborabant. Sub uno Diocletiano plus funditur Chriſtiani ſanguinis, quam in quovis bello cruento fuſus eſse ſciatur, &c. D. 7. 69.



Præterea quis ſatis admiretur propagationem fidei, quæ ortum habuit ex principiis vere debilibus: hinc ait Auguſtinus: *Per piſcatorem lucratus eſt Imperatorem.* Et Albertus Magnus: *Regnum Dei nec a ſapientia, nec a potentia, nec a divitiis incæpit, ſed potius quæ ſtulta ſunt mundi elegit Deus, ut confundat fortia.*

S. Aug. tract. 7. in Joann. Albert. M. in 13. Luc.

Reges ac Principes aliena regna ſibi triplici remedio ſubjiciunt, armorum potentia, divitiis, & nobilitatis auctoritate; nihil autem horum Deus habere voluit Apoſtolos: Quare nihil: Reſpondit S. Ambroſius: *Ne traduxiſſe potentia, ne redemiſſe divitiis, ne nobilitatis auctoritate traxiſſe videretur.* Converſio igitur mundi ad fidem eſt prodigium Omnipotentiæ, & Sapientiæ Dei.

S. Ambr. l. 5. in Lucam.

### 29. *Eſt valde imbecillis apud multos.*

Patriarcha Iſaac audivit vocem Jacob, palpavit manus Eſau: voci non credidit ſed palpatui: ſic multi audiunt æternas veritates, & tamen ſenſibilia amplectuntur. B. Serm. 14. n. 3.

Vita tepida & ſcelerata apud Chriſtianos provenit ex infirma fide; quia virtutes omnes in homine ſunt juxta proportionem fidei: ſicut ſumma capitalis major reddidit majores cenſus, minor minores: ita quo vivacior eſt fides, eo etiam excellentiores virtutes operatur.

In aliquam domum, ubi æger contagioſo morbo decumbit, pro lucro neſcio quanto non ingrederis: Quare? ne eodem morbo inficiaris. Verum cum clare prævideas, quod apud illud vel iſtud conſortium abſque peccati contagione non ſis evaſurus, ab ingreſſu non abſtines: quæ cauſa hujus rei? fides deficit! non ita reformidas mala animæ quam corporis. Si ſcires, quod poſt peccatum ſis oculum perditurus, aut lepram toto corpore contracturus, aut omnia tua bona amiſſurus, næ tu certe a peccato abſtineres. Cur ergo modo non abſtines, cum certum ſit, quod lumen ſupernum perdas, deformitatem majorem omni lepra coram Deo contrahas, gratiæ Divinæ theſaurum amittas? Fides deficit, non credis iſta omnia.

S. Aug. lib. 2. Quæſt. Evc. 40. Chriſtus leproſos miſit ad Sacerdotes: Cur iſtos? cum alios ab aliis infirmitatibus ſanatos non miſerit ad Sacerdotes? quia per leproſos intelliguntur, qui ſcientiam veræ fidei non habentes varias doctrinas profitentur erroris, ait S. Aug. Brev. Dom. 13. poſt Pent. lect. 8. hinc iſti ſacris prædicatoribus omnia diſputant, & in dubium vocant.

Petrus initio ſuper aquas ambulat, dein, cum invaluit ventus mergitur, ubi S. Auguſtinus: In Petro ambulante ſuper aquas figurantur in fide firmi, in dubitante infirmi. C. in Matth. 14. v. 30.

Qui amicabiliter converſantur cum hæreticis ordinarie infirmi ſunt in fide. Moyſes uſque ad aquas contradictionis Num. 20. fideliter credidit, ſed ibi aliqualiter hæſitavit. Sic multi firmi ſunt in fide, donec audiant verba contradictionis.

### 30. *Propagatur per bona exempla.*

Poſtquam Regulus in Capharnaum credidit, etiam credidit domus tota: Et Tertullianus ait: *Regnum cui imperabat credidiſſe veriſimile eſt.* B. Serm. 35. n. 10. Tert. adv. 4. Joann.

Angelus, qui præerat populo Iſrael, rogabat Deum, ut ille e captivitate Babylonica liberaretur: at Angelus Perſiæ reſtitit illi viginti & uno diebus: Cur? quia ſperabat per bona exempla, & converſationem Judæorum Perſas ſuos idololatras ad fidem convertendos eſſe. D. 2. 91.

Pia quædam Virgo, ſanctis operibus dedita, per ſuæ virtutis exempla populos in Iberia ad fidem convertit. D. 12. 80.

S. Capraſius metu perſecutionum Diocletiani ſe occultabat in rupe: cum autem audiit, quam inſignem victoriam S. Virgo Fides retulerit, ajebat: itane feminæ cælum rapiunt? dein ultro ad martyrium properavit. Sanchez 6. part. c. 3. fol. 676.

Adrianus juſſu Maximiani apud Nicomediam perſequens Chriſtianos, & eorum conſtantiam admirans ad Chriſtum convertitur, & fit Martyr. Brev. 8. Sept. Geminianus Nobilis Vir, ubi vidit Luciam a proprio filio Eutropio, quod Chriſtum coleret, accuſatam, pice ac plumbo fervente torqueri, & ferro oneratam ad mortem raptari, ea fidei ac Martyrii conſtantia ad fidem convertitur. Brev. 16. Sept.

*Arma militiæ noſtræ non carnalia ſunt, ſed potentia Deo, &c.* 2. Cor. 10. Arma, quibus Apoſtoli mundum converterunt, ſunt zelus, Verbum Dei, ſapientia, comitas, ſanctitas, miracula, crebra oratio, patientia, caritas. Ex quibus patet, Arma Apoſtolorum ut plurimum conſtitiſſe in exemplis virtutum. C. in Ep. 2. ad Cor. c. 10. v. 4.

### 31. *Æſtimanda eſt præ omnibus bonis terrenis.*

Sichem Princeps Judaiſmum aſſumpſit, & tamen interfectus eſt; An ergo Deo non placuit hæc converſio? Non: quia id tantum

tum fecit ideo, ut Dinam Jacobi filiam uxorem haberet, &c. B. Serm. 25. n. 30. Sic hodiedum fit: multi convertuntur ad fidem ob ſpem, & utilitatem mere terrenam.

Deus majorem longe gratiam nobis contulit per vocationem ad Legem Evangelicam, quam dedit Judæis per vocationem ad Legem Moſaicam; quia Evangelium millenis rationibus præſtantius eſt Lege. C. Proœmio in Evangelia. Vide Titulum Chriſtus: *Eſt Magiſter. &c.*

Hæc autem æſtimatio fidei non pure debet eſſe ſpeculativa, ſed practica, id eſt cuſtodiri debet per bona opera, quæ quaſi ſunt nutrimentum fidei, velut ferri ſegmenta magnetis! Fides ſe habet ut tabula Geometrica, qua integrum regnum deſcribitur, ſed niſi armis agatur, illud non obtinetur. Eſt ut liber; lector illius ſolo titulo libri contentus non acquiret ſcientiam. B. Serm. 40. num. 8.

S. David ait: *Lingua mea calamus ſcribentis.* Calamus non ſcribit, ſi tantum ore tenetur, ſed debet duci manu. Hugo Cardinalis ait: *Quod impedit, ne fiat Scriptura, eſt, ſi calamus manu non tenetur, ſed tantum ore.* B. Serm. 40. n. 9. & ſeq.

Regnum Judaicum fidem perdidit, quia illam per bona opera non cuſtodivit. Hac perdita dominium etiam terrenum amiſit. B. Serm. 40. §. 2.

### 32. *Per peccata exponitur periculo amiſſionis.*

*Erudire Jeruſalem, ne forte recedat anima mea a te.* Hugo Cardinalis ait: per ſubtractionem omnis boni: *Ne forte ponam te deſertam.* Addit iterum Hugo: per inflictionem omnis mali. Hæ minæ a Chriſto intentatæ ſunt Jeruſalem, cum illa gloriabatur templo, & vera religione. B. Serm. 40. §. 1.

Regnum Judaicum fidem perdidit propter peccata. B. Serm. 40. §. 2. &c. Et aliæ regiones perdiderunt fidem, quia exemplo populi Judaici emendari noluerunt. B. Ib. num. 17.

*Leſſ. de Perf. Div. l. 13. c. 10.* Leſſius ait: *Per peccata animi hominum ad hæreſin, & atheiſmum diſponuntur.* B. Ser. 40. n. 31. S. punct. 9. fol. 573. 574. &c.

Duo ſunt mala inimica vitæ humanæ, unum negativum, alterum poſitivum: primum eſt defectus nutrimenti, alterum eſt v. g. venenum aut morbus. Eadem ratione fides emoritur: per defectum nutrimenti, id eſt, cum bonis operibus non nutritur. Et per venenum aut morbum, id eſt, cum peccatis deſtruitur; ubi enim voluntas animæ depravatur per ſcelera; ibi etiam intellectus animæ obfuſcatur per ignorantiam & infidelitatem. In Belgio quondam monſtrum genitum eſt biceps, & bicorpus, ubi capita a tergore ita erant concreta, ut unum vivens eſſe videretur: verum ex operationibus compertum fuit, eſſe non unum, ſed duos homines; uno enim capite vigilante alterum dormiebat. Quid tandem factum? unus ex eis mortuus eſt, & quoniam ab altero nulla arte dirimi poterat, putredine etiam alterum infecit. Sic voluntas ſcelerata inficit intellectum.

### 33. *Migrat ab una regione in aliam propter peccata.*

*Mulier amicta ſole* in Apocalypſi denotat Eccleſiam: huic mulieri datæ ſunt alæ duæ, ut fugeret in deſertum: Quare fugit? a facie ſerpentis, id eſt malitiæ, ait Gregorius: *Profectio in deſertum fuit Judaici populi derelictio & ad gentes commigratio.* B. Serm. 40. n. 16. & ſeq.

Eo tempore, quo Martinus Lutherus Germaniam pervertit, P. Martinus de Valenza Mexicum convertit. R. cent. 3. mir. 23.

Sancta fides, ſeu vera Chriſti Religio eſt baſis, ſeu fundamentum Imperii: ſcivit hoc perbene Joſias Rex; unde Librum Deuteronomii abjectum in angulum, magna religione inventum recepit, legit, & adimplevit, ſicque Rempublicam Hebræorum reſtituit. Econtra Jeroboam, & alii Reges Iſrael imperium a Deo acceptum, ob neglectam Religionem mox perdiderunt, & ultra tertium aut quartum heredem non propagarunt. Conſtantinus Imp. dicere ſolebat: *Romani Imperii dignitas, & amplitudo fontem, & radicem habet veram pietatem.* Cum ergo vera Religio per peccata fœdatur, ruit baſis & fundamentum publicæ felicitatis, & regnum transfertur de gente in gentem. Ita Valenti Imp. ruinam vaticinatus eſt Iſaacius Monachus, ſecuto triſti effectu. C. in Deut. 17. verſ. 19.

Sancta Fides olim ſedem fixit in Ægypto, verum Deus *vineam tranſtulit de Ægypto.* Poſtea floruit in populo Iſraelitico, ſed ab hoc tranſiit ad gentes. Primitus in Oriente inſignes fructus protulit, ſed nunc Machometiſmus ibi regnat, &c.

### 32. *Eſt potens virtus ad omnia a Deo impetranda.*

Gedeon fortis dicitur ab Angelo, quamvis hoſtes timuiſſet, quia fidem firmam habuit.



buit. Sponſa vulnerat ſponſum in uno oculorum, ſcilicet fidei. M. conc. 2. aſſ. 1. n. 5. & 6.

Hæmorrhoiſſa tactu fimbriæ impetrat ſanitatem propter firmam fidem. M. Ib. n. 7.

Chriſtus antequam Lazarum ſuſcitat, Martham expreſſe quærit: *Credis hoc?* quia ſine fide nihil impetratur. S. punct. 23. fol. 94. Ideo S. Auguſtinus ait: *Si fides deficit, oratio perit.* S. Ib. fol. 95.

Rex Tartarorum audiens per fidem Chriſtianorum poſſe montes transferri, præcepit Chriſtianis in ſuo regno, ut montem transferrent, alias omnes eſſe occidendos. Tunc revelatum eſt Epiſcopo, ſutorem monoculum eſſe dignum hoc miraculo: illo ergo orante mons ſublatus & translatus eſt. E. *Fides* n. 1.

Per fidem Chananæa impetravit filiæ
*Matth. 15.* ſanitatem: *O mulier magna eſt fides tua!*
Per fidem Hæmorrhoiſſa a fluxu ſangui-
*Luc. 10.* nis ſanata eſt: *Filia, fides tua te ſalvam*
*fecit.* Per fidem Martha meruit reſuſci-
tationem fratris Lazari: *Domine ego cre-*
*Joann. 11.* *didi, quia tu es filius Dei vivi.* Per fidem
obtinuit Magdalena pœnitentiæ gratiam,
*Luc. 7.* & veniam peccatorum: *Fides tua te ſal-*
*vam fecit.* Per fidem impetravit centurio
*Matth. 8.* ſanitatem pueri paralytici: *Sicut credidiſti,*
*fiat tibi.* Per fidem impetravit Eleazarus
fortitudinem Martyrii contra eos, qui vo-
luerunt perſuadere ad ſimulandum eſum
*2. Mach. 6.* carnium: *Manus Omnipotentis nec vivus,*
*nec mortuus effugiam!* Per fidem Ninivitæ
*Joann. 3.* impetrarunt donum pœnitentiæ, & pro-
pitiationem Dei contra excidium urbis.
Per fidem animavit Judas Machabæus ſuos
milites ad prælium, & victoriam, in-
*2. Mach. 3.* quiens: Facile eſt concludi multos in manibus paucorum, & non eſt differentia manus Dei liberare in multis & in paucis. Per fidem confortati ſunt ſeptem fratres, qui hortatu Matris variis ſuppliciis interire, quam patrias leges prævaricari maluerunt, &c. *Guil. Perald. Exempl. Virt. & Vitior. c. 34.*

Fides, ſeu Religio eſt potentiſſimus murus Reipublicæ, & urbium; hine ait Ci-
*Cicero l. 3. de Nat. Deor.* cero de Romanis: *Diligentiore urbem Religione, quam ipſis mœnibus cingitis:* Et
*Lactant. l. de ira c. 12.* Lactantius: *Religio, & timor Dei ſolus eſt, qui cuſtodit hominum inter ſe ſocietatem.* Hinc Romulus conditor Romæ cum primis fundamentis ſtatuit templa Deorum. Ageſilaus Lacedæm. etiam in hoſtili terra veneratus eſt templa. Rex David pro ſtabiliendo regno præcepit Salomoni, *ut cuſtodiret mandata, & judicia, quæ præcepit Dominus.* Idem ſibi curæ habuerunt Conſtantin. Carolus Magnus, Rudolphus & alii Principes, memores promiſſi Divini: *Qui glorificaverit me, glo-* *1. Reg. 2.*
*rificabo eum, qui autem contemnunt me, erunt ignobiles, &c.* C. Thren. 2. v. 7.



### 33. *Exigit aſſenſum & obedientiam cœcam.*

Quotidie renova Domino ſolitas proteſtationes, & tum ne cures, quidquid tentatio in contrarium ſuggeſſerit. Ne ſine animum implicari illis difficultatibus, quas propter ingenium capies, ſed propter ignorantiam non diſſolves. Potius dic, quo mentis tuæ acies non pertingit, eos penetraſſe Sanctos, Hieronymum, Ambroſium, Auguſtin. & alios: *Qui deſcende-* *Pſalm. 106.*
*runt mare in navibus* (non in lintre parvo) *ipſi viderunt opera Dei, &c.* Segn. Manna 4. April. n. 2.

Vides ſæpe ſolem in lacuna aut ſtagno tam radioſe ſplendeſcere, ut oculorum aciem non minus, quam ipſe ſol in firmamento obtundat. Eſtne iſte ſol? nihil minus! eſt ſpeculum ſeu repræſentatio ſolis. Parem in modum ſæpe aliquam propoſitionem putabis eſſe ipſam ipſiſſimam veritatem, quia oculos tui intellectus non minus quam ipſa veritas obtundit: interim eſt tantum ſpeculum & fallax imago in lacuna: errabis niſi intellectum captives, cumque in altum ad verum ſolem attollas.

Miraculi inſtar habitum fuit, quod ſtatuarius, perditis vigeſimo anno oculis, nihilominus ſtatuas artificioſiſſimas ſculpſerit, uti effigiem Urbani VIII. & alias. T. n. 225. Verum cæca fides pulcherrima artefacta in cœlis operatur, &c.

Chriſtus Divinitatem ſuam potuiſſet evidenter demonſtrare, petendo a Patre duodecim legiones Angelor. deſcendendo de cruce &c. ſic a Judæis, & a toto orbe fuiſſet agnitus Redemptor: ſed noluit, ne fides meritum perderet, quæ debet eſſe cœca.

### 34. *Roborat hominem, contra quaſcunque adverſitates.*

*Juſtus meus ex fide vivit.* Sicut corpus *Hebr. 10.*
ex pane, ſic anima ex fide nutritur. Porro ſicut non dicitur quis vivere ex cibo extraordinario, ſed ordinario, ita fides, deficientibus omnibus aliis, debet eſſe nutrimentum ordinarium. Contingit nonnunquam animam a Deo deſeri, afflictionibus premi, ariditatibus, & deſolationibus onerari. Quid tum agendum? vivendum eſt ex fide: dicendum, etiamſi mundus ſus deque vertatur, *Veritas Domini manet in æternum, &c.* Segn. Manna 4. Apr. n. 4.

1. Reg. 17. David pugnaturus contra Goliath roboratur per fidem, inquiens: tu venis ad me cum gladio & haſta, ego autem venio ad te in nomine Domini.

2. Par. 20. Rex Joſaphat exercitui ſuo ad pugnam ituro his verbis animus fecit: Credite in Domino Deo veſtro, & ſecuri eritis, credite Prophetis ejus, & cuncta venient proſpera.

Dan. 13. Suſanna contra injuſtas accuſationes ſe fide confortat: Deus qui abſconditorum es cognitor.

Epheſ. 6. Apoſtolus hortatur, ut reſiſtamus tentationibus, *in omnibus ſumentes ſcutum fidei*. Sicut ſcutum ſervit ad retundendas ſagittas; ita veritates fidei ſerviunt ad repellendas tentationes. Contra injuſtitiam ſervit illa: *Quid prodeſt homini, ſi mundum univerſum lucretur?* Contra avaritiam illa: *Stulte hac nocte repetent animam tuam a te, & quæ paraſti, cujus erunt!* Contra reſpectum humanum illa: *Nolite timere eos, qui occidunt corpus, animam autem non poſſunt occidere. &c.*

### 35. *Cur non amplius propagetur miraculis.*

1. Quia in primitiva Eccleſia Apoſtoli rem habebant cum Græcis & Romanis, qui tanquam homines docti non facile potuiſſent convinci rationibus, niſi ſimul operationes natura altiores vidiſſent. 2. Quia durat adhuc notitia veterum miraculorum. 3. Quia operarii & Sacerdotes non ſunt amplius tam Sancti prout olim, idemque fit, quod olim filiis Scevæ; quibus, cum vellent in nomine JE-
Act. 19. SU & Pauli dæmonem ejicere, repoſuit dæmon: *JESUM novi, & Paulum ſcio, vos autem qui eſtis?* D. 1. 17.

Arbuſcula recens terræ inſerta, ſedulo irrigatur, & humectatur: verum cum radicibus jam terræ coaluerit, ceſſabit irrigatio. Sic ſancta Fides initio erat miraculis nutrienda, jam vero cum per omnem terram propagata invaluit, non amplius indiget adjumento miraculorum.

Sponſa regia etiamſi initio incomparabili pompa fuerit exornata, neceſſe tamen non eſt, ut deinceps æquali ſemper apparatu honoretur, ſufficit, quod illam poſtea ſequatur famulorum turba etſi minus numeroſa. Sic & Eccleſia Chriſti Sponſa initio collocata eſt in throno ſub totius mundi conſpectu, nunc ad eam honorandam minor famulantum turba ſufficit.

Miracula non pro fidelibus, ſed pro incredulis & infidelibus ſunt: hodie autem his non amplius prodeſſent; quia Chriſtus Dominus ait: ſiquis reſurgeret a mortuis, non illi eſſent credituri.

### 36. *Propagata eſt miraculis.*

Cum S. Apoſtolus Paulus ad urbem Regienſem (vulgo Reggio) appulit, incolæ turmatim exierunt, idola Caſtoris & Pollucis, quæ in navi erant, adoraturi. S. Paulus voluit ſacro ſermone erudire populum, ſed iſte tumultum excitabat. Rogavit S. Vir, ut ſaltem tamdiu ſilere, & auſcultare velint, quamdiu candela illa in columna arderet: auſcultarunt. Et ecce! candela cito nimis conſumpta, lapidea columna ardere cæpit, quo miraculo gens illa converſa eſt. Reſtant hodiedum veſtigia illius prodigii, & columna ſummis in honoribus habetur. D. 3. 85.

In Regno Congo inveniuntur aves, quæ articulate nomen JESU pronunciant, idque oriente ſole in ſylvis cantant. Mirabilis Providentia Dei id ordinavit, ut barbari illi gentiles occaſionem haberent indagandi, quid hominis & nominis id eſſet, ſicque in cognitionem veræ fidei venirent. R. cent. 3. mir. 34.

Rex quidam Mogoris veram Religionem exploraturus, varias Sectas in ſchedulis ſcribit, eaſque ſimiæ ſuæ expromendas porrigit. Simia cæteras abjicit, ſchedulam autem Religionis Catholicæ cum magno reverentiæ ſenſu Regi colendam porrigit. &c. D. 8. 23.

Aquil. l. 9. c. 15. Rex Babyloniæ præcepit Chriſtianis, ut hunc montem in mare transferrent, aut morerentur: conſternatis Chriſtianis apparuit Angelus, juſſitque, ut Anianus hanc in ſe ſpartam audacter ſuſciperet, tum ad orationem ſe contulerunt, & ecce ad juſſa Aniani mons ſe loco movere cæpit. Pantaleon in via inveniens in- Surius Tom. 4. fantem a fera occiſum dicebat intra ſe, nunc libenter videbo, verane ſint, quæ Chriſtiani prædicant, accedit ad infantem, jubet illum in nomine Chriſti ſurgere, & infans ſurrexit. Sanchez 4. part. c. 3. fol. 207. ſeq. uſq. 215.

In Concilio Nicæno hæreſis Ariana damnatur, & ea damnatio, etiam a duobus mortuis Epiſcopis Chryſanto & Mauſonio ſubſcribitur. R. 1. cent. 2. part. mir. 6.

S. Gregorius Turonenſis narrat, quod ſingulis annis ea die, qua S. Eulalia martyrium paſſa eſt, nempe duodecima Decembris, arbores ad ejus ſepulcrum circumſitæ mirabiliter floruerint. R. cent. 2. part. 2. mir. 6.

Quæres, quomodo hæc miracula vera diſcernantur a falſis, ope dæmonum factis? Reſp.: Magi Pharaonis, quod per miraculum producebant, reducere non poterant v. g. ranas facere, ſed non deſtruere: hinc S. Auguſtinus ait, vera miracula diſcerni a falſis, 1. Auctoritate & poteſtate, qua fiunt. 2. Ex eo, quod ab hominibus probis & ſanctis fiant. 3. Quod ſint diuturna; falſa enim deteguntur per vanitatem. 4. Quod falſa fiant per ſigna, mendacia, & ludificationes, & maxime, 5. Quod fiant malo fine, puta ob lucrum, vanam oſtentationem, contra Dei honorem & cultum. &c. C. Exod. 7. v. 12.

S. Gregorius Taumaturgus, item Chriſtianus in Tartaria, item S. Hilarion montes transferunt, & mare inſtar montis intumeſcens compeſcunt. C. Matth. 17. v. 20.

### 37. *Catholica eſt vera præ omnibus aliis Sectis.*

S. Aug. lib. contr. Ep. fund. c. 4. S. Auguſtinus enarrat motiva, quæ eum ad fidem converterint, & in fide conſervent: Tenet me in Eccleſiæ hujus gremio conſenſio populorum: Tenet auctoritas miraculis inchoata. Tenet ſucceſſio Sacerdotum: Tenet ipſum nomen Catholicæ, quod non ſine cauſa inter tam multos hæreſes iſta Eccleſia ſola obtinuit. Apud hæreticos autem nihil horum eſt, quod me invitet, ac teneat. &c. D. 11. 83.

Simia ex urna, in qua ſchedulæ variis Sectis inſcriptæ erant, ter & amplius extrahit ſchedam fidei Catholicæ inſcriptam, dum ea ſcheda de induſtria occultatur, eam in ſacculo cujuſdam aulici inquirit. R. cent. 3. mir. 3.

Ipſe diabolus ex idolo cogitur Chinenſi Matronæ fateri fidem Chriſti, quam Patres Miſſionarii illuc detulerant, eſſe veram. R. cent. 3. mir. 28.

Motiva credibilitatis ſunt tot ac tanta, ut prudenter diſſentiri nemo poſſit, uti ſanctitas Religionis, perpetuitas inter perſecutiones, modus ac ratio propagationis, morum probitas, vaticinia, miracula, poteſtas in dæmones, ſanguis Martyrum. &c. quæ omnia apud alias Sectis non inveniuntur. P. Hom. Chr. p. 1. diſc. 2. num. 7.

Fides ab ipſis gentilibus magni æſtimatur: latrones in China Chriſtianum in via deprehenſum magni æſtimant, felicem reputant, nihil mali infligunt, & roſarium ab eo repetunt in ſignum ſui deſiderii converſionis. T. n. 28.



Fidelis, ſeu homo Chriſtianus.

### 38. *Per opera ſe probet eſſe talem.*

Guerric. Serm. 4. de Epiph. S. Aug. GUerricus Abbas ait: *Hodie ſi de myſterio fidei interroges, omnes fere invenies Chriſtianiſſimos: ſi conſcientias diſcutias, paucos admodum invenies vere Chriſtianos.* Si de articulis fidei quæras, dicunt ſe morituros: ſed ridet Tertullianus, dum videt, quam facile Chriſtum operibus negent: quid facilius domare concupiſcentiam, aut perdere vitam? & tamen in gratiam fidei concupiſcentiam non domant, quomodo ergo vitam perderent? B. Serm. 40. n. 20. & ſeq.

Homini Chriſtiano convenit illud mandatum: *Sint lumbi veſtri præcincti*; nam lumbos præcingimus ad quatuor uſus: 1. Ad iter. 2. Ad opus. 3. Ad bellum. 4. Ad miniſterium, prout aſſirmat S. Auguſtinus. Chriſtianis ergo hæc omnia competunt, quia quaſi peregrini iter faciunt ad cælum. Quaſi operarii opus Dei peragunt. Quaſi milites Chriſti præliantur cum mundo, carne, & dæmone. Quaſi famuli miniſtrant Chriſto. Igitur debent eſſe ſuccincti, id eſt mente & corpore expediti, ac prompti ad ſerviendum Deo. C. 1. Petr. 1. v. 13.

Homo Chriſtianus in hoc mundo habere ſe debet ut peregrinus, nam 1. Scire & agnoſcere debet ſe eſſe peregrinum: errat, ſi auro, argento, officio, beneficio, tanquam ſuo, animum affigat, *omnis homo*, ait S. Aug., *advena eſt naſcen-* Ps. 38. in Lev. *do, quoniam compellitur migrare moriendo*. 2. Omnia a ſe aliena æſtimare, nocturnum hoſpitium aliis cedere, contentus victu & veſtitu viam proſequi, & ad patriam anhelare debet. &c. C. 1. Petri 2. v. 11.

Dic ſi imagini dæmonis adſcriptam videres epigraphen: *JESUS Chriſtus*: nonne vel imago, vel ſcriptura delenda foret? Et tu ſi nomine tenus Chriſtum profitearis, moribus autem dæmonem referas, cur non vitam mutas? &c. B. Serm. 40. n. 22. Serm. 44. n. 13. 14. 15.

*Sic luceat lux veſtra coram hominibus*, Matth. 5. *ut videant opera veſtra bona.* Id requirit Chriſtus, quia bonum exemplum Chriſtianorum maxime trahit infideles ad agnitionem fidei. Econtra malum exemplum, quod illi criminentur legem. &c. Segn. Mann. 15. Sept. n. 2.

Multi confidunt per ſolum nomen *Chriſtiani* omnia ſalva fore: non eſt ita: ſiquis navi ſuæ nomen *victoriæ* imponat,

non ideo a ventis, & periculis erit ſecurus. Hinc monemus: *Satagite ut per bona opera certam veſtram vocationem faciatis*. P. p. 1. diſc. 6. n. 9. Comparatur lilio. C. Oſeæ 14. v. 6. *2. Pet. 1.*

Chriſtianus eſt miles Chriſti, qui pro Duce ſuo fortiter pugnare debet. Miles habere debet corpus validum, arma apta, & animum ad imperia paratum. Paulus Æmilius videns milites inutilia tractare, præcepit illis, ut non niſi enſes acuerent, cætera ſibi curæ fore. C. Exod. 13. v. 17. fol. 438. c. 2. C. 1. Petr. 4. v. 1. C. Epheſ. c. 6. v. 17.

### 39. *Non ſolum legem Chriſti audire, ſed vitam imitari debet.*

Chriſtianus eſt diſcipulus Chriſti, ſicut Platonianus Platonis. Hunc imitari debet, ait Lyranus. Ideo in Concilio Antiocheno, cui Apoſtoli interfuerunt, decretum eſt, *ut credentes in Dominum JESUM Chriſtum Chriſtiani deinceps vocarentur*. Quid denotat hic titulus? denotat ſequacem Chriſti, quem in Baptiſmo profeſſus eſt. B. Serm. 41. n. 19. Serm. 44. n. 11. 12. 13.

*Iſa. 30.* Iſaias ait: *Non faciet avolare a te Doctorem tuum: erunt oculi tui videntes præceptorem tuum*. An ergo non ſatis eſt audire Doctorem? Non: ſicut Diſcipulus cytharædum non ſolum audire debet, ſed etiam motum digitorum videre: ita Chri- *Palat. in proem. in Matth.* ſtianus debet intueri opera Chriſti. Palatius ait: *Non dixit, ſolæ audient aures, ſed videbunt oculi tui*. Et ideo Chriſtus in mundum venit, ut eſſet exemplar noſtrum. B. Serm. 44. n. 1. 2. 3.

Chriſtianus cum Chriſto convenire debet in cogitatione, verbo, & opere. B. Serm. 44. §. 3. 4. 5.

Civitates & Reipublicæ anxie obſervabant ſtatuta ſuorum legislatorum, pugnabant cives magis pro legibus, quam pro mœnibus, ſuoſque legislatores pro Divinis habebant: quanto magis Chriſtianum idem decet? C. Lev. 23. v. 17. fol. 735.

Libello Thomæ Kempenſis de imitatione Chriſti quid ſanctius? vel ipſe Rex Mauritaniæ hunc libellum in ſua Bibliotheca repoſitum habuit, teſtatuſque eſt, quod illum plus æſtimet, quam omnes libros Mahumetanos. Et tamen Turca & Mahumetanus remanſit. Ergo ſcire & æſtimare fidem non ſufficit, ſed oportet ſecundum fidem operari.

Primi Chriſtiani in triplici virtutum exercitio erant ardentiſſimi. 1. In Doctrina Apoſtolorum, ita & nos in audiendo Dei verbo debemus eſſe ferventes, *qui enim ex Deo eſt, verba Dei audit*. 2. In ſancta communione Euchariſtiæ: ita ſupernaturali hoc cibo debemus uniri Chriſto, imo in Chriſtum immutari, dicente Auguſtino nomine Dei: *Non me mutabis in te, ſed tu mutaberis in me*. 3. Frequenti oratione: ita & nos debemus eſſe indefeſſi in exoranda Dei gratia & auxilio. Hæc tria figurata fuerunt in tribus vaſis in templo veteri: candelabrum repræſentabat Verbum Dei: Panes propoſitionis Euchariſtiam. Et altare thymiamatis, id eſt, oratio. &c. C. in Act. Apoſt. c. 2. v. 42. Vide etiam C. Prov. 19. v. 16.

### 40. *Terrena deſpiciat, cœleſtia quærat.*

Homo Chriſtianus peregrinus eſt in hoc mundo: 1. Dos & virtus peregrini eſt, ut ſe agnoſcat eſſe peregrinum; multi deliciis viarum ineſcati, iis inhærent, & obliviſcuntur patriæ, quia imprudenter hoſpitium præ domo, ſtabulum præ patria amant, quaſi hic perpetuo manſuri: iſtos explodit S. Auguſtinus: *Omnis homo* *S. Aug. q. 91. in Levit.* *advena eſt naſcendo, quoniam compellitur migrare moriendo*. 2. Peregrinus omnia a ſe aliena, & peregrina æſtimat, unde illis cor non affigit, ſed obiter intuetur, & pertranſit. Ita Chriſtianus omnia in mundo deſpicit, quia dies illius quaſi umbra ſuper terram: vere ait S. Eucherius: *S. Euch. ep. ad Valeria.* *Vera beatitudo eſt, ſæculi beatitudinem ſpernere, neglectiſque terrenis ad Divina flagrare*. 3. Peregrinus recta pergit per viam, contentus victu ac veſtitu, ſine ſarcinis ſupervacaneis, non curans aliena negotia. Ita Chriſtianus in virtute pergat, curas terrenas & negotia aliena abjiciat; *Ipſa enim ſunt*, ait S. Aug., *quæ concupita* *S. Aug. de Verb. Apoſt. Ser. 26.* *inardeſcunt, adepta vileſcunt, amiſſa vaneſcunt: utimur eis ſecundum peregrinationis neceſſitatem, ſed non in eis gaudia noſtra figimus, ne illis labentibus ſubruamur*. 4. Peregrinus anhelat ad patriam: Ita Chriſtianus, quamvis corpore in terra ambulet, mente continuo in cælis hæreat: *Patriam noſtram Paradiſum computamus*, ait S. Cypr., *magnus nos ibi carorum nu-* *S. Cypr. tract. de Mortal.* *merus exſpectat*. Cor in Deo quieſcat ſine inutili animi ad futiles cogitationes evagatione. 5. Peregrinus ad iter ſe munit per calceos, pallium, veſtes ceratas, baculum & ſimilia. Ita Chriſtianus contra omnes difficultates, & tentationes ſe obmuniat, ſolida humilitate, patientia, oratione, ac præſertim Chriſti cruce ac morte. Neq. curet impiorum riſus, calumnias ac contumelias, ſed viciſſim rideat inanes eorum conatus





ac molimina. C. in 1. Ep. S. Petri cap. 2. v. 21. Item 1. Petri 1. verſ. 1.

Ad vitam ſpiritualem decem illi dotes, & virtutes ſunt neceſſariæ. 1. Aqua Baptiſmi & compunctionis lacrymæ. 2. Ignis id eſt Spiritus Sanctus, eiuſque caritas & zelus. 3. Ferrum, ſeu patientia & conſtantia ad vitæ hujus ærumnas ſuperandas. 4. Sal, quod eſt ſymbolum diſcretionis. 5. Lac ſeu innocentia, ſimplicitas, morumque candor. 6. Panis, id eſt, Euchariſtia, qua anima nutritur ad vitam æternam. 7. Mel quod eſt caſtitas, quia mel a caſtis avibus producitur. 8. Botrus uvæ, ſeu memoria paſſionis Chriſti, quæ nos corroborat. 9. Oleum, quod eſt Miſericordia, & omnis beneficentia erga egenos. 10. Veſtimentum, quod eſt modeſtiæ, quæ omnes virtutes ornat, & perficit. Hic ergo eſt Decalogus virtutum, in quo ſalus, & perfectio noſtra conſiſtit. C. Eccli. 39. v. 31.

Chriſtiani revera lapides ſunt, ex quibus cæleſtis Solyma ædificatur: 1. Sicut lapis poliri & quadrari debet, ut ſit aptus ad fabricam; ita fidelis poliri & perfici debet per tribulationes, & tentationes. 2. Sicut lapis debet eſſe durus & fortis, ut molem ſibi incumbentem, & inſultus tempeſtatum ſuſtineat: ita fidelis debet eſſe conſtans, & fortis. 3. Sicut lapis inferior portat inferiorem: ita fidelis alterum ſuſtineat juxta illud: *Alter alterius onera portate!* 4. Sicut lapis unus alteri calce conglutinatur; ita fidelis unus alteri caritate conjungatur. &c. C. 1. Petri 2. v. 5.

### 41. *Per crucem, & paſſionem ſe probat eſſe talem.*

Apoſtolus patientiam præfert ſignis, & prodigiis, quaſi innuat non poſſe evidentius ſignum dari Chriſtiani, quam pati. S. Thereſia, aut moriendum aut patiendum eſſe dixit: Ita Chriſtiani perſecutionum occaſionem non fugiant. S. punct. 47. fol. 184. & punct. 51. Vide Titulum *Adverſitas & Crux*. C. 1. Petr. 4. v. 1.

Ne quæras ubi crux? omnis enim vita Chriſtianorum, ait Auguſtinus, ſi ſecundum Evangelium vivitur, crux eſt: Clavi ſunt amor, ſpes, timor: Chriſtus lætatus eſt portando crucem ex triplici ratione: 1. Quia voluntas Patris impletur. 2. Quia Redemptio humana perficitur. 3. Quia ſibi meritus eſt gloriam. Hæc etiam Chriſtiano motiva ſunto. S. punct. 26. fol. 658.

Chriſtianus Neo-converſus multis tribulationibus obruitur. Id imputans ſuæ converſioni redit ad gentiliſmum, & crucifixi imaginem cultro vulnerat: ſed ſuo malo: quia prolem ſibi genitam reperit eodem vulnere occiſam. Neſcivit hic miſer crucem eſſe probationem Chriſtianorum. R. cent. 3. p. 2. mir. 13.

P. Franciſcus a JESU, ut Chriſtianis in Japonia ſuccurrere poſſit, ultro mancipium agit, in urbe Nangaſacho caſtanea vendit. Olim Sacerdoti agonizanti in navi opem ferens adſtitit, quæſitus a Luſitano milite, quo pretio ſua caſtanea venderet, cum caro nimis pretio eas merces haberet, a milite alapa percuſſus eſt putante, eum eſſe mancipium. Sed cum ſtatim alteram maxillam obtulit, pro Chriſtiano agnitus eſt. R. cent. 3. p. 2. mir. 32.

Eſt ſignum quaſi ad ſagittam poſitum, quia tota vita Chriſtiani eſt mera crux vel externa vel interna: hanc quotidie exſpectare debet a dæmone, a carne, ab amicis, a morbis. &c. C. Thren. 3. verſ. 13.

### 42. *Debet profiteri & tendere ad ſanctitatem.*

Primi Chriſtiani fuere omnes Religioſi, qui carnem ſuam cum Chriſto crucifigentes, paſſiones & concupiſcentias ſuas mortificare ſtuduerunt: cœnobitarum inſtitutum ab ipſis Apoſtolis initium ſumpſit; multi enim perfectionis avidi non tantum ſuas opes Apoſtolis contulerunt, ſed etiam in ſecretiora loca receſſerunt ab omni converſatione alieni, idcirco a ſolitudine Monachi, a Communione Cœnobitæ ſunt nuncupati. Horum Principes & Magiſtri fuerunt S. Marcus Evangeliſta in Ægypto, S. Matthæus in Æthiopia, S. Paulus in Græcia, S. Clemens Romæ, S. Martha in Gallia. C. in Act. 5. v. 2.

Quanta fuerit primorum Chriſtianorum ſanctitas, patet ex Eſſæis, ſeu Eſſenis, quorum vitæ & morum rigorem deſcribit Philo, Euſebius & alii, præcipue vero Joſephus Judaicus, ubi ait, eos fuiſſe *Joſephus Jud. l. 1. de Bell. c. 7.* opum contemptores, paupertatis, & vitæ communis amantes, Religioſos erga Deum, ſilentio deditos, pacificos, continentes, juſtos, in tormentis conſtantes, æternitati viventes. &c. C. in Act. 5. v. 2.

Quid ſibi vult Nomen Chriſtiani? quærit Nyſſenus, & reſpondet: *Chriſtianiſmus eſt vitæ Divinæ imitatio*. Et S. Baſilius: *Eſt aſſimilatio Dei, quatenus eam aſſequi poteſt humanæ naturæ fragilitas! Ne* *S. Baſil. hom. 10. Hexam.* *cunctare Deo fieri ſimilis! Chriſtum indue!* S. Auguſtinus ait: *Chriſtus eſt Chriſti*



ALERE FLAMMAM VERITATIS

*imitator*. Et iterum: *Chriſtianus eſt, qui poteſt juſta voce dicere: Nemini hominum nocui, juſte vixi cum omnibus &c.* C. in Act. c. 5. v. 2.

Hominis Chriſtiani eſt, ut in perfectione, & ſanctitate ſemper proficiat; ſicut per lac nutriuntur, & creſcunt pueri; ſic per legem Domini Chriſtianus in virtute creſcat. *Vera virtus finem neſcit*, ait S. Bernardus, *ita ut ſi ſemper viveret, ſemper juſtior eſſe contenderet*. Et alibi: O Monache non vis proficere? Non! Vis ergo deficere? Nequaquam! Quid ergo? ſic inquis vivere volo, & manere, nec pejor, nec melior fieri cupio. Hoc ergo vis, quod fieri non poteſt! Inter profectum, & defectum nihil medium invenitur: Qui non proficit deficit. C. 1. Petri c. 2. v. 2.

Hæc eſt catena S. Petri ornans Chriſtianum, ſi fidei jungatur virtus, virtuti ſcientia, ſcientiæ abſtinentia, abſtinentiæ patientia, patientiæ pietas, pietati amor fraternus, amori caritas: in his conſiſtit perfectio vitæ Chriſtianæ. C. 2. Petri c. 1. v. 7.

Chriſtiani vocantur *Sancti, Fratres, & Fideles*; quia Chriſtianiſmus eſt profeſſio ſanctitatis. C. Ep. ad Coloſſ. c. 1. v. 2.

Chriſtiani hominis officia ſunt, juxta effatum S. Baſilii, *Non perſonarum dignitate, ſed fide Chriſtianiſmus inſignitur*. 1. Ut, ubi Dei gloria periclitatur, alia omnia pro nihilo reputet. 2. Ut ex perſecutionibus, velut flamma a vento magis exardeſcat. 3. Ut legis, & crucis Chriſti profeſſionem faciat. 4. Rebus ipſis, non tantum verbo ſe Chriſtianum pro Chriſto militem oſtendat. &c. C. in Act. 11. v. 26. Legem Dei obſervet. C. Prov. 19. v. 16. &c.

Sanctus idem eſt ac ſegregatus, qui enim ſe conſecraverit Deo, quaſi extra mundum eſſe cenſetur. Sanctitas eſt ab omni ſcelere libera, perfectaque, & incontaminata puritas. S. Petrus a fidelibus plenam & univerſalem ſanctitatem requirit: *In omni converſatione Sancti ſitis*; aliqui enim in templo videntur Angeli, & domi ſunt diaboli, requirit ergo continuum exercitium omnium virtutum. Talem ſanctitatem olim habebant Eſſæi, ſeu Eſſeni, de quibus

*S. Juſt. ad ann. Chr. 150.* S. Juſtinus: In carne ſunt, ſed non ſecundum carnem vivunt: in terra degunt, ſed in cælo converſantur. Amant omnes & ab omnibus infeſtantur … Pauperes ſunt, & multos ditant, omnibus indigent, & omnibus abundant. Ignominia afficiuntur, & in ignominiis celebrantur, maledicuntur, & benedicunt, contumeliis laceſſuntur, & honorant. &c. C. in 1. Pet. c. 1. v. 15.

Hæc ipſa ſanctitas, & conſtantia in perſecutionibus, & tormentis, quæ omnes uſque ad mortem clamabant, cum S. Blandina, cum S. Diacono & aliis: *Chriſtiana ſum! Chriſtianus ſum!* Fuit ille magnes, ferrea gentilium corda ad ſanctam fidem pertrahens. Multi judices, ipſique tortores converſi ſunt. C. in 1. Petr. c. 2. v. 12.

Chriſtianus debet eſſe confixus cruci Chriſti: 1. Sicut crucifixus non eſt liber ad movendas manus & pedes. 2. Sicut crucifixus continuo ſua cruce cruciatur. 3. Sicut crucifixus non curat homines tranſeuntes, ſpectacula & delicias. 4. Sicut crucifixus de craſtino non eſt ſolicitus, nec curat poſſeſſiones. 5. Sicut crucifixus ſolum ea cogitat, ad quæ paulo poſt ſe migraturum ſperat. &c. Ita Chriſtianus in his omnibus Crucifixo ſe conformare debet. Porro ſicut Chriſtus per crucem debellavit mundum, carnem, dæmonem; ita Chriſtianus miles eſt cruce armatus, ad quam militiam Sacramento Confirmationis inungitur & roboratur. C. 1. Petr. c. 4. v. 1. Et 1. Petr. 3.

Chriſtiana fides eſt profeſſio ſanctitatis, hinc Chriſtiani vocantur *Fideles, Fratres in Chriſto*. C. Ep. ad Coloſſ. 1. v. 2.

## Fidelitas, ſinceritas.

### 43. *Priſtina evanuit hoc tempore.*

NOnne rarum quid erat, quod Putiphar totam domum ſuam credidit fidei Joſeph hominis exteri? nempe *noverat Dominum eſſe cum eo*. Ex quo? ex illius fide, ſinceritate, induſtria. S. Ambroſius ait: *Adeo ſancta erat illis temporibus fides, ut fallere aliquos poſſe non crederetur*. *S. Ambr. l. 1. de Off. c. 10.* Nunc in contractibus tot clauſulæ, tot oppignerationes, & ſigilla ſatis denotant, quo loco ſtet antiqua fidelitas. B. Serm. 38. n. 46. 47.

*Primum cælum, & prima terra abiit. &c.* M. conc. 8. aſſ. 1. n. 3.

Jam nihil niſi fallaciæ, & mendacia ſunt in mundo, ait Sanctus Thomas de Villanova. Ginth. unus pro omn. conſid. 45. in fine.

Jam multi ſunt velut centauri, qui ex dimidio ſunt humani, ex dimidio beſtiales: ſciunt nequitiam ſuam, velut Tiberius, *Pſal. 27.* ſimulationibus tegere: *Loquuntur pacem cum proximo ſuo, mala autem in cordibus eorum*.

Veritas jam ubique vapulat & regnat mendacium. Paoletti Dom. 2. Adventus.

Monachus vendere juſſus aſinum, & interrogatus, an aſinus valeret? libere ubique reſpondit, nec hilo illum valere, & ſic aſinum reduxit ad Abbatem. Nunc aliter fiunt venditiones. E. *Venditio verax*.

Cle-



Clementem VIII. Pont. Max. Nepotulus ſub menſam adibat, & ſellæ illius liberius, quam per urbanitatis leges liceret, innitebatur. Monitus ab adſtantibus, ut modeſtius ageret, repoſuit: Non poſſum a quoquam melius ſuſtentari, quam a Summo Pontifice! O utinam plures darentur amici, quorum fidei ſecure quis inniti poſſet. T. n. 324.

### 44. *Ubi & quibus præcipue ſervanda?*

Inprimis in celandis ſecretis caute ſervanda:

*Epheſ. 6.* S. Petrus Apoſtolus mortem Ananiæ per tres horas adeo in occulto habuit, ut uxori Saphyræ non innotuerit. M. conc. 26. §. 1. n. 4. Chriſtus Dominus ſuſcitationem filiæ Archiſynagogi, & transfigurationem ſuam in occulto haberi voluit. Ibid. n. 6. O quot damna ſæpe irreparabilia conſurgunt ex propalatione ſecretorum? C. Eccli. 8. v. 21.

2. Servanda inter conjuges: hinc monet Apoſtolus: *State ſuccincti lumbos veſtros in veritate*: ideo conjuges cinguntur, ut ſignificent amorem & fidem, qua alteri conjugi ſunt obſtricti. Hinc apud Jeremiam Deus populum Iſrael vocat *lumbare*, quia populus hic inſtar cinguli Deo adſtrictus eſſe debebat. Sic ſponſi ſuis ſponſis donant cingulum, ut admoneantur fidei, & puritatis conjugalis. C. Ep. ad Epheſ. c. 6. v. 14.

3. Servanda militibus, hinc cingulum militare accipiunt, ut admoneantur Sacramenti, & fidelitatis, quam ſuo Duci jurarunt. Unde milites, cum exauctorabantur, aut fidem fregerunt, cingulo & baltheo ſolebant privari. C. Epheſ. Ibid.

4. Servanda Virginibus; hinc illæ cingebantur cingulo tanquam ſymbolo integritatis, conſtantiæ, & fortitudinis: apud Hebræos puellis, quæ theſaurum virginitatis prodigebant, cingulum abripi, illiſque loco hujus funiculus & cilicium porrigi, illæ autem captivitate puniri ſolebant. C. Epheſ. 6. v. 14.

5. Servanda etiam ipſis hoſtibus, hinc Sedecias, & plures alii a Deo puniti ſunt propter perfidiam. C. Jerem. 39. v. 16.

6. Servanda in arcanis conſiliis, præſertim in bello, & ſenatu, ne illa per contrarias machinas præveniantur, & enerventur. Etiam in ſpiritualibus conſilia celanda ſunt diabolo, ne ille nervos in contrarium adhibeat. C. Eccl. 8. v. 21. Vide Tit. Mortificatio linguæ per ſilentium &c. Item Eccli 27. v. 17. Item 2. Petri 3. v. 1.

## Myſteria Fidei.

### 45. *Non ſunt curioſe & ſubtiliter ſcrutanda.*

MOyſes ad Deum acceſſurus juſſus eſt ſe excalceare: ajunt SS. PP. id præceptum fuiſſe, quia per modum naturæ, audacter curioſe, & parum Religioſe ad illud myſterium perſcrutandum accedere viſus eſt. S. punct. 119.

Sponſa audire debeit: *Averte oculos tuos a me*. *Cant. 6.* Quaſi dicatur, noli eſſe ſcrutatrix Majeſtatis, quæ, quanto magis aſpicitur, tanto minus comprehenditur. S. Ib. fol. 370. P. Hom. Chr. p. 1. diſ. 2. n. 5.

Seraphim velant faciem ante thronum Dei, ut denotent illius incomprehenſibilitatem. S. Ib. fol. 370.

Jacob dum quærit nomen Dei, loco reſponſionis objurgatur tanquam excedens metas naturæ. S. Ib. fol. 371.

*Percuſſit Dominus de Viris Betſamitibus, eo quod vidiſſent arca Domini*, hoc eſt, quod introſpexiſſent; Ubi Robertus: Idcirco percuſſit eos, quia curioſe inſpexerunt arcam Domini. S. punct. 119. fol. 372.

Sanctus Franciſcus Saleſius comparat tales ſcrutatores fumo, qui in altum aſcendens evaneſcit: aut muſcæ, quæ in lumine alas adurit.

S. Ægydius ajebat: mihi ſat eſt in littore maris lavari, quin ſciam, quam profundum, & latum ſit mare. B. Ser. 48. n. 7. & ſeq.

S. Auguſtinus de S. Joanne: *Videte quam ſublimia loqui debuit, qui eſt aquilæ comparatus, & tamen etiam nos humi repentes, infirmi, & vix ullius momenti inter homines audemus tractare iſta, & iſta exponere, & putamus nos aut capere poſſe dum cogitamus, aut capi, dum dicimus*. *S. Aug. tr. 36 in Joann.* Brev. in Octava S. Joann. Apoſt. Lect. 6.

Hippocrates, & Pythagoras diſcipulis legem dederunt, ut nunquam de doctrina interrogarent, ſed auctoritate Magiſtri niterentur dicentes: Magiſter dixit: & nos eodem honore non dignabimur Dominum? &c. A. lect. 6. n. 2.

B. Rayn. Ord. S. Dominici, cum in juventute Theologicis ſubtilitatibus intellectum curioſe paſceret, in graviſſimam fidei tentationem incidit, ita ut dubitare cæperit, an gentilium, Judæorum aut Chriſtianorum doctrina vera eſſet. Abiturus fuiſſet ex Religione, niſi B. V. in via illi obſtitiſſet, inquiens: Quo abis? cur de Evangelio dubitas? hac voce perſtitit, pœnitentiam egit, & ad magnam ſanctitatem aſcendit. *Ephem. Dom. 16. Febr.*



Ca-

Cameniacum Urbs in Podolia per naturam & artem munitiſſima inter præaltas montium rupes adjacet, ita, ut inexpugnabilis eſſe videatur. Oſmannus Turcarum Imp. illam ab eminus per tubum opticum exploratam admiratus, quæſivit: Quis tam munitam fecerit? Reſponſum eſt: Deus & natura fecit! tum ſubintulit barbarus: ſi Deus illam tam munitam fecit, Deus illam expugnet, ego non &c. ſic proportionaliter ſentiendum eſt homini Chriſtiano in veritatibus fidei: Deus hanc vel illam veritatem revelatam v. g. de Ss. Trinitate, de Incarnatione Dominica, de præſentia Chriſti in Euchariſtia, de immortalitate animæ, & alias tibi inacceſſibiles, & ſupra captum tuum fecit, non potes comprehendere! Non poſſum! ergo dic: Deus illam comprehendat! ego fruſtra conitor! Mihi ſufficit quod ſit veritas Eccleſiæ revelata &c.

Angelus tota nocte cum Jacobo luctatus mane ſurgente aurora petit dimitti: *Dimitte me, jam enim aſcendit aurora.* Cur hoc petit? Quia Angelus noluit ſe clare oſtendere; quæ enim Divina, & ſpiritualia ſunt, hæc arcana ſunt, & ſupra hominum captum. C. Gen. 32. v. 25.

Iſraelitæ circa comeſtionem Agni Paſchalis mandatum habuerunt, ut caput cum pedibus & inteſtinis vorarent. Per caput Chriſti Divinitas, per pedes humanitas, per interiora intelliguntur ſecretiora myſteria, quæ omnia debemus vorare id eſt credere: *Sacramentum Dei altiſſimi ſuſcipiendum eſt, non diſcutiendum, venerandum, non dijudicandum*, ait San. Bern. C. Exod. 22. v. 47. f. 433. c. 2.

S. Ber. in Epiſt.

Cum Deus promiſit Moyſi, quod velit deſcendere in montem Sina, & ibi tradere legem, ſimul ſub pœna mortis prohibuit populo, ne quis aſcenderet, aut tangeret montem ut indicet, ait S. Greg. alta non eſſe ſcrutanda. C. Ex. 19. v. 12.

In lacu quodam comitatus Mansfeldici, quem ſalſum vocant, ſi piſcatorum retia altius immergantur, prorſus aduruntur, ac ſi flammis fuiſſent admota, ac concremata. VV. ar. diſ. Fon. 28. Ex. 16. Sic ſi nimis profunde in fidei myſteria te immergere velis, id non ſine tuo nocumento facies.

Homo litteratiſſimus non poteſt capere naturalia, quæ quotidie coram oculis habet: quomodo ergo capiet ſupernaturalia: ſi non ita eſt, dicat rationem, cur talpæ in ſuis foraminibus multis ſpatiis diſſitæ flores in meo horto odorent? dicat, quomodo aranea ab una arbore ad aliam fila ducat? dicat, quomodo formicæ ordinatiſſimam rempublicam faciant, frumentum pro hyeme comportent, pigritantes mulctent, mortuas ſepeliant? dicat, quomodo apes Regem ſequantur, laborem ſuum oculis hominum occultent, ex ſuccis florum mellis favos componant? dicat, qua arte bombyx ex ſuis viſceribus ſericum conficiat? dicat, qua ratione tinea ſubtiliſſimis dentibus pannum corrodat. Dicat, cur ſcorpius veneno intoxicet, & ſimul ejuſdem veneni medicina ſit? dicat, cur felibus creſcente luna pupillæ decreſcant, decreſcente creſcant? dicat, unde illa aſtutia volucrum v. gr. cuculi & aliarum, ut dum nidos facere ignorant, in alienis nidis ova confringant, & ſua reponant? dicat cur gallus leonem ſuo cantu perterrefaciat? dicat, quomodo Remora exiguus piſciculus totam triremem in ſuo curſu ſuſilaminare valeat? Dicat, quomodo homines & animalia poſt diluvium in Americam & Inſulas a continenti remotas venerint? Dicat, quomodo imaginatio matrum varias fœtibus formas imprimat? Dicat, cur bruta animantia, ut galli cantu, boves olfactu tempeſtatem præſentiant?

### 46. *Credi debent, utut creditu difficilia.*

Quæ de orbe altero, & Americanis inſulis narrantur, ſæpe videntur imperceptibilia, & tamen ea credis, quia ab auctoribus probatis referuntur: ita etiam credere debes res fidei, quia a Deo revelantur. Tales Americanæ relationes ſunt: v. g. Quod ibi dentur teſtudines, quorum ſcuta pro tecto domus, aut pro ſcapha ſerviant; item quod tantæ ſint magnitudinis, ut cum quinque viris prorepant. VV. font. 45. ex 7.

*Hert. in Americ. l. 1. c. 9. Balth. Bonifac. in Hiſt. Lud.*

Quod ibi dentur formicæ magnitudine lupi, quarum pellibus homines veſtiuntur. Ib. ex. 8.

Quod ibi inveniatur arbor, ſub cujus unico ramo ducentæ oves ſtare & circuire poſſint. Ib. ex. 9.

Quod in Mauritania dentur vites, quas duorum hominum complexus capere non poſſit, quarum botri tam magni ſint, ut puerorum magnitudinem ſuperent. Ib. ex. 11.

Cum ergo naturalia quotidie fieri ſolita captum humani intellectus adeo ſuperant, ut ſimplici aliorum narratione acquieſcendum ſit; quanto magis id neceſſarium eſt in rebus ſupernaturalibus, quarum ſublimitas angelicum etiam intellectum tranſcendit! Ita fecerunt Sancti etiam litteratiſſimi. S. Greg. in complanandis difficultatibus contextus S. Matthei & S. Lucæ, ajebat, malle ſe alieno intellectui cedere, quam ſuo inhærere. Hæc humilitas eſt Sanctorum, econtra obſtinatio eſt hæreticorum, qui ſua ſolum ſenſa adorant, aliena vero explodunt.



Lanfrancus mundum relicturus pauperrimum cœnobium elegit, ubi ſupra menſam lectitans, cum perperam correctus eſſet, utut certus fuerit, ſe bene pronuntiaſſe, male ut juſſus fuit, pronunciavit. E. Ver. *Humil.* Ex. 21. S. p. 7. c. 2. f. 917. Sic captivandus eſt intellectus in obſequium fidei, & eo ſenſu dicere ſolebat Humilſimus Auguſt. *Ego ſenex, & Epiſcopus paratus ſum a puero doceri.* D. 8. 60.

### 47. *Sunt incomprehenſibilia creato intellectui.*

Seraphim velant facies ſuas ante thronum Dei. S. punct. 119. f. 370. Jacob, dum nomen Dei indagat loco reſponſionis, objurgatur. S. Ib. f. 371. Dum Majeſtas Dei replevit templum, non audent ingredi, id eſt ſcrutari Sacerdotes. S. Ib. Sanctus Leo ait, Succumbat humana infirmitas gloriæ Dei, & in explicandis operibus ejus imparem ſe ſemper inveniat. S. Ib. fol. 372. Elias caput pallio obnubit: ubi Gregorius: Vultum pallio operire eſt mentem conſideratione propriæ infirmitatis velare, ne audeat altiora ſe quærere. S. Ib. f. 273. Vide Titulum *Bonitas Dei*.

*S. Leo Ser. de Paſſ. Dom.*

*S. Greg. in 1. Reg. 19.*

Tam imbecillis eſt humanus intellectus, ut etiam operationes naturæ capere non poſſit. Quis explicabit fluxum, & refluxum maris, ſuper quo Ariſtoteles ex tædio mortuus eſſe dicitur? quis explicabit, quod omnia flumina intrent in mare, & tamen iſtud non redundet? quis explicabit, quod mare ſalſas habeat aquas, cum tamen tot recipiat dulces? quis explicabit, quod mare tot monſtra habeat, nullum tamen cadaver patiatur? quis explicabit, quod maris tumultuantis ira in arena frangatur, nec illos terminos tranſcendat? Hæc omnia capere non poteſt humanus intellectus, quomodo ergo capiet ſupernaturalia &c. D. 10. 99. P. Hom. Chr. p. 1. diſc. 2. n. 5.

Eunomius hæreticus gloriari auſus eſt, ſe Divinam Naturam tam bene cognoſcere, quam cognoſcat ipſe Deus. Hunc explodit Sanctus Baſilius, quærit que an cognoſcat naturam unius formicæ: *Qui ſe exiſtentiam, ſcientiam aſſecutum eſſe gloriatur, exponat nobis, quomodo quod minimum eſt, ... natura habeat, & quæ formicæ ſit natura, dicat.* Gentilis Socrates diſcretior fuit, quam hic hæreticus, faſſus eſt enim, id unum ſe ſcire, quod nihil ſciat: Et Doctiſs. Cardin. Nicolaus de Cuſa librum ſuum intitulavit *de docta Ignoran. &c.* D. 11. 86.

*S. Baſil. contra Eun. ep. 168.*

Optima diſpoſitio ad capienda altiſſima fidei myſteria ſunt humilitas, & ſancta ſimplicitas. Hinc veritates revelatæ comparantur lacti, quod parvulus ſugit clauſis oculis. Ita David erat talis parvulus inquiens; *Neque elati ſunt oculi mei, neque ambulavi in magnis.* S. pun. 119.

Feminæ ſanctæ, Fratres Laici, omnis litteraturæ expertes ſæpe de rebus Divinis altius loquuntur, quam doctiſſimi Theologi: uti S. Catharina Senenſis, S. Gertrudis, S. Ægydius & Didacus ex Ord. S. Franciſci. Vide Tit. *Oratio*.

Deus multa creavit, quæ captum noſtrum ſuperant, ea ergo ſcrutari velle eſt impoſſibile, relinquamus illa Angelico, & Divino intellectui. Opera omnipotentiæ, & omniſcientiæ Dei ita intellectum noſtrum ſuperant, ſicut Majeſtas Dei humanitatem, mentemque noſtram tranſcendit. Mathematici hoc ævo multa per Dioptram in firmamento obſervant, quę veteribus fuerunt incognita. Simile eſt in Meteoris: quis cauſam det, cur ecnephias domos & naves in alium locum transferat &c. Multo magis captum noſtrum tranſcendunt Myſteria SS. Trinitatis, Euchariſtiæ, & alia &c. C. Eccli. 3. v. 25.

## Lex Chriſtiana, ſeu Præcepta Dei.

### 48. *Non ſolum ſciri, ſed opere expleri debent.*

LEx Chriſtiana ſpeculum eſt, quod non repræſentat ſonum, ſed motum, ait Raulinus. B. Serm. 20. n. 30.

*Raul. Ser. 1. Dom. 3. poſt. Paſch. Guer. Ser. 4. de Epi.*

Guerricus ait: *Hodie, ſi de myſterio fidei interroges, omnes fere invenies Chriſtianiſſimos: ſi conſcientias diſcutias, paucos admodum invenies Chriſtianos.* B. Ser. 40. n. 20. Ser. 54. n. 22.

Deus digito ſcribit decem præcepta, ut ſignificet illa opere debere expleri. M. con. 28. aſſ. 2. n. 1. Ideo dedit homini decem digitos, ut continuo monitum habeat decem præceptorum. B. Ser. 54. n. 20.

Dæmones tam bene ſciunt Legem Chriſtianam & præcepta Dei, quam fideles, non tamen ideo meretur nomen Chriſtiani: Parem in morem Chriſtiani nomine indignus eſt, qui nomine quidem Chriſtum, moribus

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

ribus vero dæmonem refert. B. Serm. 40. n. 22. Serm. 44. n. 13. 14. 15.

Deus vult infideles converti, & ita fidem propagari per bona exempla Chriſtianorum: *Sic luceat lux veſtra coram hominibus, ut videant opera veſtra bona*. (Matth. 5.) Cum autem Chriſtiani intellectu tantum non voluntate, verbo tantum, non opere obſervant præcepta, ſcandalo ſunt infidelibus, non ædificationi. Seg. Man. 15. Sep. n. 2.

(Exod. 19.) Antequam Moyſes Legem recepit a Deo, juſſus eſt populum ſanctificare: En! Legem Dei habere non debet, niſi ſanctus ſeu ſanctificatus &c.

Innumerabilia ſunt pœnarum exempla, quibus puniti ſunt tranſgreſſores præceptorum. Iſraelitæ a Deo derelicti ſunt pugnantes contra Amalecitas contra præceptum Domini. Lapidatus eſt homo colligens ligna in Sabbato. Achan ſumens aliquid de anathemate occiſus eſt. Saul de regno de ectus ob tranſgreſſionem mandati.

Præſertim illis, qui præſunt, accuratius præ cæteris obſervanda ſunt præcepta Dei. (Joſue 1.) Joſue quando conſtitutus eſt princeps populi, ſpecialiter monitus fuit de obſervatione legis &c.

*49. Obſervantem beatum faciunt.*

Præceptis Dei convenit illud lemma, quod clavi: ſervo domum domino, ſed rurſus ſervor ab illo. B. Ser. 48. n. 18.

Beatitudo cæleſtis comparatur denario, quia obtinetur per obſervationem decem præceptorum. B. Serm. 53. n. 19.

*Siquis ſermonem meum ſervaverit, mortem non videbit in æternum*. Differentia eſt inter rudem paſtorculum & peritum herbarium, quod ille herbas ſalutares prætereat, iſte colligat: ſic nonnulli agnoſcunt virtutem documentorum Chriſti, alii ignorant. Virtus autem eſt, quod a morte præſervent. Mors corporis triplex eſt, naturalis, caſualis, & violenta, ita mors animæ per peccatum tripliciter contingere poteſt, & contra omnes tres tuetur ſermo Domini. Igitur ſervandus eſt corde, ore, & opere. Seg. Man. 2. Aug.

Si rectitudo, aut curvitas ligni menſuranda eſt, applicatur regula: ſic Lex Chriſtiana prodeſt ad manifeſtandum ſtatum hominis: exemplum habetur in Davide. B. Serm. 23. n. 3. 4.

(Lev. 26.) Deus in Levitico Judæis ſuam benedictionem in agris, in arboribus, in frugibus promittit, ſi ſua mandata obſervent. Econtra transgredientibus millena mala minatur. C. Lev. 26.

Qui Deum ſequuntur, ejuſque mandata obſervant, fiunt quaſi Divini; ſicut qui Ciceroni, Platoni, Ariſtoteli ſtudent, fiunt Ciceroniani, Platonici, Ariſtotelici &c. C. in Eccli 23. v. 38.

Noe præ mille aliis a diluvio ereptus eſt. (Gen. 6. & 7.) Quare? quia Scriptura hanc illi laudem tribuit, fecit Noe omnia, quæ mandaverat ei Dominus.

David inſtruens filium Salomonem poſt ſe regnaturum ajebat: (1. Par. 22.) Tunc proficere poteris, ſi obſervaveris mandata.

*50. Non ſunt obſervatu difficilia.*

Currus, ſi rotas non habet, a decem equis non trahitur; adde rotas, trahetur a duobus. S. Bern. ait: *Onus oneri additur, & minus onerat*. Hinc ait David: *Viam mandatorum tuorum cucurri, cum dilataſti cor meum &c.* B. Ser. 58. n. 20.

Cur dicis: *Non poſſum?* S. Auguſt. ait: *in omnibus Scripturis Deus tibi dicit, quia potes; tu e contrario reſpondes, non poſſe: conſidera nunc, utrum tibi, an Deo debeat credi*. B. Serm. 59. n. 10. & ſeq. M. con. 28. aſs. 1. n. 10.

Scis qua methodo alleviari poſſint præcepta? amore: amor omnia facilitat. *Qui amat non laborat*, ait S. Auguſtinus. (S. Aug. Ser. 48. de temp.) Sponſa in Canticis omnem paſſionem Dilecti vocat *faſciculum myrrhæ*: itane tantum faſciculus eſt? S. Bernar. ait: *Propterea non faſcem, ſed faſciculum dilectum dixit, quod leve præ amore ejus ducat, quidquid laboris immineat & doloris &c.* A. lect. 6. n. 12. & ſeq.

Ante tabernaculum, ut ingredientes lavare ſe poſſent, ſtabat labrum æneum, innixum ſpeculis mulierum. Quomodo poſſibile eſt, molem æneam adeo gravem inniti fragili vitro? Senſus moralis hujus loci iſte eſt: per labrum intelligitur Lex Dei, per ſpecula fragilitas ſexus, qua non obſtante infirmæ mulieres, uſque ad mortem, & martyria Legem Dei obſervarunt. B. Ser. 44. n. 9.

Mandata Dei gravia non ſunt. 1. Quia Chriſtus liberavit Chriſtianos ab onere mandatorum ceremonialium. 2. Quia caritati ſeu amanti Deum nihil grave eſt. 3. Quia Chriſtus dat gratiam, tanquam alas volanti. 4. Quia excitant exempla Chriſti & SS. C. in Ep. 1. Jo: c. 5. v. 3.

*51. Non debent curioſe ſcrutari.*

(S. Thom. l. 6. de erud. Princ. c. 30.) S. Th. ait: *Valde eſt Deo accepta obedientia, cum ſcilicet aliquid eo quod a Deo dicitur creditur verum: & eo quod ab ipſo jubetur, creditur bonum*. Hippocr. & Pythagoras ſuis diſcipulis legem dederunt, ne examinarent ſuas ſententias, ſed in omnibus authoritate Magiſtri innixi dicerent: *Magiſter dixit*. Et nos eodem honore non dignabimur Dominum? Diabolica vox eſt: *Cur præcepit vobis Dominus &c.* A. lect. 6. n. 2.

Militi ſubdito non fas eſt juſtitiam belli examinare, ſed tenetur obedire: quanto minus convenit creaturæ examinare præcepta creatoris? A. lect. 6. n. 2.

Puer Samuel trinis vicibus vocatus ſine mora advolat, nec ſuſpicatur ſe forſan ludificari: ubi S. Gregorius: *Vera obedientia nec præceptorum intentionem diſcutit, nec præcepta diſcernit; neſcit enim judicare, quisquis perfecte didicit obedire*. A. lect. 6. n. 3.

Serpens in Paradiſo aſtute quæſivit: *Cur præcepit vobis Dominus*, conatur enim evertere finem præcepti, ut evertat ipſum præceptum: quamprimum Eva diſputare cæpit ſuper illud *Cur?* jam fuit decepta. C. Gen. 3. v. 1.

Noe ad arduum præceptum ædificandi (Gen. 23.) arcam non interrogat cauſas, & circumſtantias, ſed prompte manum admovet o- (Gen. 22.) peri. Abraham juſſus immolare filium, non quærit, cur? quomodo? quando? quem in finem? ſed cæco modo obedit. Joſeph a Patre miſſus ad fratres, ex timore cauſare poterat eorum invidiam & inſidias. Sed perrexit ſine oblocutione.

*52. Minus obſervantur quam præcepta diaboli, & mundi.*

In veteri lege, quamvis Deus minis, ac promiſſionibus urgebat, rariſſimi tamen erant ex Hebræis, qui obſervabant præcepta Dei: nunc dum non amplius Dei, ſed ſuperſtitioſæ præceptiones ſunt diaboli, accurate obſervant, & potius vivi excoriari malunt, quam latum unguem ab illis recedere. Quæſo quam ardua dæmon ſuis præcepta imponit? a gentilibus exquiſivit, ut proprios ſibi filios parentes mactarent, & noviſſime in Mexico exigebat, ubi quot annis 20000. puerorum dæmoniis immolabantur. Quot incommoda ſuſtinere non debent ambitioſi, avari, luxurioſi? & tamen, inquit Chryſ. (S. Chryſ. hom. 6. in Act.) *Quamvis diabolus imperet moleſtia, & bonum mercedem ponat gehennam, magis illi obtemperatur, quam Chriſto*. A lect. 6. n. 15.

Rex Saul contra præceptum Dei pepercit Regi Amalecitarum. E contra dum filius ejus, ignorans paterni præcepti aliquid guſtavit, ſtatim eum ad necem condemnavit &c. B. Ser. 24. n. 35. M. conc. 22. §. 3. n. 1. 2. &c.

Dominus Deus conqueritur: Prævaluerunt Sermones Jonadab, quos præcepit (Jer. 35.) filiis ſuis: ego autem locutus ſum ad vos, & non obediſtis mihi &c.

Quantas moleſtias ſuffert evanida mulier, ut ſe ad genium mundi ſuperbe exornet? quam diuturno tempore ante ſpeculum ſedet? quot lotiones, lixivia, unguenta uſurpat, ad pellendas faciei, & manuum maculas? quam arcto thorace conſtringitur, ut delicata compareat? quam anguſtis calceis pedes coarctat, ut ſaltare potius, quam incedere videatur? heu! quantæ ineptiæ! Vidit aliquando in urbe Alexandrina Monachus talem vanitatis Syrenem, exclamavitque cum lacrymis: Væ mihi! quia nec dimidiam partem moleſtiarum pro Deo ſuſtineo, quas iſta ſuſtinet pro mundo. B. Ser. 24. n. 41. ſeq.

## Obſervatio Feſtorum, ſeu Feſta.

*53. Inſtituta ſunt ad curationem animarum.*

CHriſtus quinque ægrotos per quinque Sabbata curavit: 1. Hydropicum, ut doceret, quod ſitim terrenorum deſideriorum extinguere debeamus. 2. Mulierem, quam ab infirmitate erexit, ut doceret, quod cælum aſpicere debeamus. 3. Habentem manum aridam, ut doceret, quod in die Feſto manum extendere debeamus ad eleemoſynas, & opera miſericordiæ. 4. Cæcum natum, ut doceret, quod viſum, & fidei lumen per verbum Dei recipere debeamus. 5. Paralyticum, ut doceret, quod in piſcina Eccleſiæ ſanari ſtudeamus. B. Serm. 50. §. 3. M. conc. 28. aſſ. 1.

Filii Iſrael quotidie quidem Manna, ſed (Exod. 16.) die ſexta duplicem portionem colligebant, ut Sabbato ab omni opere corporali vacare, illudque ſoli animæ impendere poſſint.

Chriſtus Dominus frequenter in die Sab- (Luc. 13.) bati operatus eſt miracula, cæcos illuminando, paralyticos ſanando, ut doceret, diem Sabbati eſſe ad hoc deſtinatam, ut bona opera fierent, in ſalutem animarum. Archiſynagogo indignanti, quod Sabbato curaſſet mulierem, repoſuit: Hypocritæ, unuſquiſque veſtrum Sabbato non ſolvit bovem aut aſinum a præſepio, & ducit adaquare? hanc autem filiam Abrahæ, quam alligavit Sata-

tanas, non oportuit ſolvi a vinculo iſto die Sabbati?

Opificia & labores hebdomadales mucorem & fœtorem laborantibus aſpergunt; ideo opifices una die in hebdomade lixivia, & lotiones pro ſe parant: ſi hoc pro corporibus, quanto magis opus eſt pro anima, quæ ex negotiis & converſatione quotidiana maculatur, & fœdatur &c.

*54. Non inhonorentur ſervili labore.*

Judæi accuratiſſimæ obſervabant Sabbatum. Non præparabant cibos, non colligebant Manna, non humi levabant lignum; fuit enim aliquis lapidatus, qui ligna portare viſus eſt. Non ramum decerpebant de arbore, non excitabant focum, non emebant aut vendebant &c. D. 3. 49.

Cervi ſi cornua nimis ponderoſa illis excreſcant, ea ad lapidem confringunt, ut tanto expeditius ſine his impedimentis currere valeant, ſic vult Eccleſia ut in die Feſto pondus ſæcularium negotiorum excutiamus, ut tanto velocius ad Deum curramus. Non vult Deus otium, ſed ſanctam quietem, qualis eſt quies arcus, qui ideo tantum remittitur, ut jaciendis ſagittis tanto ſit aptior &c. Seg. Hom. Chr. p. 1. diſ. 11. n. 13.

Levit. 25. Deus præcepit Judæis, ut 7. anno, id eſt, anno Sabbatico non ſererent, nec meterent. Hoc ſuper mandato ſoliciti erant Judæi, dicentes, quid illo anno comedemus? & Deus promiſit illis, quod benedictionem ſuam dare, & anno ſexto tam uberem meſſem illis largiri velit, quæ tribus meſſibus æquivaleat. Si hoc Judæis Deus promiſit, etiam Chriſtianis, ſi ſua lucra non quærant violando feſta, ſuam benedictionem dabit. C. Lev. 25. v. 20. 21.

Deut. 5. Homo deprehenſus die Sabbati colligere ligna, a toto populo fuit lapidatus. Nehe-
2. Eſdr. 13. mias videns homines torcularia calcantes, & onera portantes in Sabbato, objurgavit eos.

*55. Sunt ſancte honoranda.*

Dies Dominica ex ſingularibus prærogativis ſibi honorem vendicat: nam, 1. Dominica erat prima dies creationis. 2. Hac die Hebræi ſicco pede tranſierunt mare. 3. Pluit Manna. 4. Chriſtus natus fuit. 5. Baptizatus in Jordane. 6. Primum miraculum fecit. 7. A tribus Magis adoratus eſt. 8. Quinque panibus populum pavit. 9. A mortuis ſurrexit. 10. Apoſtolis poteſtatem dedit evangelizandi. 11. Dominica vidit Jo: Apocalypſin. 12. Dominica erit univerſalis reſurrectio. Ideo honore ſingulari digna eſt hæc dies: Conſtantinus Magnus eam adeo honorari voluit, ut etiam ethnicis militibus formam orandi præſcripſerit, quam perſolvere debebant interim, dum Chriſtiani erant in Eccleſia. D. 4. 95.

Deus benedixit diei Sabbati, & ſancti- Gen. 2.
ficavit illum; quia in illo ceſſavit ab omni opere ſuo. Sic ſanctificandæ ſunt Domin. & Feſtivæ dies, ſubſtitutæ Sabbato.

Die Sabbati offerebantur duo agni, die- Num. 28.
bus aliis tantum unus, ad deſignandum, quod in Feſtis abundantius Deum honorare debeamus.

In omni genere, & ſpecie datur aliquid excellens: inter uniones adamas, inter ligna cedrus, inter metalla aurum, inter volucres aquila, inter animantia leo, inter homines Princeps &c. Sic Deus voluit Dominicam eminere inter tempora.

Sabbato poſt creationem mundi quievit Deus ab opere mundi creati: Sabbato poſt redemptionem mundi quievit Deus in ſepulcro a ſua paſſione, ut doceret, ſeptima die ſeu Dominica hominem quieſcere debere, & conſiderare opera Dei, quæ in creatione, & in redemptione ſaluti hominum impendit &c.

## S P E S.

*56. Collocanda in ſolo Deo, non in humanis Viribus.*

ISraelitæ contra tribum Benjamin ex juſſu Dei pugnantes bis vincuntur. Quare? Sacer textus rationem innuit: *Fortitudine & numero confidentes*. Ideo permiſit eos Deus vinci, ut humiliarentur, ait Lyranus. B. Ser. 26. n. 34.

Multi circa victum & veſtitum confidunt in ſuis Viribus: melius ſpes omnis collocatur in Deo. B. Serm. 63. n. 2. 3.

Muri Jericho non defenderunt Jerichuntinos, & textura araneæ defendit Davidem: ut indicetur majorem eſſe tutelam Dei, quam omnis cautelæ humanæ. B. Ser. 74. n. 27.

Petrus bis ſuper aquas ambulat, veſtitus, & nudus: ut nudus mergitur: mirum! potius debuiſſet evenire contrarium, quia veſtes gravant. Nempe eo minus ſecuri ſumus, quo magis nos ſecuros reddere volumus. S. pun. 28. f. 125.

Quando Gedeon vicit? Reſpondeo tunc cum maximam partem exercitus dimiſit. S. Ib. Aſa mortuus eſt, quia in ægritudine ſpem in medicos poſuit. Princeps Synagogæ petens vitam filiæ in ſolo Deo confidit. S. pun. 29. f. 127.

Sunt



Prov. 11. Sunt qui ſpem collocant in divitiis, ſed *qui confidit in divitiis, corruet*. Mundus & homo decipit, *ſolus Deus ſervat fidem perpetuo, qui cuſtodit veritatem in ſæculum*. Ait Campenſis. S. pun. 29. f. 128.

In Belgio Vir inſignis moriturus implorat auxilium uxoris, filiorum, filiarum & domeſticorum omnium, cumque ab omnibus audiret, ſe opem ferre non poſſe, ejulans ſubintulit: O quanto ſatius Deo ſerviiſſem! T. n. 102.

1. Tim. 6. Paulus Apoſtolus monet Timotheum, ut præcipiat divitibus, non ſublime ſapere, nec ſperare in incerto divitiarum, ſed in Deo vivente.

*57. Non abjicienda a peccatore quantumvis magno.*

Rom. 5. Deus peccatorem quærit, & amat, etiam dum in peccato eſt: ergo *ſi cum inimici eſſemus, Chriſtus pro nobis mortuus eſt, multo magis nunc juſtificati ſalvi erimus*, ait S. Paulus.

2. Si perdere vellet, non dediſſet ſpa-
Jud. 13. tium pœnitentiæ: *Si Dominus vellet nos occidere, de manibus noſtris holocauſtum non ſuſcepiſſet*, ajebat Mater Samſonis: ita etiam non dediſſet hanc Sacramentorum famem. S. punct. 24. fol. 98.

S. Chryſol. Serm. de prod. fil. 3. Animant nos alii peccatores recepti, uti latro, Magdalena, filius prodigus: de hoc ultimo ait Chryſolog. utut perdidit quod filii eſt, Deus quod Patris eſt non amiſit. S. pun. 26. f. 116. Vide Tit. *Miſericordia Dei*.

4. Etiamſi peccator ſentiat flagella Dei punientis, non cadat animo, experietur auxilium ab ipſo Deo, qui nunc caſtigat. Quis unquam miſerior, quam Job? orbatus filiis, deriſus ab amicis, ſpoliatur rebus omnibus; & tamen dixit: *Etiamſi occiderit me, in ipſum ſperabo!*

Abbas Iſidorus apud Sophronium ait: *Dæmonum opus eſt, cum animam in peccatum dejecerint, in deſperationem præcipitent. At pœnitens econtra clamabit: Non moriar, ſed vivam, & narrabo opera Domini &c.* C. Oſeæ 2. v. 15.

Admirabile eſt effatum Ven. Ludovici
Spec. in ſtrata ſp. c. 10. Bloſii: Faſciculus ſtupparum in ingentem ignem miſſus, non ita repente incenditur, quam repente Deus peccatis noſtris propter ineffabilem miſericordiam ſuam ignoſcit, dum vere nos pœnitet vitæ male actæ. Lud. Bloſ. p. 4. 6. 2.

*58. Æternorum facilitat omnem laborem.*

S. Arſenius moriturus rogabatur, ut documentum aliquod relinqueret: reliquit duo verba: *Ibi, ubi*. Non intelligentibus explicavit: *Ibi noſtra fixa ſint corda, ubi vera ſunt gaudia*. B. Serm. 62. n. 36.

Spes maxime ſolatur in articulo mortis, ideo ibi maxime elicienda. B. Ser. 62. n. 37. Tob. 2.

Tobias inter irriſiones, & perſecutiones in cælum ſuſpiciens ajebat: Exſpectamus vitam illam, quam Deus daturus eſt confidentibus in ſe.

Piſces qui pinnulas habent, numerantur inter animalia munda, quæ comedi, & ad altare offerri poterant. Quare? quia nonnunquam ſaltant ſuper aquas verſus cælum. Ita Chriſtianus inter aquas curarum ſæcularium innatans nonnunquam verſus cælum exſiliat, & lenimen experietur. C. Lev. 11. v. 9.

Unus ex ſeptem illis fratribus, juſſu
tyranni linguam ſtatim protulit, & ma- 2. Mac. 7.
nus extendit, inquiens: E cælo iſta poſſideo, ibi amputata iterum recipiam.

Spes animat colonos ad laborem, & milites ad pugnam, & victoriam. Alex. Magnus ad prælium iturus, & regias opes omnes diſtribuens, quæſitus a Perdicca: *Quid tibi nunc ſupereſt Rex?* reſpondit: *Spes!* ſic a Deo ſperanda ſunt æterna! *Spes in æternitatem animum erigit, & idcirco nulla mala exterius, quæ tolerat, ſentit*, ait S. Greg. C. Habac. 2. v. 4.

*59. Concipitur ex promiſſionibus Dei.*

Frequens eſt illud in Script. *Ut adimpleretur Scriptura &c.* ſic jamjam animam agens Chriſtus in cruce, *ut conſummaretur Scriptura, dixit: Sitio*. Antequam animam efflaret adhuc quaſi totam Scripturam percurrens, dum adhuc deeſſe vidit parum aceti, exclamavit, *ſitio*. Quid igitur tu diffidis in tuis neceſſitatibus: *Jota unum, aut unus apex non præteribit &c.* S. pun. 22. f. 91.

*Spes ejus in Domino Deo ipſius*: Non in principibus, & humanis auxiliis: Ubi Campenſis: Felix cujus ſita eſt omnis ſpes in Deo ſuo, qui & fidem ſervat perpetuo, & cuſtodit veritatem in ſæculum. S. pun. 29. f. 128.

Quamvis Deus non ſtatim in auxilium Gen. 15.
veniat, non tamen abiicienda eſt ſpes, & longanimitas. Abrahamo promiſit Deus pro multiplicanda ſua gente numeroſam

ſobo-

ſanas, non oportuit ſolvi a vinculo iſto die Sabbati?

Opificia & labores hebdomadales mucorem & fœtorem laborantibus aſpergunt; ideo opifices una die in hebdomade lixivia, & lotiones pro ſe parant: ſi hoc pro corporibus, quanto magis opus eſt pro anima, quæ ex negotiis & converſatione quotidiana maculatur, & fœdatur &c.

*54. Non inhonorentur ſervili labore.*

Judæi accuratiſſimæ obſervabant Sabbatum. Non præparabant cibos, non colligebant Manna, non humi levabant lignum; fuit enim aliquis lapidatus, qui ligna portare viſus eſt. Non ramum decerpebant de arbore, non excitabant focum, non emebant aut vendebant &c. D. 3. 49.

Cervi ſi cornua nimis ponderoſa illis excreſcant, ea ad lapidem confringunt, ut tanto expeditius ſine his impedimentis currere valeant, ſic vult Eccleſia ut in die Feſto pondus ſæcularium negotiorum excutiamus, ut tanto velocius ad Deum curramus. Non vult Deus otium, ſed ſanctam quietem, qualis eſt quies arcus, qui ideo tantum remittitur, ut jaciendis ſagittis tanto ſit aptior &c. Seg. Hom. Chr. p. 1. diſ. 11. n. 13.

*Lev. 25.* Deus præcepit Judæis, ut 7. anno, id eſt, anno Sabbatico non ſererent, nec meterent. Hoc ſuper mandato ſoliciti erant Judæi, dicentes, quid illo anno comedemus? & Deus promiſit illis, quod benedictionem ſuam dare, & anno ſexto tam uberem meſſem illis largiri velit, quæ tribus meſſibus æquivaleat. Si hoc Judæis Deus promiſit, etiam Chriſtianis, ſi ſua lucra non quærant violando feſta, ſuam benedictionem dabit. C. Lev. 25. v. 20. 21.

*Deut. 5.* Homo deprehenſus die Sabbati colligere ligna, a toto populo fuit lapidatus. Nehe-*2. Eſdr. 13.* mias videns homines torcularia calcantes, & onera portantes in Sabbato, objurgavit eos.

*55. Sunt ſanctè honoranda.*

Dies Dominica ex ſingularibus prærogativis ſibi honorem vendicat: nam, 1. Dominica erat prima dies creationis. 2. Hac die Hebræi ſicco pede tranſierunt mare. 3. Pluit Manna. 4. Chriſtus natus fuit. 5. Baptizatus in Jordane. 6. Primum miraculum fecit. 7. A tribus Magis adoratus eſt. 8. Quinque panibus populum pavit. 9. A mortuis ſurrexit. 10. Apoſtolis poteſtatem dedit evangelizandi. 11. Dominica vidit Jo: Apocalypſin. 12. Dominica erit univerſalis reſurrectio. Ideo honore ſingulari digna eſt hæc dies: Conſtantinus Magnus eam adeo honorari voluit, ut etiam ethnicis militibus formam orandi præſcripſerit, quam perſolvere debebant interim, dum Chriſtiani erant in Eccleſia. D. 4. 95.

Deus benedixit diei Sabbati, & ſancti-*Gen. 2.* ficavit illum; quia in illo ceſſavit ab omni opere ſuo. Sic ſanctificandæ ſunt Domin. & Feſtivæ dies, ſubſtitutæ Sabbato.

Die Sabbati offerebantur duo agni, die-*Num. 28.* bus aliis tantum unus, ad deſignandum, quod in Feſtis abundantius Deum honorare debeamus.

In omni genere, & ſpecie datur aliquid excellens: inter uniones adamas, inter ligna cedrus, inter metalla aurum, inter volucres aquila, inter animantia leo, inter homines Princeps &c. Sic Deus voluit Dominicam eminere inter tempora.

Sabbato poſt creationem mundi quievit Deus ab opere mundi creati: Sabbato poſt redemptionem mundi quievit Deus in ſepulcro a ſua paſſione, ut doceret, ſeptima die ſeu Dominica hominem quieſcere debere, & conſiderare opera Dei, quæ in creatione, & in redemptione ſaluti hominum impendit &c.

## S P E S.

*56. Collocanda in ſolo Deo, non in humanis Viribus.*

Iſraelitæ contra tribum Benjamin ex juſſu Dei pugnantes bis vincuntur. Quare? Sacer textus rationem innuit: *Fortitudine & numero confidentes.* Ideo permiſit eos Deus vinci, ut humiliarentur, ait Lyranus. B. Ser. 26. n. 34.

Multi circa victum & veſtitum confidunt in ſuis Viribus: melius ſpes omnis collocatur in Deo. B. Serm. 63. n. 2. 3.

Muri Jericho non defenderunt Jerichuntinos, & textura araneæ defendit Davidem: ut indicetur majorem eſſe tutelam Dei, quam omnis cautelæ humanæ. B. Ser. 74. n. 27.

Petrus bis ſuper aquas ambulat, veſtitus, & nudus: ut nudus mergitur: mirum! potius debuiſſet evenire contrarium, quia veſtes gravant. Nempe eo minus ſecuri ſumus, quo magis nos ſecuros reddere volumus. S. pun. 28. f. 125.

Quando Gedeon vicit? Reſpondeo tunc cum maximam partem exercitus dimiſit. S. Ib. Aſa mortuus eſt, quia in ægritudine ſpem in medicos poſuit. Princeps Synagogæ petens vitam filiæ in ſolo Deo confidit. S. pun. 29. f. 127.

Sunt



*Prov. 11.* Sunt qui ſpem collocant in divitiis, ſed *qui confidit in divitiis, corruet.* Mundus & homo decipit, *ſolus Deus ſervat fidem perpetuo, qui cuſtodit veritatem in ſæculum.* Ait Campenſis. S. pun. 29. f. 128.

In Belgio Vir inſignis moriturus implorat auxilium uxoris, filiorum, filiarum & domeſticorum omnium, cumque ab omnibus audiret, ſe opem ferre non poſſe, ejulans ſubintulit: O quanto ſatius Deo ſerviiſſem! T. n. 102.

*1. Tim. 6.* Paulus Apoſtolus monet Timotheum, ut præcipiat divitibus, non ſublime ſapere, nec ſperare in incerto divitiarum, ſed in Deo vivente.

*57. Non abjicienda a peccatore quantumvis magno.*

*Rom. 5.* Deus peccatorem quærit, & amat, etiam dum in peccato eſt: ergo *ſi cum inimici eſſemus, Chriſtus pro nobis mortuus eſt, multo magis nunc juſtificati ſalvi erimus*, ait S. Paulus.

2. Si perdere vellet, non dediſſet ſpa-*Jud. 13.* tium pœnitentiæ: *Si Dominus vellet nos occidere, de manibus noſtris holocauſtum non ſuſcepiſſet*, ajebat Mater Samſonis: ita etiam non dediſſet hanc Sacramentorum famem. S. punct. 24. fol. 98.

*S. Chryſol. Serm. de duob. fil.* 3. Animant nos alii peccatores recepti, uti latro, Magdalena, filius prodigus: de hoc ultimo ait Chryſolog. utut perdidit quod filii eſt, Deus quod Patris eſt non amiſit. S. pun. 26. f. 116. Vide Tit. *Miſericordia Dei.*

4. Etiamſi peccator ſentiat flagella Dei punientis, non cadat animo, experietur auxilium ab ipſo Deo, qui nunc caſtigat. Quis unquam miſerior, quam Job? orbatus filiis, deriſus ab amicis, ſpoliatur rebus omnibus; & tamen dixit: *Etiamſi occiderit me, in ipſum ſperabo!*

Abbas Iſidorus apud Sophronium ait: *Dæmonum opus eſt, cum animam in peccatum dejecerint, in deſperationem præcipitent. At pœnitens econtra clamabit: Non moriar, ſed vivam, & narrabo opera Domini &c.* C. Oſeæ 2. v. 15.

*Sepher. in prato ſp. c. 110.* Admirabile eſt effatum Ven. Ludovici Bloſii: Faſciculus ſtupparum in ingentem ignem miſſus, non ita repente incenditur, quam repente Deus peccatis noſtris propter ineffabilem miſericordiam ſuam ignoſcit, dum vere nos pœnitet vitæ male actæ. Lud. Bloſ. p. 4. 6. 2.

*58. Æternorum facilitat omnem laborem.*

S. Arſenius moriturus rogabatur, ut documentum aliquod relinqueret: reliquit duo verba: *Ibi, ubi.* Non intelligentibus explicavit: *Ibi noſtra fixa ſint corda, ubi, vera ſunt gaudia.* B. Serm. 62. n. 36.

Spes maxime ſolatur in articulo mortis, ideo ibi maxime elicienda. B. Ser. 62. n. 37. *Tob. 2.*

Tobias inter irriſiones, & perſecutiones in cælum ſuſpiciens ajebat: Exſpectamus vitam illam, quam Deus daturus eſt confidentibus in ſe.

Piſces qui pinnulas habent, numerantur inter animalia munda, quæ comedi, & ad altare offerri poterant. Quare? quia nonnunquam ſaltant ſuper aquas verſus cælum. Ita Chriſtianus inter aquas curarum ſæcularium innatans nonnunquam verſus cælum exſiliat, & lenimen experietur. C. Lev. 11. v. 9.

Unus ex ſeptem illis fratribus, juſſu tyranni linguam ſtatim protulit, & ma-*2. Mac. 7.* nus extendit, inquiens: E cælo iſta poſſideo, ibi amputata iterum recipiam.

Spes animat colonos ad laborem, & milites ad pugnam, & victoriam. Alex. Magnus ad prælium iturus, & regias opes omnes diſtribuens, quæſitus a Perdicca: *Quid tibi nunc ſupereſt Rex?* reſpondit: *Spes!* ſic a Deo ſperanda ſunt æterna! *Spes in æternitatem animum erigit, & idcirco nulla mala exterius, quæ tolerat, ſentit*, ait S. Greg. C. Habac. 2. v. 4.

*59. Concipitur ex promiſſionibus Dei.*

Frequens eſt illud in Script. *Ut adimpleretur Scriptura &c.* ſic jamjam animam agens Chriſtus in cruce, *ut conſummaretur Scriptura, dixit: Sitio.* Antequam animam efflaret adhuc quaſi totam Scripturam percurrens, dum adhuc deeſſe vidit parum aceti, exclamavit, *ſitio.* Quid igitur tu diffidis in tuis neceſſitatibus: *Iota unum, aut unus apex non præteribit &c.* S. pun. 22. f. 91.

*Spes ejus in Domino Deo ipſius:* Non in principibus, & humanis auxiliis: Ubi Campenſis: Felix cujus ſita eſt omnis ſpes in Deo ſuo, qui & fidem ſervat perpetuo, & cuſtodit veritatem in ſæculum. S. pun. 29. f. 128.

Quamvis Deus non ſtatim in auxilium *Gen. 15.* veniat, non tamen abiicienda eſt ſpes, & longanimitas. Abrahamo promiſit Deus pro multiplicanda ſua gente numeroſam ſobo-

ſobolem, & tamen Abraham uſque ad centenariam ſenectutem ſine filio conſenuit, neque ideo animo cecidit, donec natus eſt Iſaac.

Spem in promiſſionibus Dei collocatam confirmant beneficia jam antea accepta: *Ego clamavi, quoniam exaudiſti me*. Ubi Greg. qui loquens exauditus fuerat, votis proficientibus exauditur clamans: S. pun. 22. a f. 90. ſeq. & M. conc. 40. §. 1. n. 5.

Spes in auxilio Dei confidens excitat animum ad ardua ſuperanda. S. Car. Borrom. monitus, ut ad quamdam congregationem, quam reformare cogitabat, non accederet, propter inſidias mortis, quæ ipſi ſtruerentur: repoſuit: Quin imo ibo, quia Dei cauſam ago! unde meruit explosione ſclopeti non vulnerari. C. Habc. 2. v. 4.

### 60. *Firmius in Deo ponenda quam in homine.*

Gen. 21. Deus Abrahæ promiſit: *In Iſaac vocabitur tibi ſemen*. Et dein ad montem pergens dixit ad ſervos: exſpectate, donec ego, & puer revertamur: quid fingis Abraham? utique puerum ſacrificaturus es? Nempe Dei promiſſione fundatus cordate ait: Revertar &c. Deplorat Salvian. homo homini fidit, & non fidit Deo. Idipſum Chryſol. Homo homini exiguę chartulæ obligatione conſtringitur, Deus tot ac tantis voluminibus cave, & tamen debitor non tenebitur? S. pun. 22. f. 93.

Chananæa, & Gorgonia S. Greg. ſoror non recedunt a Deo, donec exaudiantur. S. Ib. f. 93. 94.

Jerem. 2. Deus conqueritur de populo ex duplici malo: *Me dereliquerunt fontem aquæ vivæ, & foderunt ſibi ciſternas diſſipatas*. Ciſternæ diſſipatæ ſunt humana auxilia, in quibus nonnunquam plus confidentiæ collocatur, quam in Deo &c. Seg. Manna 9. Aug. n. 2.

Quantumcumque ab hominibus deſeraris, mi Chriſtiane, ſi Deum pro te habeas; ſecurus & felix es: illæ urbes, quæ habent pontes ſaxeos in fluviorum exundationibus non timent; timent vero illæ, quæ habent pontes ſolum ligneos, ne illi aquarum moli cedant. Si Deus pro te, non habes timendi cauſam. P. p. 1. diſc. 4. n. 8. in fine.

Burgundi ab Hunnis devaſtati non ad finitimos Reges, ſed ad Deum Romanorum confugiunt, & baptiſma ſuſcipiunt: Et ecce! Deus adeo illos protexit, ut exigua manu totum Hunnorum exercitum vicerint. E. Verb. *Converſio* nu. 15.

Dan. 13. Innocens Suſanna pudendi criminis accuſata, omni humano auxilio deſtituta, in Deo ſpem ſuam collocat.

### 61. *In rebus etiam deſperatis non abjicienda.*

David occiſus credebatur, quia undique hoſtibus cinctus; cum ſubito nuntius venit, & milites avocat ad auxilium Regis Saul. Alia vice a tela araneæ tegitur. S. pun. 28. f. 124.

Iſraelitæ inter mare & hoſtes occiſiſſimi credebantur, & tamen diviſo mari exitum inveniunt. S. pun. 28. f. 126.

Ideo David exclamat: *ſi conſiſtat adverſum me caſtra &c.* S. Ib. & punct. 38. fol. 164.

De Lazaro, ait Chryſologus, permiſit Deus, ut tota ſpes humana pereat, quo magis elucеſcat Divina potentia. M. conc. 2. aſſ. 2. n. 2.

In nuptiis tunc primum venit illius hora, cum de vino deſperatum erat. Infirmum apud piſcinam ſanat, dum ille *hominem non habebat*. Pharao domatur, & populus liberatur, dum deſperata erant omnia. M. con. 2. aſſ. 2. n. 3. 4. & ſeq. item conc. 40. aſſ. 1. n. 7. C. Gen. f. 444. col. 1.

Fratrum quidam aquam de flumine hauſturus incidit in mulierem, & cum ea turpiſſimum peccatum commiſit. Reduci ad cellam inſultabant dæmones, jam actum eſſe de illius ſalute, rediret ad ſæculum &c. ille autem ſpem concipiens viriliter ſeipſum animavit ad pœnitentiam, & Seniori cum confuſione & victoria dæmonum peccatum confeſſus eſt. E. *Deſperatio* n. 3.

Exod. 14. v. 14. *Dominus pugnabit pro vobis, & vos tacebitis*. Sic in arduis & arctis ſpes contra ſpem in Deo collocanda eſt cum Abrahamo, dicendo cum Pſalte: *ſi conſiſtant adverſum me caſtra, non timebit cor meum &c.* C. Ex. 14. v. 14.

Pſal. 93. Deus filios Iſrael in deſerto quadraginta annorum peregrinatione tentavit: qui puſillanimes murmurarunt, perierunt: qui vero longanimiter ſperarunt, ſalvati ſunt &c.

Oſeæ 2. v. 15. *Dabo ei ... vallem Achor, ad aperiendam ſpem*. Diſcimus hic Deum permittere Eccleſiam, & fideles tentari, vexari, & turbari extreme, & tunc celerem & admirabilem afferre opem; vallis enim Achor, eſt humiliatio, & tribulatio, quæ eſt janua ſpei. Ita Chriſto Crucifixo, & occiſo turbati ſunt Apoſtoli & Eccleſia, illaque videbatur peritura, ſed 3. die Chriſtus reſurgens illam in ſpem erexit.



Sic ſub Diocletiano ſumma erat fidelium perſecutio; juravit enim ille ſe potius imperium depoſiturum, quam non extirpaturum Chriſtianos! Et ecce! ſubito Deus adfuit, & Eccleſiæ ſub Conſtantino pacem ac libertatem dedit. Idem ſæpe factum eſt cum particularibus Eccleſiis, & ſacris Ordinibus. *Vallis Achor aperit oſtium ſpei*, deſperatio parit ſpem, turbatio quietem &c. C. Oſeæ 2. v. 15.

Qui ſperavit in Deum, & confuſus eſt? Vide quanta fecerit Deus per Apoſtolos, per Athanaſios, Gregorios, Vincentios, Laurentios imo per teipſum ſubinde! Deus adeſt, Deus tegit, Deus paſcit Chriſtianum, præſertim generoſum, & ad magna anhelantem: excitanda eſt maxima ſpes, ut etiam contra ſpem, in ſpem credat, ſciatque ſpem nunquam eſſe nimis magnam, nec tanta ſperari poſſe a Deo, ut Deus non majora a ſe ſperari velit. Sic ſperarunt S. Ignat. S. Xaverius, S. Bernard. & S. Auguſt. qui dicit: *Si* (S. Aug. in Pſal. 101.) *aliquando poteſt cælum abſcedere a protectione terræ, poterit Deus non protegere timentes ſe*. Spera, ſi afflixit nos, Pater eſt. C. ad Rom. 4. v. 18. Et c. 5. v. 5.

S. Bern. Ser. 9. in Pſal. Præclare S. Bernardus: *Quidquid agendum, quidquid declinandum, quidquid tolerandum, quidquid operandum, tu es Domine ſpes mea! mihi adhærere Domino bonum eſt*. C. ad Rom. 5. v. 5.

### 62. *Vana eſt, quæ collocatur in hominibus, divitiis &c.*

*In Domino confido, quomodo dicitis animæ meæ, tranſmigra in montem ſicut paſſer?* paſſer in paucis plumis confidit, & fiſco, aut reti capitur: non ergo ſic ait David: in plumis divitiarum non confido. S. pun. 29. f. 128.

Fortitudo, potentia, & favor Pharaonis vocatur umbra. *Qui nititur mendaciis, hic paſcit ventos*, vere hic dicitur de aulicis paſcuntur ventis, & paſcunt ventos. S. Ib. f. 128.

Navis illa apud Ezechielem optime erat inſtructa, ſed abſque anchora: ita mundanæ ſpes firmitatem non habent. S. Ib.

Machabæi viribus minui cœperunt, cum fœdera cum gentibus inierunt. S. punct. 29. f. 130.

Exod. 1. Pharao & Ægyptii adverſus Dominum perſequentes Hebræos confidebant in curribus ſuis, & multitudine exercitus. Quid evenit? in aquis rubri maris ſubmerſi ſunt.

Pſal. 48. Pſalmiſta arguit eos, qui confidunt in virtute ſua, & in multitudine divitiarum gloriantur. Et ecce! paulo poſt ſequitur: Relinquent alienis divitias ſuas, & ſepulcrum eorum domus eorum.

Mundi celſitudo mera vanitas, promiſſiones mera falſitas, ſors & fortuna nonniſi inconſtantia eſt. Spes mundanorum & pompa ſunt pila aere turgida, ſplendor ſunt flammulæ ignis fatui, felicitas bulla acquea, quæ vix nata interit, voluptates ſunt præludia mortis infelicis. Nihil ſub ſole invenitur, quod deſideria animi explere, & ſatiare poteſt. Amicitia eſt mera infidelitas, arenæ ædificata. Quis ſpem reponere poterit in rebus tam fallacibus & vanis? *S. Franc. Saleſ. in Direct. c. 1. §. 2. 3. 4.* &c.

### 63. *Circa temporalia in Deo ponenda.*

Martha non ſanitatem rogavit fratris, ſed tantum ecce! quem amas infirmatur, gnara, quod Chriſtus ipſe optimum facturus ſit. Ezechias minaces litteras ab Antiocho acceptas tantum oſtendit Deo, non dubitans illum auxiliaturum. S. pun. 63. fol. 220.

Deus ſpirantes in ſe circa ſuſtentationem, & media vitæ non deſerit. S. pun. 78. f. 248.

Multi Chriſtiani non plus ſpei reponunt in Deo, quam idololatræ in ſuis ſimulacris; adeo raro ad eum confugiunt: confidunt terræ, quam ſeminant, mari, quod navigant, ſociis, quibuſcum negotiantur, Deo autem diffidunt, dicuntque, quod is non velit ipſorum cauſa facere miraculum. Quale miraculum? uti mediis proportionatis, & ſperare in Deo, non eſt miraculum ſed Providentiæ ordo. Dum Deus dicit: *Nolite ſoliciti eſſe &c.* non prohibet laborem, ſed metum de ſucceſſu. Defectus in eo eſt, quod temporalia non ſecundum neceſſitatem, ſed ſecundum cupiditatem menſuremus: frigori ordinario ſufficit veſtis, ſed frigori febrili non ſufficit integrum veſtiarum. P. p. 1. diſc. 4. n. 17.

Multi ſunt qui omnino per peccata felicitatem ſuam promovere contendunt, ſimiles Adamo, qui voluit viribus ſuis eſſe ſicut Dii. Ex hac farina ſunt Mercatores, qui dolis & mendaciis lucra capeſſunt: Litigantes, qui alios ad pejerandum inducunt: Notarii qui ſyngraphas corrumpunt: heri, qui famulos diebus ſacris ad labores adigunt: Puellæ quæ Matrimonia per laſcivias quærunt: Verum falluntur omnes, & denique fateri debet: *Expectavimus lucem, & ecce* Iſa. 59.

*et tenebræ &c.* P. part. 1. diſc. 4. nu. 18.

Mater impia filiam Nobili ad turpem uſuram tradit, a quo dotem ſperabat. Filia dein ſine dote familiari nupta, ex turpi quæſtu adeo nihil collegit, ut cum octo liberis pauperime vivens, demum miſere mortua ſit. J. 38.

*64. Confortat Martyres contra tyrannos.*

Cum Imp. Valentinianus, & ejus Mater Juſtina templum Catholicorum Arianis dare vellent, reſtitit illis S. Ambroſius inquiens: *Si Imperator a me petat, quod meum eſt, non recuſabo.... ſed pro altaribus victimam me præbebo!* Irruit in eum Calligonus ſtricto ferro mortem minitans, cui Ambroſ. *Deus permittat tibi, ut impleas, quæ minaris! Ego faciam, quod Epiſcopi, tu fac, quod ſpadones.*

Mathathias commemorans fortia Patrum Deo Duce facta, hortatur ſuos, ut reſiſtant Antiocho, qui volebat Judæos traducere ad gentiliſmum. S. Theodorus Martyr contemnit minas carnificum, addens: Qui verbis his offenditur, linguam mihi eruat. Talis fuit S. Baſil. contra Imp. Valentem! Talis S. Lucia ad minas Paſchaſii intrepida. C. Jer. 1. v. 18.

S. Ephrem de Ss. Martyribus ait: *Sic S. Martyres toto ſe corde tradiderunt Deo, ut tyrannorum inſidias contemnerent.* Exempla hujus generoſitatis dederunt S. Quirinus, S. Sabina, S. Heſteria, S. Silverinus, S. Geneſius, S. Euſeb. S. Achatius, & alii Sancti Martyres, qui tyrannos provocarunt, & ad tormenta anhelarunt. C. in Sap. 3. verſ. 5.

Cur S. Martyres in tormentis ludere viſi ſunt; cur in rogo carbonibus ardentibus ſe coronarunt? cur in craticulis candentibus jocati dixerunt: Verſa & manduca! cur membris abſciſſis cum lætitia vale dixerunt? Nempe quia ſpe certificati fuerunt, quod hæc omnia cum immenſo fœnore in æternitate recepturi eſſent! O Beata Spes!

*65. Tranquillat puſillanimitatem animi.*

2. Tim. 1. *Scio cui credidi, & certus ſum, quia potens eſt ſervare depoſitum meum in illum diem.* Sæpe homo oppugnatur tentationibus diffidentiæ, putat, fruſtra eſſe, quidquid faciat, quia nihilominus ſit damnandus. Contra has tentationes ſervit hæc gnome Apoſtoli. Si genium Domini tui noſti, non pateris te ab illo averti, etſi non deſint, qui fidem illius tibi faciant ſuſpectam: *ſcio cui credidi*, & cum tentationibus porro non altercare: illæ tibi dicent, actum eſſe, te non perſeveraturum, non habiturum gratiam finalem, deſerendum eſſe, prout multi deſerti ſunt: tu repete, *ſcio, cui credidi:* hæc fiducia & fides majorem tibi præſtant ſecuritatem, quam omnes revelationes, quas hac de re habere potes: revelationes ſunt illuſioni obnoxiæ, non autem fides &c. Seg. Man. 10. Aug. n. 1. 2.

Tobiam irridebant domeſtici dicentes: Tob. 2. Ubi eſt ſpes tua, pro quo eleemoſynas feciſti? ille autem increpabat eos, inquiens. Vitam illam exſpectamus, quam Deus daturus eſt confidentibus in ſe:

Appianus ait: *Nihil eſt efficacius ſpe ad* Appian. l. 2. de bell. civili. Cic. in Catil. *ſublevandam hominum laſſitudinem.* Et Cicero: *Sola ſpes hominem in miſeriis conſolari ſolet.* Denique Seneca: *Spes eſt ultimum rerum adverſarum ſolatium.* C. in Habac. 2. v. 4.

S. Laurent. Juſtin. ait: *Spes eſt quaſi columna, quæ totum ſpirituale ædificium ſuſtentat. Eſt anchora animæ ſervans a periculis tentationum.* C. Ib. v. 4. ad finem.

Si Princeps terrenus homini ex iniqua ſorte damnificato promitteret: Eſto bono animo! ego omnia, quæ perdidiſti, duplo, & triplo tibi compenſabo! nonne damnificatus excuſſa omni triſtitia lætaretur, & exultaret? Sic Deus per virtutem ſpei conſolatur afflictum &c.

## Oratio.

*66. Ejus efficacia impeditur a peccato & peccatore.*

MUltum valet deprecatio juſti aſſidua. Cur ergo calamitates ex orbe non excluduntur? Chryſoſt. ait: *Quoniam invaluit malitia.* Hinc Moyſes oraturus a Pharaone ſeceſſit, ait Procopius, quia, ſi apud ipſum permanſiſſet non fuiſſet exauditus. B. ſer. 38. n. 17. 18. ſer. 74. §. 5.

In primitiva Eccleſia fideles oraturi abeſſe jubebant infideles hæreticos & peccatores, ne ſua præſentia orationis efficaciæ obicem ponerent. D. cent. 12. c. 1. Econtra innocentes & infantes ad orandum convocabant; quia ſua innocentia Deum flectunt ad miſericordiam: Petrus non lingua, ſed oculis rogavit veniam, quia oculi erant innocentes, lingua autem nocens. B. ſerm. 63. n. 23.

S. Auguſtinus ait: Quidam *in novitate converſionis ferventer orant, poſtea languiſſe, poſtea frigide, poſtea negligenter! Vigilat hoſtis, & dormis tu?* C. in Exod. 30. v. 1. S. Aug. in Pſal. 45.



Orandum eſt, purgata a peccatis & paſſionibus anima, ait quidam Aſceta; nam ſicut in aqua turbida nihil conſpicitur, ita anima turbata videre nequit Deum. C. in Ex. 30. v. 1.

Cum orationes offeruntur pro alio, ille alius debet cooperari, nec ex parte ſui obicem ponere. Anachoreta oravit pro Diſcipulo graviter tentato in materia turpi. Non fuit exauditus. Rationem rogans a Deo, reſponſum tulit, diſcipulum non eſſe dignum; quia ſua ignavia foveret tentationes. C. in Jo. c. 16. v. 23.

Oratio debet eſſe conjuncta cum mortificatione, ſine hac eſt inſulſa & inſipida, conſequenter inefficax. C. in Cant. 4. v. 6.

*67. Eſt neceſſaria ad ſalutem corporis & animæ.*

Pſal. 65. S. David laudat Deum: *Benedictus Deus, qui non amovit orationem, & miſericordiam a me.* Unde deſumit, quod Deus

S. Aug. in Pſal. 65. miſericordiam non amoverit a ſe? S. Auguſtinus ait: *Cum videris non a te amotam deprecationem tuam, ſecurus eſto, quia non eſt amota a te miſericordia ejus.* B. Serm. 48. n. 34.

*Vacillat humanum ſtudium, ubi non re-*

S. Aug. in Vier. DD. V. adjut. *quiritur Dei auxilium*, ait S. Auguſtinus. B. Serm. 62. n. 27.

Dices: Cum Deus ſit infinita Bonitas, & ex ſe pronus ad benefaciendum, cur non ultro dat, quibus ſcit nos indigere? Cur vult orari, & prolixe ſæpe rogari? Reſpondeo 1. quia hoc poſtulat Dei Majeſtas, & reverentia. 2. Hominis conditio, ut agnoſcat ſe, ſuaque omnia pendere a Deo. 3. Quia idipſum exigit rei, quæ petitur dignitas; petimus enim a Deo gratiam, & gloriam. 4. Quia hoc requirit orationis utilitas, & præſtantia, quæ ingentia oranti commoda confert, uti fidem, ſpem, caritatem, orantemque facit quaſi Angelum Deo familiarem. C. in Jo. 16. v. 27.

Deus vult orari, & rogari 1. Quia hoc poſtulat ejus Majeſtas & reverentia, qua teſtamur nos indigere ejus beneficentia. 2. id poſtulat hominis conditio, ut a ſe Deo pendere agnoſcat. 3. Idipſum exigit rei dignitas, quam petimus: v. g. gratia, & gloria. 4. Idem poſtulat orationis utilitas, & præſtantia, ut exerceamur in fide, ſpe, aliiſque virtutibus. C. in Jo. c. 16. v. 27.



*68. Sæpe eſt inefficax, & cur?*

Ratio, cur oratio quandoque nil impetret, eſt 1. quia non procedit ex caritate. 2. Quia non ſequitur emendatio morum. 3. Quia pure fit ex amore ad temporalia, & terrena. B. Serm. 77. n. 26. 27. 28. 4. Quia petitur, quod noxium eſt. B. Serm. 78. n. 16. & ſeq. 5. Quia Deus ſæpe vult magis inflammare ardorem orandi, exemplo ſponſæ quærentis, & non invenientis. S. punct. 6. fol. 37. 6. Quia oratio eſt diſtracta. S. punct. 7. fol. 38. & ſeq. 7. Effectus orationis non eſt impetratio rei petitæ, ſed conformitas voluntatis cum Deo; Chriſtus ipſe non impetravit, ut tranſiret calix. 8. Deus ſæpe expectat tempus opportunius, ut magis proſit: filio febricitanti in medio æſtu non datur hauſtus, ſed poſtea, ne noceat. S. punct. 4. fol. 28. 9. Sæpe non petimus ſerio; ſic Auguſtinus petebat caſtitatem, ſed ſimul metuebat, ne exaudiretur: & Pharao ad Moyſen dixit: *Cras ora.* S. Ib. fol. 29. 10. Deus vult commendare beneficium, quod enim cito datur minus æſtimatur: Manna Iſraelitis viluit, & aqua ut mel viſa eſt: Quare? quia Manna ſtatim datum eſt ad primam poſtulationem, non aqua. *Cum tardius dat, commendat dona.* S. punct. 6. fol. 35. Moyſes vultum Dei intueri, David extruere templum, Iſaias Verbum incarnatum cernere, Elias mori voluerunt, & non impetrarunt. M. conc. 81. aſſ. 1. n. 4.

Quidam Monachi conqueſti ſunt, quod orarint pro pluviis & non impetrarint: Abbas indubitanter repoſuit: quia non impetraſtis ſignum eſt, quod male oraſtis. Sanch. 7. part. c. 3. f. 953.

Sex maxime modis in orando erratur: 1. Si bonum temporale petimus animæ nociturum. 2. Si tentatione, aut malo aliquo liberari volumus, quod prodeſt ad humilitatem, & alias virtutes. 3. Si petimus ex ambitione, ut filii Zebedæi. 4. Si ex zelo indiſcreto, uti illi petierunt ignem de cælo ſupra Samaritanos. 5. Si petatur id, quod utilius eſt differri contra ſtudium orationis & perſeverantiæ. 6. Si petamus ſtatum, vitam, aut modum certum v. g. vivere in Religione, Sacerdotio, aut matrimonio, cum Deus ſciat, alium ſtatum magis convenire ad noſtram ſalutem. C. in Ep. Rom. c. 8. n. 26.

Oratio ſæpe non habet conditiones requiſitas, nempe humilitatem, reverentiam, contritionem, fidem, perſeverantiam.

Quid mirum, quod non impetret, quod petit. C. in Jo: 16. v. 23. C. in Ep. ad Eph. c. 6. v. 18.

*69. Debet eſſe conſtans, & perſeverans.*

Ille æger 38. annis apud piſcinam morabatur, donec a Chriſto ſanatus eſt: *Pudeat nos*, ait Chryſoſt. *ſi vel decem dies orationibus invigilantes non exaudimur, jam tepeſcimus*. David ait, *oculi noſtri ad Dominum*: Quamdiu? donec miſereatur noſtri. Quam conſtans erat mulier Chananæa in orando: non patiebatur ſe abigi. S. pun. 6. f. 36. & f. 95.

S. Chryſ. Hom. 35. in Joann.

Iſaac 20. annis ſterilitatem uxoris deprecatus eſt: Cur tamdiu non exauditur? nempe Mater ſurdam ſe ſimulat, ut filii preces multiplicet. S. Anſelmus ait: *Diſſimulat audire petentem, ut faciat perſeverantem*. S. pun. 6. f. 35.

Jacob per totam noctem orationibus inſtat: tu orare non deſine, tandem importunitas vincet. M. conc. 9. aſſ. 3. n. 4. & 5.

*Oportet ſemper orare, & non deficere*. Quid vult dici? duplici ſenſu intelligi poteſt hic textus: 1. Oportet hominem eſſe deditum ſtudio orationis, eamque potius ultra tempus protrahere, quam abbreviare. Sicut is, qui luſui aut ſtudiis eſt deditus, dicitur ſemper ludere, ſemper ſtudere: ita oportet ſemper orare, & hoc ſenſu dixit David: *Benedicam Dominum in omni tempore, ſemper laus ejus in ore meo*. 2. Oportet ſemper orare, ita, ut cum videas te non exaudiri, tamen non deſiſtas: ita iterum David: *Ut jumentum factus ſum apud te, & ego ſemper tecum*. Ceu diceret: Quamcunque male illum Dominus tractaret, nunquam fore, ut illi dorſum obvertat, quaſi favore ejus deſperato. Vult igitur Chriſtus nos animare ad conſtantiam in orando, etiamſi videamur ferre repulſam. Seg. Man. 23. Apr. n. 1.

Luc. 18. Pſal. 33. Pſal. 72.

Mulier Chananæa repulſam a Chriſto non tulit; quia ejus oratio fuit humilis, conjuncta cum fide, modeſtia, prudentia, reverentia, reſignatione, perſeverantia, C. Matth. 15. v. 27.

*70. Diſtracta, & negligens nil impetrat.*

S. Cypr. ait: *Quomodo te audiri a Deo poſtulas, cum te ipſe non audias. Vis eſſe Deum memorem tui, quando tu ipſe tui memor eſſe non vis &c.* B. Ser. 38. n. 22.

S. Cypr. de Or. Dom.

S. Chryſoſt. *Curvaſti quidem genua, ſed mens tua foris vagatur, corpus tuum intus, ſed ſenſus foris: os loquebatur, ſed mens uſuras cogitabat, poſſeſſionum reditus ſupputabat, deſcriptiones domorum videbat*. S. pun. 7. f. 39.

S. Chryſ. Hom. 16. in Mat.

In humano etiam conſortio moris eſt, ut ſiquis lepidum, inſulſum & imprudentem diſcurſum format, viri graves, qui loquentem audiunt, dedignentur auſcultare, & terga vertentes ajant: eſt inanis & abſurda garritio, eamus! Quomodo ergo Deus ſibi complacere poſſit in oratione, in qua mens quaquaverſum evagatur, & orans ipſe neſciat, quid ajat? certe Deus abit, aitque: Eſt inanis garritio.

Multa animalia præſertim volucres doctæ ſunt quædam verba articulata eloqui. Domitiani luſcinia græce & latine loquebatur: quidam Cardinalis habebat Pſittacum, qui totum ſymbolum Apoſtolicum recitabat. Quidam corvus Imper. Auguſtum e prælio reducem ſalutabat, *Ave Ceſar, victor, Imperator &c.* jam quæritur, an hæ voces fuerint rationales? nihil minus: erant tantum phantaſticæ, quia per eas nullæ cogitationes internæ ſignificabantur. Eum in morem ſe habet oratio diſtractorum: eſt irrationalis. D. 3. 12.

Sicut artifex, ſi mente alio evagetur, quam ad ſuum artificium, laborem mancum conficiet: ita oratio erit mendoſa cum mens eſt diſtracta, ait S. Baſilius. Sanch. 7. par. c. 3. f. 928.

*71. Innocentum & infantum multum valet.*

S. Petrus non lingua, ſed oculis flentibus veniam rogavit, quia oculi erant innocentes, lingua nocens. B. Ser. 63. n. 23.

In Urbe Ninive omnes a majori uſque ad minimum jejunabant, quia ut ait Ambroſius, *Non ſufficiebat ſatisfactio, niſi ſeniorum peccata parvulorum innocentia deploraret*. M. conc. 31. aſſ. 1. n. 3.

S. Ambr. in c. Jon.

Sacerdos quidam S. Eliſabethæ Thuringiæ cæcum adduxerat, rogans, ut eum illuminaret: Eliſabetha ajebat, oremus igitur: tu pro iſto, ego pro illo oculo orabo. Illuminatus eſt cæcus, ita tamen, ut ille oculus, pro quo oravit Eliſabetha, longe clarior, majorque fuerit effectus. Sanc. 7. par. c. 3. f. 950.

P. Dominicus de Betanzos Miſſionarius Mexicanus turbulenta tempeſtate navigabat: jam in eo erat, ut navis ſcopulo illiſa frangeretur, oravit P. Dominicus: Et ecce! ſcopulus in medio diviſus navi tranſitum dedit. R. cent. 3. mir. 38.

Ora-



Oratio innocentum clavis eſt cæli. 1. Quia per orationem Elias cælum aperuit, & clauſit, Joſue etiam cæleſtium orbium machinam ſiſtit. 2. Quia oratio fortiſſimos Angelos cælo deducit, & in opem attrahit; nam cum oraſſet Eliſeus, ecce mons plenus equorum, & curruum ignεorum. 3. Quia oratio ipſum Deum ligat, & quaſi devinctum e cælo ad juſtos trahit: *Dimitte me*, ajebat Deus ad Moyſen, *ut iraſcatur furor meus*, ubi S. Hieronym. *Cui dicitur dimitte me, oſtenditur, quod tenendi habeat facultatem*. C. in Ep. S. Jac. c. 5. ver. 17.

Joſ. c. 10. 4. Reg. 6. Exod. 32. S. Hier. in c. 13. Zaqvi.

*72. Sæpe petit aliquid noxium.*

Importunitas filii prodigi extorſit hereditatem. B. Serm. 78. n. 16.

Chriſtus monet, ora in abſcondito: quare in abſcondito? ratio eſt, ſi ores publice aliquid noxium, ſi concedam, damnum tuum petiiſti: ſi negem, alii conſcii putabunt me eſſe inexorabilem: Si autem in abſcondito ores, nec honor meus, nec utilitas tua patitur. B. Ser. 78. n. 17. 18.

Balaam tandem extorſit, ut ſibi liceret ire, at infeliciter, quia pedem fregit. S. punct. 63. f. 220.

Cum in Hibernia ob ingentem incolarum multitudinem magna eſſet annonæ caritas, duo Reges Dermitius & Blamacus ex conſilio aulicorum publicas comprecationes inſtituerunt, Deum rogantes, ut peſtem mitteret, qua populus minueretur. Id dum diſſuadente S. Geraldo Abbate faciunt, ipſi, & ſuaſores aulici primi a peſte, dein innumeri alii fuerunt abrepti. Oratio ergo fiat pure ad voluntatem Dei. R. 2. cent. 2. par. mir. 18.

Hinc principaliter orandum eſt pro ſalute animæ: O quantus hac ex parte eſt error Chriſtianorum: videantur anathemata, & certe invenientur millena pro neceſſitatibus corporis, nec unum autem pro ſalute animæ. Si filius ægrotat, ſtatim concipiuntur vota: ſi anima peccatis eſt infirma, nihil curæ habetur. P. p. 2. diſ. 10. n. 20.

Male petit a Deo, qui res mere caducas ſecundum concupiſcentiam ſuæ voluntatis petit. Illis ergo, qui talia petunt, Deus aures obſtruit, ait S. Bernar. quæ ſingularis eſt miſericordia: *Miſericordia eſt, aliquando ſubtrahere miſericordiam &c. & indignatio eſt, miſericordiam exhibere*, uti fuit Hebræis in murmure petentibus carnes dare. C. in Ep. S. Jac. c. 4. v. 3.

*73. Semper, & omni tempore auditur a Deo.*

Terrenis Dominis non ſemper vacat dare audientiam: ſed Deo, *Non aſſiſtit miles, qui expellat, vel ſatelles qui tempus interrumpat, non eſt, qui dicat, non eſt tempus audiendi, veni poſtea. Sed quando venis, ſtat audiens, etſi tempore gaudii, etſi tempore cœnæ, etſi nocte intempeſta, ſemper potes eum interpellare, neque opus eſt janitoribus, qui te introducant*. Ait Chryſoſt. S. pun. 1. f. 4.

S. Chryſ. hom. 4. de pœn.

Hæc ipſa eſt magna felicitas hominis, quod liceat illi quoties vult converſari cum Deo. Conſidera aulicos, quoties accedunt ad ſuum Principem, porrigunt illi libellos ſupplices a civibus, a ſubditis, non quod eorum cura tangantur, ſed ut agere hac occaſione cum Principe poſſint. Eadem eſt felicitas hominis; ideo ſæpe agere debet cum Deo, non alio fine niſi ut agat cum Deo. Seg. Man. 23. Apr. n. 4.

Vere dixit ille: *Apud Deum valet non magnus clamor, ſed magnus amor*. Et S. Aug. cum ores, clama non voce, ſed mente, non quæritur locus, quantum ſenſus: Jer. in carcere, Daniel inter leones, tres pueri in fornace, Job in ſterquilinio, latro in cruce auditus eſt. C. Ex. 14. v. 15.

Orationibus Ss. Deus etiam per miraculum, ſi fieri aliter non poteſt, ſatisfacit: ſic Sancti prodigioſe transferuntur de loco in locum: ſtagna & fontes ſubito e terra erumpunt: ſerpentes, & noxia animalia delentur: carceres & vincula rumpuntur. C. in Jerem. 29. verſ. 14. Vide Tit. Deus: *Exaudit Orationes SS.* Et C. in Eccli. c. 35. v. 21.

*74. Qua ratione fieri debeat.*

Formulam precandi ad Deum diſcere potes a pauperibus: *Cum obſecrationibus loquitur pauper*. Vide ut illi certatim te opperiuntur ad ingreſſum templi, ut ulcera oſtentant cum ſignificatione doloris, ut obteſtantur, ne illos deſeras per amorem animæ tuæ: ut purgatorium & paradiſum memorant: ut memoriam refricant quinque vulnerum Chriſti. Hoc modo tu agas cum Deo. In hunc finem, ajunt Sancti eſſe conſuetudinem, ut pauperes conſiſtant ad templorum limina daturi fidelibus illuc intrantibus ſpecimen ſupplicandi. Dic ergo cum Davide: *Ego autem mendicus ſum & pauper &c.* Seg. Manna 13. Apr. n. 4.

Prov. 18. Pſal. 39.



UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

In primitiva Eccleſia Chriſtiani oratu-ri obſervabant varias ceremonias: 1. Infideles, hæreticos, & peccatores jubebant abeſſe; quia horum præſentia impeditur efficacia orationis.

2. Lavabant manus & peccata contritione emendabant: hinc Tertullianus: *Quæ ratio eſt manibus quidem ablutis, ſpiritu vero ſordeſcente orationem obire?* (Tertul. l. de orat. c. 11.)

3. Monebantur publice a Diacono, ut inimicitias deponerent.

4. Faciem dirigebant verſus orientem &c. D. cent. 12. c. 1. C. Act. 1. v. 12. Et Ezech. 8. v. 16.

S. Jacob. orabat flectendo, S. Moyſes ſtando, Iſaac ſe proſternendo, Hilarion inſtar belluæ manibus ac pedibus repen-do. Sanc. 7. part. c. 3. fol. 943.

Chananæa in orando fuit prudens. 1. Quia ipſamet in propria perſona, non per tertium ad Chriſtum venit. 2. Quia reverenter cum Chriſto tractavit. 3. Quia repulſas a Chriſto patienter ſuſtinuit. Paoletti Fer. 5. poſt Dom. 1. Quadr.

Jacob noctu *uſque mane* oravit: ita etiam nox interrumpenda oratione; quia *ſolitudo mater eſt Divinæ aſcenſionis*, ait Nazianz. C. Gen. 32. v. 24. f. 21. col. 1. (Nazian. orat. 2.)

Conſuetudo flexis genubus orandi fuit Sanctis uſitata. C. Act. 20. v. 36. Et manus levandi. C. 1. Tim. 2. v. 8.

*75. Non debet omitti etiamſi non ſtatim impetret.*

Dicunt ſæpe orantes: Cur Deus vult indefeſſis precibus tamdiu rogari, utique ſcit neceſſitatem noſtram, & etiam nos amat? R. Ideo vult orari, quia adeo amat. Error tuus in hoc conſiſtit, quod putes idem eſſe ſupplicare Deo, & ſupplicare Principibus terrenis. Apud iſtos ſupplicatio jactura cenſetur, ſi non impetratur quod petitur. Sed non ita ſe habet apud Deum. Orare enim ſemper eſt ingens lucrum; quia etſi non impetrantur petita, impetrantur tamen inſignes actus Virtutum: nam imprimis orans exercet actum Religionis, & conſequenter omnes actus virtutum, quæ illi fœderantur: Exercet fidem, quia dum orat, ſignum eſt, quod credat eſſe in poteſtate Dei illud præſtare, quod orat. Exercet fiduciam, quia ſi petit, ſignum eſt, quod ſperet. Exercet humilitatem, quia petendo teſtatur, quod agnoſcat ſe alterius indigere auxilio &c. Ecce igitur, nullam orationem dici poſſe fruſtraneam. Seg. Man. 23. April. n. 2.

Deus in oratione ſingulariter requirit ſpem, ſeu fiduciam, hinc ad miſeros beneficia petentes frequens erat Criſti adhortatio: *Confide fili! Confide filia!* Ratio autem, cur Deus hanc ſpem, & fiduciam exigat, eſt, 1. Quia orantem decet ſperare quod orat, imo ſine ſpe rite orari nequit. 2. Quia ſpes & fiducia eſt quaſi canalis, per quem e cælo gratiæ ad nos in terram profluunt. 3. Quia ſpes & orationis fiducia eſt quaſi pecunia, qua gratiam, & beneficia a Deo emimus; unde hæc ipſa fiducia quanto ardentior eſt, tanto certius eſt præſagium impetrandi, quod petimus. Jam huic autem fiduciæ contrariatur puſillanimitas animi, qua ſtatim orare ceſſamus, cum non mox orantes exaudimur &c. C. in Ep. Jac. 1. v. 6.

*76. Eſt potens contra diaboli inſidias.*

Julianus Apoſtata verſatus in Perſide miſit dæmonem in Occidentem, ut ſibi exinde reſponſum ferret. Rediit dæmon re infecta. Interroganti cauſam Juliano repoſuit: ſe non potuiſſe tranſire propter preces Publii Monachi, quas ille per decem omnino dies continuaſſet. E. *Orat.* n. 9.

Sicut viator videns feras fugit, & ſcandit in arborem: ita cum venit tentator, fugiendum eſt per orationem ad Dominum. C. Ex. 30. v. 1. f. 567. col. 2.

Aliqui Iſraelitarum perficiebant fraudes, & rapinas, eo quod non levarint manus ſuas ad Dominum; ſi enim oraſſent, partim recordatione Dei, & judiciorum ejus deterriti a ſcelerum molitione deſtitiſſent, partim Deus gratia ſua eos prævenisset, qua eos avocaſſet a malo, & ad bonum incitaſſet. (Mich. 2. v. 1.) Idem experimur in peccatoribus, ſi obliviſcantur Dei, prout dicitur de illis ſenibus Suſannæ inſidiantibus: *Declinaverunt oculos ſuos, ut non viderent cælum.* (Dan. 13.) Et Pſalmiſta ait: *Corrupti ſunt, & abominabiles facti ſunt.* (Pſal. 13.) Qua de cauſa? quia *Dominum non invocaverunt*. Hinc famuli Dei, prout aſſerit Caſſianus initio cujuſque operis ſolent implorare opem Dei, uti in initio ſingularum horarum: *Deus in adjutorium meum intende.* Et orando ad Primam .... *tua nos hodie ſalva virtute, ut in hac die ad nullum declinemus peccatum.* Habetur ab experientia, captos pro Chriſto, ſi orationi inſtiterunt, factos fuiſſe Martyres, ſecus a fide defeciſſe. C. in Mic. c. 2. v. 1.

*77. Non debet petere rem illicitam.*

Anno 1502. Ruſtici Spirenſes conjuratione facta jugum omne excutere, & affecta li-



ta libertate Marchionem Badenſem, ac Epiſcopum Spirenſem cum omni Clero extirpare, ac occidere voluerunt. Conſtituerunt anteſignanos, atque ingenti multitudine ſub ſignis collecta, dato etiam ſymbolo, ſui fœderis Patronos elegerunt Beatiſſimam Virginem & S. Joannem Evangeliſtam, præterea præceperunt, ut quilibet confœderatorum quotidie quinque Pater & Ave, pro felici rei ſucceſſu oraret. Verum duo anteſignani perfidiæ capti, & tormentis ſubjecti nefanda conſilia prodiderunt. Surii Comm. fol. 36.

Sunt aliqui, ait S. Gregor. qui orant prohibita a Deo, uti vindictam, & mortem inimici; quiſquis ita orat, ſuis precibus contra Deum pugnat, tangiturque illo: Fiat oratio ejus in peccatum. S. Chryſoſtomus ait: *Qui mala a Deo poſtulat, Deum mali judicat, & ſentit auctorem.* C. in Ep. S. Jac. c. 4. v. 3.

Si Sancti Patres improbant orationem, qua petuntur a Deo caduca & temporalia, quanto abſurdius erit petere a Deo illicita? Caſſianus ait: Deus *nihil caducum vult a ſe, nihil vile, nihil temporale implorari.* (Caſſian. coll. 9. c. 24.) Alius petit uxorem, alius villam, alius veſtem, alius alimentum, cum tamen Deus dicat: *Quærite regnum Dei, & hæc omnia adjicientur vobis.* Quanto ergo magis, ait S. Chryſoſt. *Qui mala a Deo poſtulat, Deum mali judicat, & ſentit auctorem.* C. in Epiſt. S. Jac. c. 4. v. 3.

*78. Omnibus actionibus præmittenda.*

David in omnibus actionibus invocavit Dei adjutorium: *Greſſus meos dirige ſecundum eloquium tuum. Vias tuas Domine demonſtra mihi &c.* (Pſal. 118. & 24.) Sic Rex Salomon: *Da mihi Domine ſedium tuarum aſſiſtricem ſapientiam &c.* Rex Joſaphat hoſtibus cinctus, ad Dominum oculos direxit, & victoriam impetravit. Tobias filium docuit: Pete a Deo, ut vias tuas dirigat. Caſſianus monet, ut ante ſingulas actiones oremus: Deus in adjutorium meum intende, id quod in ſingulis horis Canonicis obſervatur. Ratio autem eſt imo quia incerta eſt hominis providentia: ergo a ſuprema prudentia dirigi debet. 2. Quia ad Deum ſpectat, omnium hominum actiones dirigere: ergo Dei munus invadit, qui ſine Deo ſapere, ſeque ipſum dirigere vult. 3. Quia Deus ſolus novit eventus futuros, nimirum, quid eventurum ſit, ſi hoc vel illud egero aut non egero &c. ergo ad Deum recurrendum eſt. Sic a Deo directus fuit Abraham, Jacob, *Joſeph*, Moyſes cum Hebræis, Joſue in omnibus bellis. Machabæus ultima vice omiſit invocare Deum, & ibi in prælio interiit. C. Exod. 33. v. 17.

Præſertim primo ſtatim mane primitiæ cogitationum, & operum per orationem conſecrandæ ſunt Deo, ejuſque auxilium pro omnibus actionibus implorandum: *Deus Deus meus ad te de luce vigilo*, orabat Pſalmiſta. Et S. Baſil. Diſcipulo hoc dedit documentum: Quodcunque opus inchoaveris, primo invoca Dominum, & ne deſinas gratias agere, cum illud perfeceris. Quære Dominum, & invenies eum! ut copuletur mens tua in amore ejus! Et S. Bernard. Nihil dignius cogitari poteſt, quam cor ad eum referre, qui, ut viveres, mori voluit &c. Mane ergo cor offerendum Deo, & omnes ejus cogitationes, & actiones. C. in Eccli. 39. v. 7.

Orationis qualitates ſunt 1. ut ſit aſſidua. 2. Obſecratoria v. g. per mortem, crucem, & ſanguinem Chriſti. 3. Per pias intentiones continuata, & ſic omnibus operibus, opificiis, ac laboribus trivialibus plebis præmitti & interſeri poteſt. C. in ep. ad Eph. c. 6. v. 18.

*79. Semper poteſt ac debet continuari.*

Abbas Lucius quærebat ex Monachis, an etiam orarent in ſomno, reſpondentibus: Non! repoſuit, ego ex iis labore diurno lucratis duos denarios expendo in pauperes, ut illi mei in vicem orent dum comedo, & dum dormio: atque ſic ſemper oro. Semper orat, qui in omnibus operibus Deum præſentem habet. S. Martyr Alexander in tormentis tacebat, quæſitus a tyranno, cur adeo eſſet taciturnus, repoſuit: nunc eſſe tempus orationis. Idem reſpondit S. Urbanus. Sanch. 7. p. c. 3. fol. 940.

Non eſt difficile, ajebat S. Franciſc. ſemper & ubique orare, quia Deus ubique eſt præſens, anima noſtra ubique eſt templum Dei, & cor noſtrum altare. Ib. fol. 941.

S. Bartholomæus centies de die, centies de nocte orabat. S. Martha trecenties, S. Paulus Africanus toties, quot lapides numerabat, oravit. Arſenius tota nocte orationes fundebat. S. Antonius occidente ſole verſus orientem orabat, donec ſol oriens ejus oculos perſtringebat; ſolebat altercari cum ſole, quod tam cito oriretur. Sanch. 7. p. c. 3. fol. 943.

Venerunt ad Abbatem Lucium laborantem fratres & dixerunt: Nos non laboramus ſed ſemper oramus. Repoſuit ſe-

nex: Et non manducatis? Manducamus. Quando ergo manducatis, quis pro vobis orat? aut quando dormitis, quis orat? obmuteſcentibus illis ſubintulit: Ecce! quando laboro, & plectas facio, corde ſimul oro. Et quando ſedecim nummos lucror, duos denarſos do pauperibus, qui pro me tempore, quo manduco orant. E. *Oratio* n. 7.

S. Antonius & Arſenius totas noctes ſtando orabant. Abbas Beſſarius per quatuordecim dies expanſis manibus &c. C. in Exod. 30. v. 1.

### 80. *Impetrat, non impetrat pro diverſitate orantis.*

S. Abertius Epiſcopus Hierapolitanus, cum Romam vocabatur ut Lucillam Imperatoris filiam a demone liberaret, urceum ſecum ſumpſit, in quem vinum, oleum, & acetum mixtim infundi juſſit pro alimento in via. Famulus ex hoc urceo quidquid juſſerat Epiſcopus poterat expromere: juſſit Epiſcopus vinum, & ecce fluebat vinum, juſſit oleum, & ecce oleum &c. Verum cum ipſe famulus eorum aliquid ex ſe expromere vellet, contrarium fluxit, loco vini acetum, loco olei vinum. R. 2. cent. p. 1. mir. 14. Sic fit in oratione, Sancti impetrant vinum, mali Chriſtiani acetum &c.

S. Bernardus vidit Angelos, qui preces fratrum pſallentium, auro, argento, atramento aut aqua ſcribebat, pro diverſitate devotionis: ſicut ergo oratio in ſe diverſa eſt; ita parum aut nihil impetrat. E. Verbo *Angelus* n. 11.

S. Chryſoſtomus ait: *Deus non eſt oris, ſed cordis auditor*. Præcipue duobus modis oratio impeditur, ait S. Iſidorus, ne
S. Iſid. l. 3. de ſum. bon. c. 7. impetrare valeat poſtulata, ſi aut orans adhuc mala committit, aut delinquenti in ſe debita non dimittit. C. in Exod. 30. v. 1. Vide ſupra. Ejus efficacia impeditur a peccato. &c.

Quid fœcundius ſemente & pluvia? Et tamen cum in agrum ſterilem, aut ſaxum incidunt, nil frugis parturiunt: Ita gratiç cæleſtes pro diverſitate orantis, dum in cor fœcundum, aut ſaxeum incidunt, effectum aut bonum, aut nullum operantur. Sol ceram liquefacit, lutum indurat. &c.

### 81. *Prodeſt in periculis corporalibus.*

David nunquam bellum orſus eſt ſine prævia oratione; hinc ſemper victor fuit, ait S. Ambroſius. S. punct. 31. fol. 135.

De Monaſterio S. Libertini rumor ſpargebatur, quod multum pecuniarum haberet. Ingreſſi igitur Monaſterium milites Franci Libertinum Abbatem quęrebant: Et mirum! illum in oratorio orantem, & ſibi proximum non viderunt. E. *Oratio* n. 1.

Jacobus Epiſcopus contra Regem Saporem, qui Antiochiam urbem obſidebat, immenſam cyniphum, & culicum multitudinem oratione impetrat, quorum moleſtiam milites ferre non valentes in fugam acti ſunt. E. *Oratio* n. 11.

Iſraelitæ vincunt in valle Amalecitas, *S. Chryſ. Homil. de Moyſ.*
dum Moyſes in monte orat: ubi S. Chryſ. Quis hoſtem non orando devicit? orationibus Danieli viſa panduntur, ſopiuntur flammæ, feræ hebeſcunt, cadunt hoſtes, inimici vincuntur. C. Exod. 17. v. 11.

Machabæus legitur omnibus præliis præmiſiſſe orationem, & ſemper victoriam retulit. Ultimo confoſſus interiit, quia ibi non legitur oraſſe. C. Mich. 2. v. 1.

Jacobus Niſibites urbem contra Regem Saporem defendit, omneſque illius molitiones irritas reddit. Abbas Theonas oratione latrones ſtitit immobiles. Zachæus peſtem ab urbe Cæſarea avertit. Eſt ergo oratio omnium difficultatum victoria, & infirmo in via Dei medicina &c. C. in Exod. 30. v. 1.

### 82. *Plus impetrat quam petit.*

In nuptiis Chriſtus vinum multiplicat, panes auget, ut plures cophini ſuperſint: ſalutem corporalem petentibus etiam ſpiritualem concedit: ſervo roganti dilationem, omne debitum dimiſit. S. punct. 3. fol. 23. M. conc. 40. aſſ. 1. n. 6.

Uberior eſt gratia, quam precatio: ſemper Dominus plus tribuit, quam rogatur, ait Auguſtinus. S. punct. 31. fol. 735. *S. Aug. de bono latrone.*
M. conc. 40. aſſ. 1. n. 8. 9. ſeq.

Perillus ex Alexandri Magni amicorum numero, cum filiæ ſuæ dotem petiiſſet, quinquaginta talenta accipere juſſus eſt, dicente illo ſatis eſſe decem, repoſuit Alexander, tibi accipere, ſed mihi nequaquam ſatis eſt dare. Ita Deus facit, ait S. Baſilius, *S. Baſil. conſtit. Monaſt. c. 2.*
*Munificentiſſimus & auguſtiſſimus eſt Rex noſter, & indigne fert, quandocunque quis exiguum aliquid a ſe petit, multo magis, ſi ea petimus, quæ minime conveniunt.*

Eccleſia orat: Deus qui ſupplicum merita excedis & vota. Chriſtus Dominus infirmis, quos mirabiliter ſanavit, præter ſanitatem corporis, quam flagitabant, ordinarie etiam ſanitatem animæ dedit, remittendo peccata, ingerendo monita & documenta ad ſalutem: *Jam noli amplius peccare*, & quæ ſunt ſimilia. Alexander Magnus egeno ſubſidium vitæ roganti, integrum auri talentum dono dedit, inquiens, oportet, id muneris in te effundere, non quod tibi pauperi accipere, ſed quod mihi Regi dare convenit. Ita Deus liberalior eſt in effundendis ſuis donis, quam ſupplex orans in petendis. &c.



### 83. *Fieri debet cum reverentia.*

De Anna dicitur: *Cum loquebatur in corde ſuo, tantum labia illius movebantur, & vox penitus non audiebatur*. Ecce! tantum labia movet! an non caput? aut oculos hinc inde? O quam ſępe diſpar cum nobis orantibus ratio, ait Chryſoſtomus. S. punct. 7. fol. 37.

S. Bernardus oraturus ad ſua negotia dicebat: expectate hic &c. S. punct. 7. fol. 41. punct. 18. fol. 64. punct. 7. fol. 37.

Turcæ cum Paſcha celebrabant, immobiles ſtabant ad tentorium ſui Imperatoris converſi, ubi Sacerdos alta voce orationem clamabat, dum nomen Dei aut Machometis pronunciabat, omnes profunde genuflectebant: nullus tuſſire, aut excreare auſus fuit, nullus nec digitum movit; putant enim orationem eſſe inutilem, ſi vel minima actione non neceſſaria interpoletur. D. 11. 80.

S. Bartholomæus centies de die, centies de nocte Deum genuflexus adorabat: S. Jacobus ex continua genuflexione callum genuum contraxit. S. Stilita una hora millies, ducenties, & quadrageſies quater Deum adorabat. Certum eſt, quod externa reverentia ad internam devotionem multum conducat. D. 11. 89.

S. Ludgerus Epiſcopus inter orandum imperturbati animi fuit. Quondam cum horas Canonicas recitaret, ſubito vocatus ad Carolum Magnum Imperatorem, reſpondit, ſibi nunc cum majori Principe agendum quam Carolus eſſet. Eo reſponſo adeo non offendit Imperatorem, ut potius magis æſtimarit Ludgerum dicens, optandum eſſe, ut mundus plures haberet Ludgeros. *Surius 26. Martii*.

P. Balthaſar Alvarez S. J. de quo Deus S. Thereſiæ revelavit, quod ſit anima pro tunc perfectiſſima in mundo, in medio cubiculi genuflexus horas Canonicas orabat, ſine fulcimento &c. *N. 25. Jul.*

### 84. *Peccatoris non exauditur.*

*Auribus infige Domine orationem meam.* Reſpondet his Deus: fige legem meam in corde tuo, & ego figam in auribus orationem tuam. S. punct. 5. fol. 31. 32.

Abelis, non Caini oblatio reſpicitur. Gallus & Julianus (poſtea Apoſtata) fratres ædificarunt ſimul Eccleſiam, pars Galli conſtitit, pars Juliani ſemper concidit. C. Gen, fol. 94. col. 1.

Iſraelitæ per 90. annos ad Deum orant, ſed fruſtra, quia cultores adhuc erant idolorum, ait Abulenſis. B. Serm. 67. n. 16.

Oratio Sanctorum & innocentum impetrat omnia: S. Dominicus de ſe teſtatur, ſe nihil unquam a Deo petiiſſe, quod non impetrarit. S. Scolaſtica impetrat pluvias, ne frater ejus Benedictus poſſit abire. S. Albinus orat pro redemptione captivorum, & carceres omnes, ac catenæ reſerantur. S. Juvenalis orat in obſidione urbis, & hoſtium mille cæduntur. S. Alexander Epiſcopus oratione extinxit Arium hæreſiarcham &c. Cur tu igitur mi homo non exaudiris? quia peccator es. Sanchez 7. p. c. 3. fol. 949.

Abbas Moyſes dicere ſolebat, qui orat, & in peccatis eſt, vacuas paleas triturat. Sanchez 7. p. c. 3. fol. 955.

Solenne eſt Deo prius reſpicere donantem, deinde donum: *Reſpexit Dominus* Gen. 4.
*ad Abel, & ad munera ejus*. P. p. 1. diſc. 6. n. 21.

Beatus Mennas oblata ſibi ab homine impuro munera, inter alia dona non accepit, ſed renunciari illi juſſit: Ego tuam oblationem non accipio, qui ſuā oblationem abſtuliſti Deo. E. *Monialis*. Sic per ſe ratio habet de oratione peccatoris apud Deum.

S. Chryſoſtom. ait: *Deus non eſt oris, ſed cordis auditor*. C. in Exod. c. 30. v. 1.

### 85. *Quam grata ſit Deo.*

Diſcipulis in mari fluctuantibus Chriſtus ſimulavit præterire. Cur? S. Auguſtinus ait, *ut clamorem eliceret, cui ſubvenire oporteret*. Nempe adeo Deus amat orationem noſtram, ut illam per tribulationes extorqueat. S. punct. 1. fol. 3.

*Simulabat ſe longius ire*: Cur? ut audiret illud: Mane nobiſcum Domine. S. ib.

Iſaac 20. annis ſterilitatem uxoris deprecatus eſt: Cur non audivit Deus? S. Anſelmus ait: diſſimulat audire petentem, ut faciat perſeverantem. S. punct. 6. fol. 35.



UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
ALERE FLAMMAM VERITATIS
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

*Invoca me in die tribulationis*. Ubi Auguſtinus, ad hoc enim permiſi diem tribulationis fieri tibi. S. punct. 38. fol. 166. S. Aug. in Pſal. 49.

Si Princips eſſet, qui ita delectaretur muſica, ut etiam fidium præparationem libenter audiret, ſane magnus diceretur amator muſicæ: Deus autem ita amat orationem, ut *præparationem cordis eorum audivit auris ejus*. S. punct. 1. fol. 2.

Bernardus a quinta valle inter orandum ſcamnis, arboribus, & rupibus ſe tenere debet, ne vi orationis in altum elevetur. S. Gregorio Lingonienſi oranti Angeli Eccleſiam aperiunt, & claudunt. Philiberto oranti duo lumina inſtar ſyderum coruſcant. Supra caput S. Servuli orantis cæleſtis flamma apparet. S. Ignatius orans octiduo integro extra ſenſus rapitur. Sanchez 7. part. c. 3. fol. 957.

Orationes Sanctorum comparantur ſuffitui Thymiamatis. 1. Quia oratio, thuris inſtar, ſurſum aſcendit, juxta illud: *Dirigatur oratio mea ſicut incenſum*. 2. Quia oratio ſicut thus Deum oblectat. 3. Quia ſicut thus fœtorem, ita oratio peccatum abigit, Deique iram placat. 4. Sicut thymiama in igne adolebatur; ita oratio in igne tribulationis exardeſcit. &c. C. Apoc. 5. v. 8.

*86. Quam efficax ad impetrandum.*

*Sub quo curvantur, qui portant orbem*. Quinam ſunt hi? S. Hieronymus ait: Qui ante Deum per orationem curvantur, humeroſque periclitanti mundo ſubmittunt. Certe Abraham orbem, Lot illam provinciam, Moyſes populum portavit. S. punct. 2. fol. 7.

*Dimitte me, ut iraſcatur furor meus*. Quis te tenet Domine? S. Hieronymus ait: *Qui dixit dimitte me, oſtendit ſe teneri poſſe*. S. punct. 2. fol. 7.

Elias ad tres annos & ſex menſes pluviam cohibet, Joſue ſolem ſiſtit ad 36. horas. S. Ib. fol. 8.

Religioſus dum orat, ex ejus ore per ſingulos verſus fax ignis egreſſa aſcendit ad cælum. S. Antonius & Arſenius per totam noctem in eodem veſtigio ſtantes vincunt diabolum. Abbas Beſſarion oratione maris aquas dulces reddit. Jacobus urbem Niſibim contra hoſtes defendit. Publius oratione diabolum ſiſtit. Thomas Abbas latrones immobiles reddit. Macarius ejecit dæmonem goloſum &c. eſt ergo oratio omnium difficultatum victoria. C. Exod. 30. v. 1. fol. 567. col. 1. ſeq.

Caſſianus modos aſſignat, quibus oratio efficitur efficax. 1. Si fiat conſenſione duorum. 2. Viva fide. 3. Si ſit conjuncta cum eleemoſyna. 4. Cum emendatione vitę. &c. C. in Ep. S. Jac. c. 5. v. 16.

Quam efficax ſit oratio juſti, patet ex effectibus; quia, 1. Iram Dei mitigat. 2. Angelos trahit in auxilium, & adjutorium. 3. Liberat a malis ſpiritualibus & corporalibus. 4. Dæmones fugat. 5. Omnibus elementis dominatur. Egregie S. Auguſtinus: Jeremias confortatur in carcere, Daniel inter leones exultat, tres pueri in fornace tripudiant, Job in ſterquilinio triumphat, latro de cruce paradiſum invenit, Suſanna a ſenibus defenditur, Stephanus de torrente in cælo ſuſcipitur. &c. C. in Ep. S. Jac. c. 5. verſ. 16. S. Aug. Ser. 22.

Jacob per totam noctem luctatus vincit Deum. S. punct. 2. fol. 8.

S. Spiridion orans pluvias impetrat, pulſa diuturna ſiccitate. S. Malachias tempeſtatem excitat oratione contra ſeditioſos. Conſtantius aquam ardere facit velut oleum. S. punct. 2. fol. 11.

*Petite & accipietis*: Orans quaſi jus acquirit ad gratias impetrandas. M. conc. 9. aſſ. 3. n. 3.

Miracula a Sanctis per orationem patrata ſunt plurima. C. Gen. fol. 567. col. 2.

Marcus Aurelius Imperator cum exercitu in anguſtis faucibus hoſtium numero incluſus, rogat Chriſtianos, ut ſibi contra ſitim & inediam remedium a Deo impetrarent: orant Chriſtiani: Et ecce! Romani pluviis recreantur, barbari hoſtes de pluis fulminibus excinduntur: hæc Chriſtianorum turma fuit dein ob miraculum vocata *Fulminatrix legio*. D. 4. 44.

S. Ægydius cum quondam in tugurio eremitæ verſaretur, & ob altitudinem nivium exitus prohiberetur, magnam penuriam paſſi ſunt, orarunt: & ecce! equus annona oneratus ad fores tugurii venit.

Diacono S. VVolfgangi in mari ſacrificantis patena in aquas excidit: orat: & ecce! patena ſuper aquas ad ejus manum adnatavit. Sanchez 7. part. fol. 941.

Abraham impetravit Iſaacum, Moyſes veniam populo, Job reconciliationem amicorum cum Deo, Judith victoriam Holofernis, Eſther conſervationem populi, Anna Samuelem, Elias pluvias & ariditatem, Tobias & Sara ſanitatem, Suſanna defenſionem innocentiæ, Jonas incolumitatem a ceto, Salomon ſapientiam, tres pueri liberationem è flamma. Et hæc omnia per orationem. Similiter Apoſtoli per orationem impetrarunt ſanationem claudi: S. Martinus ſuſcitationem trium mortuorum. S. Bernardus intelligentiam Scripturæ. S. Thomas Aquinas ſcientiam, & S. Dominicus teſtatur ſe nihil rogaſse a Deo, quod non obtinuerit. Sanchez 7. part. c. 3. fol. 948. & ſeq.



*87. Impeditur a dæmone omni ſtudio.*

Dum S. Dominicus orat, dæmon ingentem e tecto Eccleſiæ dejicit. S. punct. 7. fol. 41. 43. 44. Sanchez 7. part. c. 3. fol. 953.

Rex Moabitarum Balac Prophetam ab hoſte avocare ſtudet: ita dæmon orationem impedire ſatagit. S. punct. 31. fol. 135.

Non ſunt arma, quibus validius impugnetur dæmon, quam oratio; hinc curat, ut non ſit faber ferrarius in Iſrael. S. punct. 62.

Sicut Pharao Iſraelitas ſacrificaturos paleis occupavit: ita dæmon occupat curis mundanis: Mulier incurvata a diabolo, ne cælum aſpiceret. Ideo etiam impedire ſatagit guſtum orationis. S. punct. 62. fol. 218.

Dum S. Macarius orat, dæmon illi ſuam cellam incendit. Dum Monachi orationi vacabant, aderant dæmones figura gladiatorum, vulnerabant ſe mutuo, & occidebant, atque ad S. Hilarionem accedentes rogabant, ut occiſos ſepelliret. Alia vice vidit S. Macarius dæmones velut Æthiopum pueros circumcurſare & orantium oculis nunc ædificia, nunc mulierum formas, nunc alias nugas proponere. Petr. Sanch. 2. p. c. 1. E. *Dæmon*. n. 5.

Theodorum orantem diabolus mordet ut ſerpens, alium arripit brachiis ut leo: cum quidam Monachus oraret, dæmon ante ejus oculos ſaltitavit, irriſitque quod in aliquo Pſalmo erraſset. S. Pachomius audit dæmonem ſe gloriantem, quod habeat amicum, cui ſub oratione quæcunque ſuggerere poſſit. Sanchez 7. part. c. 3. fol. 953. E. *Dæmon* n. 3.

Diabolus Militi ſerviens, eum contra inimicos per fluminis vadum ducens, uxorem ejus ſanans, & alia faciens, tandem proditus pro mercede nil aliud petiit, quam ut campana ſupra pauperem Eccleſiam fieret. Quare? ut impediret orationem eorum, qui rem Divinam antevertentes ibi orabant. E. *Oratio* n. 13.

*88. Etiam aliena prodeſt pro aliis.*

Pauper operarius, qui duro labore panem lucrabatur, mane antequam forum accederet, ſacrum audit, interim autem alii operarii conducti ſunt. Subtriſtis ergo plateas obiens, quod ea die nil lucri haberet, a divite juſſus eſt, ad Eccleſiam redire & orare, ea conditione, quod veſperi tantundem, quantum alii eſſet accepturus. Oravit tota die & veſperi mercedem recepit. Abeunti obviavit Chriſtus, quærens ex eo, quantum acceperit? & repoſuit, decem denarios cum pane. Cito ajebat Chriſtus, revertere ad divitem & pete ut plura tibi ſolveret, quod cum dives prima & altera vice feciſſet, ſolvens illi centum ſolidos, noctu apparuit ei Dominus revelans, quod, niſi pauper pro eo rogaſſet, illa nocte mortuus, & damnatus fuiſset. E. *Eleemoſyna*. n. 22.

S. Eliſabeth Thuringia pro tepidiſſimo juvene ad ejus inſtantiam oravit, & ille inter hanc orationem adeo amore Divino incaluit, ut identidem clamaret: ceſſaret orare, alias ſe comburi. Factus dein Religioſus. Et *Oratio* n. 16.

S. Apoſtolus Paulus ait: *Oramus Deum, ut nihil mali faciatis*. 2. Cor. 13.

Moyſes ſua oratione reſtitit iræ Dei, cumque placavit Domino. Samuel totum Iſraelem precibus contra Philiſtæos protexit. Lot urbem Segor conſervavit. Job amicis veniam impetravit. Daniel liberationem Judæorum e Babylone obtinuit. Et hodiedum homines juſti, præſertim in Monaſteriis mundum ab interitu præſervant. C. in Eccli. c. 35. v. 20.

*89. Non fiat cum diſtractionibus.*

Grandis peccator audito verbo Dei converſus facit confeſſionem & pro pœnitentia jubetur per totam noctem orare, ſed maxima cum recollectione animi. Diabolus invidebat huic orationi convocatiſque ſociis quæritabat, quis eorum hunc pœnitentem auderet diſtractum facere? Dæmones ſe id effecturos promittunt: unus ergo aſſumit perſonam ſororis, & cum maximis lamentis refert, arcem ab hoſtibus oppugnari. Sed orans nec movebatur. Alius Dæmonum aſſumpta perſona conjugis portantis geminos filiolos nunciabat, ſe ægre evaſiſſe, arcem autem ab hoſtibus eſſe omnino evacuatam. Ille autem perſeverabat in oratione. Denique dæmones grandem tumultum excitabant, vociferantes, templum flammis eſſe correptum. Sed incaſſum! &c. Luciam. T. 1. conc. 71. in fine. Sic ſic orandum eſt, ut nihil te perturbare poſſit.

Siquis Legatus apud Regem in negotiis maximis haberet audientiam, & ſubito in cubile Regis tumultuoſa rabularum ac ru-

ruſticorum fæx irrumperet, hujuſque indecentiæ ipſe Legatus culpam haberet, nonne merito Rex indignaretur? Orare eſt audientiam habere apud Deum: Quam indignum eſt igitur ſi curæ temporales irrumpant? &c.

Imperator Valens cum ingenti procerum, populique comitatu eo tempore ingreſſus eſt Eccleſiam, quo S. Baſilius ſacrificabat. Nihilominus Diviniſſimo operi adeo fuit intentus, ut nec corpore, nec oculis, nec animo fuerit motus. *N. 6. Jan.*

S. Euſebius orans inconſideranter oculos in hortos vicinos levavit: hunc errorem tam auſtere in ſe punivit, ut ponderoſiſſimum ferrum e catena ſibi collo appenderit, quo minus erigere ſe poſſet, illudque onus per quadraginta annos tulit. *N. 23. Jan.*

90. *Quam facile fiat diſtractа.*

*Cor meum dereliquit me.* Sanctus Bernardus ait: *Modo ad forum, modo ad litigia altercantium, nunc ad convivia &c.* S. punct. 9. fol. 45.

Chriſtus excitaturus puellam turbam tumultuantem juſſit exire: hæc turba ſunt cogitationes diſtractæ, variæ, & diverſiſſimæ. S. punct. 10. per totum.

S. Bernardus conquerebatur de evagationibus animi: quidam ruſticus id audiens ajebat ſe in oratione plene eſſe collectum. Bernardus promittebat illi equum, ſi vel unicum *Pater noſter* poſſet ſine diſtractionibus orare. Incepit orare ruſticus, & in media recitatione quærebat, an una cum equo etiam ephippium ſperandum haberet &c. Sanchez 7. part. c. 3. *fol.* 945.

Quodſi hominibus recollectis & ſanctis ſæpe moleſtæ ſunt diſtractiones, quid fiet iis qui nullam prorſus diligentiam adhibent ad vincendas tentationes? Theodorus Abbas, cum oraret, a colubro morſus eſt in pede, & tamen non ſinebat ſe impediri ab oratione. Alios moleſtabat dæmon & tamen perſeverabant. O ſi ſic orare diſceremus &c. Sanchez. 7. part. c. 3. fol. 951.

Thus fuit ſymbolum orationis; ſicut ergo fumus aſcendens in altum facile diſſipatur; ita mens orans facile diſtrahitur &c. Cum in domo multi ſunt inquilini, famuli, famulæ filii & filiæ, continuo & fere ſingulis horis oriuntur clamores, altercationes, & pacis turbationes. In domo animæ datur phantaſia, concupiſcentia, & innumeræ paſſiones, præterea ſenſus corporis, negotiorum curæ, inſidiæ mundi, carnis, dæmonis ſemper ſunt irrequietę, quid igitur mirum quod in oratione conſurgant diſtractiones, niſi abſoluto voluntatis imperio, ope mortificationis compeſcantur? &c.

91. *Orantem munit contra tentationes.*

Moyſes poſt colloquium cum Deo cornutus apparet, ut ſignificetur per orationem robur acquiri; ait Chryſoſtomus. S. punct. 32. fol. 134.

*Induite armaturam Dei*, hæc armatura eſt oratio. S. punct. 59. fol. 211.

Rex Moabitarum Balac cum populum Iſrael contra ſe venire audiret, Prophetam Balaam ad ſe avocare ſtuduit: Quare? ut Iſraelitæ non haberent, qui pro ipſis orarent: ita dæmon impedire ſatagit orationem, quia ipſi maxime nocet. S. fol. 135. 136.

Dæmon ille a Juliano Apoſtata exploratum miſſus ab oratione Monachi ſiſtitur. S. punct. 31. fol. 137. Et R. 1. cent. 2. part. mir. 30.

Ardea, & aquila cum tempeſtatem præſentiunt, cito ſe ſupra nubila ad cælum efferunt: ita homo cum tentationem advertit, elevet ſe verſus cælum per orationem. Sanchez 7. part. c. 3. fol. 942.

Recte igitur facit, qui victoriam tentationum a Deo exorat: verum præter orationem debet etiam opere ipſo conniti ad vincendam tentationem, in morem Gubernatoris, qui obſeſſæ urbi auxilia petit, interim tamen cum modico, quod habet præſidio nihil omittit, quod facit ad defendendam urbem &c. P. p. 1. diſc. 6. n. 9. C. in Cant. 4. v. 4.

Oratio præcipue tempore tentationis fundenda eſt; ęſtate, quia major eſt cordis refrigerandi neceſſitas ſæpius reſpiramus: ita ſæpius oportet repetere orationem, cum tentamur &c. P. p. 1. diſc. 6. n. 18.

Cetus, qui Jonam devoravit, ita manſuefactus eſt, ut recta ad littus Ninive nataret: quis belluæ fluctibus, & procellis efferatæ tam regularem motum dedit? a quo viva inſula, & natans mons adeo cicuratus eſt? Reſpondet Sidonius Apollinaris: *Per orationem Jonæ*, qui ex ventre ceti extemporale oratorium, & ſacellum marinum fecit. Si hoc potuit Jonas in ventre ceti, certe orans etiam compeſcet virtutem diaboli.

92. *Eſt ſolatium in adverſitate maximum.*

Cum jactaretur navis Jonæ, gubernator illi dixit: *Surge, & invoca Deum*: ideo adverſitates non ceſſant, quia non invocamus Deum. S. punct. 38. fol. 166.

Dic, qua tempeſtate jactaris miſer Jona? tu captivitate? at ecce! Iſraelitæ in captivitatem ducti nil ſumpſerunt ſecum niſi organa muſica, ut exaudirentur a Deo, & Petrus inter catenas dormit. Tu ægrotus es? at ecce! Job inter dolores gaudebat, quod derelicta ſibi ſint labia, quibus oraret. Si ardes febribus, racemus camphoræ ardet in mediis aquis &c. S. punct. 38. fol. 164. Tu perſecutionem pateris? Jacob a fratre Eſau, Joſaphat ab hoſtibus liberatur oratione. S. Ib. Cum hoſtibus pugnandum eſt? David triumphat oratione. S. Ib. fol. 165. Ab aliis contemneris? Anna contemnebatur propter ſterilitatem, & orabat. S. Ib. fol. 165. Tu viduitatem deploras? *Inſtet obſecrationibus*, ait Apoſtolus. Uno verbo tribulatio eſt ſchola orationis. S. Ib. fol. 166.

Chriſtus Dominus ante paſſionem in horto proſtratus orat: ſic homo dum afflictionem prævidet, ad Deum oratione recurrat. C. in Matth. 26. v. 37. & ſeq.

O quot periculis obnoxius natat, qui mare pernavigat! videt infra ſe tumentes fluctus & monſtra marina inſidiantia: videt circum ſe navigium fragile, aerem infidum, procellas tumultuantes: videt ſupra ſe nubes, tonitrua ac fulmina minitantes. Quid agit miſer? oculos ſemper ad Stellam Polarem attollit! Hac duce utitur, hinc acu magnetica explorat, hanc quamdiu non amittit, ad terminum ſuum ſe perventurum ſperat! Hæc vita periculoſa navigatio eſt, Dei bonitas & Providentia, Stella Polaris eſt! &c.

93. *Inter quævis negotia continuari poteſt.*

S. Gregorius ait: Non omnes poſſumus ad Redemptoris pedes ſedere cum Magdalena, ſed aliqui miniſtrare debent cum Martha: nihilominus Martha inter media negotia *ſtetit, & ait: Domine &c.* S. punct. 58. fol. 207.

Marta inter labores culinæ, Anna Samuelis ante aram, Jonas in ceto, Job in ſterquilinio orant: omnis locus oratorium factus eſt, ait Auguſtinus. S. punct. 58. fol. 209. A. I. ct. 8. §. 9.

S. Anſelmus ait: ſicut molendinum ſemper quidem agitatur, in poteſtate tamen molitoris eſt, id quod molat: ita intellectus quidem humanus ſemper aliquid cogitat, in noſtra tamen poteſtate eſt, ut ad Dei gloriam ſemper aliquid cogitet. Sanchez 7. part. c. 3. fol. 929.

Sicut unus circuli pes ſemper in centro hæret, alter autem circumcurrit formando circumferentiam: ita animus, dum in negotiis mundi circumcurrit, ſimul firmiter & ſemper in Deo hærere poteſt.

S. Hieronymus ait: *Egredientes armet oratio, regredientibus occurrat: Seſſione prius corpuſculum non requieſcat, quam illa animam paſcat.* C. in Exod. 30. v. 1.

Acus Nautica ſeu Magnetica, etſi millies circumgyretur, ſemper tamen ad aſpectum Stellulæ Polaris recurrit: Ita Chriſtianus, etſi millenis negotiis diſtrahatur, ſemper tamen animo in cælo hæreat. Hac arte meritoria pollebant Sancti, qui quoſvis eventus, labores, & occupationes cæleſti doctrina condire, & rem etiam vanam in meritorum augmentum, & ſalutis adjumentum convertere poterant. Vid. Tit. *Sancti* &c.

94. *Cuilibet ſtatui ac conditioni eſt neceſſaria.*

Enos primus homo dicitur, quia primus orare cæpit, homo non eſt, qui neceſſitatem orandi non agnoſcit. S. punct. 59. fol. 211.

Superior oret, ut in morem illorum ſeptem candelabrorum luceat, non luce tædarum, ſed ſtellarum. Uxoratus oret, ut concordiam domeſticam, & negotiorum proſperitatem habeat: Secularis oret, ut in fornace Babylonica mundi non uratur &c. S. punct. 59. fol. 211.

Homines mundani excuſant ſe propter negotiorum multitudinem, liberorum & uxoris curam: ſed male ait Chryſoſtomus, plus indigent oratione, quam alii: nonne enim qui in mari jactatur fluctibus, magis opus habet magnete, & mappa, quam qui in littore ſecurus eſt? A lect. 1. n. 20.

S. Thomas Angelicus Doctor ſolebat dicere: Hominem ſine oratione eſſe militem ſine armis. D. 4. 58.

S. Nilus dicere ſolebat: ſicut panis corpori, ita oratio animæ eſt neceſſaria. Sanchez 7. part. c. 3. fol. 951.

Homines ſæculares putant prolixam orationem tantum Religioſis eſſe convenientem: ſed non eſt ita: inter mundi turbas, cum majus ſit ſalutis periculum, major etiam cura adhibenda eſt: Quamvis militibus proprium ſit armis accingi non tamen ideo nemini alteri conveniunt qui ſcit ſuæ vitæ inſidias ſtrui &c. P. p. 1. diſc. 6. n. 15.

S. Auguſtinus ait: *Oratio ſancta, eſt columna virtutum, viduarum maritus, Angelorum cognata, fundamentum fidei, Monacho-* Auguſt. Ser. 12.

*chorum corona, conjugatorum levamen*. C. in Ep. S. Jacob. c. 5. v. 16.

### 95. *Debet Deum ſibi habere præſentem.*

Primi Chriſtiani ſolebant ſuas orationes fundere verſus orientem, & adhuc altaria verſus orientem ſolent erigi: 1. Quia Palæſtina, ubi ambulabat Chri- Pſal. 131. ſtus, nobis jacet ad ortum: *Adorabimus in loco ubi ſteterunt pedes ejus*. 2. Quia Deus in Scripturis ſe lucem dicit, & lucis Creatorem. 3. Quia paradiſus terreſtris, a quo homo expulſus eſt, in oriente eſt collocatus. 4. Quia Chriſtus in cruce pendens, faciem vertit ad occaſum. A lect. 8. §. 10.

Moyſis facies ex conſortio ſermonis Domini cornuta facta eſt, id eſt inſolito fulgore coruſcans. 1. Ut Deus amorem amori rependeret. 2. Ut Moyſi authoritatem conciliaret, ſimulque populo terrorem in promulganda, & acceptanda lege. 4. Ut vim, & fructum orationis oſtenderet. Sic orantes, quaſi ſanctitatem, & authoritatem Dei imbibere debent &c. C. Ex. 34. ver. 29. Ita Chriſtus in monte Tabor, S. Antonius, S. Franciſ. S. Ignatius, S. Philippus Nerius, aliique orando, quaſi lucidi, coruſcantes, & Divini comparuerunt. Ib.

S. Baſilius ait: *Quomodo obtinebit quis, ut in oratione ſenſus ejus non vagetur?* Et reſpondet: *ſi cogitet, ſe aſſiſtere ante oculos Domini*. C. in Ex. 30. v. 1.

Tria requiruntur ad orationem bene ordinatam: Dominus Deus, qui rogatur, ſupplicans qui rogat, & modus ſeu intentio, & attentio, qua rogatur, ſi unum ex his deficit, oratio eſt infirma &c.

### 96. *Debet offerri pro Regibus etiam infidelibus.*

1. Tim. 2. Apoſt. Paulus jubet nos orare pro Regibus, & omnibus, qui in ſublimitate ſunt; quia, ut ait Aug. *de converſione, & ſalute regum, & principum, qui faſtu ſuo ab humilitate Chriſtiana abhorrent, non deſperandum*; (S. Aug. [illegible]) ab his enim pendet tota Reſpub. & Eccleſia, ſic Conſtantinus converſus orbem convertit, idola ſuſtulit, Eccleſias erexit. Orandum etiam pro Principibus & Magiſtratibus infidelibus & ethnicis, idque triplici de cauſa: 1. Ut Chriſtiani omne odium deponant; nemo enim odiſſe eum poteſt, pro quo orat. 2. Ut Principes mitiores fiant erga Chriſtianos, quos ſciunt nonobſtantibus perſecutionibus & cruciatibus pro ſe orare: ita in caſtris M. Aurelii Antonini Imp. ſiti afflictis, Chriſtiana legio, alias dicta *fulminatrix*, Romanis pluviam impetravit. Sic olim Chriſtianos in ſanctis myſteriis pro Imp. Nerone, Decio, Diocletiano oraſſe teſtis eſt Juſtinus. S. Cyp. cum ei a Præfecto objectum eſſet, quod ipſe tanquam Chriſtianus in Cæſarem conjuraſſet, libere reſpondit: *Longiſſime nos Chriſtiani abſumus ab hac culpa, qui Cæſari, etiamſi alia ſacra & Deos colenti, tamen bene cupimus & precamur, & rogamus Deum, ut ad cognitionem verorum bonorum adducat &c.* 3. Ut Deus eo modo flecteret eorum animos, bene ac pacifice regendi, quo proficuum eſt Eccleſiæ, ejuſque paci, ac tranquillitati: ſic Jerem. ex Hieroſolyma ſcripſit Judæis in Babylone, ut orarent pro vita Nabuchodonoſ. & filiorum ejus; *quia in pace*, inquit, *illius erit pax veſtra*. C. in Ep. Tim. 2. v. 2.

## Orationes jaculatoriæ,

### 97. *Inter media negotia uſurpari poſſunt.*

MArtha miniſtrans *ſtetit, & ait: Domine &c.* Animalia illa cum progreſſa ſunt, ut fulgura revertebantur: ita a negotiis ad Deum redeundum eſt. S. pun. 58. f. 207.

Fratres in eremo, ait Auguſtinus, inter texendum, & laborandum orabant: & mulier e medio turbarum clamat: nos e medio curarum exclamemus interdum, & monente S. Chryſoſt. *Non ſinamus horam elabi, in qua mentem non extollamus*. S. punct. 58. fol. 208. & ſeq.

Adamus in paradiſo, Joſephus in carcere, Daniel in lacu leonum, Jonas in ventre ceti, S. Agnes in lupanari orarunt, Sanc. 7. par. c. 3. f. 930. Sic tu interdiu in cęlum emitte affectus adorationis, amoris, oblationis, laudis, gratiarum actionis, pudoris &c. Seg. Man. 3. Sep. n. 4.

Fratres in Ægypto crebras & breviſſimas habebant orationes, ne in productioribus hebetetur intentio. C. Ex. 30. ver. 1. f. 567. col. 1.

Præſertim opifices & plebs ruſtica admonenda, ut ſuis laboribus ejuſmodi devota ſuſpiria, & oblationes præmittant, & interferant, adeoque non pro lucro mere temporali, ſed & pro ſpirituali laborent. C. in Ep. ad Epheſ. c. 6. v. 18.

Illa quatuor animalia, quando procedebant, continuo ut fulgur revertebantur. Ita



Ita homo Chriſtianus inter labores, & negotia quotidiana, iterato ad Deum revertatur, ſe & actiones ſuas illi commendans. Sic fecit David inter regni negotia. S. pun. 57. f. 205.

### 98. *Sunt valde meritoriæ, & utiles.*

Preces jaculatoriæ ſunt ſagittæ penetrantes cor Dei. S. pun. 58. f. 207.

Non poſſunt interrumpi diſtractionibus, quia non ſunt prolixæ. S. Ib. f. 208. Deum ſemper conſtituunt præſentem. Ib. Ubique locorum uſurpari poſſunt: Martha inter negotia culinæ, Mulier Evang. in medio turbæ, Anna Samuelis Mater coram altari, Paulus in carcere, Ezechias in lecto, Jonas in ventre ceti, Job in ſtercore, Moyſes in mari orarunt. S. pu. 58. f. 209.

Regi Arimæ contra gentiles, in littore pugnanti ex parte maris ſuccurrere duo triremes tormentis bellicis, & militibus onuſtæ, hi magno clamore orarunt Pater noſter, & ad primam petitionem *ſanctificetur nomen tuum* exploſerunt tormenta ac fiſtulas: dein iterum onerarunt, & ingeminantes alteram petitionem *adveniat regnum tuum* iterum exonerarunt. Sic perrexerunt per omnes ſeptem petitiones, & immenſam hoſtium ſtragem fecerunt. He erant preces revera jaculatoriæ. Verum & in ſenſu myſtico ſanctæ preces ita nocent hoſtibus &c. R. cen. 3. p. 2. mir. 47.

Philoſophi multum diſputant de Chryſopæja, ſeu arte conficiendi aurum. Verum in ſenſu morali facile ex omnibus actionibus aurum, quo cælum emitur, confici poteſt, per intentiones & preces frequenter actionibus & laboribus intermixtas.

Milites in expeditionibus bellicis abrupte & fruſtatim prandent & cænant: currunt, digladiantur, explodunt ſclopeta, & per vices fruſtum panis e ſacco protractum devorant. Vita noſtra militia eſt pro Deo, & animæ ſalute: cum ergo ſine fine & numero incumbunt continuæ occupationes & negotia, id ſolum ſupereſt, ut animam per vices, id eſt, per jaculatorias preces ſatiemus & ſaginemus &c.

## Comprecationes publicæ.

### 99. *Quantum roboris habeant.*

CLamaverunt *Iſraelitæ unanimiter*: ubi interlinearis: quod caritatis unanimitate petitur, cito impetratur. S. pun. 61. f. 216.

Moyſes hortatur populum, *Magnificate Dominum mecum: Cantemus Domino &c.* Quia unio laudis Deo placet. M. conc. 3. aſſ. 3. n. 7.

Ad comprecationes publicas etiam adhibetur oratio infantum, & innocentum, quæ quantę ſit efficaciæ vide ſupra Tit. *Orat.*

S. Gregorius tempore peſtis omnem populum convocat ad ſupplicationes, & comprecationes, quibus tandem Deus placatus, & Angelus ſupra caſtrum Hadriani cruentam Romphæam detergere viſus eſt. D. 3. 77.

Utiliter populi faciunt fœdera, ſic enim unus ab altero confortatur, & hoſti Gen. 26. ſua potentia terribilis fit. Sic Abimelech venit ad Iſaac, quando vidit illum opibus cumulari. Et Judæi cum Romanis fœdera pepigerunt. Par ratio ſe habet in comprecationibus publicis: vis conjuncta fit fortior, Deus magis flectitur, & mala imminentia repelluntur. Hinc ſemper moris fuit in Eccleſia, quando metuuntur mala publica, uti bella, fames, peſtis, & alia, omnem populum ad unitas preces convocari &c.

Preces ſingulares non ſunt adeo fortes, ſicut unitæ ad flectendum Deum. Jud. 18. Filii Lachis capti occiſique ſunt, quia cum nemine hominum habuerunt quidquam ſocietatis, ſeu fœderis &c.

Cum audierunt filii Iſrael potentiam Holofernis, omnes clamaverunt ad Dominum. Jud. 4. Et ecce! hic clamor conjunctus omnium adeo commovit Deum, ut dederit virtutem Judith interficiendi Holofernem, & liberandi Judæos.

Eſther locutura ad Aſſuerum, ut Deus Eſth. 4. virtutem verbis ſuis tribueret, dixit Mardochæo: Congrega omnes Judæos, quos reperies, & orate pro me!

## Proceſſiones, Supplicationes.

### 100. *Quomodo inſtituendæ.*

VEteres Hebræi tribus vicibus inſtituebant ſupplicationem in templum Jeroſolymit. nempe tempore Paſchali, tempore Pentec. & tempore Scænopegiæ. In itinere cantabant Pſalm. 118. qui omnium eſt longiſſimus, aut Pſalmum *Confitemini* cum verſu intercalari *quoniam in æternum Miſericordia ejus*, quem verſum alternabat populus in morem noſtrarum Litaniarum. Tam Religioſe autem celebrabant has ſupplicationes, ut dicatur in libro Judith: *Clamavit omnis po-* Jud. 4. *pulus, & humiliaverunt animas ſuas in jejuniis, & orationibus, induerunt ſe cili-*

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

*ciliciis &c.* Inſuper duo obſervabant: aſſumebant ſecum parvulos, ut Deus oratione hac innocentum flecteretur. Dein ipſa altaria lugubri veſtitu ornabant, ad commovendam compunctionem animorum &c. D. 3. 76.

Tempore Gregorii Magni, ſæviente crudeli peſte in urbe Romana, Pontifex admonuit populum, convocavitque ad ſupplicationem publicam, ad quam convocavit integrum Clerum, Abbates cum Monachis, Moniales, infantes & juvenes, conjugatas, & viduas, iiſque in ſeptem choros diviſis præcepit, ut ordinata proceſſione, flendo, gemendo, & orando, ad ſacra urbis loca circuirent, atque Divinam clementiam invocarent. Et ecce! adeo profuit hæc devotio, ut ſupra caſtellum Adriani viſus ſit Angelus, qui cruentum gladium abſtergeret, eumque in vaginam reconderet. D. 3. 77. Item D. 1. 90. Item D. 2. 8.

Æthiopiam diſtinctis annis innumerabilis locuſtarum multitudo devaſtabat, quarum cohors ad centum viginti millaria ſe extendens ſolem obſcurare, & fruges omnes depaſcere ſolebat. Conſilio Sacerdotum populus omnis fidelis proceſſionaliter prodibat in campos, Dei auxilium cum cordis contritione, & lacrymis implorans, fueruntque ex Sacerdotibus, qui locuſtam unam aut alteram captam execrarunt, illiſque præceperunt, ut in mare ſe præcipitarent. Id quod factum eſt: exorto ingenti vento, & nimbis tota nubes locuſtarum in mare projecta, & ſubmerſa fuit. D. 1. 90.

## Meditatio.

### 101. *Hominem erudit cœleſti ſapientia.*

Ezechiel inter quatuor animalia etiam bovem vidit, ſed dein memorans eandem viſionem dicit fuiſſe Cherubinum: unde ex bove tam ſubito factus eſt Cherubin? Nempe quia acceſſerant alæ contemplationis: ſic S. Thomas ex bove muto per orationem factus eſt Angelicus Doctor: ſic multi ſimplices homines & etiam mulieres fiunt cognitione Dei plenæ. S. punct. 30. f. 132. & ſeq.

S. Gertrudis non ultra 33. annos nata totam Scripturam memoria tenet. Ex Proprio Auguſtano 17. Martii. S. Catharina Senenſis non ultra 33. annos vivit, & graviſſimas difficultates Theologicas ſolvit. Brev. 30. Apr.

Monialis quædam, Nomine Bonaventura, omnino tepida & laxa, ſuaſu aliorum, meditationes Sacrorum Exercitiorum obit, quibus in agnitione rerum cæleſtium adeo fuit erudita, & animo ita inflammata, ut ad magnam vitæ ſanctimoniam aſcenderit. T. n. 17.

Quando Jacob vidit ſcalam Angelorum? Poſt ſolis occaſum! occaſus ſolis, ait Philo, detegit ea, quæ in cælo ſunt, & abſcondit ea, quæ ſunt in terra. Cum igitur mens conſiderat cæleſtia, & a terrenis ſe abſtrahit, meretur commercia Angelorum in ſcala aſcendentium, & deſcendentium. B. Serm. 45. n. 14.

Fratres laici, litterarum expertes, uti S. Ægydius, Didacus, Juniperus & alii, de rebus cæleſtibus ſubtilius diſcurrunt, quam præſtantiſſimi Theologi: unde? niſi ex meditatione &c.

### 102. *Inſignes fructus parit meditanti.*

Oratio mentalis, quam S. Damaſcenus vocat aſcenſionem ad Deum per agnitionem & dilectionem, eam maxime habet utilitatem, ut familiariter cum Deo agere, eique neceſſitates noſtras proponere diſcamus. Et hæc eſt ſubſtantia orationis internæ, a Deo humiliter, confidenter, & devote exorare res omnes, quæ ad ſalutem conducunt. Motiva autem illa ſperandi, ac impetrandi ſunt, 1. Infinita Dei Bonitas, Miſericordia, Caritas, Omnipotentia, aliæque perfectiones. 2. Dei Filii Redemptoris noſtri Incarnatio, Nativitas, Paſſio, mors crucis aliaque myſteria, per quæ exorandus eſt Divinus Pater, ut quæ rogamus, nobis indulgeat. 3. Noſtra miſeria, indigentia, & infirmitas, pro qua confortanda, inter hoſtes innumerabiles, viſibiles, & inviſibiles Divinum auxilium nobis implorandum eſt. Et vero confidenter ſperandum preces noſtras a Deo exaudiendas; quia paratior eſt ad exaudiendum, quam nos ad exorandum; non enim præciperet nobis orare, ait S. Auguſtinus, niſi paratus eſſet exaudire. Et iterum: Meditatio parit cognitionem, cognitio contritionem, contritio devotionem, devotio orationis perfectionem. Præcipue Meditatio affert cognitionem Dei, & ſui ipſius &c.

*S. Aug. Ser. 1. de Verb. Dom.*

*S. Aug. L. de Spir. & an. c. 7.*

Oratio interna excellentiſſimas virtutes animo orantis ingenerat, eum in modum, quo Regina in urbem adventans comitatum nobiliſſimarum perſonarum poſt ſe trahit. Lud. de Ponte de Medit. punct. 3.





### 103. *Quomodo cum fructu inſtituenda.*

Meditatio ſervire debet ad movendam voluntatem, non erudiendum intellectum: quod fiet per quatuor voculas: *Quis? quid? cur? quomodo &c.* B. Ser. 62. n. 28.

*In meditatione mea exardeſcet ignis:* Quomodo? materia meditationis eſt ſilex: intellectus eſt chalybs: voluntas eſt fomes; ictus eſt ipſa meditatio. B. Ib. n. 29.

Meditatio ſi ſit ſubtilis, aut curioſa, nihil proderit ad profectum: Herodes non meruit reſponſum a Chriſto, quia magis curioſitate, quam proficiendi voluntate quærebat ſignum. S. pun. 15. f. 598.

Meditatio ſeu Oratio mentalis eſt, quæ fit memoria, intellectu, & voluntate circa aliquod myſterium fidei, virtutem aut vitium. Memoria ſubminiſtrat materiam meditationis cum omnibus circumſtantiis: Intellectus expendit, & diſcurrit variis motivis: Voluntas aſſurgit in affectus, ſalutaria deſideria, & propoſita. Partes illius ſunt. 1. Præparatio. 2. Ipſa meditatio. 3. Affectus cum colloquiis. Quoad primum, meditans ſe conſtituat in conſpectu Dei, & Sanctorum, gratiamque imploret. Quoad ſecundum, ſtudeat meditationem partiri in duas aut tres partes. Quoad tertium affectus ita proportionare ſatagat materiæ, ut denique propoſitum practicum eliciat. Colloquium denique dirigi poteſt ad Deum, ad Beatiſs. Virginem, ad Angelum Tutelarem, vel alios Sanctos; hinc nunc aſſumenda perſona Servi, nunc mendici, nunc ægroti, nunc filii &c.

### 104. *Fiat in loco ſolitario procul ab hominibus.*

Moyſes locuturus cum Deo in montem procul a populo vadit, & a Deo caligine involvitur: In morte Chriſti erant tenebræ, ut homines poſſint hoc myſterium ſine diſtractione meditari. S. pun. 60. f. 214.

Inter plagas Ægypti erant ranæ, & muſcæ: ranæ ſunt ſæculares ſtrepitus: muſcæ variæ cogitationes: præterquam in Geſſen, id eſt in Eccleſia: huc fuge. S. Ib. f. 215. A. lect. 8. n. 26.

S. Thomas de Villanova Canonicum male moratæ vitæ ſimulate rogat, vellet loco ſui certorum negotiorum cauſa Romam itinerari: annuentem clam in palatio ſuo incluſum detinet ſex menſibus, ubi iſte per ſerias meditationes totus mutatus a prioribus vitiis reſipuit. D. 1. 30.

Abraham ſacrificaturus, in pede montis Moriæ præcepit famulis, & comitibus: *Exſpectate hic cum aſino*. Ita oraturus alloquatur ſua negotia: Exſpectate hic, donec meum cum Deo colloquium abſolvero. Monachorum quidam oraturus non tantum cellulam, ſed etiam oculos concluſit. Cauſam interrogatus, reſpoſuit: Sic omnes facultates animi, & ſenſus corporis in domum cordis colligo, ut totus quantus cum Deo loqui poſſim. Sanc. Reg. Dei p. 7. c. 3.

S. Arſenius, S. Antonius & alii Sancti noctu orabant uſque ad ortum ſolis. Juditha, Sara, Tobias ſuperiore domus cubiculo ſe concludebant. S. Rex David ait: Mane adſtabo tibi! In matutinis meditabor in te! quare in matutinis? quia mane nondum fervent humana negotia, conſequenter mens ſecurior eſt contra diſtractiones. Qui ſtudiis vacant fugiunt tumultus: Ergo etiam qui orant.

### 105. *Poteſt ſuper res omnes utiliter & ſancte inſtitui.*

S. Ambr. intuitu ranæ, S. Franciſ. ex cantu cicadæ laudat & admiratur Dei potentiam. S. Fulgentius ex Concilio Præſulum Romanorum ſibi imaginatur cæleſtis Solymæ decorem &c. A. lect. 8. §. 9.

Meditatio ſingulariter conducit, ut hominis animum e rebus terrenis notis elevet ad cæleſtia ignota: hinc Iſaac exivit oraturus in campum, & David ait, ſe ex agnitione creaturarum agnoviſſe potentiam Dei. Certe ſi peccatores abutuntur creaturis ad ſervitium diaboli, cur non homines juſti eaſdem uſurpent ad gloriam Conditoris. Sanch. 7. p. c. 3. fol. 930. ſeq.

Principale objectum, circa quod verſatur oratio mentalis, duplex eſt, Dei gloria, & noſtra indigentia: Quoad primum laudandus eſt Deus & benedicendus ob gloriam tam intrinſecam omneſque perfectiones Divinas, quam extrinſecam, quam creaturis per infinitam beneficentiam exhibuit, earumque gratitudinem, ſubmiſſionem, & obedientiam ſibi devicit. Quoad alterum, colloqui nos oportet cum Deo, ſicut ſervum cum Domino, diſcipulum cum Magiſtro, eique exponere neceſſitates noſtras, difficultates, impedimenta virtutis, & alia ad ſalutem neceſſaria: dirigi etiam colloquium poteſt ad B. V. ad Angelum Cuſtodem, ac ſingulares patronos. Materiem diſcurſus cordi humili ſuggeret Spiritus Sanctus, illudque ex re obvia haurire cæle-

ſtia deſideria docebit. Vide Titul. *Sancti Res omnes referunt ad Deum.*

## Examen conſcientiæ.

### 106. *Quam gratum & placens Deo.*

DUm Moderator aulæ fratribus Joſeph ſaccos perſcrutatur, ſcyphumque invenit, & illi ſe humiliant, amiciſſime habentur. B. Serm. 46. n. 3.

*S. Petr. Dam. ep. 115.* Talis in corde ſuo triplex gerit officium, ait S. Damiani: agit Judicem, reum, & tortorem. S. pun. 19. f. 618.

*Unumquodque coram facie ſua ambulabat:* ubi Gregorius: qui vitam ſuam ſolicitus aſpicit, & diligenter conſiderat, *S. Gregor. hom. 1. in Ezech.* quantum hodie in bonis creſcat, aut fortaſſe, quantum a bonis decreſcat, iſte eſt, qui ſe ante ſe ponit, coram ſe ambulat, quippe qui vigilanter videt, utrum ſurgat, an deſluat. Quis vero vitæ ſuæ cuſtodiam negligit.... coram ſe iſte non ambulat &c. S. pun. 111. f. 329.

De quodam Antiphoronte recenſet Ariſtoteles, quod propter debilitatem viſus, neminem, niſi ſeipſum viderit, & continuo præ oculis habuerit: ita &c. S. punct. 111. f. 331. & M. con. 20. aſſ. 1. n. 3. 4. 5. 6.

S. Magdalena de Pazzis ab ipſa Dei Genitrice examen conſcientiæ facere docta eſt. *In vita.*

Quidam piſces maris, & animalia erant immunda, ſcilicet ea, quæ non ruminantur; per hæc animalia juxta Sanct. Gregor. intelliguntur, qui mandunt, trajiciuntque omnia, nec ea iterum revocant ad conſiderationis dentem, ut coram Deo examinent. David ait: Veſpere, mane, & meridie annuntiabo: en! Rex inter tot regni negotia! Tu ſi mane, & meridie nequeas, ſaltem veſpere rationem ini cum conſcientia. S. punct. 60. f. 214.

Antiqui erant accuratiſſimi in ſuis ratiociniis, habebant ſua diaria, in quibus accepta & expenſa diligenter annotabant: ſi volebant nominare hominem nauci, quaſi axiomate de illo dicebant, eſſe hominem, qui *nec tabulas quidem conficit*. Parem in modum coram Deo ingratus, ac homo nauci eſt, qui conſcientiæ ſuæ rationes negligit. D. 11. 42.

### 107. *Eſt neceſſarium ad integritatem confeſſionis.*

*Lingua mea calamus Scribæ*: cur calamo comparat linguam? Reſpondeo quia quod ſcribitur cum ſingulari advertentia, & ſolicitudine fit: ita inquit Hilarius, *Hilar. in Pſal. 51.* examinans conſcientiam, *nihil incompoſitum, nihil incertum agat &c.*

Rex pugnaturus contra alium Regem prius computat, *ſi poſſit cum decem millibus occurrere ei, qui cum viginti millibus venit ad ſe*: en rex tenebrarum diabolus venit, contra te, *ſi longe plura tibi objicere queat ſcelera, quam tu confiteaaris, nonne ſuccumbes*, ait Mathias Faber &c. B. Serm. 55. n. 13. 14.

*Exercitabar, & ſcopebam ſpiritum meum*, ajebat Rex David. Quid vult dicere? cum cubiculum ſcopis mundatur, tunc ſellæ, menſæ, & alia omnia de loco ſuo moventur, ut appareat, quæ immunditiees deliteſcat. Ita qui puritatem conſcientiæ, & integritatem confeſſionis cordi habet, omnes actiones debet movere & diſcutere. B. Ser. 55. n. 15. & ſeq.

*In via teſtimoniorum tuorum delectatus ſum, ſicut in omnibus divitiis.* Quomodo fit delectatio in divitiis? Numerantur, cuſtodiuntur, augentur, & præcipue curatur, ut non ſubſint monetæ ſpuriæ. Ita Dei gratia per obſervantiam teſtimoniorum Dei æſtimanda, & augenda, atque ſolicite per examen curandum eſt, ut non in animo actio ſpuria, Deo ingrata, id eſt, peccaminoſa deliteſcat. Vide C. Thren. 3. v. 40.

Hinc Sancti maxime æſtimarunt, & commendarunt Examen conſcientiæ, uti S. Hieronym. S. Ephrem, S. Dorotheus, S. Bonavent. S. Ignat. & Xaverius &c. C. Thren. 3. v. 40.

## Timor Domini.

### 108. *Placat Deum, & adducit ad pœnitentiam.*

APocalypticus Propheta audiit vocem: *Vicit Leo de tribu Juda.* Cum vero circumſpexit, vidit in medio throni agnum ſtantem. Quid ſibi vult hæc mutatio? Reſpondet S. Auguſt. Non meretur Deum videre ut Agnum, qui non *S. Aug. in Apoc. c. 5.* prius timuit ut leonem. Nam *timor juſtitiæ punientis ſecuritas eſt miſericordiæ remittentis*. B. Ser. 10. n. 27. & ſeq.

Timor Domini parit favorem Dei & omnia bona, juxta Canticum B. Virginis: *Miſericordia ejus a progenie in progenies timentibus eum*. Et illud Tobiæ: *Multa bona habebimus, ſi timuerimus Deum*. C. *Tob. 4.* in Deut. 10. v. 12.

Eſt aptiſſimum remedium ad perſeverantiam, & certiores reddit nos circa ſalutem.



tem. Quia ſicut ſpes, ita & timor, a Deo ordinatur ut via ad ſalutem: unde *S. Ber. in Pſal. qui habitat.* S. Bernardus ait: *Timor maxime eſt ſpei noſtræ materia.* Patet etiam a contrario; nam qui lapſi ſunt, fere omnes lapſi ſunt ex præfidentia, ſecuritate, & occulta ſuperbia, quia ſuæ virtuti nimis confiſi ſunt. Tales fuerunt Origenes, Tertullianus, Lucifer Calaritanus & alii. C. in Ep. ad Phil. v. 13. c. 2.

Quæris autem, quomodo comparandus ſit hic timor? Reſpondet S. Chryſoſt. Si ſemper Deum præſentem cogites, omnia videntem, omnia audientem &c. C. in Ep. ad Phil. c. 2. v. 12.

Deo ſunt, quibus equus prudenter regitur, frœnum & calcar: frœnum, quo recordatur ne præcipitantia curſus ſeſſorem excutiat, & calcar, ut caute & feſtinanter procedat. Utrumque operatur timor Domini: facit, ut Chriſtianus in peccata præceps cæco impetu non ruat, & ut in via ſalutis cum alacritate quidem, ſed & cum magna cautela incedat &c.

### 109. *Nunquam ex animo abeſſe debet.*

S. Bernar. monet: *Time cum arriſerit gratia: Time cum abierit: Time cum de-* *S. Bern. Serm. 54. in Cant.* *nuo revertetur*. B. Serm. 43. n. 2. 6.

*Confige timore tuo carnes meas*. Configi dicitur timor, ut ſtabiliter in corde permaneat: timet aliquis, ſed ſtatim iterum obliviſcitur; non habet timorem confixum &c. S. 136. f. 428. & 571.

Sicut Nautæ, dum e portu ſolvunt flante Favonio, non ideo omittunt accipere rudentes & anchoras, quæ tempore tempeſtatis ſunt neceſſariæ. Ita & ſervus Dei licet magna fruatur quiete, nunquam tamen debent eſſe ſine judiciorum Divinorum metu, ſed hunc ſemper apud ſe habere debent, ut tentationum fluctibus inſurgentibus eo uti poſſint. S. Fran. Saleſ. l. 11. de amore c. 17.

*Eccl. 27.* *Si non in timore Domini tenueris te inſtanter, cito ſubvertetur domus tua*. Quamquam enim excelſum ſit ſpirituale ædificium Chriſtianæ perfectionis, illud in momento poteſt deſtrui per unicum peccatum, prout terribilia exempla habemus *Thr. 2.* in Didymo, Origene, Oſio, Tertul. & apoſtatis plurimis: *Præcipitavit Dominus ... omnia ſpecioſa Jacob*. Quid agendum? ſemper in ſancto timore Domini perſeverandum eſt. Seg. Man. 16. Feb. n. 1.

Origenes, Tertullianus, & Oſius turpiter ceciderunt. D. 11. 8. Didymus in exponendis Scripturis Magiſter fuit Sancti Hieronymi, & tamen ultimato erroribus Origenis adhæſit. D. 12. 91.

S. Franciſ. cum ab hominibus Sanctus vocaretur, reponere ſolebat: Nolite me dicere Sanctum, quia poſſum adhuc filios procreare. Sanc. 7. par. c. 3. f. 922.

Quia prædeſtinatio eſt incerta, ideo juſtus ſemper timere & peccator ſperare debet. Paoletti Fer. 4. poſt Dom. Paſſ.

### 110. *Cuſtodit virtutes & mundat a peccatis.*

S. Hieron. ait: *Timor virtutum cuſtos* *S. Hier. Ep. 127. ad Fabiol. S. Bern. Ser. 15. in Pſ. 90.* *eſt*. Et Bernard. *Timor maxima ſpei noſtræ materia*. B. Ser. 48. n. 5.

Quamdiu Cherubinus cum ignito gladio ante paradiſum excubat, peccator Adamus intrare non poteſt: ſic ubi timor excubias agit ante cor, peccatum intrare nequit. B. Ser. 50. n. 2.

S. Chryſol. ait: *Solus eſt Dei timor, qui mentes corrigit, fugat crimina, innocentiam ſervat*. B. Ser. 60. n. 12.

Jacob, antequam aſcendit in Bethel, familiam mundavit ab idolis & idololatria, ex metu Chananæorum, quo omnes perculſi erant ob ſtragem editam in Sichimis. En! metus docet homines Deum agnoſcere, & ad eum confugere. C. Gen. 35. v. 2.

Populus Iſrael ſemper erat refractarius, & murmurans contra Deum & Moyſen; poſtquam autem manifeſtum Dei ſupplicium aſpexerunt in ſubmerſione Ægyptiorum in mari, dicit Sacer textus: *Timuit* *Exod. 14.* *populus Dominum!* & quem effectum habuit hic timor? *Crediderunt Domino & Moyſi ſervo ejus &c.*

Joſaphat Rex conſtituit judices in cun- *2. Par. 19.* ctis civitatibus Juda, præcepitque illis, ut omnia cum diligentia facerent, utque per remedia proportionata induſtriam eorum acueret, addidit: *Sit timor Domini vobiſcum!* certo enim fuit perſuaſus, quod ubi timor Dei regnat, non poſſit prævalere iniquitas.

### 111. *Concipiendus ob varias timendi cauſas.*

Timendum eſt. 1. Ob inconſtantiam voluntatis: ita omnes Diſcipuli metuebant audito illo: *Unus ex vobis me tradet*. Cur? Reſpondet S. Leo, quia noverant inſtabilitatem humanæ voluntatis. S. pun. 9. f. 571.

2. Quia homo quantumcunque Sanctus eſt, nunquam ita poteſt obſtringere Deum, ut negare non poſſit novam illam

gratiam, quam deinceps tribuit ad perſeverandum; Deus enim eſt, qui dat poſſe & velle &c. Segn. Manna 16. Febr. n. 2.

3. Infra te vides hiare infernum, qui turmatim emittit atros ſpiritus ad inſultum. Circa te vides mundum fallacem, qui plenus eſt laqueis. Supra te vides cælum, quod merito tibi infenſum forte non amplius patrocinabitur. Intra te occurrunt tumultuantes affectus, qui contra ſpiritum fœderantur. Quis non tremat his omnibus perpenſis? Segn. Manna 2. Maji. 2.

4. Quia via ad cælum difficilis. Paoletti Dom. Septuages.

5. Quamdiu vita mortalis durat, nunquam eſt ſecuritas contra peccatum; quia Angeli in cælo, & homines in paradiſo peccarunt. Lot inter peccatores peſſimos innocens fuit, & exiens inde in monte cum propriis filiabus peccavit. Quis non timeat tantam infirmitatem?

6. Quia ad ultimam luctam in mortis articulo, ubi decertandum erit pro tota æternitate, etiam Sancti contremuerunt; gratia enim finalis pure gratuita eſt, & non cadit ſub meritum &c.

### 112. *Raro verus reperitur apud peccatores.*

Pharao dixit: *Peccavi, Dominus juſtus eſt, & ego, & populus meus impii*: Cui Moyſes: *Novi quod & tu, & ſervi tui needum timeatis Deum*. Quid? ſe peccaſſe fatetur, & non timet? Nequaquam. O quam multi huic ſimiles, qui Deum timere dicunt, & non timent. S. punct. 143. fol. 451.

Hinc fit, quod peccatores raro aut nunquam reſiſtant peccatis internis; facile conſentiunt tentationibus, quia a peccato non abſtinent ex timore Dei, ſed ſolum ob infamiam, aut ſupplicia hominum. Quamprimum putant certum eſse illud: *Nemo nos videt*; abſque conſcientia peccant.

Triplex eſt timor: *Filialis*, qui pure timet culpam & hunc quodammodo habent etiam Sancti in cælis. *Initialis*, qui eſt mixtus timens ſimul culpam & pœnam, & Prov. 14. hic beatum facit hominem: *Beatus homo, qui ſemper eſt pavidus*. Et denique *ſervilis*, qui pure timet pœnam, & hic habentem bonum non facit; quia proprius eſt etiam latroni, quamvis latro maneat. Timor iſte eſt peccatorum. P. p. 1. diſc. 4. n. 13.

Timor Domini eſt initium ſapientiæ: ſicut ergo apud peccatores non invenitur vera ſapientia, dum terrena æternis præhabent; ita nec verus invenitur timor Domini: verus enim timor Domini parit ſecuritatem ſalutis, & exultationem conſcientię. C. in Eccl. 1. v. 11.

Sicut fur jam ſemel aut iterum ad judicem citatus & incarceratus, cum evaſit, audacior fit in rapiendo; ita peccator impudentior fit in peccando: Reſpicit unice Miſericordiam Dei, non juſtitiam, dicens: Peccavi, & quid accidit mihi triſte? &c.

### 113. *Etiam a perfectis & ſanctis conſervari debet.*

Quidam putant, timorem eſse ſolum incipientium non perfectorum in vita ſpirituali: ſed hoc falſum eſt: tantum timendum eſt in fine quantum in principio. Peſſimum ſignum eſt in alto non timere, nempe quod jam aliquam æſtimationem conceperint de ſe, & ideo facile deſeruntur a Deo, qui facilius tolerat peccatorem humilem, quam juſtum ſuperbum. Cogita quot perierunt, poſtquam attigerunt verticem perfectionis! Saul, Salomon, Didimus, Hoſius, Origenes, Tertullianus: ſi ſecurus eſse vis, demiſſe de te ſenti. *Noli altum ſapere, ſed time*. Rom. 11. Segn. Manna 16. April. n. 2.

Si Sanctis in ſolitudine timendum eſt, quanto magis illi, qui in mundo verſatur in medio nationis pravæ? ceciderunt ſolitarii, uti Victorini, Theophili, Tolomæi, Erones, Jacobi, Guarini, Macarii, ſi hoc in viridi, in arido quid metuendum? Segn. Manna 16. April. n. 3. & 4.

Septem Epiſcopis, qui Concilio Nicæno interfuerunt, linguæ abſciſsæ ſunt, quibus tamen Deus miraculoſam loquendi facultatem ſine lingua contulit. Et ecce! quis credat? unus eorum in vitium carnis lapſus eſt, & ideo uſum loquelæ perdidit. Sanchez 5. part. c. 8. fol. 571.

Macarius poſt diuturnam auſteritatem a dæmone ſeductus in obſcenam cogitationem conſentit. R. cent. 2. p. 2. mir. 50.

Habent etiam homines juſti cauſam ſemper timendi: 1. Quia neſciunt an ſint in gratia, de propitiato peccato noli eſſe ſine metu. 2. Quia ſeipſos non funditus agnoſcunt, ignorantque an non ſiniſtra intentio delitefcat in corde. 3. Quia alia ſunt judicia Dei, alia hominum. 4. Quia habemus hoſtes validiſſimos, qui in noſtram perniciem conjurant &c. C. ad Philip. 2. v. 12.

### 114. *Operatur ſalutem hominis.*

Fratres Joſeph primo dure habiti, ſecundo amicabiliter recepti ſunt: Quare? quia



quia primo abſque timore in ſua pecunia confidebant: altera vice ſibi timuerunt, ait Stapletonius. B. Serm. 43. n. 3.

Inter millena pericula mundi nihil adeo operatur ſecuritatem ſalutis, quam timor Domini: proinde ſicut qui capite debili anguſtum ponticulum tranſit, fortiter manum ſui ductoris ſtringit; ita tenere oportet timorem Domini *inſtanter*: ſemper vivaciſſime ante oculos habenda neceſſitas auxilii Divini. Segn. Manna 16. Febr. n. 3.

Exod. 19. Deus Legem dedit Moyſi, atque ut populo obſervantiam legis efficaciter inculcaret, dedit illam inter tonitrua, fulgura, & ſigna terribilia; quia nihil efficacius movet ad obſervanda mandata, & operandam ſalutem, quam timor Domini.

Inter alios fructus timoris Domini ille numeratur, quod pariat cordis gaudium, Eccl. 1. juxta illud: *Timor Domini delectabit cor, & dabit lætitiam & gaudium*. Præſertim fiduciam parit de felici ex hac vita tranſitu, eſtque caſtitatis & virtutum omnium cuſtos. C. in Deut. 10. v. 11.

Eccli. c. 1. *Timor Domini corona & gloriatio, & lætitia, & corona exultationis*. Felicem reddit hominem; quia tribuit illi coronam S. Chryſ. Hom. 65. ad Pop. gloriæ & triumphi; hinc ait S. Chryſ. *Si timorem Domini habuerimus, nihil nobis eſt opus, ſi vero hunc non habeamus, etſi regnum ipſum habeamus, ſumus omnium pauperrimi*. C in Eccli. c. 1. v. 11.

### 115. *Cuſtodit contra peccata.*

Pſal. 118. *Confige timore tuo carnes meas, a judiciis enim tuis timui*. Quid eſt quod David timorem petat, quem jam habet: Nempe voluit, ut etiam in carnem redundet ex animo, & compeſcantur motus rebelles, qui illi ſunt proprii: rogandum proin, ut timore Domini configantur oculi, configantur aures, configatur lingua, ita ut caro tota dici poſſit confixa, & crucifixa. Modus id impetrandi eſt metus judiciorum Divinorum, *a judiciis tuis timui &c.* Segn. Manna. 5. Jul. n. 1.

Qui judicia Dei punientis peccata conſiderat, nunquam peccabit. Ita Sancti erant conſtituti, Suſanna, Paulus, Ambroſius, Chryſoſt. Ludovicus, Tobias, Edmundus, Anſelm. & alii, imo etiam aliqui Gentiles, ut mori maluerint, quam peccare. C. Gen. 39. v. 9.

Ubi deficit timor Domini, prævalet impietas, & dominantur peccata. Hinc Patriarcha Abraham dixit ad Regem Abimelech: Gen. 20. Cogitavi mecum, forſan non eſt timor Dei in loco iſto, & interficient me.

Homines, quos miſit Rex Babylonis ad 4. Reg. 17. inhabitandam Samariam, non timuerunt Dominum, ideo inter eos prævaluerunt omnis generis peccata. Et ecce! immiſit eis Dominus leones, qui interficiebant eos.

Fructus timoris Domini ſunt 1. Refrænat animam a concupiſcentiis, & incitat ad omne bonum: *Beatus Vir, qui* Pſ. 111. *timet Dominum, in mandatis ejus volet nimis*. 2. Eſt initium ſapientiæ & pietatis: *Qui timet Dominum, inquiret quæ beneplacita ſunt ei*. Eccli. 2. 3. Timor filialis eſt ipſe amor Dei; *ad omne opus bonum*, ait S. Auguſt. *ducit amor, & timor Dei*. 4. Dat conſtantiam in tentationibus & adverſis; qui timet Dominum nihil trepidabit. C. in Deut. 10. v. v. 12. Et Eccli. 1. v. 11.

### 116. *Multa bona præſtat homini.*

Timor Domini parit ſapientiam, hæc docet manſuetudinem, & victoriam paſſionum, ſobrietatem & lætitiam animi, ex quibus omnibus conſurgit vita longæva, & proſpera: S. Paulus Eremita in ſua ſpelunca ad ann. 113. vixit. S. Antonius defunctus eſt 105. ætatis anno. S. Romualdus 120. Pachomius 118. Arſenius 120. annos vixit. Et hodiedum Religioſi in Monaſteriis ad decrepitam ætatem conſeneſcunt: quia timore Dei mortificant bilem, gulam, aliaque vitia, quæ vitam abbreviant &c. C. in Eccli. 1. v. 25.

Mundani felices ſe reputant ex divitiis, timor autem Domini illis incomparabiliter præſtat: 1. Quia, ut ait S. Chryſoſt. *ubi adeſt timor Domini, nihil erit moleſtum*: ipſam enim paupertatem convertit in divitias. 2. Timor Domini mentem facit quietam, hilarem, & ſua ſorte contentam. 3. Unit mentem cum Deo, qui autem Deum habet, cum plena ſatietate omnia poſſidet, dum econtra theſauri non faciant cupiditatem, ſed augent. 4. Quia divitiæ multas afferunt turbationes, curas, lites, & triſtitias: mens autem timens Deum cum modicis opibus, quieta, modeſta, & contenta vivit. &c. C. in Prov. 15. v. 16.

Timor Domini confert veram pulchritudinem corpori & animæ, juxta illud: *Mulier timens Deum ipſa laudabitur*. C. in Prov. 31. v. 29.

*Timor Domini ad vitam*; quia confert Prov. 19. vigorem, & ſanitatem, ſaturitatem, ſuavem ſomnum, quæ omnia conducunt ad validam complexionem, & ſanitatem vitæ humanæ. &c. C. in Prov. 19. v. 23.

*Exerce teipſum ad pietatem*. Pietas ſigni- 1. Tim. 4.

ficat. 1. vitam rectam & mores Chriſtianos. 2. Miſericordiam, & beneficentiam erga proximum. 3. Dei contemplationem. 4. Optime Dei cultum & ſtudium internæ devotionis, excitans ad ſpem, timorem, & amorem Dei. Timor Domini eſt ipſa ſapientia, initium autem ſapientiæ eſt timor Domini &c. C. 1. Tim. 4. v. 7.

## Caritas Dei.

### 117. *Tendere debet principaliter in Deum.*

REx Salomon fecit ſibi thronum de lignis Libani auro, & argento pretioſiſſime ornatum, ſed hunc *media caritate conſtravit propter filias Jeruſalem*. Hic thronus eſt lex caritatis, quæ in medio, ſeu apice collocat Deum, cætera omnia infra. S. pun. 11. f. 332. & 333.

S. Bern. de Dilig. Dei. Deus non amatur ſine præmio, ait Bernardus, non tamen debet amari pro præmio. S. pun. 33. f. 752. Dein tendere debet in Chriſtum. C. Act. 3. v. 16.

Abraham plus amat Deum, quam unigenitum filium. Suſanna plus quam famam, S. Hermenegildus plus quam regnum. S. punct. 111. fol. 334. Eleazarus vitam, quædam Mater amantiſſimum filiolum mavult perdere, quam Deum. S. Ib. f. 335.

S. Auguſtinus exclamat: Minus te Domine amat, qui tecum aliquid amat, quod non propter te amat. S. pun. 149. f. 468.

S. Cath. Bononienſis plus amabat Deum, quam ſeipſam, & ſuam ſalutem, Optabat ſola æternum damnari, ſi eſſet ad Dei gloriam, & ſi impedire per hoc poſſet blaſphemias damnatorum, libenter voluiſſet omnium eorum tormenta ſuſtinere ſola in æternum. T. n. 12.

Job magis dilexit Deum, quam terrena omnia. S. pun. 111.

Per hanc caritatis Legem non tamen excluditur amor parentum & filiorum; nam S. Thom. ait: Si nihil diligatur ſupra Deum, nec ſicut Deus, ſatis obſervari hoc mandatum; amor autem iſte debet eſſe ordinabilis ad Deum. Hinc Deus ipſe dicit, qui amat Patrem, & Matrem *plus quam me*, non eſt me dignus. Quibus verbis non excludit, ſed infra ſe ponit amorem parentum. S. pun. 111. f. 333.

### 118. *Modica eſt in cordibus humanis.*

In puteo Nehemiæ loco ignis inventa eſt aqua craſſa: *Puteus iſte ſignificat conſcientias*, ait Berchorius: & Stephanus Cantuarienſis: *ſi modo requiratur ignis, non invenitur, niſi aqua craſſa, ſcilicet voluntas carnis*. B. Ser. 46. n. 2. Berchor in 2. Mach. 1. 23. Mar. c. 1.

Habetur ex hiſtoriis, Veteres habuiſſe artem ignis perpetui, quippe in eorum monumentis ſæpe repertæ ſunt lampades, quæ per complura ſæcula arſerunt. In agro Patavino, ait Porta, reperta eſt urna fictilis, & intra eam lucernula ardens, Porta 12. Magia Natur. qua ruſticis manibus imprudenter profuſa ſtatim evanuit flamma. Et anno 1550. primum in Neſide Inſula ſepulcrum marmoreum repertum eſt cujuſdam Romani, quo recluſo phiala intus reperta eſt, in qua lucerna adhuc ardebat, ea rupta & admiſſo aere extincta eſt, quæ ante Chriſti adventum clauſa fuerat. VV. art. diſ. font. 3. ex. 2. Idem paſſim legitur de cryptis SS. MM. & Veterum ſepulcris. Sed hoc habent iſti ignes, ſunt ſubtiles, & delicatiſſimi, quovis aere immiſſo extinguuntur. Ita Caritas eſt multorum: quamdiu quieti, & domi concluſi in rebus ſuis minime turbantur, ardet utcunque in cordibus eorum flammula caritatis: quodſi autem levis aer aut ventus alicujus contradictionis, perſecutionis, aut adverſitatis veniat, ſtatim illa flammula diſparet.

Sicut aurum per ignem, ita caritas probatur per adverſa; hinc filii Zebedæi interrogati ſunt, an poſſint bibere calicem paſſionis. Qui ergo amat Deum, multa pro Deo debet facere & pati. Quis autem eſt, qui paratus ſit pati pro Deo? eheu! omnes expalleſcunt ad ſolam vocem adverſitatis.

Ignis in cumulum paleæ delapſus in ingentem flammam exardeſcit, ſed ſtatim iterum ſubſidet: ita multi cum beneficium a Deo accipiunt, ardentiſſimo amore inflammantur, ſed paulo poſt obliviſcuntur Benefactoris, & iterum intepeſcunt, frigeſcunt.

### 119. *Oritur ex conſideratione beneficiorum Dei.*

Exploratores illi ad Rahab dixerunt: *In feneſtra, per quam concatenaſti nos*: Quaſi dicant, beneficium illud quaſi catena fuit noſtri amoris. Hinc Sponſa: *Dilectus meus mihi, & ego illi &c.* S. pun. 111. f. 336. & pun. 149. per totum.

Pia puella per ſeptem annos B. Virginem rogans, ut ſibi filium ſuum oſtenderet, in nocte Nativ. Domini apparentem habuit, dicentemque: En Filius meus, lude cum illo. Divina ſoboles quærebat ex puella: Amas me? & illa affirmans, amo te plus quam corpus & cor meum, adeoque exarſit, ut cor illi rumperetur, in quo ſcriptum inventum eſt: Diligo te plus quam me, quia tu creaſti, redemiſti, dotaſti me! E. *Dilectio* n. 2.

Quis non amet Deum, ſumme amabilem, ſummumque Bonum ſuum? qui eſt gaudium omnium Angelorum & hominum? in quo ſunt omnes deliciæ, opes, & honores? qui prius tam impenſe amavit nos, ut ex nihilo nos crearet, perditos per filium ſuum redimeret, averſos revocaret, ruentes in gehennam retraheret &c. C. in Ep. S. Jac. c. 2. v. 5.

Memoria regredere per omnem vitæ anterioris decurſum, videbis, tot a Deo tibi collata beneficia, quot temporis momenta! enumera, ſi potes beneficia fortunæ, corporis & animæ! intuere innumerabiles alios, corpore & anima miſeros, pauperes, cæcos, claudos, ægros, deſolatos, tentatos, & peccatores; ab omnibus horum miſeriis te Deus præſervavit! conſidera ipſum infernum, in quo milleni ardent, forſan te innocentiores! Quis non amet Deum tam Bonum, qui ab omnibus his nos eripuit, & pepercit?

### 120. *Effectus & operationes nobiliſſimas in amante producit.*

Arca Noe liniri debuit bitumine intus, & foris, ne aquæ penetrent: bitumen caritas eſt: Vis a Diluvio iræ Divinæ liber eſſe? lini cor tuum caritate. M. con. 2. aſſ. 3. n. 1.

Effectus & operationes caritatis in anima amantis ſunt. 1. Eam a cupiditatibus terrenis purificat, ut non niſi cæleſtia cupiat, ſic Joſaphat Rex relicto terreno regno ad æternum aſpiravit. 2. Omnes potencias, ſenſus, & affectus ad Deum trahit, ut non niſi Deum cogitet, & intendat. 3. Facit, ut anima optet pro Deo magna & heroica facere, multaque pati, ut Chriſto Crucifixo aſſimiletur. 4. Facit, ut anima quotidie creſcat in amore; Deus enim eſt quaſi flamma accendens. 5. Facit, ut anima amans, eodem amore totum mundum incendere fatagat. 6. Facit, ut amans Deum ab eo impetret omnia quæ petit, & ſic fiat quaſi omnipotens, ſicut Jacob luctans cum Angelo. 7. Facit ut anima aſſimiletur in moribus & virtutibus Deo, adeoque ſecretorum ejus particeps fiat. 8. Animam tranquillat, & ſerenat, ut cum imperturbabili lætitia Deo tam in proſperis quam adverſis Deo adhæreat. 9. Denique ita creſcit, ut nonnunquam languorem & mortem cauſet, juxta illud Sponſæ: fulcite me floribus, ſtipate me malis, quia amore langueo. C. in 1. Ep. S. Jo. c. 4. v. 16.





Effectus & operationes caritatis inſuper ſunt, quod creſcat, & intendatur ſeptem gradibus, prout explicat Richardus a S. Victore. 1. Eſt, ut amor ſit inſeparabilis, 2. Quod ſit inſatiabilis, ignis enim nunquam dicit ſufficit. 3. Quod ſit invictus; quia fortis ut mors eſt dilectio. 4. Quod ſit delectabilis, ita ut anima dicere poſſit: Introduxit me Rex in cellaria ſua. 5. Quod vulneret animam ardentibus deſideriis. 6. Quod ſemper Deum ſitiat, ſemper præſentem habeat. 7. Quod deſideret conjungi, & eſſe cum Chriſto. C. in Eccli. 7. v. 32.

Caritas Dei comparatur igni. 1. Ignis eſt quaſi omnipotens, ferrum emollit, & metalla liquefacit. 2. Ignis ſi hoſtis eſt, terribilis eſt, ut patet in incendiis & fulminibus: ſi vero amicus, beneficus eſt, cibos coquit, & omnia duriſſima homini emollit. 3. Ignis in tenebris ducatum præſtat, & perfugium. 4. Contrectantem adurit, adſtantem calefacit: ita eminus & reverenter cum Deo agendum eſt &c. C. Levit. 9. v. 23.

Caritas operit multitudinem peccatorum. Quænam Caritas? 1. Caritas Dei, hæc enim delet peccata prædeſtinatorum ante mortem, ac ſi nunquam fuiſſent. 2. Caritas Chriſti, hæc enim electis ſuis applicans ſuam paſſionem dat gratiam, qua peccata abſtergit. 3. Caritas proximi, quia oritur ex caritate Dei, quæ omnia peccata abolet, & hominem ſanctificat: *Caritas*, inquit S. Auguſt. *duos habet pedes. Qui ſunt duo pedes? Duo præcepta dilectionis, Dei & proximi, iſtis pedibus curritur ad Deum*. C. in Ep. 1. S. Petri c. 4. v. 8.

Qui amant, quaſi in corpore proprio mortui ſunt, & vivunt in alieno; voluit ergo Deus per amorem nos transformare in ſeipſum, ita, ut in ejus amore colliqueſcamus, & abſorbeamur: quid hoc eſt S. Bern. de Dilig. Dei. aliud, ait S. Bernar. quam *hominem fieri totum Divinum? Sic affici, Deificari eſt*. Porro Deus manens in anima fideli, hos in ea producit effectus: 1. Eum a terrenis cupiditatibus purificat, ut non niſi cæleſtia cupiat. 2. Omnes potentias, ſenſus & intentiones in ſe trahit, ut non niſi Deum cogitet. 3. Facit, ut anima optet pro Dilecto magna, ac heroica facere, & pati, ut Chriſto crucifixo aſſimiletur. 4. Facit ut anima indies creſcat in amo-

ficat. 1. vitam rectam & mores Chriſtianos. 2. Miſericordiam, & beneficentiam erga proximum. 3. Dei contemplationem. 4. Optime Dei cultum & ſtudium internæ devotionis, excitans ad ſpem, timorem, & amorem Dei. Timor Domini eſt ipſa ſapientia, initium autem ſapientiæ eſt timor Domini &c. C. 1. Tim. 4. v. 7.

## Caritas Dei.

### 117. *Tendere debet principaliter in Deum.*

REx Salomon fecit ſibi thronum de lignis Libani auro, & argento pretioſiſſime ornatum, ſed hunc *media caritate conſtravit propter filias Jeruſalem*. Hic thronus eſt lex caritatis, quæ in medio, ſeu apice collocat Deum, cætera omnia infra. S. pun. 11. f. 332. & 333.

S. Bern. de Dilig. Dei. Deus non amatur ſine præmio, ait Bernardus, non tamen debet amari pro præmio. S. pun. 33. f. 752. Dein tendere debet in Chriſtum. C. Act. 3. v. 16.

Abraham plus amat Deum, quam unigenitum filium. Suſanna plus quam famam, S. Hermenegildus plus quam regnum. S. punct. 111. fol. 334. Eleazarus vitam, quædam Mater amantiſſimum filiolum mavult perdere, quam Deum. S. Ib. f. 335.

S. Auguſtinus exclamat: Minus te Domine amat, qui tecum aliquid amat, quod non propter te amat. S. pun. 149. f. 468.

S. Cath. Bononienſis plus amabat Deum, quam ſeipſam, & ſuam ſalutem, Optabat ſola æternum damnari, ſi eſſet ad Dei gloriam, & ſi impedire per hoc poſſet blaſphemias damnatorum, libenter voluiſſet omnium eorum tormenta ſuſtinere ſola in æternum. T. n. 12.

Job magis dilexit Deum, quam terrena omnia. S. pun. 111.

Per hanc caritatis Legem non tamen excluditur amor parentum & filiorum; nam S. Thom. ait: Si nihil diligatur ſupra Deum, nec ſicut Deus, ſatis obſervari hoc mandatum; amor autem iſte debet eſſe ordinabilis ad Deum. Hinc Deus ipſe dicit, qui amat Patrem, & Matrem *plus quam me*, non eſt me dignus. Quibus verbis non excludit, ſed infra ſe ponit amorem parentum. S. pun. 111. f. 333.

### 118. *Modica eſt in cordibus humanis.*

In puteo Nehemiæ loco ignis inventa eſt aqua craſſa: *Puteus iſte ſignificat conſcientias*, ait Berchorius: & Stephanus Cantuarienſis: *ſi modo requiratur ignis, non invenitur, niſi aqua craſſa, ſcilicet voluntas carnis*. B. Ser. 46. n. 2. Berchor in 2. Mach. 1. 23. Mar. c. 1.

Habetur ex hiſtoriis, Veteres habuiſſe artem ignis perpetui, quippe in eorum monumentis ſæpe repertæ ſunt lampades, quæ per complura ſæcula arſerunt. In agro Patavino, ait Porta, reperta eſt urna fictilis, & intra eam lucernula ardens, qua ruſticis manibus imprudenter profuſa ſtatim evanuit flamma. Et anno 1550. primum in Neſide Inſula ſepulcrum marmoreum repertum eſt cujuſdam Romani, quo recluſo phiala intus reperta eſt, in qua lucerna adhuc ardebat, ea rupta & admiſſo aere extincta eſt, quæ ante Chriſti adventum clauſa fuerat. VV. art. diſ. ſont. 3. ex. 2. Idem paſſim legitur de cryptis SS. MM. & Veterum ſepulcris. Sed hoc habent iſti ignes, ſunt ſubtiles, & delicatiſſimi, quovis aere immiſſo extinguuntur. Ita Caritas eſt multorum: quamdiu quieti, & domi concluſi in rebus ſuis minime turbantur, ardet utcunque in cordibus eorum flammula caritatis: quodſi autem levis aer aut ventus alicujus contradictionis, perſecutionis, aut adverſitatis veniat, ſtatim illa flammula diſparet. Porta 12. Magia Natur.

Sicut aurum per ignem, ita caritas probatur per adverſa; hinc filii Zebedæi interrogati ſunt, an poſſint bibere calicem paſſionis. Qui ergo amat Deum, multa pro Deo debet facere & pati. Quis autem eſt, qui paratus ſit pati pro Deo? eheu! omnes expalleſcunt ad ſolam vocem adverſitatis.

Ignis in cumulum paleæ delapſus in ingentem flammam exardeſcit, ſed ſtatim iterum ſubſidet: ita multi cum beneficium a Deo accipiunt, ardentiſſimo amore inflammantur, ſed paulo poſt obliviſcuntur Benefactoris, & iterum intepeſcunt, frigeſcunt.

### 119. *Oritur ex conſideratione beneficiorum Dei.*

Exploratores illi ad Rahab dixerunt: *In feneſtra, per quam concatenaſti nos*: Quaſi dicant, beneficium illud quaſi catena fuit noſtri amoris. Hinc Sponſa: *Dilectus meus mihi, & ego illi &c.* S. pun. 111. f. 336. & pun. 149. per totum.

Pia puella per ſeptem annos B. Virginem rogans, ut ſibi filium ſuum oſtenderet, in nocte Nativ. Domini apparentem habuit, dicentemque: En Filius meus, lude cum illo. Divina ſoboles quærebat ex puella: Amas me? & illa affirmans, amo te plus quam corpus & cor meum, adeoque exarſit, ut cor illi rumperetur, in quo ſcriptum inventum eſt: Diligo te plus quam me, quia tu creaſti, redemiſti, dotaſti me! E. *Dilectio* n. 2.



Quis non amet Deum, ſumme amabilem, ſummumque Bonum ſuum? qui eſt gaudium omnium Angelorum & hominum? in quo ſunt omnes deliciæ, opes, & honores? qui prius tam impenſe amavit nos, ut ex nihilo nos crearet, perditos per filium ſuum redimeret, averſos revocaret, ruentes in gehennam retraheret &c. C. in Ep. S. Jac. c. 2. v. 5.

Memoria regredere per omnem vitæ anterioris decurſum, videbis, tot a Deo tibi collata beneficia, quot temporis momenta! enumera, ſi potes beneficia fortunæ, corporis & animæ! intuere innumerabiles alios, corpore & anima miſeros, pauperes, cæcos, claudos, ægros, deſolatos, tentatos, & peccatores; ab omnibus horum miſeriis te Deus præſervavit! conſidera ipſum infernum, in quo milleni ardent, forſan te innocentiores! Quis non amet Deum tam Bonum, qui ab omnibus his nos eripuit, & pepercit?

### 120. *Effectus & operationes nobiliſſimas in amante producit.*

Arca Noe liniri debuit bitumine intus, & foris, ne aquæ penetrent: bitumen caritas eſt: Vis a Diluvio iræ Divinæ liber eſſe? lini cor tuum caritate. M. con. 2. aſſ. 3. n. 1.

Effectus & operationes caritatis in anima amantis ſunt. 1. Eam a cupiditatibus terrenis purificat, ut non niſi cæleſtia cupiat, ſic Joſaphat Rex relicto terreno regno ad æternum aſpiravit. 2. Omnes potentias, ſenſus, & affectus ad Deum trahit, ut non niſi Deum cogitet, & intendat. 3. Facit, ut anima optet pro Deo magna & heroica facere, multaque pati, ut Chriſto Crucifixo aſſimiletur. 4. Facit, ut anima quotidie creſcat in amore; Deus enim eſt quaſi flamma accendens. 5. Facit, ut anima amans, eodem amore totum mundum incendere ſatagat. 6. Facit, ut amans Deum ab eo impetret omnia quæ petit, & ſic fiat quaſi omnipotens, ſicut Jacob luctans cum Angelo. 7. Facit ut anima aſſimiletur in moribus & virtutibus Deo, adeoque ſecretorum ejus particeps fiat. 8. Animam tranquillat, & ſerenat, ut cum imperturbabili lætitia Deo tam in proſperis quam adverſis Deo adhæreat. 9. Denique ita creſcit, ut nonnunquam languorem & mortem cauſet, juxta illud Sponſæ: fulcite me floribus, ſtipate me malis, quia amore langueo. C. in 1. Ep. S. Jo. c. 4. v. 16.



Effectus & operationes caritatis inſuper ſunt, quod creſcat, & intendatur ſeptem gradibus, prout explicat Richardus a S. Victore. 1. Eſt, ut amor ſit inſeparabilis, 2. Quod ſit inſatiabilis, ignis enim nunquam dicit ſufficit. 3. Quod ſit invictus; quia fortis ut mors eſt dilectio. 4. Quod ſit delectabilis, ita ut anima dicere poſſit: Introduxit me Rex in cellaria ſua. 5. Quod vulneret animam ardentibus deſideriis. 6. Quod ſemper Deum ſitiat, ſemper præſentem habeat. 7. Quod deſideret conjungi, & eſſe cum Chriſto. C. in Eccli. 7. v. 32.

Caritas Dei comparatur igni. 1. Ignis eſt quaſi omnipotens, ferrum emollit, & metalla liquefacit. 2. Ignis ſi hoſtis eſt, terribilis eſt, ut patet in incendiis & fulminibus: ſi vero amicus, beneficus eſt, cibos coquit, & omnia duriſſima homini emollit. 3. Ignis in tenebris ducatum præſtat, & perfugium. 4. Contrectantem adurit, adſtantem calefacit: ita eminus & reverenter cum Deo agendum eſt &c. C. Levit. 9. v. 23.

Caritas operit multitudinem peccatorum. Quænam Caritas? 1. Caritas Dei, hæc enim delet peccata prædeſtinatorum ante mortem, ac ſi nunquam fuiſſent. 2. Caritas Chriſti, hæc enim electis ſuis applicans ſuam paſſionem dat gratiam, qua peccata abſtergit. 3. Caritas proximi, quia oritur ex caritate Dei, quæ omnia peccata abolet, & hominem ſanctificat: *Caritas*, inquit S. Auguſt. *duos habet pedes. Qui ſunt duo pedes? Duo præcepta dilectionis, Dei & proximi, iſtis pedibus curritur ad Deum*. C. in Ep. 1. S. Petri c. 4. v. 8.

Qui amant, quaſi in corpore proprio mortui ſunt, & vivunt in alieno; voluit ergo Deus per amorem nos transformare in ſeipſum, ita, ut in ejus amore colliqueſcamus, & abſorbeamur: quid hoc eſt S. Bern. de Dilig. Dei. aliud, ait S. Bernar. quam *hominem fieri totum Divinum? Sic affici, Deificari eſt*. Porro Deus manens in anima fideli, hos in ea producit effectus: 1. Eum a terrenis cupiditatibus purificat, ut non niſi cæleſtia cupiat. 2. Omnes potentias, ſenſus & intentiones in ſe trahit, ut non niſi Deum cogitet. 3. Facit, ut anima optet pro Dilecto magna, ac heroica facere, & pati, ut Chriſto crucifixo aſſimiletur. 4. Facit ut anima indies creſcat in amo-



UNIVERSIDAD AUTÓNOMA

amore: 5. Facit ut anima amore Dei accenſa deſideret totum mundum amore eodem accendere. 6. Facit ut anima amans Deum per amorem & confidentiam ipſi quaſi dominetur, & omnia impetret, quæ petit, velut Jacobus luctans cum Angelo. 7. Animam amantem in virtutibus Divinis aſſimilat, eamque ſecretorum Dei participem reddit. 8. Eam ita tranquillat, & ſerenat, ut imperturbabilis in proſperis, & adverſis jugiter in Deo exultet. 9. Denique in ſanctis eximiis nonnunquam ita creſcit, ut languorem, & mortem inducat. C. 1. Jo: 4. v. 16.

121. *Quas proprietates habeat.*

Caritas quatuor præcipue proprietates habet. 1. Unit amantes, ſic S. Dionyſius ait: *Amor eſt virtus faciens unionem*. Et S. Apoſtol. Paulus: *Chriſto confixus ſum cruci*. 2. Mutuo ſibi inhærent amantes, & unus alteri ſua bona communicant. 3. Aſſiduo de ſe invicem cogitant: Sic Paulus, *Vivo ego, non jam ego, vivit in me Chriſtus*. 4. Aſſimilant ſe unus alteri! ſic amor transformavit Verbum in hominem. Viciſſim S. Catharina Senenſis petiit, & impetravit, ut Chriſtus illi cor ſuum, proprio ſublato, communicarit. S. Dominicus ſub Sacro in cælum elevatus eſt, ut Chriſto uniretur. S. Franciſ. Seraphicus per ſacra ſtigmata in Chriſtum transformatus eſt. Crucem Chriſti ambierunt & in ea mortui ſunt, S. Andreas Apoſtolus, S. Apoſtolus Petrus a Nerone condemnatus, S. Apoſtolus Philippus apud Hierapolim Africæ civitatem Claudio Imper. In majori Armenia ſub Rege Aſtyage S. Ap. Bartholomæus, Romæ ſub Decio & Valeriano S. Sixtus Pontifex, Pariſiis ſub Adriano Imper. S. Dionyſius, S. Caliopius, S. VVernerus. In Japonia ſub Taicoſama Rege ſex Patres Franciſcani, tres e Societ. Jeſu, & multi alii. C. in Ep. ad Galat. c. 2. v. 20.

Caritas comparatur igni. 1. Quia nunquam quieſcit. 2. Semper operatur in obſtaculum. 3. Omnes difficultates perrumpit, & ſuperat. C. Cant. 8. v. 6.

Elias igneo curru raptus eſt in cælum: quæ cauſa tam inſoliti prodigii? Dicunt aliqui, quod Deus ſtabilire voluerit fidem, religionem, & prædicationem Eliæ contra Jezabel, & cultores Baal, atque indicare, quod doctrina ejus eſſet caleſtis, & a Deo, qui ignis conſumens eſt. Inſignis hæc eſt ratio, verum S. Amb. ait, per currum igneum intelligi caritatem, ut edoceamur, neminem in cæleſtem patriam ſublatum iri, niſi per caritatem, cujus rotis illuc elevari debemus. Adeo neceſſaria eſt caritas ad ſalutem. C. Eccli. 48. v. 9.

122. *Quomodo conſtituta eſſe debeat.*

Caritas triplex eſt, incipiens, proficiens, & perfecta. Perfectiſſima eſt, quæ mortem propter Deum deſiderat. In incipientibus eſt ſtudium a peccato recedendi. In proficientibus ſtudium in bono proficiendi. In perfectis deſiderium Deo ſemper adhærendi.

Dilectio eſt magna voluntas Deo ſerviendi. Dulcis affectus Deo placendi. Ferventiſſimum deſiderium Deo fruendi. Deus meretur amari, deſiderat amari, præcipit ut ametur.

Deus diligendus eſt per odium peccati, per odium mundi, per odium ſui ipſius.

Quærit ex te Chriſtus: Diligis me plus quam tua? pluſquam tuos? pluſquam teipſum?

In templo Deus glorificandus eſt mentis cogitatione, cordis directione & oris laudatione.

Tria ſunt Divini amoris ſigna; fuga peccati. Frequens cogitatio ac ſermo de Deo. Mandatorum exacta obſervatio.

Diligendus Deus, quando cruciat. Quando conſolatur. Quando remuneratur.

Qui amat vadit in cælum: qui plus amat, currit in cælum: qui plurimum amat, volat in cælum.

Caritas Dei familiariter omnino agit cum Deo: Sponſa clamat: *Revertere, ſimilis eſto capreæ, hinnuloque cervorum*. Cur tam ruſtice, & inepte? Amor ait Bernar. in corde SS. hujuſmodi affectus excitat: reverentiam neſcit, Majeſtatem non cogitat, ponit in ſalutari, & fiducialiter agit cum eo. S. pun. 137. f. 431. Cant. 8.

*Fortis eſt, ut mors dilectio*: in quo conveniunt? in hoc: ſicut mors finem facit peccato, ita caritas. M. con. 2. aſſ. 3. n. 4.

*Ignis Domini in Sion, & caminus ejus in Jeruſalem*. Ignis in Sion eſt amor noſter in Eccleſia Militante, caminus in Jeruſal. eſt amor Beatorum in Eccl. triumphante: ſicut ergo amor Beat. ita & noſter debet habere quinque qualitates: Debet eſſe purus, clarus, grandis, inextinguibilis, & conſtans &c. Seg. Man. 28. Aug. Iſa. 31.

Debet adeo eſſe conſtituta, ut non tantum præcepta Dei obſervet, ſed ultra præcepta aliquid faciat amore Dei. Primi homines uſque ad diluvium non veſce-



ſcebantur carnibus: Quare? an id prohibitum erat? Non erat, ſed neque adhuc erat permiſſum: ut ergo ſuam erga Deum Religionem teſtarentur, abſtinuerunt a carnibus, donec id expreſſe permiſerit Deus. C. Gen. 1. v. 29.

S. Chryſ. hom. 31. in Act. S. Chryſoſt. qui igne Chriſti captus fuerit, talis ſit, qualis eſt homo ſolus ſuper terram; ideo nihil eſt curæ illi gloriæ & ignominiæ, tentationes autem ſic contemnit, flagella & carceres quaſi in alieno corpore pateretur. Quæ autem ſuavia ſunt in hac vita, ita ridet, ſicut nos ipſi mortui mortua corpora. Sicut muſcæ in medium flammæ non incidunt, ſed fugiunt; ita affectiones ad illos accedere non audent. C. Lev. c. 16. v. 13. fin.

Arca fuit facta ex lignis Setim auro obtectis. 2. In ea aſſervabantur Tabulæ legis Moyſi datæ. 3. Superne patebat, ſed ſupra ſe habebat propitiatorium &c. Sic cor Deum amans myſtice debet eſſe conſtitutum. C. Exod. 25. v. 10.

123. *Eſt compendium & confortamentum virtutis.*

Caritas vocatur a S. Paulo vinculum perfectionis: ſicut enim in catena dum unus annulus trahitur, trahuntur omnes: ita caritas omnes Virtutes: patiens eſt, benigna eſt, non æmulatur &c. M. conc. 2. aſſ. 3. n. 5.

Præceptum caritatis eſt præcipuum! quia primum in intentione legis: quia primum in obligatione hominis. Et quia primum in ordine dignitatis, utpote præ cæteris omnibus proportionatum nobilitati humanæ. 2. Non ſolum eſt præcipuum ordine dignitatis, ſed etiam ordine delectationis! quia amor ex ſe condit & mitigat, quidquid rei ineſt auſteri. 3. Item eſt præcipuum utilitate; quia merces amoris eſt potius quæſtus, quam lucrum. Cur igitur tam pauci ſunt, qui revera Deum amant? & amorem, quem Deo debent, creaturis impendunt? quia non ſtudent profunda cognitione penetrare tantum bonum &c. Seg. Man. 29. Jul.

Ad S. Mechtil. Sancti dixerunt: ſi homo ſciret, quanta uno die merita colligere poſſet, mox e ſomno evigilans tanto gaudio cor ejus dilataretur pro eo, quod dies illuxiſſet, in qua Deo vivere, & ſuum meritum augere poſſet, ut tota die ad omnia quæ agere aut pati deberet, alacrior, & fortior videretur. *In Vit. L. 3. c. 9.*

S. Paulus in converſione gentium Chriſtum Redemptorem ſemper in ore & pectore habet: *Mihi vivere Chriſtus eſt, & mori lucrum*. Sic primi Chriſtiani, San. Ignat. Martyr: *Amor meus crucifixus eſt*. S. Jo: Apoſtolus in Evangelio & Epiſtolis nonniſi amorem Chriſti ſpirat. S. Polycarpus, Dionyſius, Laurentius, & alii ad ignes, furcas, & leones, quaſi ad epulas ibant. S. Bernardus ait: *Premat corpus, trahat mundus, frendeat diabolus, ſecura erit conſcientia in Chriſto defixa*. C. Act. 3. v. 16.

Adulteram monuit Chriſtus: *Jam amplius noli peccare*: Non vero Magdalenam. Quare? Ludov. de Ponte ait: quia illa ex timore ad frugem rediit, hæc ex amore. B. Ser. 60. n. 12.

Aurum ingreditur compoſitionem præſtantiſſimorum medicamentorum contra quoſvis morbos. VV. ar. diſ. ſon. 48. Ex. 7. Ita caritas contra quaſvis peccatorum infirmitates valet. Daniel Mylius p. 5. præfat.

Caritas omni virtuti, omnique operi bono tria tribuit, juxta S. Th. 1. Statum virtutis; ubi enim caritas, ibi exulat vitium: alias virtutes enim ſuo regno donat, ut inde homo denominetur ſanctus & juſtus. 2. Tribuit illi vim, & efficaciam merendi; facit enim hominem Divinum, amicum, & filium Dei. 3. Dat illis ordinem ad ultimum finem, caritas enim totum hominem, & omnia, quæ in eo ſunt, dirigit ad Deum. Denique amorem & laudem. C. in E. ad Galat. c. 5. v. 6.

124. *Facilitat omnem difficultatem.*

Sanctus Auguſtinus ait: *Qui amat, non laborat*:

*Omnis labor non amantibus gravis eſt; ſolus amor eſt, qui nomen difficultatis erubeſcit*. Quos labores non ſuſtinet Mater in educatione prolis, Venator in inſectandis feris, mercator in quærendis lucris? & tamen hæc omnia illis levia ſunt ob amorem. A. lect. 6. n. 12. S. Aug. Ser. 48. de temp.

Quid Sanctos Martyres, Laurentium, Polycarpum, Vincentium, Ignatium, Agnetes, Agathas, Dorotheas inter Martyria inſenſibiles reddidit? nihil aliud niſi amor. A. lect. 6. n. 14.

Jacobo, dum pro Rachele quatuordecim annis ſervit, omnem laborem facilitat amor. Exige a Sanctis hujus rei teſtimonium, & dicent ſe ſua jejunia, contemptus & auſteritates nolle commutare cum plauſu & pompa totius mundi; hæc enim omnia ad amorem Dei non tantum cum facilitate, ſed & cum gaudio tolerant. Sag. Man. 19. Aug. n. 4.



008417

Diſcet. cap. 50. Aurum omnibus medicinis contra morbos atrabilarios inſeritur; quia ex natura ſua cor hominis exhilarat. VV. art. diſc. font. 48. ex. 7. aurum caritatis ſymbolum eſt: & hæc caritas eſt opportuniſſima medicina contra triſtitiam, ac puſillanimitatem &c.

Chriſti amor, quo hominem dilexit, dicitur fortis ut mors, dura ſicut infernus æmulatio. 1. Quia ſicut mors omnia domat, ſibique ſubjicit, ut nullum vivens ejus imperium effugere queat; & ſicut infernus ante Chriſtum omnes morientium animas abſorbuit, ita amor Chriſti vicit omnia flagella, clavos, ſpinas, & crucem. 2. Chriſti amor fuit fortis ut mors & infernus, quia eum coegit mori, & deſcendere in infernum. 3. Sicut cum res amata læditur, aut eripitur, amans uſque ad mortem affligitur. &c. Talem & tam fortem amorem viciſſim exigit Chriſtus, quæ omnem difficultatem ſuperat. C. Cant. 8. v. 6.

125. *Non opprimitur adverſis.*

Aurum in igne non comburitur, ſed depuratius efficitur: VV. ar. diſ. fon. 48. ex. 7. Ita caritas in adverſis non tantum non opprimitur, ſed magis purificatur.

Diliges Dominum Deum tuum ex tota virtute: ita mandatum caritatis. Quid eſt diligere ex tota virtute? Reſpondet S. Bernardus: *Non abduci blanditiis, nec ſeduci fallaciis, nec injuriis frangi, toto corde, tota anima, tota virtute diligere eſt.* C. in Eccli. 7. v. 32. (S. Bern. Ser. 29. in Cant.)

Primi Chriſtiani in Dei & Chriſti amorem adeo erant abſorpti, ut S. Paulus ajat: Vivo ego, non jam ego, vivit vero in me Chriſtus! Mihi abſit gloriari, niſi in cruce Domini &c. Idem fuit ſenſus S. Ignatii Martyris, *Amor meus crucifixus eſt!* Item S. Polycarpi, Dionyſii, Laur. & aliorum, qui Chriſti amore ad ignes, furcas, & leones ibant quaſi ad epulas.

S. Bern. l. de conſ. c. 1. Præclare S. Bernard. Cum amor Chriſti totum abſorbuit affectum hominis, ut negligens, & immemor ſui nil niſi ſolum JESUM Chriſtum ſentiat, tunc demum in eo perfecta eſt caritas. Non eſt oneroſa ei paupertas, non ſentit injurias, ridet opprobria, contemnit damna, mortem lucrum putat. C. in Act. Ap. c. 3. v. 16.

Amanti Deum nihil eſt optabilius, quam poſſe pro eo multa pati: 1. Quia amorem ſuum in nulla re magis oſtendere poteſt, quam ſi dura pro eo patiatur, aut agat. 2. Quia Deus illos, qui multa pro ſe patiuntur, viciſſim diligit, & conſolationibus replet. 3. Quia cogitat, paſſionem eſſe brevem & exiguam, retributionem autem æternam, juxta illud: *Non ſunt condignæ paſſiones hujus temporis ad futuram gloriam.* C. in Ep. S. Jac. c. 1. v. 1.

## Odium ſui.

126. *Sequitur ex amore Dei.*

Joan. 12. *QUi amat animam ſuam perdet eam: qui odit animam ſuam cuſtodit eam:* Ubi Auguſt. Si male amaveris tunc odiſti, ſi bene oderis tunc amaſti. Felices, qui oderunt cuſtodiendo, ne perdant amando. S. pun. 112. f. 337. (S. Aug. tr. 51. in Joan.)

S. Gregorius ait: Tunc bene animam noſtram odimus, cum ejus carnalibus deſideriis non acquieſcimus, cum appetitum frangimus, cum ejus voluptatibus reluctamur. Eundem in ſenſum explicant Origenes, Chryſoſtomus, aliique. Et bene dicitur, *qui odit*, quem enim odimus, nec clamantem quidem audire volumus. S. pun. 112. f. 337.

Caritas Dei neceſſario poſt ſe trahere debet odium ſui ipſius; quo plus enim te amas, hoc minus amas Deum, quem ut ames, neceſſe eſt, ut te oderis, prout norunt omnes Sancti, qui primum fundamentum amoris Dei poſuerunt in odio ſui ipſius. Hujus regulæ beneficio facile diſcernitur, quis ſit verus, quis falſus amor! Dolendum maxime, quod Amor proprius jam exaltavit ſolium ſuum, in ipſa ſanctitatis exercitia ſeſe inſinuat: aſcendit ſacra pulpita, ex quibus impugnatur, regitque eorum corda, quorum linguis carpitur. Per ipſa jejunia, orationes, & eleemoſynas ſeipſum firmat, & in abuſum detorquet opera, quæ natura ſua aptiſſima eſſe poſſent inſtrumenta ad fundandum in nobis amorem Dei.

Sicut nobis ipſis blandimur, quod Deum amemus, ita & nobis perſuademus, quod odium noſtri ipſorum ad amorem Dei neceſſarium ſatis habeamus. Verum dic, an omnia commoda a teipſo removeas, & ad purum Dei amorem convertas? Dic an nullas quæras in menſa delicias, nullam in veſtitu, & lecto mollitiem, nullam in exercitiis ſpiritus conſolationem, nullam in converſatione amœnitatem, nullam in negotio ſatisfactionem? ſi enim ſecus fiat, quod erit tui odium? diſpice an ea tecum ratione agas, qua inimicus ſolet agere cum inimico? iſte malum quodvis inimico vovet & procurat, gaudet, ſi adverſi quid illi accidat, auctoritatem ejus imminuit, & contemnit &c.





In teipſum cogitatione regredere, dic qua animi tranquillitate excipis morbos corporis & adverſitates? Dic, quibus voluntariis afflictionibus teipſum mortifices? Dic, quo gaudio internas deſolationes ſuſtineas? Dic, quomodo te habeas, ſi proſtituaris maledictis, ſi lacereris calumniis, ſi damnificeris in fortunis, ſi redigaris ad incitas, ſi a nemine diligaris, ſi fias aliorum jocus, ſi ab amicis omnibus deſeraris? ſane, qui oderunt quempiam, hæc illi, atque his graviora evenire gaudent. Hæcne tu in te ipſo amas &c.

## Contemptus mundi.

127. *Concipitur ex conſideratione mortis & æternitatis.*

SAn. David ait: *Turbatus ſum, & non ſum locutus.* Quare? *cogitavi dies antiquos, & annos æternos in mente habui.* Dicebat ſecum: olim vici leones: ſed quid proderit in morte? eram adoratus dum vici Goliathum: ſed quis ſcit an non ipſe ſim æternum vincendus &c. B. Ser. 18. n. 9. & 13.

Sicut Mater amariſſimum ſuccum Aloe illinit mamillis, ut infantem a lacte deſuefaciat; ita Deus temporalibus deliciis immiſcet triſtia, funeſta, ſubitaneas mortes &c. ut hominis cor ab inordinato mundi amore abſterreat. B. Serm. 3. n. 28. ſeq. Vide Tit. *Mundus.*

Senex quidam fratrem furacem ſecum in cella habebat, qui omnia illi furabatur, ita ut ſenex duplicare laborem, & parciſſime vivere deberet. Moriens autem oſculatus eſt manus hujus fratris dicens, quia propter illas recepturus eſſet ſalutem æternam. E. *Furtum* n. 9.

Deus hortatus eſt Judæos: *Fugite de terra Aquilonis*, id eſt, fugite Babylonem. Quare autem fugienda eſt? quia paulo poſt a Dario Rege eſt devaſtanda. Eodem modo inculcatur nobis fuga, & contemptus mundi paulo poſt interituri. C. in Zac. c. 2. v. 6.

Mundus eſt *civitas vanitatis*, nihil enim in eo ſtabile, nihil ſolidum, omnia ſunt fugacia. Recte Philoſ. Quid eſt mundus? Eſt ſchola vanitatis, forum impoſtorum, ſcrinium dolorum &c. C. in Iſa. 24. v. 10.

128. *Docetur a Sanctis.*

Abraham affectum habuit plene a mundo avulſum, reputabat ſe peregrinum non magna domorum ædificia conſtruxit, ſed parva illi ſufficerunt tuguria, quoniam mens ejus alio tendebat, ait S. Anſelmus. David continuo aſpirabat ad cæleſtem patriam, inquiens: *Quia advena ego ſum, & peregrinus ſicut omnes patres mei &c.*

Joſeph in Ægypto nullas poſſeſſiones emit per 94. annos, verus filius Jacob, qui nec mortuus eſſe voluit in Ægypto &c. S. pun. 78. f. 244. & ſeqq.

S. Macarius furem, qui cellulam ſuam exſpoliabat, in onerando camelo ipſius adjuvat. R. 1. par. mir. 22.

Senex quidam fures cellulam ſuam deprædantes inſecutus, eos monuit quod ſacellum deprędari obliti fuerint. E. *Furtum* n. 8.

Abbas Anaſtaſius codicem ſibi furto ablatum & venditum, emptori commendat, nihil dicens, quod ad ſe attineret. E. *Furtum* n. 7.

S. Auguſtinus deplorat ſuam adoleſcentiam in plateis Babylonis peractam, ubi adeo depravatus eſt, ut erubuerit non eſſe impudentem &c. S. Fulgentius Epiſc. Ruſpenſis Senatoria familia ortus, doctrina & opibus florentiſſimus, conſiderata mundi vanitate dixit: *Cur ſine ſpe futurorum bonorum laboramus in hoc ſæculo! Quid nobis denique præſtare poterit mundus?* Et ſic nuntium miſit mundo, multis imitantibus, ita ut copia implerentur cœnobia! C. in Zach. c. 2. v. 15.

B. Th. Morus carceri incluſus ajebat ad ſuos pro ſolatio: Mundus carcer eſt, ex quo omnes ad ſuam cauſam dicendam quotidie evocantur. C. in Iſa. 24. v. 10.

129. *Inculcatur a variis adverſitatibus corporis & animæ.*

S. Auguſtinus ait: *Amarus eſt mundus & diligitur, putas ſi dulcis eſſet quomodo amaretur?* B. Serm. 33. nu. 16. Vide Titul. *Tentationes.*

Ægyptus Iſraelitis amarus eſt, & tamen illi ægre Ægypto exceſſerunt: ſi dulcis fuiſſet certe nunquam deſeruiſſent. S. pun. 40. f. 168.

Mundus plenus eſt vitiis, erroribus & ærumnis: fugiendum igitur de poteſtate diaboli in Jeruſalem, id eſt, ad Eccleſiam, quæ eſt columna veritatis. S. Bernardus ait: *Quidni periclitetur caſtitas in deliciis, humilitas in divitiis, pietas in negotiis, veritas in multiloquio, caritas in hoc ſæculo nequam? Fugite de medio Babylonis, & ſalvate animas veſtras &c.* C. in Zach. c. 2. v. 15. (S. Bern. Ser. 30. de Conv. ad Cler.)

*Prov. 14.* *Riſus dolore miſcebitur, & extrema gaudii luctus occupat.* Sicut pomo innaſcitur vermis, & vino immiſtæ ſunt fæces; ita voluptati innatus eſt dolor: *Ubi mel, ibi fel.* Platonis Apologus eſt: Voluptas & dolor apud Jovem ſe invicem accuſabant: cumque Jupiter pacem inter illos componere non poſſet, ferrea catena illos colligari juſſit: unde fit, omnem voluptatem miſtam eſſe dolore. Omnia mundi gaudia antecedit, comitatur, & ſequitur dolor. Carolus V. cum Bruxellis ſuas ditiones ac regna in Philippum filium tranſtulit, coram toto Senatu profeſſus eſt, ſe per totam vitam nec uno horæ quadrante habuiſſe puram lætitiam. C. Prov. 14. ver. 13.

### 130. *Quomodo terrenis uti debeat.*

*Matthiolus in Herbario.* Herba, quæ vocatur capillus veneris, utut nullibi niſi ad ripam fluviorum naſcatur, nihilominus cum ejus folia in aquam intinguntur, non madeſcit, ſed omnem ſtatim aquam relinquit, contenta eo ſucco, quo ad nutrimentum indiget: Ita cor humanum terrenis tantum ad neceſſitatem, non ad delicias utatur.

In medio mari inveniuntur piſces, qui non habent carnem ſalitam ſed dulcem, quia nempe in medio mari aquam dulcem pro ſuo nutrimento inveniunt: Parem in modum inter medias mundi vanitates poteſt anima pie & ſancte vivere.

Theodorus Monachus adduci non potuit, ut ad videndam ſororem & Matrem ad portam Monaſterii prodiret, quo exemplo utramque ad vitam Religioſam pertraxit. E. Verbo *Affectus* n. 4.

Marcus Monachus Matri ad portam Monaſterii adventanti, ſacco indutus, fuligine denigratus, & clauſis oculis ſe videndum præbuit, ita ut ab illa non agnoſceretur. E. Verbo *Affectus* n. 5.

Alius faſciculum litterarum ab amicis ſubmiſſum, nulla aperta, concremavit. E. Verbo *Affectus* n. 7.

Canes in Ægypto currendo, & fugiendo e Nilo aquam ſitientes lambunt, quia metuunt a Crocodilis, qui in ripa fluminis deliteſcunt, occupari. Sic bona terrena, inter timorem & fugam, ſtrictim guſtanda ſunt, ne inſidiator diabolus occupet animum, eumque inordinato deliciarum amore ad nefas abripiat.

## Conformitas cum voluntate Divina.

### 131. *Solatur in omni tribulatione.*

JOb habuit maximam pacem animi in univerſali rerum omnium jactura *Dominus dedit, Dominus abſtulit &c.* S. Auguſt. in hunc locum: Non dixit Job, Dominus dedit, diabolus abſtulit. S. pu. 117. f. 359.

S. Hierony. ad Paulam de obitu Bleſillæ: *Bonus eſt Deus, & omnia quæ bonus facit bona ſint neceſſe eſt: Mariti orbitas irrogatur, plango quod accidit: ſed quia ſic placet Domino, æquo animo ſuſtinebo. Unicus raptus eſt filius: durum quidem, ſed tolerabile, quia ille ſuſtulit, qui dederat.* C. in Ex. 28. v. 12. &c.

*Non contriſtabit juſtum, quidquid illi acciderit:* Olympi vertex ita nubes tranſcendit, ut a ventis & imbribus liber ſit; ita anima conformis Deo. Ille mendicus apud Taulerum ſemper ſe felicem eſſe aſſeverabat. S. pun. 117. f. 360. D. 5. 61.

*Adveniat regnum tuum, fiat voluntas tua.* Qualis connexio? Nempe facere voluntatem Dei eſt poſſidere regnum Dei in terra. S. pun. 117. f. 366.

Voluntas Dei eſt regula omnis boni: an prudens foret ſi regula ligno, & non lignum regulæ deberet conformari &c. A. lect. 5. n. 14.

Qui conformat ſuam voluntatem Divinæ, etiam in hac terra cælum poſſidet. *Adveniat regnum tuum*, quomodo autem obtinetur? *Fiat voluntas tua.* Ratio eſt, quia in cælo omnia poſſidentur, quæ petuntur: petuntur autem, quæ & quomodo Deus vult &c. A. lect. 5. n. 23.

Duo conjuges Chinenſes miſerrimis tribulationibus, morbis, ac egeſtate velut alter Job affliguntur, a ſacrificulis irridentur, qui tot mala in eorum converſionem ad fidem refundunt, & inter hæc omnia clamant: *Fiat voluntas tua.* R. cen. 3. mir. 10.

### 132. *Adhæret Deo tam in proſperis, quam adverſis.*

*Paratum cor meum Deus, paratum cor meum:* quam conduplicationem exponit S. Bernar. paratum ad adverſa, paratum ad proſpera. Heliotropium etiam nubilo die ſequitur ſolem. *Quid mihi eſt in cælo?* etiam ipſum cælum non vult David, niſi velit Deus. S. pun. 117. f. 362.

*Ut jumentum factus ſum apud te.* Jumentum ſine murmuratione, mane & ſero, ad laborem ſequitur: aurum & ſtercus portat, nobilem, & ruſticum vehit. S. pu. 117. f. 362.



*Anima mea in manibus tuis*, ſicut lutum aut cera, fac quod vis. S. Ib. fol. 366. & M. conc. 2. aſſ. 3. n. 9.

Voluntas noſtra Deiformis eſſe debet, quia Deo ſoli competit dicere *volo*, & hinc nec plus nec minus velle debemus quam Deus vult. Paoletti Fer. 4. poſt Dom. 1. Quad.

Bos tam Moſaicæ Legi, quam gentilibus ad ſacrificium ſerviebat: ſic ſymboli loco depingitur, e cujus dextro latere ignis ſuper aram, ex altero vero aratrum ſpectabatur, cum inſcriptione: Ad utrumque paratus. Sic homo Chriſtianus erga Deum ſe habeat, inquiens: Vis me pauperem? ero lubens! Exulem? ibi me natum putabo &c. Mund. Symb. l. 5. n. 56.

Heliotropium, flos addictiſſimus ſoli eſt, quem ſemper aſpicit, etiam tunc cum ſol ſub nube, aut nocturnis tenebris deliteſcit. Ita voluntas humana Divinæ ſemper adhæreat in proſperis & adverſis. Ib. Lib. 11. n. 79.

Truncus ligneus aut ſaxeus ſub ſcalpro artificis paratus eſt ad formam pulchram, aut monſtroſam. Ib. Lib. 12. n. 144.

### 133. *Docetur exemplo Sanctorum.*

S. David vir ſecundum cor Dei, *qui facit omnes voluntates meas.* Cuſtodio *legem tuam, in medio cordis mei*, ut ſiquis legem Dei lædere velit, prius lædat cor meum, & occidat. S. pun. 117. f. 360.

Illa animalia *ubi erat impetus Spiritus, illuc gradiebantur*: ita juſti deſideriorum alas tantum movent ad Dei juſſa. S. pu. 117. f. 363.

Quidam Abbas olera amara ſibi appoſita excuſat cum voluntate Dei ita diſponentis. C. Gen. c. 50. v. 19. col. 2.

Chriſtus ipſe in vita & morte nihil frequentius repetiit, niſi illud: ut fieret voluntas Patris. S. pun. 117. f. 364.

David excuſat Semei maledicentem per voluntatem Dei: Machabæi tolerant cruciatus tanquam a Deo venientes. Abbas quidam comedit amaras herbas per errorem ſibi appoſitas, & veniam roganti fratri repoſuit: Voluntas Dei fuit. C. Gen. 50. v. 19. Chriſtus Dominus ipſe in horto ad Patrem oravit: tranſeat a me calix paſſionis, ſed ſtatim ſubjunxit, non mea, ſed tua voluntas fiat, ſic in rebus arduis voluntas propria abdicanda, & Divinæ ſubjicienda eſt, ita ut ſit parata & indifferens ad omnia. Coſterus de Paſſ. Med. 4. §. 1. in fine.

Beatiſſima Virgo, non obſtante, quod immenſos dolores paſſa ſit ſub cruce, ita fuit reſignata in Divinam voluntatem, ut ſi nemo fuiſſet, qui Filium crucifigeret, ipſa illum cruci affixiſſet, ut fieret voluntas Dei, ait S. Antonius. *S. Ant. p. 4. tit. 15. c. 4. §. 1.*

### 134. *Suadetur ex variis motivis.*

Epictetus: Conformavi voluntatem meam Divinæ. Vult me febricitare? Et ego volo. Aliquid aggredi? Volo. Potiri? Volo. Non potiri? Volo. Mori? Volo &c. S. pun. 117. f. 366. A. 1. lect. 5. n. 13.

Omnes creaturæ exequuntur voluntatem Dei, excepto ſolo homine: coturnices in magno numero advolant, ut paſcant Iſraelitas: ventus & mare ad quietem ſe componunt: venit fames ſuper terram, venerunt cænomya, & ciniſes, venerunt locuſta, & bruchus ad puniendos Ægyptios. Obtemperavit cetus ad portandum Jonam in Niniven, receſſit febris a ſocru Petri &c. Immo ipſi dæmones obediunt Deo. A. lect. 5. n. 25.

Voluntas Dei eſt fortiſſimum contra adverſitates & tentationes ſcutum, juxta illud: *Scuto bonæ voluntatis tuæ coronaſti nos.* *Pſal. 5.*

Eſt optima diſpoſitio ad dona Divina in hac & in altera vita accipienda: ſic Chriſtus Dominus ad S. Birgittam dixit: Quia tu mihi nihil negaſti in terris, ego nihil tibi negabo in cælis. *Revel. S. Birg. l. 1. c. 14.*

Per hanc virtutem homo magis, quam per aliam Deo conjungitur, eique ſimilis efficitur; hinc S. Cath. Senen. talem hominem plene reſignatum, venerabatur etiam in terris tanquam hominem Deificatum. S. Gertrudis a Chriſto ſanitatem & morbum offerente, neutrum eligit, ſed voluntati Divinæ reliquit. Tum audivit a Chriſto: Qui cupit a me ſæpius audiri, ſuæ voluntatis clavem mihi offerat, nec unquam a me repetat. Quo audito S. Gertrud. hanc precatiunculam: Non mea, ſed tua voluntas fiat, quotidie trecenties repetiit.

### 135. *Sæpe defectuoſa apud homines. Hinc multa mala.*

Ad illum gradum reſignationis, quem Chriſtus habuit, rari aſcendere volunt. Interdum in actu reſervamus aliquid, dum pati nolumus injuriam hanc, jacturam hujus rei &c. Interdum aliquid in modo: accipimus injuriam, ſed non per manus inimici, mortem, ſed non violentam &c. Perfecta reſignatio nihil excipit. S. pun. 117. f. 364.

Pau-

ALERE FLAMMAM VERITATIS
UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN ®
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

Pauci ſunt, qui ita parati ad pedes Confeſſarii accedunt, ut dicant cum Paulo: *Domine, quid me vis facere?* S. pun. 117. f. 365.

Quid mirum deinde, ſi a Deo pauca impetremus? ſi volumus Deum habere ad placitum voluntatis noſtræ, ante omnia opus eſt, ut ejus voluntati conformemur; quia ſolet nobiſcum agere ſicut nos cum ipſo. Paoletti Dom. Quinquages. Quin imo multi ſunt, qui ſuomet ingenio, & viribus confidentes, negotia ſua ordinant, & diſponunt ſine omni reflexione ad voluntatem Dei! Dicunt, cras mercatum ibo, in illam aut illam civitatem, cras iter ingrediar in longinquam regionem, cras filiam nuptui tradam, cras hunc aut illum contractum celebrabo, & quæ ſunt ſimilia! Inſulſe Chriſtiane! an non addis: Si Deus velit? ſi Dei auxilium & gratia non defuerit &c. Hinc tot infortunia, & ſiniſtri conſiliorum tuorum eventus, quia ad voluntatem Dei, propter quam ſolam implendam in hoc mundo vivimus, non reſpicis! Hanc doctrinam, rogo impenſiſſime, parentes a teneris filios, Magiſtri diſcipulos, Domini famulos, Patresfamilias domeſticos edoceant, ut nihil decernant, promittant, proponant, niſi cum addito: Si Dei voluntas ſit! Si Dei gratia faveat; quia hæc loquela omnino eſt conveniens Chriſtiano, jam dudum admonito ab ipſo Deo: Sine me nihil poteſtis facere &c.

Multi ſe ſubjiciunt Divinæ voluntati tantum in proſperis, non in adverſis, ſimiles hirundinibus, aliiſque id genus volucribus, quæ tota æſtate lætabundæ nobiſcum verſantur, cum vero hyems advenerit, in aliam regionem migrant.

Alii ad voluntatem Dei confugiunt, cum propriæ voluntatis peſſimos effectus experiuntur: ſic filius prodigus, cum in longinqua regione uſque ad ſiliquas famere, & depauperari cœpit, ſub obedientiam Patris tum primum reverſus eſt.

Alii reſignant ſe quidem in Divinam voluntatem, ſed toto corde optant, ut Deus vellet id, quod ipſi deſiderant. An eadem hæc mens fuit Sanctorum? Nihil minus! Patriarcha Abraham, Jacob, Joſeph, Tobias, Eſter, Judith, David, Job, & alii pleno corde ſe conjecerunt in Providentiam Dei, in adverſis non minus hilares, quam in proſperis &c.

### 136. *Eſt Virtus præ cæteris meritoria, & Deo grata.*

Nonne ſi eadem patina, & eundem cibum cum Chriſto comedere poſſes, honori tibi duceres? En! patinam, & cibum: *Meus cibus eſt, ut faciam voluntatem Patris mei*. Comede &c. S. pun. 115. f. 366.

Conformitas cum voluntate Dei tam excellens virtus eſt, ut Sancti in cælo magis lætentur de executione voluntatis Divinæ, quam de magnitudine ſuæ gloriæ, hinc ſinguli ſua gloria contentiſſimi ſunt, nec minor majori invidet. Atque hic excellentiſſimus eſt amoris affectus, qui non tam conformitas, quam humanæ voluntatis cum Divina unitas vocari poteſt.

Deus B. Cathar. Senenſi hanc revelationem fecit: Scias ſervorum meorum ſalutem, perfectionemque in hoc conſtare, ut meam ſolius faciant voluntatem, atque eam ſummo ſemper ſtudio adimplere nitantur, quantoque diligentius in id incumbunt, tanto perfectioni propius accedunt; quia mihi, qui ſumma ſum perfectio, magis, preſſiuſque adhærent.

Suaſit hoc exercitium Deus ipſe, non tantum, quando orare nos docuit: *Fiat voluntas tua ſicut in cælo & in terra*: ſed ubi ipſe huic doctrinæ ſe perfectiſſime accommodavit: Ad hunc etenim finem, inquit, deſcendi de cælo, *non ut faciam voluntatem meam, ſed ejus, qui miſit me*. Et quamquam durum videbatur in omnibus ſe reſignare in voluntatem Patris, quod ex verbis illis patet: *Pater ſi poſſibile eſt, tranſeat a me calix iſte*: tamen appetitus ſuperior expeditus, promptuſque ſemper fuit ad calicem paſſionis bibendum, unde ſtatim ſubnexuit: *Non quod ego volo, ſed quod tu vis*, ſicque ſe projecit ad arbitrium Patris.

De hac virtute ſic diſcurrit Bloſius: Quisquis ita bona præditus eſt voluntate, ut ſeſe abneget, & propriæ renuntiet voluntati, ſeque liberrime reſignet, ac dedat voluntati Dei, ejus bona voluntas eſt perfecta, idemque abſque formidine, & anxia ſui cura vitam tranſigit, caducaque ac labentia cuncta proculcat, & de vita æterna obtinenda quamdam habet certitudinem, ejuſdem in omnibus cum Deo voluntatis eſt, & pacem habet cum Deo, & in Deo imperturbabilem. Hic ex Deo natus, & verus Chriſti diſcipulus eſt; quia mitis eſt, & humilis, corde. Moderate, ſuaviter, & tranquille ferre novit verba aſpera, truces geſtus, & ſæva opera, & quidquid demum injuriarum ſive in ipſum, ſive in amicos ejus conferri poteſt; cum illum nihil perturbare poſſit, neque jactura rerum terrenarum, neque corporis adverſa valetudo, neque ignominia, neque mors, neque vita, neque purgatorium, neque dæmon, neque infernus.



Hanc virtutem Aſcetæ præ cæteris ſuadent. 1. Quia eſt valde facilis, utpote non ſolum litteratis, ſed etiam rudibus conveniens, præcipue, qui in afflictione poſiti, Divini conſilii rationes non inveniuntur. 2. Quod ſit ſimplex, pauca enim requirit, & tamen involvit omnem perfectionem imaginabilem. 3. Quod ſit valde expedita; nam ideo Deus tam multa, eaque evidentia ſigna ſuæ voluntatis dedit, ut facile in omnibus rebus poſſit agnoſci.

Hæc virtus ex amore Dei perfecto procedens ita unit hominem cum Deo, ut fiat quaſi unus cum illo ſpiritus, & abſorbeatur in nobis, quidquid eſt terrenæ cupiditatis, & tota mens tranſeat in Deum, ſicut ſi gutta aquæ infundatur vino generoſo, illico tota tranſit in vinum: & ſicut ferrum, ſi igniatur, tranſit in ignem, & aer illuminatus in ſolem tranſit in lumen. Hanc unionem ſentiunt, qui cum Magdalena agunt vitam contemplativam. O *feliciſſimam animam*, exclamavit S. Bernard. *quæ Deo ſic a Deo meretur affici, ut per unitatem Spiritus in Deo ſolum amet Deum*. C. Joann. 17. v. 21.

### 137. *Eſt via compendioſiſſima ad perfectionem.*

Bernardus ſuper illud Pauli: *Domine quid me vis facere*. Quid tam longe aberat a perfectione uti longe abeſt Eccleſiæ perſecutor? quid perfectum reddidit? illud: *Domine quid me vis facere &c.* S. punct. 117. f. 365.

Lud. Bloſ. l. 4. Div. inſtit. c. 24. Narrat Ludovicus Bloſius Chriſtum Dominum aliquando B. Gertrudi apparuiſſe, & pulcherrimam ei doctrinam dediſſe: *Quicunque a me cupit ſæpius adiri, ſuæ voluntatis clavem mihi efferat, nec eam a me unquam repetat*. Ubi Gertrudis hoc ſecretum didicit quotidie trecenties, & ſexagies quinquies hanc orationem repetiit. *O dulciſſime JESU, fiat in me voluntas tua*. Et hoc medio altiſſimum perfectionis apicem conſcendit &c. A. 1. lect. 5. n. 7.

Monachus quidam habet gratiam miraculorum, in quo tamen haud ſingularis ſupra cæteros ſanctitas apparebat, quæſitus ab Abbate repoſuit, hanc forte cauſam eſſe, quia in omnibus cum voluntate Dei eſſet contentiſſimus: quæſivit Abbas an nullam nuper perturbationem ſenſiſſet, cum domus & horreum conflagrarint? retulit: nullam: Immo adjecit, ſi ſciret ſe immutabili Dei decreto damnandum eſſe, non ideo contriſtandum eſſe, ſed potius rogaturum, ut Deus per omnem æternitatem ſuam in ſe voluntatem exequeretur. A. lect. 6. n. 32. E. Ver. Adverſitas.

S. Stephana orans raptatur inter Seraphinos, cumque interrogaret, cujus virtutis gratia id ſibi fieret? Reſponſum tulit: Propter conformitatem cum voluntate Divina. *Ephem.* Dom. 2. Jan.

S. Cath. Senenſis perfectionem fundatam eſſe in conformitate cum voluntate Divina ait, ad quam tria requiruntur, 1. Ut homo voluntatem ab omni affectu terreno avellat. 2. Ut omnes cogitationes & opera ad Dei honorem dirigat. 3. Ut nolit non tantum malum ſed & bonum, quod Deus non vult. C. Eccli. 7. v. 32.

### 138. *Confortat contra quaſcunque adverſitates.*

Iſraelitæ antequam in bella progrediebantur, ſemper explorabant, an voluntas Dei eſſet, dein intrepide hoſtibus obviam egreſſi centum manibus, & mille animis pugnare videbantur: Chananæos, Moabitas, Jebuſæos, Gabaonitas & centum alias nationes profligarunt: Quare? quia Dei voluntatem eſſe norunt. A. lect. 5. n. 15.

Velle quod Deus vult eſt omnium intentionum optima intentio, per quam opera noſtra dignificantur. Ille revera rebus omnibus dominatur, qui ſui ipſius Dominus eſt: ille autem ſui Dominus eſt, qui Deum cordis ſui Dominum per conformitatem voluntatis habet. Voluntas ſic Deificata, fit quaſi omnipotens; quia dicere poteſt, dum voluntas Dei fit, mea voluntas fit &c. N. 17. Maji.

Sancti in voluntatem Dei omnia reſignantes excuſarunt vitia, & afflictiones, ſibi ab aliis illatas, eaſque tranquillo animo exceperunt: ſic David maledictionem Semei retulit ad Divinam voluntatem, punientem ſua peccata. Machabæi ſuos cruciatus acceptos referebant Deo & Divinæ caſtigationi &c. C. in Gen. c. 50. v. 19.

Sicut voluntas propria eſt via ad interitum, juxta illud S. Bernardi: tolle voluntatem propriam, & infernus non erit: ita voluntas Dei eſt regula omnis boni. Beatitudo Ss. maxima conſiſtit in eo, quod fieri videant Dei voluntatem. Hac cogitatio-

tione confortati Sancti Martyres, non ſolum tranquillo, ſed etiam jucundo animo tulerunt tormenta & mortem. &c.

## Caritas Proximi.

### 139. *Promovetur ex variis motivis.*

IDeo unus pauper, alter dives, unus magnus, alter humilis, ut unus alterius opera indigeat. B. Serm. 21. §. 6.

Con-membra ſumus unius corporis. B. Ser. 28. n. 6. Maximum motivum, quod nos movere debet ad amandum proximum, eſt exemplum Chriſti Domini, qui tanto nos ardore amavit, ut ardentius amare non potuerit. Omnia enim ſua dedit, ut nos amaret, amore complacentiæ, amore benevolentiæ, & amore amicitiæ. Hinc Apoſtolus: *Caritas Chriſti urget nos!* S. Franc. Sales. Direct. p. 3. c. 2. §. 9.

Sunt, qui putant ſe per quemlibet amorem, aut amicitiam facile ſatisfacere huic præcepto: ſed non eſt ita; ſciendum igitur eſt quintuplicem eſſe amorem, ſeu amicitiam, Vitioſam, Communem, Naturalem, Virtuoſam, & Divinam: *Vitioſa* eſt quæ jungit homines ob finem malum libidinis, comeſſationis &c. *Communis* eſt, quæ jungit homines propter communionem patriæ, lucrorum, negotiorum, ſtudiorum, vel alterius commercii. *Naturalis* eſt, quæ unit homines propter conjunctionem ſanguinis. *Virtuoſa* eſt, quæ amat hominem propter virtutem, qua ornatur. *Divina* denique eſt, qua diliguntur homines, quia Deus vult
1. Joan. 4. illos amari juxta illud: *Hoc mandatum habemus a Deo, ut qui diligit Deum, diligat & fratrem ſuum.* Primæ illæ quatuor amicitiæ non requiruntur a Deo ad obſervationem hujus præcepti, ſed ſolum illa ultima &c. Seg. Man. 17. Apr. n. 4. ſeq.

Dilectio proximi eſt mandatum Dei, & quidem ſimile illi quo jubemur Deum ipſum diligere: ſimile, inquam, quia non minus obligat, quam primum: quia morale eſt ſicut primum, quia naturale, abſolutum, affirmativum, univerſale, clarum, perpetuum, ſicut primum &c. Seg. 30. Jul. n. 1.

Sicut dignitas & excellentia poſt ſe trahit honorem, & quanto major eſt, tanto majorem; ita Bonitas poſt ſe trahit amorem, unde cum proximus participet Bonitatem Dei, ſecundum hanc participationem, magis aut minus amari poteſt &c. S. Franc. Sales. Direct. p. 3. c. 2. §. 11.

### 140. *Quilibet habeat curam alterius.*

Hominem, non ut ſibi ipſi ſolum prodeſſet, creavit Deus, ſed ut multis, ait Chryſoſt. S. Job petiit ſermones ſuos ſculpi in ſilice, ut poſteritati prodeſſet. B. Ser. 34. §. 1. & Ser. 28. n. 7.

Duo Cherubin in arca ſe mutuo reſpiciebant. M. con. 2. aſſ. 3. n. 8.

S. Apollinaris Patriar. Alexan. ut quemdam Nobilem depauperatum e paupertate eriperet, fingit apocham quinquaginta talentorum, eamque per tertium nobili tradit, ac debiti poſtulatus ſummam omnem ſolvit. R. 1. par. mir. 46.

Caritas eſt regina virtutum, ideo proximo in neceſſitate, præſertim in infirmitatibus exhibenda eſt. Paoletti Feria 5. Cinerum. Et Fer. 5. poſt Dom. 3. Quadr.

Præſertim domeſticorum curam, amoremque habere nos oportet, cum diſcretione, & affectu benevolentiæ. Nunquam iræ permittendus locus, nunquam amaritudini pectus recludendum: adeoque defectus domeſticorum ita corrigendi ſunt, ut pateat potius diſcretionis, aut amoris, quam alterius affectus cauſa fieri correctionem. Præcipue cavenda ira, quæ facile declinat in odium & inimicitiam. S. Franc. Sales. Direct. p. 3. c. 2. §. 4. *Ira juſtitiam Dei non operatur.*

Non deſperet afflictus, ſed in Deo confidens ajat: *Poſt tenebras ſpero lucem.* Sic S. Jo: Eleemoſyn. Hieroſolymitanos ob excidium urbis depauperatos & exules, auro & commeatu refecit. C. Thren. 4. v. 22.

### 141. *Diligendus proximus unice propter Chriſtum.*

In ultima cœna mandatum novum dedit Chriſtus, *ut diligamus invicem*: an hoc novum eſt? an non jam in Veteri Teſtamento jubebamur diligere? an non ipſa natura ordinat caritatem? Reſpondeo eoipſo, quia natura ordinat amorem ideo lex amoris nova eſt, ut ſcilicet deinceps diligamus invicem, non quia natura ordinat, ſed quia Deus vult: ideo addidit Chriſtus: *Sicut dilexi vos.* Ille dilexit non propter carnem, & ſanguinem, non propter propenſionem naturalem &c. B. Ser. 26. n. 44. & ſeq.

Fr. Joſeph voluerunt illum occidere: unde tantus furor? quia Joſephus adhuc procul ab eis erat: Joſephus typus eſt Chriſti, procul eſt Chriſtus ab illo homine, qui



qui proximum non amat. M. conc. 29. aſſ. 3. n. 7.

Dicis: Eſt homo vitioſus! eſt meus inimicus! Quamquam ergo ex ſe dignus non eſſet amari, dignus tamen eſt propter Chriſtum! Optimum medium vindicandi inimicum, ait S. Auguſtinus, eſt, ſi eum diligamus, & benefaciendo ulciſcamur. Illique Dei gratiam & omnem felicitatem exoptemus &c. S. Franc. Sales. Dir. p. 3. c. 2. §. 3.

Præcipua ratio diligendi proximum eſt, quia eſt imago SS. Trinitatis, & unionis cum Divinitate per gratiam, & gloriam capax. Unde ſicut Raguel juniorem Tobiam dilexit, inquiens: *Quam ſimilis eſt*
Tob. 3. *juvenis iſte conſobrino meo!* ita proximum diligere debemus, quia eſt ſimilis Deo. S. Franc. Sal. Direct. p. 3. c. 2. §. 8. & 9.

### 142. *Raro tanta eſt, quanta noſtri ipſius.*

Noſtra delicta nobis levia, proximi gravia videntur, quia proprius amor excæcat. David, quamdiu putabat ſibi alienum crimen proponi, juravit: *Filius mortis eſt Vir, qui fecit hoc.* S. pun. 111. f. 329.

Delicta proximi facile videmus, ad noſtra autem cæcutimus. M. con. 20. aſſ. 1. num. 3. 4. Et conc. 29. aſſ. 3. n. 5.

Dilectio proximi apud multos eſt *pernicioſa, quæſtuoſa*, aut *mortua*. Amore pernicioſo amant proximum, qui illi obſecundant, & favent in rebus malis. Amore quæſtuoſo amant, qui attendunt ejus gratitudinem, aut utilitatem reciprocam. Amore mortuo amant, qui puram habent velleitatem ei bene precandi, opere autem ipſo, cum occaſio eſt, illi non ſuccurrunt &c. Seg. Man. 30. Jul. n. 2.

O quoties amor noſter non eſt verax! Aliqui oſtendunt majorem amorem proximi, quam revera habent, & hæc fictio *mala eſt*. Aliqui oſtendunt amorem & non amant. Atque hæc fictio *pejor eſt*. Aliqui oſtendunt amorem proximi, quem revera odio habent, & hæc fictio *peſſima eſt*. Seg. Man. 13. Aug. n. 4.

Centurio noluit Chriſtum intrare in domum ſuam: Quare? domus valde diſſita erat, metuebat fatigari Chriſtum: nempe ſuam ipſius naturam in Chriſto conſideravit, ait Chryſol. M. con. 29. aſſ. 3. n. 5.

Judæi cur faciem Chriſti velaverunt, dum eum cædere voluerunt? Reſpon. ne ſuam naturam in Chriſto intuerentur: qui ſuam naturam in proximo non conſiderat, eum non amat. M. con. 29. aſſ. 3. n. 6.

### 143. *Quomodo conſtituta eſſe debeat.*

Chriſtus Dominus præcipit: *Hoc eſt præceptum meum ut diligatis invicem, ſicut dilexi vos.* Joa. 15. Per particulam *ſicut*, non exigit quidem æqualitatem, ſed ſimilitudinem. Quomodo ergo dilexit nos Chriſtus? Dilexit Rectiſſime: Rectitudo amoris requirit tria: 1. Ut ſciamus in proximo diſtinguere inter ſubſtantiam, & ſubſtantiam, hoc eſt inter corpus & animam, ita ut animam amemus propter Deum, & corpus propter animam. *Ordinavit in me caritatem.* Cant. 2. Ita Chriſtus dilexit Apoſtolos, voluit, ut corpus exponerent morti, & animas eorum vocavit, ut ſanctas faceret &c. 2. Rectitudo amoris exigit, ut ſciamus diſtinguere inter ſubſtantiam & accidens, ita ut quidem odio habeamus peccatum, & tamen amemus peccatorem: ita Chriſtus fecit in Juda. 3. Rectitudo amoris exigit, ut ſciamus diſtinguere inter accidens & accidens; quia non omnia ſunt ejuſdem generis; quædam ſunt bona uti virtutes, quædam mala, uti ſcelera: quædam indifferentia, uti nobilitas, divitiæ: hæc accidentia facile confundunt amorem incautum, ſæpe aliquis putat ſe amare Suſannam, quia eſt *timens Deum*, & revera amat, quia eſt *pulchra nimis*. Chriſtus reipſa amavit omnes propter id, quod amore dignum eſt; & ideo nunc increpavit Petrum, nunc laudavit &c. Seg. Man. 13. Aug. n. 1. & 2.

Chriſtus Dominus amavit nos amore habente has quinque qualitates, nimirum quod fuerit *Rectus, efficax, verax, gratuitus, & immobilis* amor, dum ergo dicit, ut amemus invicem, *ſicut* ipſe dilexit nos, exigit has qualitates amoris &c. Seg. Manna 13. Aug. 2. & ſeq.

Caritas proximi homines univerſos, velut Dei imaginem amare debet, neminem contemnere, neminem judicare, defectus excuſare, & in meliorem partem accipere debet: ſiqua vero delicta excuſari nequeunt, ita illa odio habeat, ut tamen perſonam diligat. S. Franc. Sal. Direct. p. 3. c. 2. §. 3.

### 144. *Occultat alienos defectus.*

Chriſtus Dominus in paſſione interrogatus a Caipha de Diſcipulis, & doctrina ſua, ad ſecundum reſpondit, non ad primum: Quare? quia laudare diſcipulos non potuit, a quibus fugientibus fuit ipſe deſertus, qui paulo ante contendebant, quis

eſſet

tione confortati Sancti Martyres, non ſolum tranquillo, ſed etiam jucundo animo tulerunt tormenta & mortem. &c.

## Caritas Proximi.

### 139. *Promovetur ex variis motivis.*

In Deo unus pauper, alter dives, unus magnus, alter humilis, ut unus alterius opera indigeat. B. Serm. 21. §. 6.

Con-membra ſumus unius corporis. B. Ser. 28. n. 6. Maximum motivum, quod nos movere debet ad amandum proximum, eſt exemplum Chriſti Domini, qui tanto nos ardore amavit, ut ardentius amare non potuerit. Omnia enim ſua dedit, ut nos amaret, amore complacentiæ, amore benevolentiæ, & amore amicitiæ. Hinc Apoſtolus: *Caritas Chriſti urget nos!* S. Franc. Sales. Direct. p. 3. c. 2. §. 9.

Sunt, qui putant ſe per quemlibet amorem, aut amicitiam facile ſatisfacere huic præcepto: ſed non eſt ita; ſciendum igitur eſt quintuplicem eſſe amorem, ſeu amicitiam, Vitioſam, Communem, Naturalem, Virtuoſam, & Divinam: *Vitioſa* eſt quæ jungit homines ob finem malum libidinis, comeſſationis &c. *Communis* eſt, quæ jungit homines propter communionem patriæ, lucrorum, negotiorum, ſtudiorum, vel alterius commercii. *Naturalis* eſt, quæ unit homines propter conjunctionem ſanguinis. *Virtuoſa* eſt, quæ amat hominem propter virtutem, qua ornatur. *Divina* denique eſt, qua diliguntur homines, quia Deus vult [1. Joann.] illos amari juxta illud: *Hoc mandatum habemus a Deo, ut qui diligit Deum, diligat & fratrem ſuum.* Primæ illæ quatuor amicitiæ non requiruntur a Deo ad obſervationem hujus præcepti, ſed ſolum illa ultima &c. Seg. Man. 17. Apr. n. 4. ſeq.

Dilectio proximi eſt mandatum Dei, & quidem ſimile illi quo jubemur Deum ipſum diligere: ſimile, inquam, quia non minus obligat, quam primum: quia morale eſt ſicut primum, quia naturale, abſolutum, affirmativum, univerſale, clarum, perpetuum, ſicut primum &c. Seg. 30. Jul. n. 1.

Sicut dignitas & excellentia poſt ſe trahit honorem, & quanto major eſt, tanto majorem; ita Bonitas poſt ſe trahit amorem, unde cum proximus participet Bonitatem Dei, ſecundum hanc participationem, magis aut minus amari poteſt &c. S. Franc. Sales. Direct. p. 3. c. 2. §. 11.

### 140. *Quilibet habeat curam alterius.*

Hominem, non ut ſibi ipſi ſolum prodeſſet, creavit Deus, ſed ut multis, ait Chryſoſt. S. Job petiit ſermones ſuos ſculpi in ſilice, ut poſteritati prodeſſet. B. Ser. 34. §. 1. & Ser. 28. n. 7.

Duo Cherubin in arca ſe mutuo reſpiciebant. M. con. 2. aſſ. 3. n. 8.

S. Apollinaris Patriar. Alexan. ut quemdam Nobilem depauperatum e paupertate eriperet, fingit apocham quinquaginta talentorum, eamque per tertium nobili tradit, ac debiti poſtulatus ſummam omnem ſolvit. R. 1. par. mir. 46.

Caritas eſt regina virtutum, ideo proximo in neceſſitate, præſertim in infirmitatibus exhibenda eſt. Paoletti Feria 5. Cinerum. Et Fer. 5. poſt Dom. 3. Quadr.

Præſertim domeſticorum curam, amoremque habere nos oportet, cum diſcretione, & affectu benevolentiæ. Nunquam iræ permittendus locus, nunquam amaritudini pectus recludendum: adeoque defectus domeſticorum ita corrigendi ſunt, ut pateat potius diſcretionis, aut amoris, quam alterius affectus cauſa fieri correctionem. Præcipue cavenda ira, quæ facile declinat in odium & inimicitiam. S. Franc. Sales. Direct. p. 3. c. 2. §. 4. *Ira juſtitiam Dei non operatur.*

Non deſperet afflictus, ſed in Deo confidens ajat: *Poſt tenebras ſpero lucem.* Sic S. Jo: Eleemoſyn. Hieroſolymitanos ob excidium urbis depauperatos & exules, aoco & commeatu refecit. C. Thren. 4. v. 22.

### 141. *Diligendus proximus unice propter Chriſtum.*

In ultima cœna mandatum novum dedit Chriſtus, *ut diligamus invicem*: an hoc novum eſt? an non jam in Veteri Teſtamento jubebamur diligere? an non ipſa natura ordinat caritatem? Reſpondeo eoipſo, quia natura ordinat amorem ideo lex amoris nova eſt, ut ſcilicet deinceps diligamus invicem, non quia natura ordinat, ſed quia Deus vult: ideo addidit Chriſtus: *Sicut dilexi vos.* Ille dilexit non propter carnem, & ſanguinem, non propter propenſionem naturalem &c. B. Ser. 26. n. 44. & ſeq.

Fr. Joſeph voluerunt illum occidere: unde tantus furor? quia Joſephus adhuc procul ab eis erat: Joſephus typus eſt Chriſti, procul eſt Chriſtus ab illo homine, qui



qui proximum non amat. M. conc. 29. aſſ. 3. n. 7.

Dicis: Eſt homo vitioſus! eſt meus inimicus! Quamquam ergo ex ſe dignus non eſſet amari, dignus tamen eſt propter Chriſtum! Optimum medium vindicandi inimicum, ait S. Auguſtinus, eſt, ſi eum diligamus, & benefaciendo ulciſcamur. Illique Dei gratiam & omnem felicitatem exoptemus &c. S. Franc. Sales. Dir. p. 3. c. 2. §. 3.

Præcipua ratio diligendi proximum eſt, quia eſt imago SS. Trinitatis, & unionis cum Divinitate per gratiam, & gloriam capax. Unde ſicut Raguel juniorem Tobiam dilexit, inquiens: *Quam ſimilis eſt* [Tob. 3.] *juvenis iſte conſobrino meo!* ita proximum diligere debemus, quia eſt ſimilis Deo. S. Franc. Sal. Direct. p. 3. c. 2. §. 8. & 9.

### 142. *Raro tanta eſt, quanta noſtri ipſius.*

Noſtra delicta nobis levia, proximi gravia videntur, quia proprius amor excæcat. David, quamdiu putabat ſibi alienum crimen proponi, juravit: *Filius mortis eſt Vir, qui fecit hoc.* S. pun. 111. f. 329.

Delicta proximi facile videmus, ad noſtra autem cæcutimus. M. con. 20. aſſ. 1. num. 3. 4. Et conc. 29. aſſ. 3. n. 5.

Dilectio proximi apud multos eſt *pernicioſa, quæſtuoſa*, aut *mortua*. Amore pernicioſo amant proximum, qui illi obſecundant, & favent in rebus malis. Amore quæſtuoſo amant, qui attendunt ejus gratitudinem, aut utilitatem reciprocam. Amore mortuo amant, qui puram habent velleitatem ei bene precandi, opere autem ipſo, cum occaſio eſt, illi non ſuccurrunt &c. Seg. Man. 30. Jul. n. 2.

O quoties amor noſter non eſt verax! Aliqui oſtendunt majorem amorem proximi, quam revera habent, & hæc fictio *mala eſt*. Aliqui oſtendunt amorem & non amant. Atque hæc fictio *pejor eſt*, Aliqui oſtendunt amorem proximi, quem revera odio habent, & hæc fictio *peſſima eſt*. Seg. Man. 13. Aug. n. 4.

Centurio noluit Chriſtum intrare in domum ſuam: Quare? domus valde diſſita erat, metuebat fatigari Chriſtum: nempe ſuam ipſius naturam in Chriſto conſideravit, ait Chryſol. M. con. 29. aſſ. 3. n. 5.

Judæi cur faciem Chriſti velaverunt, dum eum cædere voluerunt? Reſpon. ne ſuam naturam in Chriſto intuerentur: qui ſuam naturam in proximo non conſiderat, eum non amat. M. con. 29. aſſ. 3. n. 6.

### 143. *Quomodo conſtituta eſſe debeat.*

Chriſtus Dominus præcipit: *Hoc eſt* [Joa. 15.] *præceptum meum ut diligatis invicem, ſicut dilexi vos.* Per particulam *ſicut*, non exigit quidem æqualitatem, ſed ſimilitudinem. Quomodo ergo dilexit nos Chriſtus? Dilexit Rectiſſime: Rectitudo amoris requirit tria: 1. Ut ſciamus in proximo diſtinguere inter ſubſtantiam, & ſubſtantiam, hoc eſt inter corpus & animam, ita ut animam amemus propter Deum, & corpus propter animam. *Ordinavit in me caritatem.* [Cant. 2.] Ita Chriſtus dilexit Apoſtolos, voluit, ut corpus exponerent morti, & animas eorum vocavit, ut ſanctas faceret &c. 2. Rectitudo amoris exigit, ut ſciamus diſtinguere inter ſubſtantiam & accidens, ita ut quidem odio habeamus peccatum, & tamen amemus peccatorem: ita Chriſtus fecit in Juda. 3. Rectitudo amoris exigit, ut ſciamus diſtinguere inter accidens & accidens; quia non omnia ſunt ejuſdem generis; quædam ſunt bona uti virtutes, quædam mala, uti ſcelera: quædam indifferentia, uti nobilitas, divitiæ: hæc accidentia facile confundunt amorem incautum, ſæpe aliquis putat ſe amare Suſannam, quia eſt *timens Deum*, & revera amat, quia eſt *pulchra nimis*. Chriſtus reipſa amavit omnes propter id, quod amore dignum eſt; & ideo nunc increpavit Petrum, nunc laudavit &c. Seg. Man. 13. Aug. n. 1. & 2.

Chriſtus Dominus amavit nos amore habente has quinque qualitates, nimirum quod fuerit *Rectus, efficax, verax, gratuitus, & immobilis* amor, dum ergo dicit, ut amemus invicem, *ſicut* ipſe dilexit nos, exigit has qualitates amoris &c. Seg. Manna 13. Aug. 2. & ſeq.

Caritas proximi homines univerſos, velut Dei imaginem amare debet, neminem contemnere, neminem judicare, defectus excuſare, & in meliorem partem accipere debet: ſiqua vero delicta excuſari nequeunt, ita illa odio habeat, ut tamen perſonam diligat. S. Franc. Sal. Direct. p. 3. c. 2. §. 3.

### 144. *Occultat alienos defectus.*

Chriſtus Dominus in paſſione interrogatus a Caipha de Diſcipulis, & doctrina ſua, ad ſecundum reſpondit, non ad primum: Quare? quia laudare diſcipulos non potuit, a quibus fugientibus fuit ipſe deſertus, qui paulo ante contendebant, quis

eſſet

eſſet major, quorum Petrus gladio fuit vindicativus & paulo poſt ſe negaturus erat, igitur tacere, quam loqui maluit.

Caritas operit multitudinem peccatorum: 1. Tegit injurias & offenſas, quibus alii alios offendunt, animoſque mutuo offenſos reconciliat. 2. Celat & occultat delicta. 3. Contentiones & rixas ſopit & ſedat. 4. Injurias patienter tolerat &c. C. in ep. 1. S. Petri c. 4. v. 8.

Non ſolum alienos occultat defectus caritas, ſed etiam mala aliorum bene interpretatur. Joſephus Ægyptius, poſt quam ſe fratribus conterritis manifeſtavit, ſubjunkit: Nolite pavere, neque vobis durum videatur, quod me vendidiſtis; pro ſalute enim veſtra miſit me Deus ante vos in Ægyptum. En! peccatum fratrum intuitus eſt ex ea parte, qua a Deo permiſſum fuit ut occaſio magni boni. Sic agendum eſt cum proximo. C. Gen. 45. v. 5.

Ex ipſo veneno mixto & attemperato conficitur ſalubris medicina: Ita Chriſtianus, cum videt vitia & ſcandala proximi credat, quod Deus ex hoc errore grande bonum ad ſuam gloriam ſit educturus, idque ut Deus faciat, impenſe roget &c.

### 145. *Efficaciter trahit animos ad Deum.*

S. Franciſcus tres latrones, quos antea Frater Angelus dure habitos procul abeſſe juſſit, amice revocatos cibo & potu pavit, qua caritate ita eorum animos ad Dei amorem commovit, ut illos ad ſacrum ſuum Ordinem traxerit, ubi vitam ſancte peractam ſancta morte concluſerunt. R. cent. 2. part. 2. mir. 19.

Nihil magis trahit animos, æſtimationemque aliorum conciliat, quam amabilis quædam caritatis ſuavitas, & manſuetudo. S. Franc. Sal. Dir. p. 3. c. 2. §. 5. Hæc fere magis quam prædicatio Evangelica propagavit fidem; mirati enim gentiles primorum Chriſtianorum caritatem mutuam, facile agnoverunt, Deum cum illis eſſe: hinc etiam S. Jo: Apoſtolus id continuo inculcavit: Diligite alterutrum, & ſi hoc fiat ſufficit.

Angeli in ſcala Jacob aſcendebant & deſcendebant: ita homo Chriſtianus ad Deum aſcendere, eique angelicum deferre obſequium nequit, niſi ad miſerias & infirmitates proximi deſcendat. S. Franc. Sal. Direct. p. 3. c. 2. §. 8.

Non fuit efficacius remedium ad converſionem gentilium, quam cum viderunt Sanctos Martyres inter tormenta orare pro perſecutoribus, & Chriſtianos manus exoſculari, quibus percuſſi & colaphizati ſunt &c.

### 146. *Admirabiles operatur virtutum effectus.*

Quæritur, quo ſenſu lex caritatis vocetur mandatum novum? Reſpondetur. 1. Novum eſt, ratione cauſæ efficientis puta novi Legislatoris Chriſti. 2. Novum ratione cauſæ materialis puta novorum Chriſtianorum. 3. Novum ratione cauſæ formalis, puta Chriſti incarnati, novæque in eo fidelium unionis. 4. Novum ratione cauſæ exemplaris Chriſti, B. V. & Apoſtolorum, ac primorum fidelium, quorum erat cor unum & anima una. 5. Novum ratione finis, quia per hoc mandatum Chriſti voluit facere novos homines, cæleſtes, non terreſtres. 6. Novum ratione excellentiæ, quia mandatum dilectionis eſt præſtantius ceteris omnibus. Verum ſuper hæc omnia mandatum dilectionis dicitur novum, quia novos & hactenus inauditos producit virtutum heroicarum effectus: Quid magis mirabile & inauditum, quam dilectio S. Pauli, qui cupiit anathema eſſe pro fratribus ſuis? S. Paulini, qui in ſervum ſe tradidit VVandalis pro filio viduæ? S. Jacoponi, qui deſideravit omnia damnatorum tormenta ſubire ſolus, ut omnes illos ex inferno redimeret, & ſalvaret? C. 1. Jo: 2. v. 17.

Caritas ſtudet conſolari mœſtos, etiam inimicos: ſic Joſeph conſolatus eſt fratres, Elcana Annam Samuelis Matrem dolentem ſuper ſterilitate, Tobias uxorem ob longiorem abſentiam filii, Chriſtus Martham & Magdal. ob mortem fratris &c. C. Iſa. 4. v. 2. Et Thr. 4. v. 22.

### 147. *Compatitur miſeris, eoſque ſolatur.*

Monet Eccleſiaſticus: *Non deſis plorantibus in conſolatione, & cum lugentibus ambula.* Eccli. 7. Lugendum eſt cum lugentibus, & flendum cum flentibus, non enim ſufficit plorantes verbis conſolari, ſed complorare oportet; quia hac communione dolor alleviatur, dum in alios plures dividitur. Ita fecit Job: *Flebam ſuper eo, qui afflictus erat, & compatiebatur anima mea pauperi.* C. Eccli 7. v. 38.

Sic conſolatus eſt Joſeph fratres, Elcana Annam Samuelis matrem, Tobias uxorem, Chriſtus Dominus Martham & Magdalenam. C. Iſa. 4. v. 2. Et Thren. 4. verſ. 22.

Ra-



Ratio autem, cur compaſſione levetur dolor afflictis, & 1. quia compatiens aperit cor afflicti dolore occluſum, & compreſſum, facitque, ut dolor effluat, & in ſe derivetur; hinc S. Ambroſius ait: *Solatium hujus vitæ eſt, ut habeas, cui pectus aperias tuum.* 2. Quia compatiens afflicto, conſiliorum inopi, ſana conſilia ad mitigandum dolorem ſuggerit, quæ dolor patientis in ſeipſo inveniri non ſinit; hinc
Prov. 19. Sacer Proverbiaſtes: *Bonis amici conſiliis anima dulcoratur.* 3. Quia compatiens amor & affectus tantum ſubinde eſt bonum, quantum malum eſt ipſe dolor patientis; quare poſitus in bilance illi æquiponderat, tantumque ſolatur, & ædificat patientem, quantum eum dolor affligit, & cruciat. 4. Quia cum patiens ſit quaſi in mari amaritudinis, ex quo emergere non poteſt, demerſus, compatiens ei quaſi manum præbet, qua eum extrahit, ſicut piſcatores eſcam ſuggerunt piſci, ut eum e mari educant; affectus enim eſt quaſi eſca, qua eum ad robur & ſpem melioris fortunæ elevat. C. Eccli 7. v. 38.

### 148. *Plus amat proximum quam ſeipſum.*

Mandatum novum dedit Chriſtus in ultima cœna, nimirum, ut diligeremus invicem: hoc mandatum ideo novum eſt, ait Joannes Ferus, quia proximum plus diligere jubemur, quam nos ipſos. B. Serm. 26. n. 44. & ſeq.

Petrus Telonarius, Serapion Syndonita, Paulinus Epiſcopus ſeipſos vendunt pro proximo. S. punct. 81. fol. 263. 264.

Ferdinandus & Gaſpar Ximenius fratres infelici tempeſtate navigabant: ad alleviandam navim unus in mare ejici debebat, unde orta eſt amica lis uno loco alterius mori cupiente. Tandem Ferdinandus in mare ſe libravit, ſed tota die natans navigium ſequitur, & mirabiliter a Deo conſervatur. R. cent. 2. part. 2. mir. 38.

S. Franciſcus Solanus naufragium paſſus diffracta navi non deſcendit in cymbulam, quæ unica naufragantium ſaluti ſupererat, donec omnes alii uſque ad viliſſimum remigem erant in ſecuro poſiti: plus amabat aliorum vitam, quam ſuam. R. cent. 3. mir. 6.

S. Elphegus Epiſc. Cantuarienſis militibus Danis urbem cædibus & incendio devaſtantibus ſe unum pro omnibus victimam obtulit. In carcerem conjectus, ſeptem menſium inedia excruciatus eſt. Peſte dein graſſante in auxilium vocatus, panem benedixit, e quo, qui guſtarunt, ab hoc malo liberati aut præſervati ſunt. Denique e carcere extractus lapidibus obrutus eſt, etiam ab eo, quem e ſacro fonte levarat. N. 19. April.

S. Paulinus tempore, quo VVandali Italiam infeſtabant, ſeipſum pro filio Viduæ in captivitatem dedit. In Africa hortulanum egit, mirabiliter a Deo liberatus. N. 22. Jun.

### 149. *Eſt præcipua nota hominis Chriſtiani.*

Quivis populus ſua inſignia habet, Romani aquilam, Aſſyrii columbam, Turcæ lunam, Galli lilium. Chriſtianus vero quid? In hoc cognoſcitur, quia Diſcipuli mei eſtis, ſi dilectionem habueritis ad invicem. B. Serm. 59. n. 24. Vide Titulum *Magnates: ſpecialia habent inſignia.*

Lex caritatis vocatur *Lex Regalis*, 1. quia caritas eſt omnium virtutum regina, & legum præſtantiſſima. 2. Quia ornat omnes homines, præſertim Reges & Principes; hinc Chriſtum, dum Petrum conſtituit Eccleſiæ Principem, ante omnia interrogavit eum: *Petre amas me?* 3. Quia præcipue, & creberrime Chriſtus caritatem mandavit: *Hæc mando vobis, ut diligatis invicem.* 4. Quia ad omnes homines, etiam inimicos ſe extendit; ſicut igitur dicitur *Via regia*, id eſt, publica, & communis, qua omnes incedunt, ſic lex caritatis regalis eſt, quia per eam omnes juſti incedunt, & quia non habet obliqui, nec declinat ad dextram, nec ad ſiniſtram &c. C. in Ep. S. Jac. c. 2. v. 8.

Chriſtiani ex eo dicuntur tales, quod ſint imitatores Chriſti: ſicut ergo Criſtus Dominus a ſtabulo uſque ad crucem ſe totum impendit amori hominis cum admirabili prorſus amoris exceſſu; ita & Chriſtianus, ut ſit Chriſti imitator, ſe totum impendere debet caritatis proximi. S. Franc. Sales. Direct. p. 3. c. 2. §. 9.

## Amicitia humana.

### 150. *Sit cum pari, & paucis.*

BEne attendendum illud in contrahenda amicitia, ut fiat cum pari: juxta illud: Altiora te non quæſieris. Si jungis te altiori, ditiori, aut potentiori, amicitia non diu durabit; quia ſuperior non tam amicus volet eſſe, quam Dominus, non dabit conſilia, ſed imperia, & non amabit inferiorem, ſed deſpiciet. C. Eccli 13. v. 2.



Vide

Vide Tit. Sapientia : *Non immiſceat ſe alienis negotiis*.

Cum paucis conſlanda amicitia. 1. Quia affectus & amor hominis eſt finitus, limitatus, & exiguus, ſi ergo in multos dividatur, in ſingulis imminuitur, & nequit eſſe ſingularis & eximius, eum in modum, ait Plutarchus, quo fluvii in multos rivos deducti leviorem habent curſum: aut etiam calor in hypocauſto, ſi fineſtra aut oſtium aperiatur, evaneſcit. 2. Quia amicitia ſingularis eſt ſumma amicorum unio, hæc autem inter plures conſiſtere nequit; quia plura eſſentialiter uniri non poſſunt, ſed tantum accidentaliter, uti lapides in fabrica domus ; quot enim capita, tot contrarii affectus, & judicia. 3. Quia ſpiritus amicitiæ rarus eſſe debet, & bene probatus ac perſpectus, quod pluribus non convenit. 4. Quia pluribus amicis convivere, ſuccurrere, ſatisfacere difficile, aut impoſſibile eſt, dum non raro uni collætandum, alteri condolendum eſſet. 5. Amicus amici conſiliarius eſſe debet, conſiliarii autem multi eſſe non poſſunt; quia inter plures non ſervatur ſecretum, & difficile eſt invenire plures tantæ prudentiæ, & integritatis, ut non invicem diſſentiant. 6. Quia amicitia humana eſt idea amicitiæ Dei, qui ſolus vult a nobis amari toto corde, & non patitur rerum aliarum conſortium. *Eſto amicus*, ait S. Cyrillus, *cunctis, intimus paucis, fidelis univerſis*. C. Eccli 6. v. 6.

Præferenda autem eſt amicitia vetus

Prov. 27. præ nova, juxta illud: *Amicum tuum, & amicum patris tui ne dimiſeris*; quia hunc noſti & ſcis quod ei fidere poſſis, expertus es ejus fidem, conſtantiam, & conſilium: amicitias immortales eſſe oportet, veteres autem ſunt proximiores immortalibus, &c. C. Prov. 27. v. 10.

151. *Quæ commoda habeat*.

Amicitia eſt familiariſſima conjunctio inter duos, ex mutuo amore conflata, ita ut unus quaſi animus fiat ex pluribus: Nihil in mundo æſtimabilius vera & ſincera amicitia; habet enim commoda plurima: 1. quia amicus fidelis eſt *protectio fortis*, tutela, & aſylum tutiſſimum, ſic Abraham amicus fuit Loth, & Jonathas Davidis. 2. Quia amicus theſaurus eſt amici, qui omnem rerum copiam illi, & voluptatem affert; hinc Alexander rogatus, ubi theſauros ſuos haberet? repoſuit in amicis. 3. Quia amico fideli nulla eſt comparatio, ſuperat omnes divitias & theſauros, par eſt patri, & fratri habendus. 4. Quia amicus eſt medicamentum vitæ; in omnibus enim miſeriis tam animi, uti ſunt, mœrores, angores, timores, quam corporis, uti ſunt perſecutiones, infirmitates, amicitia eſt quaſi auxilium & medicina. 5. Quia fidus amicus eſt quaſi donum Dei, quod Deus ſuis cultoribus, tanquam mercedem rependit ; hinc ait Sapiens: *Qui metuunt Dominum, invenient illum*, id eſt, amicum. C. Eccli 6. v. 14.

Gregorius Nyſſenus illud Canticorum: Cant. 4. *Hortus concluſus, fons ſignatus* applicat amico fideli & ſincero : ſicut ex horto fructus, ex fonte aquam, cum libet, depromis ; ita ex amico accipis omnia ad vitam opportuna. C. Eccli 6. v. 14.

Ex quibus omnibus conjice, quam felix ſit amicitia inter Deum, & hominem juſtum: hæc continet omnia commoda & conditiones veræ amicitiæ, colloquia, officia, gaudia, communicationem bonorum, quæ ſane mira eſt, & Divina animæ dignitas atque utilitas. C. 1. Joann. v. 2.

152. *Vera, quomodo ſit probanda*.

Cum S. Hieronymus ajat : *Amicus diu quæritur, vix invenitur, difficile ſervatur*; S. Hier. in Mich. c. 7. ideo amicitia non ſtatim amanda, ſed prius probanda eſt: ſi prius inſpicis vaſa, antequam emas, ait Antiſthenes, multo magis vitam eorum inſpicere debes, quos in amicitiam tibi adjuncturus es! attende bene, quibus ſignis & legibus vera, ac ſincera amicitia probetur. 1. lex amicitiæ eſt, ut neque rogemus res turpes, neque faciamus rogati. 2. Nihil fictum, nihil ſimulatum ſit, ſed omne verum, ac voluntarium. 3. Nihilo ſe plus alter; quam alterum diligat. 4. Attendendum, ne intemperata benevolentia magnas utilitates amicorum impediat. 5. Amicitia, non eſt referenda ad commodum amici aut noſtrum, alias non erit amicitia, ſed mercatura utilitatum. 6. Non utilitatem amicitia, ſed amicitiam utilitas ſequitur. 7. Nunquam intempeſtiva, nunquam moleſta ſit. 8. Virtutum adjutrix ſit, non vitiorum comes. 9. Summa cum fide, conſtantia, & juſtitia ſervanda eſt. 10. In amicitia ſuperior par eſſe debet inferiori, inferior ſuperiori. 11. Non ſit nimia, ut unum pro pluribus ſolicitum eſſe neceſſe ſit. 12. Quo diuturnior erit, tanto ſuavior eſſe debet. 13. Si opus ſit, amicus amicum ſine læſione moneat, & objurget. 14. Amicitiæ ſi declinare videantur in malum, ſenſim diſſuendæ, non repente abrumpendæ ſunt. 15. Amicitia ſit affabilis, non taciturna. 16. Amicus amico in proſperis congaudeat, in adverſis condoleat, & ſublevet. 17. Amicus amici incommoda in ſe ſuſcipiat. 18. Amicus amici moribus, ſenſibus, votis, quoad licet, ſe accommodat. Sic Chriſtus Apoſtolos vocat amicos : Quare? quia *vos eſtis, qui permanſiſtis mecum in tentationibus*. C. Eccli 6. v. 10. & 14. Item Eccli 12. v. 10.



## Correctio Fraterna.

153. *Eſt neceſſaria, & obligatoria*.

S. Chryſ. hom. de Eccl. Dei. PUtant aliqui honeſtum non eſſe, errores aliorum deferre ad ſuperiorem, ſed Chryſoſtomus ait: *Malum eſt aliorum putredines occultare*. Et Origenes: *Quæ eſt* Origen. hom. 71. in Num. *iſta bonitas, quæ miſericordia, uni parcere, & omnes in diſcrimen adducere?* Fac audacter, quod Martha, quæ non horruit S. Aug. ep. 109. ad Monach. fœtorem fratris prodere: *Jam fœtet*. Sanctus Auguſtinus quærit: ſi ſcires ſororem laborare gravi carcinomate, nonne proderes? *quanto ergo potius debes eam manifeſtare*, ſi de vulnere animæ agitur?

Eſau conſtituit Jacobum fratrem occidere conſciis uno vel altero domeſtico : quid factum eſt: *Nuntiata ſunt hæc Rebeccæ*. Ubi Oliva: *Felix ſane Iſaaci do-* Oliva in Gen. 27. *mus, in qua fratris odia non fratri, ſed parenti nuntiantur*. Præpoſtere actum fuiſſet, ſi odium Eſau nuntiatum fuiſſet Jacobo: *Nos furorem Eſau non Rebeccæ nuntiamus, ut extinguatur, ſed nuntiamus Jacob, ut augeatur*. B. Serm. 36. n. 29. 30. 31.

Duo Cherubin in arca ſe mutuo reſpiciebant, quia debet unus ad alterius pericula reſpicere. M. conc. 2. aſſ. 3. n. 8. C. Matth. 18. v. 16. & 17.

Hæc obligatio ſtringit ante peccatum: ſi videris cæcum appropinquantem præcipitio, aut viatorem ſylvæ latronibus occupatæ, teneris illum dehortari. Ergo etiam teneris monere adeuntem periculum peccati. Item obligatio ſtringit poſt peccatum, ſi vides vulneratum, aut ſumpto veneno periclitantem, teneris illum hortari ad emplaſtra vulneri adhibenda, aut antidota ſumenda. Ergo etiam teneris admonere peccatorem ad reſipiſcendum a peccato.

154. *Quomodo fieri debeat*.

Sanctus Bernardus exclamat : O pelvis Domini! O humilitas Chriſti, quam longe receſſiſti! O quam ſunt rari, quam pauci, qui mittunt aquas in pelvim, & flexo poplite ad lavandos diſcipulorum pedes petunt. M. conc. 21. aſſ. 1. n. 11. &c. C. Eccli 19. v. 13. Item Matt. 18. v. 17.

Sanctus Chryſoſtomus deplorat: *Nos vi-* S. Chryſ. hom. 41. *dentes fratres noſtros .... in fauces diaboli cadere, neque ſermone eos dignamur, neque conſulere, neque verbis admonere, & eripere a malitia, & ad virtutem manuducere* ſtudemus &c. C. Gen. 19. v. 5.

*Prædica verbum, inſta opportune, impor-* 2. Tim. 4. *tune, argue, obſecra, increpa in omni patientia & doctrina*. En! Paulus præcipit, Epiſcopum nunc debere peccantes arguere, obſecrando, & increpando, *cum patientia*, id eſt, ſine bile, & *doctrina* id eſt, cum prudentia; nam ſine argumentis, nemo perferet correctionem. Et hoc facere eſt obligatorium, ait enim B. Innocentius: *Er-* Innocent. Diſt. 83. c. Error. *ror, cui non reſiſtitur, approbatur, & veritas cum non defenditur, opprimitur; negligere quippe cum poſſis deturbare perverſos, nihil eſt aliud, quam fovere*. Sicut Medici nunc lenibus pharmacis, nunc acribus utuntur : ſic Epiſcopus & quivis ſpiritualis Medicus nunc blanditiis, nunc aſperioribus verbis agere debet. S. Auguſtinus iis, qui alterum corrigere volunt, pulchrum dat documentum, inquiens : *Hujuſmodi inſtruite in ſpiritu lenitatis*. Ante correptionem examinent conſcientiam, an amore corripiendi ad eam moveantur, aut paſſione, &c. C. 2. Tim. c. 4. v. 2.

*Emunctoria fiant de auro puriſſimo*, metallo pretioſo. M. conc. 21. aſſ. 2. num. 1.

Filium prodigum prius veſtiri voluit Pater, ut ſoli Patri nota eſſet nuditas : ita delictum proximi operire, & ſic corrigere debes. M. Ib. n. 2.

Deus ægre, & difficulter prodit noſtra crimina. M. Ib. n. 3. 4. & ſeq.

Non omnes æqualiter corripiendi ſunt; Chriſtus alios flagello, alios ejectione, alios voce caſtigavit: parvulis panis, decrepitis lac nocet : attende circumſtantias. M. conc. 27. aſſ. 1. n. 14. Sanchez 6. part. c. 4. f. 694.

In eo, qui peccatorem fructuoſe vult corrigere, tres conditiones requiruntur : Amor, ſecretum, & bonitas. Paoletti Fer. 3. poſt Dom. 3. Quadr.

Multum intereſt, ferreo, æreo, vel aureo inſtrumento vulnera tractentur; aurum enim ſanativum eſt, & ferrum corroſivum. VV. arr. diſc. ſont. 48. ex. 6. & 7. Sic multum intereſt correctionem prudenter fieri, interdum auro lenitatis, interdum ferro auſteritatis.

Correptio fratris in peccatum lapſi, tres habeat qualitates: 1. Procedat ex amore. 2. Sit lenis, & dulcedine verborum condita. 3. Sit tempeſtiva, & opportuna. C. Eccli. 19. v. 13.

155. *Debet cum humilitate & emendatione acceptari.*

Dum pulverem excutiunt Moyſes & Aaron, ciniphes naſcuntur; ita &c. Ubi Stephanus: Quid eſt, quod ciniphes, dum pulvis percutitur, non ſolum in jumentis, ſed etiam in hominibus naſcuntur, niſi quia ad excuſſionem pulveris ipſi jam pene ſpirituales murmurant. S. punct. 116. fol. 352.

Hugo a S. Victore correctionis impatiens poſt mortem apparet, atque ſe a ſingulis dæmonibus ſaltem uno verbere fuiſſe flagellatum. E. *Correctio* num. 1.

In ſchola duo juvenes inſolentiſſimi noluerunt acceptare correctionem Magiſtri: proin in ſchola apparuit terribilis dæmon cum virga ferrea minitabundus, quo viſo duo illi juvenes poſt aliquot dies obierunt. E. *Correctio* n. 2. Item C. Prov. 12. v. 1.

Multæ leges ex natura ſua ſunt reciprocæ: ſic cum lex obligat parentes ad bonam educationem filiorum, eadem obligat filios, ad acceptanda obedienter bonæ educationis principia. Talis eſt etiam Lex correctionis fraternæ! eo ipſo quod unus obligetur, ut corrigat alterum, alter etiam obligatur, ut correctioni ſe ſubjiciat; alias certe ultionem Numinis incurrendam pertimeſcat. Pharao, quia reſtitit monitis Moyſis, Saul monitis Prophetarum, populus Judaicus monitis Chriſti Domini, perierunt: ita omnes manifeſtum interitus periculum incurrunt, qui bene monentibus reſiſtunt. Hinc Sacer
Prov. 28. Proverbiaſtes: *Qui corripit hominem, gratiam inveniet apud eum.*

156. *Omiſſa quantum noceat.*

Philiſtæi omnes fabros ferrarios e regno Iſrael exterminare ſtuduerunt: ita dæmon correctores & correctionem impedire ſtudet bene gnarus, quantum malorum ex omiſſione correctionis ſequatur. M. conc. 21, aſſ. 1. n. 3.

Iſaias dum SS. Angelos illud tryſagion cantare audiit, vocem ſuam conjungere voluit, ſed non potuit? Quare? quia impium Regem Oziam corrigere neglexit. M. conc. 21, aſſ. 1. n. 9.

Iſaias dicit: qui non punit, multiplicat peccata populi, & Seneca: qui parcit impiis, nocet juſtis. Sanchez *6.* part. c. 4. fol. 696. ſeq.

In regionibus, ubi infelix peſtilentia graſſatur, præcipitur ſubditis, ut in plateis urbium, & ruri in viis publicis ignes fumoſos & odoriferos accendant, quibus purgatur aer. Quod ſi ſubditi mandatum facere negligant, ipſi in culpa ſunt, ſi latius propagetur venenum, & totam regionem habitatoribus evacuet. Sic res ſe habet in præſenti! ſi Principes, Superiores, Parentes negligant corrigere errores, peccatum ſemper latius ſerpet, & omnes hominum ordines intoxicabit.

Non eſt facile explicatu, quanta induſtria laborent dæmones ad pervertendas animas: ſocios etiam malos excitant, ut ſibi operam jungant: ſcandala publica cauſant, & nihil non faciunt, quod cedit in perniciem animarum. Quid ergo fiat, ſi non in contrarium dentur monitores, qui pro Deo laborent?

157. *Quam gratia ſit Deo.*

Latro in cruce ſalvatur, quia ſocium corripuit. M. conc. 21, aſſ. 1. n. 5.

Dives Epulo, ſe ex inferno liberatum iri confidit, quia fratres corripere ſtuduit. M. Ib.

Sanctus Paulus corripuit Petrum, quod a quibuſdam cibis adhuc abſtineret. S. punct. 121. fol. 377.

Filii & filiæ, famuli & famulæ ſæpe in domo ſciunt occulta crimina, & metu invidiæ aut perſecutionis tacent. Sed male! Joſephus accuſavit fratres de crimine peſſimo, & quamvis invidiam fratrum incurreret, Deus illi compenſavit, dum ad thronum Ægyptium evexit. C. Gen. 37. v. 2.

Samaritanus Viatorem Jerichuntinum commendavit ſtabulario, proferens denarios, promittenſque quod illius labores ſit liberaliter compenſaturus. Ita Deus promittit remunerationem æternam corrigentibus peccatorem. *Qui converti fe-* Jac. 5.
*cerit peccatorem ab errore viæ ſuæ, ſalvabit animam ejus a morte, & operiet multitudinem peccatorum.*

Neſcio, an non fabuloſum ſit, quod de Alexandro Magno narratur. Licentioſius in ſinu maris naviganti, corona regia e capite in undas excidit. Verum piſcatorum unus, natandi peritia verſatiſſimus, mox in aquas proſiluit, & coronam e profundo recuperavit. Quanto cum merito! Anima, quæ in profundum ſcelerum mergi incipit, corona Dei eſt! O quantum meritum, ſi recuperetur!

158. Mo-



158. *Moderate, & caute facienda eſt.*

Sanctus Paulus corripuit Petrum, quod a quibuſdam cibis adhuc abſtineret. S. pun. 121. f. 377.

Arſenius in converſatione Monachorum ſpirabat adhuc mores, quibus in aula aſſueverat, & nonnunquam ſedere ſolebat pedem pedi ſuperinflectens: hanc indecentiam nemo corrigere audebat, cum ecce! Abbas Paſtor cum fratribus convenit, ſe in proximo conventu velle ſedere in morem Arſenii, illi econtra id agerent, ut publice ſe corriperent, fore dein ſine dubio, ut Arſenius ſuum errorem adverteret, & dedoceretur. Quod & factum eſt.

Natalis Epiſc. a Gregorio Pontifice correptus offenſum ſe putabat: cum ecce Gregorius reſcripſit, non detrectare ſe, quamquam ſumma dignitate potiretur, & ab illo, & a minimo quoque ſui officii commoneri. D. 3. 64.

Æquum eſt, ut imbecillitates proximi cum manſuetudine & compaſſione corrigantur, quia ipſe Chriſtus Dominus eas pertulit & perfert! An enim proximus ob defectum aliquem ceſſat eſſe Divinæ dexteræ creatura? an deſinit eſſe creatus ad cælum &c. S. Franc. Sales. Direct. p. 3. c. 2. §. 7.

Attendendum, ne correptio fiat in ipſo fervore delicti, non verbis aſperis, nec tempore, quo corrigendus minime eſt diſpoſitus. Pluviæ non proſunt ad fœcunditatem agrorum, dum terra adhuc hyemali frigore congelata eſt &c. C. Eccli. 19. v. 13.

159. *Salutares effectus poſt ſe trahit.*

Orator ille apud Maximum aiebat: *Reprehenſio ſi agnoſcatur, O Imperator, ad cupiditatem earum, quæ prius non norat, reprehenſum ducit.* Iſocrates: *Sicut Mel exulcerata mordet, ſecundum naturam autem conſtitutis ſuave eſt; ita habet & oratio Philoſophorum.* Item Anonymus: *Sicut belleborum ſi parcius ſumas magis offendit, quod inhæreat viſceribus, inficiatque corpus, ſin copioſius ſumas proderit; erumpet enim liberius; ita non eſt objurgandus amicus, niſi ea vehementia, quæ vitio liberet illius animum; nam lentior expoſtulatio contriſtat amicum nullo fructu.* Et rurſum: *Ut lienoſis acria & amara proſunt, dulcia obſunt, ita & vitioſis.* Cap. Prov. 25. 2. 12. Item Prov. 12. v. 1.

Correctio data, & humiliter acceptata comparatur inauri cum margarita fulgenti. 1. Sicut inauris perforat, & pertundit aurem cum dolore, & quamvis vellicet, etiam ornat velut monile. Ita Correctio tundit quidem aurem mentemque; ſed ſimul pungit, ut obedientem faciat. 2. Sicut inauris ornat, imo quondam fuit nobilitatis inſigne; ita correctio pretioſa eſt, nec infamat ſed nobilitat audientem. 3. In inaure, & in anulis olim incidebatur Nomen Dei: ita correctio eſt ſalutifera, Divina, & a Deo manans, ut perpetuo ſit Dei memor, & juxta eum mores corrigat correptus, ac vitam componat. 4. Inauris debet eſſe proportionata, non nimis levis, nec nimis ponderoſa; ita correctio debet eſſe prudens, ne gravi iræ, vel triſtitiæ pondere animum correpti premat, vel opprimat. ideo Plutarc. ait: *Sicut Medicus, ubi ſecuit carnem, non ſtatim deſerit ſectum, ſed rigat,* Plutarc.
*ac lenit: ita qui acrius objurgavit, debet* in Mor.
*reliqua vitæ conſuetudine lenire eam moleſtiam &c.* C. in Prov. 25. v. 12. & c. 27. v. 5.

160. *Non audita interitum cauſat.*

*Virum qui corripientem dura cervice contemnit, repentinus ei ſuperveniet interitus,* Prov. 29.
*& ſanitas non ſequetur.* Ubi Textus Græcus de corripiente ait: Qui dextere reprehendit, ſanat, qui vero pro ſua duritie convitiatur, non tam ſanat, quam irritat, & propter ruborem, quos objurgat, imprudentes reddit. S. Gregorius hanc in rem ait: *Non videtis Medicos, quando* S. Greg.
*urunt, vel ſecant aliquos, cum quanta le-* 2. p. Paſt.
*nitate opus curationis exercent; multo ma-* c. 10.
*gis corripientem oportet hoc agere, ut manſuetus ac lenis ſit.* C. Prov. 29. v. 1.

Quodſi delinquens correptionem etiam diſcretam, & lenem non acceptet, væ illi, quia in ſua malitia peribit. Sicut equi ſternaces & tauri ferocientes jugum excutiunt; ita multi vitioſi, dum ab homine per verba, vel a Deo per flagella, aut internas inſpirationes admonentur, ſi in vitiis obſtinate perdurent, repentinus illis interitus ſuperveniet. Exemplum eſt in Pharaone, qui decies increpitus a Moyſe ut dimitteret Hebræos, dum monenti obſtinate reſtitit, Deus cervicem ejus confregit, mergens eum in mari cum toto exercitu ſuo. Sic Ophni & Phinees luxurioſe viventes ſæpe correpti a Patre Heli, & non emendati, una die ambo in prælio occiſi ſunt. Sic Udo Archiepiſc. Magdeburg. admonitus a Deo: *Udo, Udo ceſſa ludo!* in peccatis ſuis periit. Sic ſæpe videmus, quod filii parentum correptionem,



& mo-

& monita ſpernentes, ſenſim in ſcelera ruant, & demum ad capitale ſupplicium, aut patibulum rapiantur. Ratio eſt, 1. Quia dum ad ſincera monita & correptiones ſcelera non emendant, ſenſim ad majora v. g. ad furta & homicidia progrediuntur. 2. Quia tales pœnas merentur propter contemptum correptionis, & duram cervicem. 3. Quia Deus ex juſto judicio, propter obſtinationem in malo ſinit illos ruere in exitium, ſubtrahendo illis ſingulares gratias emendationis. C. Prov. 29. verſ. 1.

*161. Fit a Sanctis etiam erga Principes.*

Nathan Propheta corripuit Davidem ob adulterium & homicidium: Daniel Regem Balthaſar: San. Baſilius Imperatoris Præfectum etiam mortem & tormenta minitantem. Et Imper. acquievit.

Epiſc. Oeniandus ab Imp. Anaſtaſio ad ſuas partes magnis promiſſionibus invitatus, libere reſpondit: *Tu potius ad orthodoxos tranſi, ne dum opiniones impiorum hominum, Severi, Eutichetis, & Dioſcori amplecteris, æterno igni addicaris.* Dein apprehendens Imper. chlamydem; *Hæc veſtis*, ait, *nequaquam te poſt mortem ſequetur, ſed ſola comitabitur pietas, & virtutum habitus! Miſſam fac Eccleſiam, quam Chriſtus ſuo ſanguine redemit! Indoctus es, & ratiocinandi ignarus, neque ullum Eccleſiæ Decretum perfecte intelligis, tantum impoſtoris, & ſcurrilibus calumniis fatuos terres! ſatis tibi ſit dignitatis, quod Imperator es! Antiſtites Eccleſiæ noli vexare!* [*Cedrenus & Zonaras Tom. 3. de Anaſt.*] Ad hæc Imperator pudore ſuffuſus obmutuit. Pauperrimus autem cum eſſet Epiſcopus, ne obolum quidem ab Imperatore accepit, adeo liber erat, & ſolius in Deum fidei, ac pietatis rationem habens. C. Dan. 6. v. 28.

Julianus Apoſtata Cæſarium promiſſis & terroribus in errorem trahere conatus eſt, ſed glorioſus athleta crucis ignominiam imperii Majeſtati præhabuit. C. Ib.

Publia Præfecta Monialium tranſeunte Juliano cum ſuis alta voce cantabat: *Simulacra gentium argentum & aurum, opera manuum hominum.* Indignante Imperatore, & præcipiente, ut colaphis cæderetur, contumeliam pro ſummo honore habuit. C. Dan. 6. v. 28.

S. Ambroſius Imperatori Theodoſio ſub portico templi reſtitit, eumque ob cædem Theſſalonicæ factam ab ingreſſu Eccleſiæ prohibuit. Conterritus Imperator obtendit quidem: Etiam Davidem peccaſſe! verum a S. Epiſcopo audire debuit: ſi cum Davide peccaſti, cum Davide etiam pœnitentiam age &c.

*162. Non fiat ex ira, & paſſione.*

Deus in Paradiſo deambulat uſque ad veſperam, ut tum primum puniat Adamum &c. M. conc. 27. aſſ. 1. n. 10. Ita ſe gerit, quaſi caſu illi innotuiſſet Adami delictum. M. Ib. n. 11.

Neque ſtatim fiat propter delationem incertam, crimine necdum certo: Videbo, utrum peccata compleverint, dixit Deus de Sodomitis. M. Ib. n. 12.

Crimen indirecte, & quaſi in communi culpandum eſt, non in una perſona: ſic Chriſtus fecit: *Generatio incredula!* & tamen unicus tantum homo erat incredulus. M. Ib. n. 13.

Juvenis eremita Seni aperiebat ſuas tentationes & iſte indiſcreta objurgatione adeo afflixit juvenem, ut ad vitam ſæcularem redierit. At in via occurrit illi Abbas Apollo, quem Deus rem omnem edocuerat, blande mitigat animum juvenis, eumque reducit ad vitam ſpiritualem. Senex autem ille iiſdem tentationibus adeo affligebatur, ut fere ad deſperationem redigeretur: cui ſeni dein Abbas Apollo edixit, hanc eſſe pœnam illius indiſcretionis. Sanc. 6. par. c. 4. f. 697.

*Non incendas carbones peccatorum arguens eos.* [*Eccli. 8.*] Ubi S. Hieronym. Cum corripis delinquentem, *ita circa illum circumſpecte & temperanter age, ne quid in tuis verbis, vel actibus, unde amplius peccet, inveniat.* Pelicanus ſeu onocrotalus ſtupida volucris eſt: cum venatores ejus nidum incendunt, alis concuſſis vult ignem extinguere, ſed alas adurit, & capitur: ita qui peccatorem cum ira corripiunt, non eum corrigunt, ſed magis accendunt. Expectandum igitur, donec ira utrinque reſideat. C. Eccli. 8. v. 13.

Siquis emplaſtrum a vulnere cum violentia, & præcipitantia abripit, vulnus non curat, ſed magis incendit, & irritat: ita agit, qui ſine manſuetudine, cum furore correctionem facit: magis nocet, quam prodeſt. Tres igitur conditiones requiruntur ad correctionem. 1. Ut procedat ex amore, non odio: corrigens non hoſtem induat, ſed medicum, qui contra morbum pugnat, non contra infirmum. 2. Correctio ſit lenis, dulcedine vultus & verborum condiatur; ſicut pilulæ amaræ ſaccharo condiuntur. 3. Fiat tempeſtive, & opportune, quando corripiendus bene eſt diſpoſitus; ideoque non fiat in flagranti, & fervente ira: canis per aures retentus mordebit; ita iratus corrigentem invadet verbis aſperis, aut omnino verberibus. C. Eccli 19. v. 13.



## Bonum exemplum.

*163. Excitat ad imitationem virtutis.*

Eccleſiaſticus monet: *Mandavit unicuique de proximo ſuo.* Quid? ut non tantum ſibi, ſed & proximo prodeſſe ſtudeat, ait S. Chryſoſt. Ideo S. Job petiit ſermones ſuos ſcribi in ſilice, ut per ſuum exemplum proſit omni poſteritati. Sancti Patres Auguſtinus, Gregorius, aliique dudum mortui ſunt, ſed hodiedum proſunt mundo, ait Boſquier. B. Ser. 54. §. 1. Vide Titulos *Superior, Paterfamilias, Parentes*. Item 1. Petr. 2. v. 12.

Ezechiel de illis animalibus ait: *Aſpectus illorum quaſi carbonum ardentium*, ita homo debet ardere caritate. Et *quaſi aſpectus lampadarum:* ita debet lucere bono exemplo. Hector Pintus hic ait: *Debemus ardere caritate, & illuminare moribus, & exemplo.* Idipſum intelligit Gregorius per illud: *Sint lumbi veſtri præcincti, & lucernæ ardentes in manibus veſtris.* B. Ser. 36. §. 1.

Animalia illa non ſolum ſeipſa alis, ſed etiam ſe invicem percutiebant: Gregorius: Ala ſua me percutit, qui exemplo ſanctitatis propriæ me ad melius accendit. S. pun. 62. f. 217. M. Conc. 24. aſſ. 3. n. 8.

S. Celſus exemplo S. Juliani Martyris, cui videbat ingentem Angelorum turbam ad martyrium comitem ire, ad martyrium animatur. S. Apollinaris, cum videbat Timotheum in tormentis a Chriſto pulcherrima corona coronari, abjecto pallio in arenam proſiliens, ſe Chriſtianum profitetur. Sanc. 4. part. c. 2.

S. Apollonius metu martyrii donat Philemoni mimo quatuor aureos, ut ſuam perſonam ſimulans ſe loco ſui tyranno ſiſteret. Fecit id Philemon, accedit tyrannum & joculariter crucem facit: At ecce repente illuminatus veram fidem agnoſcit, profitetur, & martyrio afficitur. Id videns Apollonius ejus exemplo animatus ad martyrium accurrit. Sanc. 6. part. c. 9. f. 830.

*164. Propagat Fidem Chriſtianam.*

Cur Chriſtus, qui ad mortem ſubeundam venerat, in pueritia mortem fugit? Reſp. ideo, quia adoleſcere, & per bonum exemplum ſuam legem propagare voluit &c. M. conc. 24. aſſ. 3. n. 8. B. Ser. 37. n. 40. Vide Tit. *Fides*.

Angelus Perſiæ reſtitit viginti & uno diebus Angelo Iſraelitarum volenti eos abducere e Babylonia. Cur? quia ſperabat Perſas Idololatras ex converſatione, & bono exemplo Judæorum ad fidem converſum iri. D. 2. 91.

Monachus ſenex ſuſcepit in cellam ſuam Manichæum itinerantem, eique cœnam & cubile cum magna caritate miniſtravit: Admiratus Manichæus hanc virtutem, altera die ad pedes Monachi ſe projiciens factus eſt Catholicus. E. Verbo *Benevolentia* n. 3.

Captiva virgo in Iberia, dum precibus ſuis Reginam, puerumque ſanitati reſtituit, vitamque ſancte Chriſtianam egit, totam Iberorum gentem ad fidem convertit. E. Verb. *Converſio* n. 14.

S. Baſiliſcus Miles, cognatum ſuum Theodorum inter tormenta exultantem, & in fide Chriſti inſuperabilem admiratus, erubuit, quod pro Cæſare Maximiano permulta vulnera, pro Chriſto nullum tuliſſet, ultro in arenam Chriſtum profeſſus proſiliit, & ſanguinem dedit, a Chriſto ipſo ad martyrium animatus. N. 22. Maji.

S. Herculanus Romanus intuitu Martyrii S. Alexandri Epiſcopi convertitur, & Martyr fit. N. 25. Sep.

S. Capraſius Epiſcopus in perſecutione tormentorum metu in latibulo ſe abſcondit: econtra S. Fides innocens & tenera Virguncula intrepide Chriſtum profeſſa eſt. Id ubi vidit Capraſius, erubuit ſe a femina vinci, & tyranno ſe ſiſtens una cum illa martyrium ſubiit. N. 20. Oct.

Per efficaciam exempli magis propagatur fides Chriſtiana, quam per prædicationem verbi: hinc S. Ap. Paulus coram Agrippa: *In hoc & ipſe ſtudeo ſine offendiculo conſcientiam habere ad Deum, & ad hominem ſemper.* Et S. Chryſoſt. [*S. Chryſ. orat. de S. Babyla.*] *Convincunt magis opera virtutis, quam miracula: hæc namque vel falſe fieri poſſunt, vel ſi vere, etiam ab improbis per gratiam gratis datam.* Primi Chriſtiani magis per conſtantiam Martyrum ad fidem converſi ſunt, quam per prædicationem, ex hac ipſi etiam judices & tortores veritatem fidei agnoverunt. C. 1. Petr. 2. v. 12.

*165. Efficaciter trahit ad virtutem.*

Barbari Sandomiriam urbem in Polonia perfide contra pacta occupant, & in Monaſte-

naſterio S. Dominici Religioſos omnes, qui in Eccleſia tum Hymnum *Salve Reginæ* cantabant, obtruncant, unus metu effugit, ſed dum videt, quod ſui conſodales etiam mortui pergerent cantare laudes Virginis, barbaris ſe ſtitit, & martyrii coronam una cum reliquis adeptus eſt. R. cen. 2. par. 2. mir. 42.

Quæſo cur dæmon ita laborat, ut Chriſtiani ſua opera bona neſcio quo prætextu in occulto faciant? ac ſi adhuc inter perſecutiones viveremus, prout primi Chriſtiani in catecumbis vixerant? nempe id facit, ut impediat ædificationem aſpicientium &c. Seg. Man. 16. Sep. n. 1.

Cum S. Virgo Fides inter crudeliſſima tormenta conſtanter Chriſtum profiteretur, hac ſua conſtantia Capraſium, qui tormentorum metu in rupe ſe abſconderat, ad martyrium traxit: & iſte Ss. Primum & Felicianum ad Chriſtum ſuo exemplo convertit. E. Verbo *Cæleſtis gloria* n. 10.

S. Arcadius Martyr metu tormentorum latibulo ſe abſcondit: cum autem unum ex amicis ad ſupplicia raptum audiit, ultro ſe tyranno ſtitit, eumque ad inferendas ſibi pœnas provocavit. N. 12. Feb.

Dum S. David Anachoreta octoginta annis in cellula deliteſcit, ſingulis noctibus lumen ſuper ejus tuguriolum apparuit. Id videns Palladius ad ſimilia animatus eſt, dicens: ſi merita SS. adeo lucent in terris, quomodo fulgebunt in cælis? N. 26. Jun.

S. Zoa a S. Sebaſtiano cæcitate liberata, poſt martyrium illi glorioſa apparuit. Id cum S. Sebaſtianus enarraret, exclamavit Tranquillinus: En! *Mulieres cælum rapiunt! Quid nos Viri?* N. 5. Julii.

### 166. *Convertit peccatores.*

Latro ad Monaſterium invitatus & laute habitus, cum ibi videret fratrem innocentem, in pane & aqua victitare, & graviſſimas pœnitentias pro felici morte ſuſcipere, cogitans de ſua ſalute poſt tot ſcelera, convertitur. E. *Converſio* n. 33.

Apollonius in carcere conſtitutus, cum gentili Philemoni ſe ludibrio habenti manſuete & benigne reſponderet, illum convertit. Qui deinde cum aliis in ignem conjectus, cum rogus mirabiliter repentinis pluviis extingueretur, in mare demerſus martyr factus eſt. *Humilitas* n. 4.

Capta ab Alarico Roma Gothus Romanam mulierem ad ſui amorem pelliciebat: illam autem conſtanter reſiſtentem ex ira graviter vulneravit. Cum mulier ne ſic quidem cederet, admiratus conſtantiam, ad Baſilicam S. Petri eam adduxit, & cuſtodibus data larga pecunia commendavit. C. Ex. 27. v. 11. f. 536. col. 2.

S. Herluinus adhuc ſæcularis vidit unum Monachorum poſt pſalmodiam coram Ss. Euchariſtia in faciem proſterni ac diu orare. Hoc viſo animitus tactus mundo valedixit, & ad Religioſa clauſtra tranſiit. N. 26. Aug.

Duo Aulici Theodoſii Imperatoris ex curioſitate in cellam pii eremicolæ delati, ibi caſu legebant vitam S. Antonii Abbatis. Et ecce! hujus Sancti virtutum exemplis adeo animitus commoti ſunt, ut mundo, relictis etiam, quas habebant, ſponſis, valedixerint, & Dei ſervitio ſe ſancte manciparint. Daveroult c. 5. tit. 25. n. 1.

## Zelus animarum.

### 167. *Docetur exemplo Sanctorum.*

Mira fuit induſtria SS. animas quærentium uſque ad martyria; Sic Serapion Syndonita ſeipſum in ſervitutem vendit, ut ſic occaſionem nanciſcatur gentiles ad fidem convertendi. Poſtquam autem illos convertit, reſtituit illis pecuniam pro venditione acceptam, & ad alios perrexit. E. Verbo *Abſtinentia* ex. 6.

Judæus Medicus ad S. Baſilium ægrotantem vocatus, ex arteriæ pulſu judicavit, Sanctum ne una quidem hora ſupervicturum. Vir Dei ad illum ajebat: Quid ſi uſque mane vivam, vis fieri Chriſtianus? id Medicus impoſſibile ratus, promiſit. Et ecce! S. Baſilius in Dei Omnipotentia confiſus oravit Dominum, & uſque in alteram diem conſervatus Judæum publice in Eccleſia baptizavit, & dein migravit. E. Verb. *Converſio* n. 28.

Peccator luxurioſiſſimus in mortis articulo deſperans, a Sancto Eremita ita in ſpem erectus eſt, ut dederit ei omnia ſua merita, & viciſſim omnia ejus peccata in ſe receperit. Ita pœnitens peccator migravit, & poſtmodum apparens dixit, ſe ſalvatum, & merita Eremitæ apud Deum duplicata fuiſſe. E. *Deſperatio* n. 8.

Joannes Nivellenſis, vix unquam otio indulſit, ſed ſemper in revocatione animarum laboravit. Podagræ moleſtia laborans interrogavit chirurgum ſibi ſubmiſſum, quo tempore ſibi ſanitatem reducere vellet? eo reſpondente, tempore quatuor menſium: ſubintulit: abſit a me ut vel tribus hebdomadis ceſſem a ſalute animarum, & ſic chirurgum dimiſit. E. *Prædicare* n. 3.

S. Paulus Apoſtolus quanto ardebat zelo, quo ſingulos fideles habebat in corde & ore! ſic S. Xaverius, Gaſpar Barzæus & alii. C. Act. 20. v. 31.



Hi Sancti omnes non alia methodo, ſeu inſtrumento lucrandi animas uſi ſunt, quam *oratione*, *caritate*, quæ ſe ad omnia demittit, *Manſuetudine*, qua peccatorem demulcet, & *Prudentia* qua blanditiis aſpera miſcere novit, ſicut ſponſa ſimul formoſa, & ſimul nigra fuit. Cap. Jac. 5. v. 20.

Zelus ſeu caritas animarum in Chriſto Domino excogitavit modos Angelis & hominibus admirabiles lucrandi animas, nimirum Verbum caro factum eſt, & ſemetipſum exinanivit formam ſervi accipiens, ut homines verbo & exemplo a peccatis retraheret. Chriſtum imitati ſunt Apoſtoli, & ſancti animarum zelotes, qui mille invenerunt induſtrias convertendi peccatores, talis fuit S. Ignatius, S. Xaverius. Ingenioſus eſt ſanctus amor; hinc Chriſtus Dominus, antequam Petrum ſupremum animarum paſtorem conſtitueret, prius interrogavit: Petre amas me? & poſt ter repetitam interrogationem, affirmante ſemper Petro ſubjunxit: *Paſce oves meas!* C. Prov. 21. v. 12.

Ut ſic diſcretus, imitetur Apoſtolos, quorum arma fuerunt, vehementia ſpiritus, efficacia prædicationis, ſapientia, comitas, ſanctitas, miracula, crebra oratio, pura intentio, patientia, caritas: ut videant homines, non opes eorum, ſed ſalutem quæri. C. 2. Cor. c. 10. v. 4.

### 168. *Quam gratus ſit Deo.*

Ruben ſuaſit fratribus, ut Joſephum non occiderent, ſed in ciſternam mitterent. Quare? quia ille cogitabat Joſephum noctu educere, & ad Patrem reducere, ut ſic amiſſam (inceſtu cum Bala) patris gratiam hac in fratrem pietate recuperaret. C. Gen. 37. v. 22. Sic amiſſam peccato gratiam Dei recuperare poteſt, qui animam ad Deum reducit.

Alphonſus Roza in Indiis pro converſione infidelium diu laborans, in Hiſpaniam redire ſtatuit, ut in quiete ſe ad mortem pararet. Verum in oratione a Crucifixo audire ſibi viſus eſt: Cur me derelictum in cruce relinquis? ad hanc vocem perſtitit in labore pro animabus. T. n. 21.

Didacus Martinez rogabat Deum, quærens, in quo opere Deus ſe vellet maxime occupari? Crucifixus præcepit illi, ut retroſpiceret: retroſpexit, & vidit Indum genuflexum, qui orabat Deum, ut ſibi viam ſalutis per P. Didacum monſtraret. T. n. 22.

*Qui converti fecerit peccatorem ab errore viæ ſuæ*, id quod fieri ſolet oratione, caritate, manſuetudine, & prudentia: *Salvabit animam ejus a morte*, tam in hac vita a morte peccati, quam in altera a morte inferni. Quam glorioſum autem ſit convertere animas, patet, 1. Ex pretio animæ. 2. Ab exemplo Chriſti Domini: 3. Ex eo, quod proprie ſit opus Dei, juxta illud S. Dionyſii, omnium Divinorum operum Diviniſſimum eſt cooperari ad converſionem animarum. 4. Ex ſenſu SS. Apoſtolorum, qui totos ſe ad lucra animarum impenderunt. 5. Ex caritatis perfectione, qua major non eſt, quam dare animam pro fratribus ſuis. 6. Ex merito & præmio: *Qui ad juſtitiam erudiunt multos, fulgebunt ut ſtellæ in perpetuas æternitates*. Sed quid ulterius? *Operiet multitudinem peccatorum*, tam illius, quem convertit, quam ſuorum, quia meretur gratiam & miſericordiam Dei, ut pœnitentiam agat de ſuis peccatis, & vitam emendando juſtus, & ſanctus evadat. C. Jac. 5. v. 20.

*Jac. 5.* — *S. Dion. de Cæl. Hierar. c. 3.* — *Dan. 12.*

Animarum curatores ſingulariter gaudent protectione Dei. Jonas Propheta conſervatur in ventre ceti. Apoſtoli inter mille incommoda, & pericula cuſtodiuntur mire a Deo. S. Franc. Xaverius in India inter barbaros intrepide pſallit: *Etſi ambulavero in medio umbræ mortis, non timebo mala, quoniam tu mecum es!* Exigit enim ſuavis Providentiæ Divinæ diſpoſitio, ut Deus illi, quem vocat ad ſuum ſervitium, & ſalutis animarum negotium, ſimul det gratiam, & media ad finem neceſſaria. C. Jonæ c. 2. v. 11.

### 169. *Odio habetur a mundo.*

Propheta Jeremias miram facit de ſeipſo exclamationem: *Væ mihi Mater mea, quare genuiſti me virum rixæ, virum diſcordiæ?* Deplorat naturali doloris ſenſu, ſe eo fato genitum, ut omnibus ſit odio ob minaces prophetias. Nimirum qui Reſpublicas, & Religiones deformatas reformare volunt, libertinis ſunt viri rixæ. Sic Chriſtus Judæis fuit Vir rixæ, & poſitus in ruinam multorum & reſurrectionem multorum. Sic Lacon dicebat, *quomodo Vir bonus eſt, qui improbis amicus eſt?* Et Scipio Africanus de ſuis æmulis dicebat: *Merito patriæ bellum facientes, me prius ſublatum volunt.* Qui ergo Reipublicæ commodis ſtudent, viri rixæ ſunt.

*Jer. 15.*

Talis

Talis Vir rixæ fuit S. Paulus: unde ipſe ajebat: *Si adhuc hominibus placerem Chriſti ſervus non eſſem... tanquam purgamenta hujus mundi facti ſumus*. Talis Vir rixæ fuit S. Athanaſius, qui pene totum orbem Arianum ad duellum provocavit, & debellavit. Talis Vir rixæ fuit S. Bened. qui quoſdam Monachos licentioſioris vitæ, ad diſciplinam revocare ſtudens, eorum odia incurrit, ita ut venenum illi propinarint in calice, quem ipſe ſigno crucis confregit. Tales viri rixæ fuerunt S. Hieron. S. Chryſoſt. S. Th. Cantuarienſis, B. Thomas Morus, & alii plures. Quæſo quare Societas Jeſu tot habet inimicos? quia ſunt Viri rixæ, id eſt, tales, qui publicis ſceleribus ſe ſe opponunt; ideo S. Ignat. Fundator dicere ſolebat: Perſecutiones eſſe flabellum & cotem Societatis, quibus ejus virtus, & zelus acui & illuſtrari debeat. His ceſſantibus, ajebat, metuere ſe ne tepeſcere incipiat. C. Jerem. 15. v. 10.

## Dilectio inimicorum.

### 170. *Eſt Virtus prorſus Divina.*

CUr Chriſtus non voluit mori per lapidationem? S. Chryſoſt. reſpondet, quia inter lapidum ſtrepitus non potuiſſent audiri verba illa: *Ignoſce illis*. B. Ser. 59. n. 2. S. punct. 30. f. 704. fuſe. Vide etiam titulum: *Manſuetudo*.

Dilectio inimici facit ſimilem Deo: Moyſes vocatur Deus Pharaonis &c. M. conc. 3. aſſ. 2. n. 7.

Ex quo agnovit latro Chriſtum eſſe Deum? Reſpondit S. Vincentius Ferrerius ex eo, quod audivit orantem pro crucifixoribus. Ginther, unus pro omn. conſid. 64. n. 3.

Chriſtus Dominus tenerrime amabat peccatores: cum his converſabatur, hos ſecum circumduxit, Petrum in Eccleſiæ primatu Joanni prætulit, in plurimis infirmitatibus illis prodigioſe benefecit. Et cur? quia erant cauſa ſuæ paſſionis, ac mortis.

In Veteri Lege dilectio inimicorum non fuit præcepta, hinc forte dicitur, *Mandatum novum*. Quare autem? quia gloria iſta, ut tam diſertis verbis dicatur *Diligite inimicos veſtros*, reſervata fuit Chriſto &c. Seg. Manna 27. Ap. n. 5.

Omnem ab inimici perpeſſam injuriam ex corde illis condonare obligamur, eſtque hæc remiſſio actio glorioſiſſima, inter omnes, quas facere poteſt Chriſtianus. Paoletti feria 6. Cinerum.

Indicium certiſſimum, & quaſi lapis lydius caritatis, eſt manſuetudo erga inimicum, ſi tum temporis maxime omnem illi benevolentiam exhibeamus, cum in animo noſtro averſionem, & faſtidium erga illum excitari ſentimus, ſic enim manifeſtum redditur, non alia illum de cauſa, quam propter Deum amari. S. Franc. Sal. Direct. p. 3. c. 2. §. 6.

### 171. *Non eſt impoſſibilis, aut difficilis.*

S. Chryſoſt. fuſe laudat manſuetudinem Davidis erga Saulem: S. punct. 30. f. 710. addit: Ne quis mihi dicat: Inimicum habeo ſceleſtum improbum, corruptum, incorrigibilem: quidquid dixeris, non eſt tamen Saule deterior. S. Ib. f. 716.

Leones per artem cicurari poſſunt, cur non & ira compeſci? S. Ib. in fine & ſeq.

Chriſtus ficus petiit ab arbore etiam tunc, cum tempus ficuum non erat: Ita tu fructifica, etſi contra naturam ſit. M. conc. 3. aſſ. 1. n. 11.

Deus præcipit: ergo non eſt impoſſibile. Diez conc. 1. n. 4.

Si Deus præciperet diligere inimicum, ob hanc ipſam cauſam, quia male tibi vult, utique haberes cauſam difficultatis: ſed hoc ſolum præcipit, ut facias quia ipſe præcipit: *Ego autem dico vobis*. Hoc Matth. 5. præceptum animavit milliones Martyrum, ut exultarent inter tormenta: & tu ob hoc præceptum non poſſis exultare inter verba aculeata &c. Seg. Man. 27. Apr. n. 1.

Etiam gentiles ex manſuetudine mere naturali condonarunt injurias, & hinc inter ſuos erant æſtimati, & honorati, uti Camillus, Metellus, Ariſtides, Socrates, & ipſe Cæſar, de quo Cicero ajebat, Cæſar nihil obliviſcitur, niſi injurias! Multi diſſimulant injurias ex motivis mere naturalibus, v. g. ad tegendas ſuas infamias, conſcio arcani criminis blandiuntur! Multi vindictam diſſimulant ex metu adverſæ potentiæ! Multi minores injurias deglutiunt, ne majoribus involvantur! Octavianus Auguſtus juratiſſimum hoſtem Cinnam blande habuit, & dignitate auxit, ut populi amorem lucraretur &c.

### 172. *Eſt maxime meritoria.*

Dilectio inimicorum comparatur martyrio: ſi hoſtis tuus, ait Chryſoſtomus, conatus eſt occidere, ea res tibi pro martyrio imputabitur: David ter, aut quater martyr erat, quia inſidias Saulis non vindicavit. S. punct. 30. f. 717.

Si



Si dicas: arduum & difficile eſſe diligere inimicos, reſpondeo, tantò magis eſt meritoria virtus: nam omnis virtus circa difficilia verſatur: S. Th. ait: *Virtus* S. Th. 2. 2. q. 137. A. 1. *eſt circa difficile & bonum: & ideo ubi occurrit ſpecialis ratio difficultatis, & boni, ibi eſt ſpecialis virtus*. Deus in Paradiſo non prohibuit protoparentibus glandes, aut abſynthium, ſed poma dulciſſima; quia in illis major eſt difficultas abſtinentiæ &c. A. lect. 6. n. 9.

Mater quædam interfectorem ſui filii contra apparitores tuetur, in libertatem præmiatum aſſerit, & per hoc heroicum facinus filium e purgatorio liberat. R. 1. part. mir. 40.

Quidam parentis ſui interfectori deprecanti veniam tribuens, meruit hanc gratiam, ut Chriſtus e cruce pendens tribus vicibus inclinato capite illi grates retulerit. E. *Dimittere* n. 1.

S. Epiphanius S. Hilarionem invitans illi aviculam aſſam appoſuit: ſubintulit autem Hilarion, ignoſce, ex quo hunc habitum aſſumpſi, non comedo aliquid occiſum. Et Epiphanius: Et ego ex quo hunc habitum aſſumpſi, non dormio habens adverſus aliquem offenſum. Tunc Hilarion: Majora ſunt merita tua, quam mea! E. *Dimittere* n. 2.

Faber in conc. 3. Steph. n. 3. S. Eliſabetha Hungariæ Regis filia ſic rogavit Deum: Domine precor humillime, ut omnes, qui me injuriis afficiunt, ſingulari beneficio afficias! Et Deus revelavit illi, quod nunquam ſibi in oratione adeo complacuerit, promiſitque illi plenariam remiſſionem peccatorum.

### 173. *Obligat ad alloquia & ſalutationes.*

Ut tollantur inimicitiæ, & amicitia iterum fundetur, remedium non eſt expeditius quam mutua allocutio: quod ſi prior te alius ſalutarit, repende cum fœnore: Saul Davidi clamavit: *Fili*, & ille repoſuit: *En! ſervus tuus*. Quo id effecit, ut e Saule prius inimico amoris lacrymas elicuerit: Moyſe in hoc glorioſior, qui e petra aquam produxit, ait Chryſoſtomus. S. pun. 20. f. 719. 720.

Quæſo quis ille amor foret ſine ſignis externis amoris? teſſera amoris eſt illa: *In hoc cognoſcent omnes, quod Diſcipuli mei eſtis, ſi dilectionem habueritis ad invicem*. Quæ vero hæc teſſera foret ſi ſtudioſe ſub pallio occultaretur? quæris an obligeris ad ſigna *communia* amoris, an etiam ad *particularia*. R. Obligaris ad communia, quæ negare non licet ex eo, quod inimicus tuus ſit &c. Seg. Man. 27. Apr. 3.

Dices: Ex animo condono illi injuriam! quid prodeſt, niſi adverſarius condonatam ſibi injuriam ex ſigno agnoſcat? perget eſſe afflictus ex tuo rancore, proximus non ædificabitur, & Deus non erit contentus! condonatio ſeu reconciliatio ex natura ſua debet eſſe mutua, non muta! Deus vult victoriam tui ipſius, quæ autem victoria, conſenſus mere internus? Sancti compenſarunt injurias benefactis, tu nec vis verbis? quam procul abes a ſenſu Sanctorum &c.

### 174. *Docetur exemplo Sanctorum, & prudentum.*

S. David injurias Semei excuſat cum voluntate Dei. Machabæi adſcribunt Divinæ caſtigationi. C. Gen. c. 50. v. 19.

S. Ludovico Regi duo aſſaſſini mortem machinabantur: monitus eſt rex, & inſidiatores capti ſunt. Quid actum? Rex impunes, & præmiatos domum remiſit. D. 1. 87.

Puer Chinenſis a conſodale alapa percuſſus, quæ ſumma eſt apud Chinenſes injuria, ſtatim ei veniam donat, repetens illud, quod recenter doctus erat: Et *dimitte nobis debita noſtra, ſicut & nos dimittimus* &c. R. cent. 2. mir. 10.

Miles Mexicanus ab alio offenſus jurat ſe nec barbam raſurum, nec ungues abſciſſurum, donec ſanguinem inimici fuderit. Audiens inimicum ab urbe viginti milliaribus verſari, illuc itinerat vindictæ cauſa. Cum autem caſu concionem audit de dilectione inimicorum exemplo Chriſti concipienda, ita commovetur, ut odium in amorem commutarit, & inimicum debiti cauſa incarceratum vendito equo & armis liberarit. R. cent. 3. mir. 27.

Fabius Juris-Conſ. Senenſis, cum filiolum amantiſſimum interemptum audit, adeo non indignatus eſt interfectori, ut teſtibus accitis in publicas tabulas referri curaverit, ſe ejus amicitiam affectare. J. 8.

Joſephus Patriarcha fratribus veniam rogantibus reſpondit: Nolite timere; num Dei poſſumus reſiſtere voluntati? ſicque injuriam venditionis excuſavit per Dei voluntatem.

### 175. *Non debet extingui ab injuriis & perſecutionibus.*

Inter ignem naturalem, & ſupernaturalem caritatis diſcrimen illud eſt, quod

ille

ille aqua, ſuo contrario extinguatur, iſte *Cant. 8.* autem magis inflammetur: *Aquæ multæ non potuerunt extinguere caritatem.* Ita Sancti Divino amore ſuccenſi, quo majores perſecutiones patiebantur, tanto ardentiores erant flammis caritatis. Moyſes nunquam magis amabat Iſraelitas, quam quando vehementiſſime ab illis offendebatur. Paulus tanto zeloſius prædicabat, quo magis flagris, & lapidibus petebatur. S. Jacobus Minor, & Stephanus inter letalia vulnera orabant Deum pro perſecutoribus. S. Tereſia nemini erat benignior, quam ſuis offenſoribus &c. ſi ergo ob injuriam deſinis amare, ſignum eſt te nunquam amaſſe proximum amore ſancto, ſed amore intereſſato, & vitiato propria utilitate &c. A. 1. lect. 2. num. 10.

Datur ignis artificialis, qui in mediis aquis ardet, nec extinguitur: talis eſſe debet ignis caritatis, qui non extinguitur adverſis. A. 1. lect. 2. n. 11.

Dic quale diſcrimen eſt inter damnatos, & animas purgantes in patiendo? illud eſt, quod primæ igni, quo uruntur, maledicant: illæ autem, non obſtante dolore, ignem amant, quia per illum purgantur, & ad cælum præparantur. Simile diſcrimen eſt inter vindicativum, & caritativum: primus maledicit, alter benedicit inimico, quia per illum purgatur &c.

*Ariſt. 1. q. lib. c. 3.* *Sicut debilis ſtomachi eſt, cibum duriorem non poſſe concoquere*, ait Ariſtoteles; *ita puſillanimis eſt, verbum duriuſculum non poſſe ſuſtinere.* De Cæſare ait Cicero: Cæſar nihil ſolet obliviſci niſi injurias. Quanto magis hoc dici deberet de Chriſtiano. C. Ep. ad Rom. c. 12. v. 21.

176. *Rependit beneficia pro malefactis.*

*Metaph. in Vita S. Epiph.* S. Epiphanius Saracenum monoculum, qui ſtrictum gladium in caput ſuum vibrabat, a cæcitate oculi liberat. A. 1. lect. 2. n. 12.

Deus ipſe pro peccatis beneficia refert: ita apud Prophetam Oſeam promittit, ſe meretricem illam, quæ cum multis fornicata eſt, quæſiturum ut ſponſam: prout exponit Sanctus Hieronymus. A. 1. lect. 2. n. 13.

*Benefacite his, qui oderunt vos.* Deus non vult, ut dilectio ſit ſterilis velut illa ficulnea, cui maledixit, non ferens fructus. Sed qui ſunt hi fructus dilectionis? duo genera ſunt beneficiorum, unum negativum, alterum poſitivum: Negativum eſt non offendere eum, qui nos offendit, & hoc eſt præcepti. Poſitivum eſt illum defendere, Deum pro eo orare, & hoc eſt conſilii. Porro quæ inimico beneficia præſtas, ſunt beneficia glorioſa, ſunt utilia, ſunt jucunda &c. Seg. Man. 27. Apr. n. 4.

Abbas Achilles fratri, qui peſſimam de ipſo opinionem habebat, obſequium præſtitit, quod duobus aliis ſibi amiciſſimis negavit. Quæſitus rationem repoſuit, ſe id feciſſe, ne cauſam maledicentiæ, aut triſtitiæ illi præberet, id quod de duobus aliis metuere non potuiſſet. E. Verbo: *Benevolentia* n. 2.

Nobilis Romanus occiſo fratre occiſorem in ædes recepit, & in omnibus liberaliſſime habuit, ita, ut cum occiſor de dura culcitra quereretur, illi ſuam molliorem ceſſerit. Matrona Bononienſis filii ſui interfectorem loco filii adoptat, & omnium bonorum heredem teſtamento ſcribit. J. 8.

Ven. Avila Sacerdos in Hiſpania zeloſiſſimus ex invidia accuſatus apud Inquiſitores, quod in cathedra errores proponeret, a munere concionandi ſuſpenſus eſt. Non ſe defendit, ſed omnia Deo commendavit. En ſubito ab Inquiſitoribus abſolutus, juſſuſque in principe Eccleſia Hiſpali verba ex cathedra facere, cum plauſu & tubis a populo exceptus eſt. Ille tamen initio concionis rogavit populum, ut ſecum Deum pro ſalute calumniatorum orarent. T. n. 54.

Alexander Patriarcha Notarium, qui *Prat. Spirit. c. 31.* multa ſibi furatus erat, poſtea captum vinctumque octoginta nummis redemit. Unde poſtea in civitate dici ſolebat &c. Nihil eſſe utilius, quam Alexandro malefacere!

Miſericors Deus, quanto homines videt eſſe ingratos, & peſſimos, tanto erga illos eſt liberalior, ſic impio & ingratiſsimo Achaz promiſit Verbi Incarnationem. Pari modo cum mundus erat maxime corruptus, Chriſtus Incarnatus eſt, ut ubi abundavit iniquitas, ibi abundaret & gratia. Impiis ergo & ingratis benefacere Divinum eſt. Sancta illa rogata, quomodo ad ſanctitatem perveniſſet, repoſuit: *Nunquam a quoquam læſa ſum, quin illi peculiare beneficium rependerim.* C. Iſa. 7. v. 14. &c.

177. *Præmiatur a Deo.*

Quidam Nobili interfectori ſui fratris ſuppliciter veniam roganti, reconciliatur amore Chriſti. Et Chriſtus illi apparens ea nocte edixit illi, quod intuitu hujus remiſsionis & fratrem & patrem ipſius e purgatorio ad cælos aſſumpſerit. E. *Dimit.* n. 7.

Quid-



Quidam Nobili, qui occiſori ſui fratris veniam in die Paraſceves roganti indulſit, ea nocte apparet Chriſtus, eumque certificat, quod ob tantum obſequium ſibi exhibitum, eo momento fratrem ipſius & Patrem e purgatorio liberarit. E. *Injuriæ* n. 1.

Idem contigit Viduæ, quæ interfectori ſui filii equum & occaſionem elabendi dedit. Filius illi apparuit, dixitque ſe liberatum eſſe e purgatorio, in quo diutiſſime ardere debuiſſet. E. *Injuriæ*. n. 2.

S. Blonda filii ſui occiſores ad necem quærit. Et ecce! iſti ad augmentum malitiæ illi cor filii coctum apponunt. Blonda ex eo edulio, cooperante Dei gratia adeo manſuefacta eſt, ut inimicos in gratiam receperit. Et Deus illam traxit in ſacrum Ordinem, ubi ad magnam ſanctitatem aſcendit. N. 2. Sept.

Unde S. Joannis Gualberti ſanctitas initium ſumpſit? ex condonatione injuriarum, qua interfectorem ſui fratris ſupplicem & inermem, in ipſa Paraſceves die ſibi obviantem, amore Chriſti Domini in gratiam recepit. *In Vita.*

S. Nicephorus a Sapritio ſibi offenſo aliquoties veniam rogavit, & non impetravit. Cum Sapritius jam ſub gladio ſtaret, pro fide Chriſti Martyr obiturus, *Sur. to. 1. 9. Febr.* adſuit iterum Nicephorus repetens ſuas preces: obſtinatus ille denuo negavit veniam. Et ecce! Deus ab illo fortitudinem animi ad ſubeundum Martyrium abſtulit, & Nicephorus loco illius collum gladio præbuit.

Eleemoſyna.

178. *Defendit contra iram Dei.*

IN Paradiſo arbor non fuit maledicta, ſed ſerpens: Quare? quia illa arbor miniſtravit folia ad tegendam nuditatem protoparentum: qui veſtit pauperes, maledictionem non timeat. B. Serm. 48. §. 5.

Eleemoſynarius in judicio non habebit, quod timeat. S. punct. 79. fol. 254.

Dormierunt viri divitiarum, & nihil invenerunt, velut illi, qui ſomniant ſe theſaurum inveniſſe: at eleemoſynarii tunc primum divites ſunt, cum evigilant; quia eleemoſyna defendit, & dictat in judicio. S. punct. 82. fol. 266.

Quidam Dives nomine Petrus erat avariſſimus in dandis eleemoſynis, ita, ut mendici ſponſionem invicem facerent, quinam poſſet ab eo obolum extorquere: unus eorum extorſit ab avaro panem, qui paulo poſt gravi ægritudine correptus, & ad tribunal Dei citatus vidit malos genios in unam lancem libræ mala opera ingerere, e contra boni genii non habebant, quod imponerent alteri lanci, niſi hunc panem; ad ſe deinde reverſus agnovit ſalutarem eleemoſynæ vim, factuſque ſanctæ liberalitatis prodigium omnia in egenos prodegit. D. 6. 17. Sanch. 4. p. c. 4. fol. 254. E. *Humilitas* n. 26.

Puella quædam expungens debita deſperati hominis poſtea in turpiſſima ſcelera labitur: in morte petit baptizari, & quoniam ſacerdos eam baptizare nolebat propter vitæ turpitudinem, niſi ſufficientes fidejuſſores haberet, ecce angeli venerunt de cælo, & fidejuſſionem faciebant. Sanch. 6. p. c. 4. fol. 703. in fine.

Pauper operarius non habens laborem flebat ob defectum ſuſtentationis: viſus a divite jubetur pro ſe orare, & veſperi pro oratione recipit aliquot denarios. Dum domum abit, apparet illi Chriſtus jubetque ut ad divitem rediret, ac majus ſtipendium ab eo peteret. Redit, petit, & alterum tantum recipit: redit ſecundo juſſu Chriſti, & liberaliter compenſatur. Dives ni id feciſſet, ea nocte mortuus & damnatus fuiſſet. Sanchez 6. p. c. 4. fol. 707.

179. *Non procedat ex motivo vano.*

*Mitte panem tuum ſuper tranſeuntes aquas:* *Eccli. 11.* Cur in aquas? an unquam aliquis ſeminavit in aquas? Oliva ait: Ideo in aquas ſeminandum, ut hic fructum non expectemus, &c. B. Serm. 54. n. 24.

Ex eleemoſyna non eſt quærenda jactantia aut honor; ſicut enim radices arboris dum terra operiuntur, fructuoſe germinant, & extra terram eruta exareſcunt; ita opera miſericordiæ, dum celantur, liberaliſſime præmiantur: dum autem oculis exponuntur, meritum perdunt. R. p. 1. mir. 46.

Cum Chriſtus Dominus ad gazophylacium templi ſedebat, venerunt Phariſæi & monetas aureas ac argenteas, refertaque marſupia attulerunt, nemo tamen a Chriſto fuit laudatus, niſi paupercula vidua afferens minutum. Quare? ſine dubio, quia hæc ſola ſanctam habuit intentionem, cæteri vanam, & inutilem. Ita hodiedum fit: libentius exercentur opera publica, quæ gloriam pariunt, quam occulta, libentius diſtribuuntur eleemoſynæ in platea, quam domi: eriguntur altaria & templa, ſed in frontiſpicio affiguntur inſignia & Nomina erigentis: dantur mendicis ſtipes, ſed expectantur immenſæ gra-

gratiarum actiones, & laudum præconia! &c. His omnibus dicetur in illa die: *Recepiſti mercedem tuam!*

*180. Largiter compenſatur a Deo.*

Gentilis ſuaſu Chriſtianæ uxoris pecuniam ſuam inter pauperes diſtribuit, promittens, quod Deus Chriſtianorum ſit compenſaturus. Poſt aliquot ſeptimanas egens & famens vadit ad Eccleſiam, ubi pecunias diſtribuerat, & inveniens nummum emit piſcem. Uxor ubi piſcem exenterat, invenit in illo lapidem pretioſum, quem trecentis ſolidis vendidit. E. *Eleemoſyna* n. 23.

S. Tycho puer juſſus a patre panes vendere, diſtribuit illos pauperibus. Indignante patre promiſit, Deum id compenſaturum, & promiſſo reſpondit effectus; ſtatim enim granaria tritico repleta ſunt. E. *Eleemoſyna* n. 25.

S. Joannes Eleemoſynarius depauperato per furtum juſſit quindecim auri libras dari. Diſpenſator tantum dedit quinque. Veſperi autem venit ad S. Epiſcopum mulier quinque centenarios auri illi offerens: quæſita autem juravit ſe voluiſſe quindecim centenarios offerre, decem autem Divinitus deletos eſſe. E. *Eleemoſyna* n. 26.

Epiſcopus ſitiens pauperi æque ſitienti potum vini, quem unicum ſuper habebat, porrigens, pro hoc integrum vini dolium recipit. E. *Miſericordia in paup.* n. 3.

B. Beatrix de SS. Vulneribus tempore famis panem, triticum, oleum, panem & alia mirabiliter multiplicata recipit, quæ in pauperes diſtribuit. *Ephem. Dom.* 5. *Aug.*

Leo I. Imp. adhuc privatus, cæcum ſitientem duxit ad aquas, & ibi a B. V. promiſſionem imperii recepit. C. Ez. 18. v. 7.

Nihil deperditur, ſi aurum reponatur in Principis Gazophylacium. Manus autem pauperis, ait Ven. Beda, eſt Chriſti Gazophylacium. C. Eccli 4. v. 11. &c.

*181. Auget, non minuit fortunas.*

S. Germanus Epiſcopus præcepit ſuo Diacono, ut tres denarios, quos in loculis habebat, pauperibus diſtribueret. Diaconus quaſi providus tantum duos expendit. Cum vero ambularent, occurrerunt eis milites rogantes S. Germanum, ut Dominum ſuum ægrotantem viſeret, & illi obtulerunt ducentos ſolidos. S. Epiſcopus intuens Diaconum tunc dixit: Accipe, quæ traduntur, & intellige fraudem pauperibus factam; ſi enim tres denarios expendiſſes, nunc trecentos ſolidos recepiſſes. E. *Eleemoſyna* n. 17.

Ludovicus Rex Franciæ pauperes vocabat ſtipendiarios, qui ſibi regnum in pace conſervarent. E. *Eleemoſyna* n. 18.

Tiberius Imperator, largus eleemoſynarius, in ſuo palatio lapidem e pavimento, cruce ſignatum erui jubet, & pretioſiſſimum theſaurum mille centenariorum auri invenit. E. *Eleemoſyna* n. 19.

Allerſtorffii haud procul ab urbe Abenſperga in Bavaria ſacellum eſt B. V. ubi illud mirabile, quod ager ſacello vicinus, cujus omne frumentum pauperibus cedit, ſemper fertilis reperiatur, etiam quando agri vicini a grandine, aut tempeſtate vaſtantur. H. 2. fol. 63. c. 1.

S. Vvilhelmus pro eleemoſynis burſam auro plenam, horreum tritico plenum, & dolium vino plenum recepit. Piſcatoribus præcepit, ut in nomine Domini retia ejicerent, & illi ingentem piſcium multitudinem concluſerunt. *Trithem.* 5. *Julii.*

Aliquod Monaſterium depauperatur: Angelus comparet, id fieri dicens, quia unus frater e monaſterio fuerit dimiſſus, & alter ſponte receſſerit: Ænigma ita ſolvit: *Date, & dabitur* eſſe fratres ejecto primo, cedere ultro alium, &c. B. Serm. 63. n. 15.

Ille puer in Evangelio quinque panes dedit Chriſto, & mirabiliter multiplicati ſunt: *Quanto plus dabis liberaliter, tanto tibi plura largius confluent.* Ait Cyrillus. S. p. 80. fol. 257. & B. Serm. 63. n. 13. Et iterum S. punct. 84. fol. 268. *S. Cyrill. l. 3. in Jo. c. 18.*

S. Thomas de Villanova Archiep. panes ac farinam omnem in pauperes diſtribuit, & granarium Divinitus repletum invenit. Pecunias diſtribuit, & illas mirabiliter auctas deprehendit, &c. *N. 9. Sept.*

S. Goſvvinus Abbas Romam itinerans nummum, quem habebat unicum, pauperi dedit, & deinceps nunquam nummo caruit, quem pauperi daret. Quoties Abbas in eo Monaſterio creatur, illi dicitur: Accipe baculum Goſvvini, & cujus accipis officium, imitare exemplum. *N. 9. Oct.*

Fœcundus eſt ager pauperum, cito reddit donantibus fructum, ait S. Auguſtinus: Eſt hydria illa farinæ, & lecythus olei, ex quibus Eliæ data eſt eleemoſyna: quia non defecerunt. Quinque panes, quibus Chriſtus turbam pavit, multiplicati ſunt: ita eleemoſyna ditat; hinc S. Chryſoſtomus: *Eleemoſyna eſt ars quæſtuoſiſſima.* C. Deut. 26. v. 12.

Tiberius Imperator in pauperes profuſus a Deo ingentes opes recepit; cum enim crucem in pavimento ſculptam attolli juberet, ſub eo lapide invenit theſaurum multorum auri centenariorum. Cumque inde copioſius largiretur pauperibus, Deus majorem adhuc theſaurum à Narſete Italiæ Duce paratum ei dedit. In ciſterna, ubi delituit, per multos dies aurum evacuari non poterat. C. 2. Cor. c. 9. v. 10. Item Matth. 14. verſ. 19.



Chryſoſtomus ait: Eleemoſyna non depauperat, ſed eſt vera ars diteſcendi. S punct. 84. fol. 268.

Et iterum Chryſoſtomus: Da pauperi terram, ut accipias cælum: da nummum, ut accipias regnum: da micam, ut accipias totum: da pauperi, ut accipias tibi: quia quidquid pauperi non dederis, tu habebis: quod pauperi non dederis, habebit alter. S. punct. 83. fol. 270. C. Deut. 26. v. 12.

Aliquis eleemoſynarius diteſcit, quia juſſit puero ſuo ſingulis diebus ſibi furari quinque nummos, & dare pauperibus. S. punct. 83. fol. 270.

Sancto Bonifacio Epiſcopo vinea grandine vaſtatur, ſed cum illud in pauperes diſtribuit, vinum in calcatorio mirifice augetur. S. Ib. in fine. Idem ſanctus triticum in pauperes erogatum cum fœnore matri reſtituit. S. Ib. fol. 271. Alius pro nummo viginti denarios recipit. Ib. 272.

Ex Arnulphi progenie ob liberalitatem in pauperes oriuntur Reges Francorum. S. punct. 86. fol. 275. Sanchez 6. part. c. 4. fol. 709.

Philaretus agricola, quia in pauperes liberaliſſimus, meretur neptem ſuam videre imperatricem. R. 1. part. mir 49.

Pauper Paterfamilias nummum, quem unice habebat, pauperi largitur, & meridie venit ignotus famulus, qui illi viginti nummos afferebat. E. *Miſericordia in paup.* n. 5.

*182. Præmiatur in cælo.*

*Luc. 12.* Chriſtus monet: *Facite vobis ſacculos, qui non veteraſcunt*, ſcilicet theſaurum in cælis: uſura mundi centum ad unum: Deus unum accipit ad centum, & tamen homines cum Deo nolunt habere contractum: Epiſcopus dum coctam lampredam pauperi dat, videt illam verſus cælum attolli. S. punct. 86. fol. 274. 275.

Agricola, ait Chryſoſtomus, penu evacuat, & ſemina terræ mandat ſpe lucri: quanto magis nos cum hic nulla ſterilitas fructum impedire poſſit. S. punct. 88. fol. 282.

Albanus Regis Gandolphi in Indiis famulus conquirebat inſignem Architectum, qui regi ſuo aliquot palatia ædificaret, S. Thomas juſſu Dei ivit cum eo ad Regem, ſeque architectoniæ peritum dicebat. Rex dedit illi ingentes pecunias, quas S. Thomas in pauperes erogavit, & propterea tanquam deceptor in carceres fuit conjectus. Interim moritur Regis frater, quem S. Thomas a mortuis reſuſcitat: iſte mira narrabat de inſignibus palatiis a ſe viſis, quæ S. Thomas in altero mundo Regi extruxiſſet. &c. Sanchez 6. part. c. 4. fol. 701.

Troilus Epiſcopus triginta libras auri in pauperes diſtribuit, ſed quoniam pœnituit, S. Joannes Eleemoſynarius illi pecuniam reſtituit. Et ecce! in cælis viſa eſt hæc inſcriptio: *Manſio perpetua Troili*, ſupra ſedem auream avelli, & loco illius affigi: *Manſio perpetua Joannis Eleemoſynarii.* Quo viſo Troilus factus eſt inſignis pauperum benefactor. E. Verbo *Cæleſtis gloria.* n. 9.

Pientiſſimus quidam ſutor, cum die Sabbati expendebat in pauperes, quod per hebdomadem labore lucratus fuiſſet, Sanctus quidam Vir ſingulis Sabbatinis vidit ejus manſionem in cælis ædificari. E. *Miſericordia in paup.* 2.

Alius piſcem perbene coctum deſiderans, illum ſibi ſubtraxit, & pauperi petenti dedit: Et ecce! pauper una cum cibo in ſublime efferri, cælum ingredi, & cibum Deo præſentari viſus eſt. E. *Miſericordia in paup.* n. 4.

S. Martyrius Monachus leproſum ſuis humeris domum detulit, ac ibi Chriſtum eſſe agnovit, qui dixit illi: Serve bone! tu me non erubuiſti in terra, nec ego te erubeſcam in cælo. *N.* 23. *Jan.*

S. Julianus Hoſpitator pauperem frigore torpentem domum tulit, & in ſuo lectulo calefecit. Ecce! pauper ſubito ſplendeſcere cæpit, & in cælum aſcendens Juliano dixit, ſe miſſum eſſe, ut peccatum illi dimiſſum eſſe nuntiaret. *N.* 29. *Jan.*

S. Otho Epiſcopus Bambergenſis, pauperum pater, vel piſciculum duobus obolis emptum, tanquam edulium nimis pretioſum comedere noluit, & ægroto ſubmiſit, ſolo pane contentus. In morte ejus pauperes viſi ſunt pretioſos lapides in montem efferre, & dicere: quia eleemoſynas ab Othone accepimus, illi domum pretioſam ædificamus. *Leucht.* N. 2. *Jul.*

S. Reynaldus Comes veſtem ſuam pauperi donat, & mox viſus eſt ab Angelis auro, & argento veſtiri. N. 15. *Dec.*

S. Auguſtinus ait: *Quid ſunt pauperes niſi bajuli? das bajulo tuo, & portat in cælum tua,* *S. Aug. Serm. [illegible]*

quod

*quod dat.* Et mox iterum: *Perdes quod dediſti, ſed ſequeris, quo miſiſti! non ſine theſauro remanebis, ſed quem habebas in terra ſollicitus, habebis in cælo ſecurus.* C. in Ep. S. Jac. c.5. v.2.

183. *Nemo ſe excuſet:* Nihil habeo &c.

*Eccl. 25.* Spiritus Sanctus ait: *Odivit anima mea divitem mendacem:* Ubi S. Auguſtinus: *S. Aug. ep. Lab. &c. V. Liesbuſ. prop. 25.* *Dives mendax eſt, qui in his, quæ ad Deum ſunt, toties dicit: Non poſſum.* B. Serm.73. n.28. & ſeq.

Item ib. §.6. per totum. Et Serm.65. §.5.

Quanta impendimus pro ſpectaculis, pro ædificiis, pro ludicris &c. S. punct. 85. fol.272. Vide Titulum *Divitiæ.*

S. Servulus pauper & paralyticus eleemoſyna, quam corrogabat, non tantum ſe, ſed alios etiam pauperes alebat. Hic *S. Greg. hom. 15. in Ev.* S. Gregorius ait: Videamus S. Servulum, qui manus paralyſi laxatas movere non potuit, & tamen illas ad opem pauperum extendit. Et nos, qui divitiis abundamus, ad miſerorum auxilium nec digitum movemus. *N.23. Dec.*

S. Ambroſius hortatur: *Neceſſitatem a-* *S. Amb. l. 2. off. c. 28.* *lterum, quantum poſſumus, juvemus, & plus interdum, quam poſſumus!* Quomodo plus præſtandum, quam poſſumus? Quia multi ſunt, qui obtendunt impotentiam, quæ tantum eſt inclementia. O quam ingenioſi fuerunt Sancti ad ſublevandas pauperum neceſſitates! cum nihil habuerunt, ſeipſos pignori dederunt, uti S. Paulinus, & alii. C. Eccli.31. v.11.

Sicut Dominus ſubminiſtrat famulo ſemen ad ſeminandos agros, ut tempore meſſis pro uno grano centum recipiat: ſic Deus pro uno obolo in pauperes expenſo, dat centenos, ut ſemper eleemoſynarius expendere, & nunquam dicere poſſit: *Nihil habeo!* C. in 2. Cor. c.9. v.10.

184. *Corrumpitur illius meritum ob varios defectus.*

Primo ſæpe ſubeſt vana gloria. Nazianzenus ait: permulti ad ſumptus faciendos ſola honoris cupiditate ducuntur: ubi largitio arbitris caret, ibi quoque largitio langueſcit. S. p.20. fol.78.

Secundo. Privatur merito, ſi fiat cum verbis aſperis. *Fili in bonis non des querelam.* Chryſoſt. ait: Non te pudet pauperem pro fruſto panis impoſtorem vocare? ſimulat, inquies, tremorem, & infirmitatem: ſimulat propter ſævitiam tuam, quæ ad commiſerationem non flectitur, &c. S. p.81. fol.262. *Nonne ardorem refrigerabit ros? ſic & verbum magis, quam datum:* ſicut ros temperat æſtum, ita comitas & benignitas verborum indigentibus beneficium commendat. S. Ib. Immiſericordia eſt prius exprobrare inertiam, & importunitatem pauperi, quam dare. S. Ib.

3. Si fiat ex hypocriſi. Officialis in Bavaria poſt mortem conjugi apparet, indicans, ſibi contra æternam damnationem nil profuiſſe eleemoſynas, quia illas ex vano honore dediſſet. Et ſic cum terribili ejulatu, tota arce tremente diſparuit. E. *Eleemoſyna* n.8.

S. Emmeramus in Martyrio petiit a Vitale Presbytero hauſtum frigidæ, & iſte negavit, inquiens: Quid vis refocillari, qui potius mortem optare deberes? tunc S. Emmeramus hanc pœnam illi inflixit, ut quoties biberet, ſemper mentis inops fieret. C. Ez. 18. v. 7.

185. *Non privatur merito data pauperi indigno.*

*Qui recipit Prophetam in nomine Prophetæ, & juſtum in nomine juſti &c.* Id eſt credens eum eſſe Prophetam, aut juſtum, etſi revera non ſit, tamen mercedem non perdet. S. p.86. fol.274.

S. Hieronymus ait: Nobis propoſitum eſt pedes lavare venientium, non merita diſcutere. S. p.87. fol.280. *S. Hier. l. 3. cont. Ruffin.*

Quidam avari frequenter oblatrant, pauperes eſſe deceptores, ſimulare cæcitatem, contracturas, aliaſque facere impoſturas, ut pecuniam extorqueant. Sed quid tum? tua immiſericordia, mi avare, cogit illos, ut hujuſmodi ſimulationes faciant. Paupertas demum debet eſſe ingenioſa, alias nihil acquirit. Nonne ſi rogetur illa femina amore Dei, nihil efficitur, ſi autem rogetur nomine mariti peregre abſentis, ſtatim extorquetur eleemoſyna? Nonne ſi laudetur præmium liberalium, nihil efficitur, ſi autem illa puella laudatur de venuſtate, ſtatim aperitur crumena? &c. pauperes igitur fiunt ingenioſi ex tua duritie difficulter flexibili &c. D. 8. 56.

Joannes Dei rogabat Marchionem Petrum Henriq. eleemoſynam, qui illi viginti duos aureos largitus eſt. Sed quoniam inaudiit, Joannem erga egenos liberaliſſimum eſſe, cito habitum pauperis aſſumit, & a Joanne ſtipem flagitat, atque ecce! Joannes illi omnes viginti duos aureos porrigit. Altera die Marchio Joannem convenit, eique condolet, quod a fure

fue-



fuerit exſpoliatus, ex cujus manibus ipſe datos illi aureos recepiſſet: negat Joannes ſe furtum paſſum fuiſſe, ſed potius lucrum ait ſe feciſſe, &c. R. 1. cent. part.2. mir.10.

*Eccli 12.* Dicit quidem Eccleſiaſticus: *Da miſericordi; & ne ſuſcipias peccatorem:* ſed ſenſus eſt, potius favendum eſſe pio, quam impio. C. Eccli 12. v.1.

186. *Quomodo danda ſit, quibus, & quoties.*

Inprimis habenda eſt ratio eorum, quibus damus; nam ſi parvo egent, parum detur, ſi multo multum. Inſuper dandum eſt, quoties indigent pauperes, hinc qui mane expertus eſt noſtram beneficentiam, ſi veſperi redeat, non eſt dimittendus vacuus. Tria autem ſunt ſpecialiter obſervanda: 1. Ut eleemoſyna detur clam, & in occulto, non palam & in publico. 2. Ut detur vultu hilari, non faſtidioſo. 3. Ut cum damus, verbis blandis alloquamur; nam dono gratiam conciliat oratio, quæ plus ſæpe valet, quam ipſum donum. C. Prov. 22. v.9.

Qui mœſtus, aut indignans dat eleemoſynam, reficit quidem corpus pauperis, ſed animum ejus mæſtitia & indignatione cruciat & vulnerat; hinc S. Auguſti- *S. Aug. in Pſ.41.* nus: *Si panem dederis triſtis, & panem, & meritum perdidiſti!* C. Prov. 22. v.9.

Dices fortaſſe: Mendici ſunt ſæpe deceptores, & impoſtores, adeoque eleemoſyna indigni. Reſpondeo, eſto ita, eleemoſyna tamen non privatur merito; quia non pauperi, ſed Chriſto Domino datur, *Matt.25.* qui expreſſe promittit: *Quamdiu feciſtis uni ex fratribus meis minimis, mihi feciſtis.* Præterea, quæ cauſa pauperes ſceleratos facit? Ipſa paupertas, hæc illos ad pellendam famem ſæpe facinoroſos facit: cum ergo hominis talis inopiam levas, forſan multa peccata præpedis, quod eſt magni meriti apud Deum.

187. *Prodeſt in vita, quia auget fortunas.*

Puer ille Evangelicus dat Chriſto quinque panes, & mirabiliter multiplicantur. S. punct. 80. fol. 257.

Viduæ multiplicatur oleum, quia Eliam recipit. S. Ib.

Eleemoſyna a Deo inſtar ſigilli aſſervari dicitur, quia fideliter illam cuſtodit, & etiamſi non ſtatim, tamen ſuo tempore retribuit. S. punct. 80. fol. 258.

*Frange eſurienti panem:* Quid tum? tunc erumpet quaſi mane lumen tuum; id eſt, dum alii ſiccitate, & inopia contabeſcunt, tu undique felix eris. Imo vita ipſa prolongabitur. S. Ib. fol. 259.

Tiberius liberalis in pauperes in ſuo palatio invenit lapidem cruce ſignatum, & ſub eo grandem theſaurum. Sacerdos Meſſina duas ollas habebat, unam oleo, alteram farina plenam, ex his quantumcunque egentibus dabat, nunquam illæ evacuabantur, &c. Sanchez 6. part. c. 4. fol.709. & ſeq.

S. Gregorius naufrago mendicanti ſex nummos, iterum redeunti iterum ſex nummos, & tertio redeunti ſcutellam argenteam dari præcepit: hæc autem liberalitas cauſa fuit, propter quam ad Pontificatum evectus eſt; naufragus enim fuit Angelus, qui hoc illi revelavit. E. *Eleemoſyna* n. 14.

S. Jodocus panem, quem habebat unicum, pauperi dedit, & quatuor naviculas plenas panibus in flumine recepit, ignarus, unde advenerint. C. Ezech. 18. v.7.

Data ante mortem majoris eſt meriti quam poſt mortem: 1. Quæ in morte relinquuntur, magis coacta & involuntaria videntur, quæ vero in vita, ſunt voluntaria & libera. 2. Quæ in vita dat vivens, ſibi ſubtrahit, quæ vero in morte, ea mors illi ſubtrahit; liberalior ergo eſt dans vivens, quam moriens. 3. Eleemoſyna data a vivente, ei preces pauperum, & favorem Dei conciliat, poſt mortem autem homo novæ gratiæ eſt incapax, nec poteſt in illo juſtitia creſcere. 4. Teſtamenta, & Legata ſunt multis litibus obnoxia, & ſæpe ad effectum non deducuntur, quæ vero in vita dantur, everti nequeunt, &c. C. Eccli 14. v. 13.

S. Joannes Eleemoſynarius, quo plura erogabat, eo plura recipiebat. S. Lydvvina ſua liberalitate obtinuit Burſam Chriſti, in qua, quantumcunque erogabat, ſemper ſupererat, quod ulterius erogaret. Simile quid legitur de S. Catharina Senenſi, de S. Liberali, & aliis. C. Prov. 22. v.9.

188. *Prodeſt in morte quia adjuvat, & defendit.*

Eleemoſynam S. Ambroſius vocat defunctorum comitem. S. punct. 80. fol. 258.

*Eleemoſyna a morte liberat;* nam ut ait *Tob. 4.* Auguſtinus ante fores gehennæ ſtat miſericordia & neminem permittit in carcerem mitti, qui erga pauperes largus fuit. Sic Stephanus in profundum lapſus ab operibus miſericordiæ ſurſum trahitur. S. Ib. fol. 259.

Ad reſiſtendum hoſti pertinet vis defenſiva, & offenſiva: hæc eſt eleemoſyna: *ſuper ſcutum potentis* (en! defenſivam) *& lanceam* (en! offenſivam) *adverſus inimicum tuum pugnabit*. S. punct. 80. fol. 261.

Tob. c. 4. S. Tobias ait: Eleemoſyna *ab omni peccato, & a morte liberat, & non patitur animam ire in tenebras*. Ubi S. Leo: *Miſereantur pauperum, qui ſibi volunt parcere Chriſtum*. C. Deut. 26. v. 12. Et Eccli 3. v. 17. (S. Leo Serm. 2. de Jejun.)

Eleemoſyna adſtat tribunali Chriſti non tantum patrocinans, ſed perſuadens judici, ut reo patrocinium præſtet: Ibi dicet Chriſtus: Venite Benedicti; Eſurivi enim & paviſtis me! &c. Sic Martyres Matronæ, a qua in carcere paſti ſunt, promiſerant illi, quod ei in judicio aſſiſtere velint. C. Deut. 26. v. 12.

*Beatus, qui intelligit ſuper egenum, & pauperem, in die mala liberabit eum Dominus*. Ubi S. Ambr. *Sola miſericordia comes eſt defunctorum*. C. Deut. 26. v. 12.

### 189. *Prodeſt poſt mortem, quia coronat.*

Epulo in flammis petiit mitti Lazarum: cur illum, quem fame peremit? Ib. Quia tunc primum agnovit pauperes eſſe medicos ſalutis: cum Deus ad te mittit pauperem, mittit & offert ſalutis medicum. S. punct. 80. fol. 261.

*Dormierunt ſomnum ſuum, & nihil invenerunt viri divitiarum*: Qui ſomniat ſe inveniſſe theſaurum, dives eſt quamdiu dormit, pauper dum evigilat: at miſericors tunc dives eſt, cum evigilat ad vitam alteram. S. Ib. fol. 266.

Eleemoſyna theſauros cæli comparat eleemoſynario: eſt inſtar columbæ, quæ in diluvio Noemo portavit palmam olivę: ubi S. Chryſoſtomus: *Pennata eſt eleemoſyna, aureas habet alas, ipſos ſupra modum delectans Angelos*. Opes in tuto collocat, hoc eſt, in cælo per manus pauperum: *Opes transfugæ ſunt*, ait idem S. Doctor. *Quomodo tenebuntur? diſtributæ manent, cuſtoditæ fugiunt*. Sicut frumentum domi aſſervatum a vermibus corroditur, ſparſum autem in agros meſſem parit: ſic opes aſſervatæ nocent, diſtributæ proſunt. C. Deut. 26. v. 12. (S. Chryſ. Serm. de Fornic.)

Ædificat æterna tabernacula in cælis: S. Chryſologus monet: *Da pauperi terram, ut accipias cælum, da nummum ut accipias regnum, da micam, ut accipias totum*. C. Deut. 26. verſ. 12. Et Prov. 11. v. 4. (S. Chryſ. Serm. de eleemoſ.)

Eleemoſyna pauperi datur, ſed Chriſtus illam ut ſibi datam recipit: *Eſurivi, & dediſtis mihi manducare &c.* C. Deut. 26. v. 12.

Eſt ſignum prædeſtinationis: omnes Sancti illuſtres fuerunt eleemoſynarii. *Ibidem.*

### 190. *Ex juſtitia debetur pauperi.*

Eccl. 3. *Vitam pauperis ne defraudes*: ubi notandum verbum *defraudes*; ſicut enim vita illi debetur, ita & cibus ad vitam neceſſarius. S. punct. 80. fol. 261. Ideo obligatio, non voluntas libera eſt ſuccurrere pauperi in neceſſitate. S. Ib. Vitam populi poterat anuli tui gemma ſervare, ait Ambroſius. S. punct. 82. fol. 267.

*Qui habet duas tunicas, det alteri*: ubi Hieronymus: Quod neceſſarium eſt pro una tunica habendum eſt, reſiduum ſuperfluum eſt, & pauperibus erogandum. S. punct. 88. fol. 281.

Sanctus Auguſtinus ait: Quare pauper non capiet tecum cibum, qui tecum accepturus eſt regnum? quare pauper non accipiet veterem tunicam, qui tecum accepturus eſt immortalitatis ſtolam, &c. S. punct. 85. fol. 273.

Duo Cherubin in Arca ſe mutuo reſpiciebant, quia debet unus ad alterius indigentiam aſpicere. M. conc. 2. aſſ. 3. nu. 8.

Juſtitia eſt conſtans & perpetua voluntas tribuendi cuilibet ſuum: Quod tibi ad tuam ſuſtentationem neceſſarium eſt, *tuum* eſt, quod ſuperfluum, tuum non eſt: (Matt. 25.) cum ergo das pauperi, revera das, quod ſuum eſt; hinc Chriſtus promittit miſericordibus *coronam juſtitiæ* C. in 2. Cor. c. 9. v. 9. Et Prov. 1. v. 3.

In eadem republica & civitate ſunt divites & pauperes, Deus ita ſtatuit, ut unus alterius auxilio juvaretur. Si omnes eſſent divites, nemo vellet laborare & ſic omnes artes ceſſarent cum magno hominum damno, quare dives pauperem fovere, & pauper pro divite laborare debet. *Dives & pauper ſunt duo ſibi neceſſaria*, ait S. Aug. *dives propter pauperem factus eſt, & pauper propter divitem*. C. Prov. 22. v. 1.

### 191. *Non placet Deo data ex bonis injuſtis.*

Ludovicus XI. Rex Galliarum Sancto Franciſco de Paula dono dedit marſupium auri, ut ea pecunia Ordinis ſui Eccleſiam ædificaret. Recuſavit Sanctus Vir donum, dixitque: Mi Rex, melius faceres, ſi hoc auro debita ſolveres, & tuis ſubditis ab immoderatis emunctionibus parceres. D. 3. 51. R. 1. cent. 2. part. mir. 5.

Ab-



Abbas Stephanus cum in Monaſterio valde egeret, mendicatum in unam civitatis plateam exivit, in alteram fratrem laicum emiſit: cum ergo frater pleniore ſacco rediiſſet, quam ipſe tulerat, quæſivit, a quo tam abundantem eleemoſynam collegiſſet? & cum intellexit, collectam fuiſſe a Clerico ſimoniaco, objurgans fratrem, quod accepiſſet, decernenſque, nihil ex ea ſumere, paſtoribus ovium totam diſtribuit. E. *Eleemoſyna* num. 5.

Nobilis Ermoaldus graviter decumbens, ex bonis male acquiſitis miſit S. Launomaro quadraginta nummos, ut Deum pro ſe deprecaretur, & eleemoſynas faceret. Sanctus Vir tantum unicum retinuit, reliquos latori reportandos reddidit, inquiens: per pecuniam injuſtam non poſſe placari Deum, nam victimas impiorum abominabiles eſſe coram Deo. E. *Eleemoſyna* num. 15.

Prov. 20. *Multi homines miſericordes vocantur, virum autem fidelem quis inveniet?* id eſt, multi aliis ſua largiuntur, & pauci ſunt fideles, qui aliena non invadunt, aut invaſa reſtituunt. Item multi habent nomen miſericordium, ac pauci ſunt fideles, quia miſericordiam faciunt non ſincere, ſed ficte; quia quærunt oſtentationem, lucrum aut aliud ſimile. C. Prov. 20. v. 6. Non placet Deo data in peccato. Prov. 21. v. 27.

### 192. *Quam grata ſit Deo.*

Oſvvaldus Angliæ Rex menſæ accumbens cum pauperum gregem foris exſpectare audiret, & cibos & argenteam menſam illis diſtribui juſſit. Aſſidens Epiſcopus apprehendit ejus dexteram, inquiens: Nunquam veteraſcat hæc manus! & fuit vaticinium, nunquam enim manus cum reliquo corpore corrupta fuit. E. *Eleemoſyna* n. 19. *Miſericord. in paup.* 9.

Joannes de Deo pauperrimus, & humillimus, dum pauperibus pedes lavat, Chriſtum ipſum inter hos videre meruit, dicentem: Ego ipſe ſum, cui tu pedes lavas! coronam ſpineam a Chriſto accepit. N. 8. *Mart.*

Deus in miſericorde homine agnoſcit imaginem ſuæ Divinitatis: *Eſtote miſericordes, ſicut & Pater veſter miſericors eſt.* Ubi S. Leo: *Imago Dei eſt homo beneficus*. C. Deut. 26. v. 12.

S. Antonino quidam corbem plenam fructibus dono dedit, ſperans reciprocum munus ſe accepturum. Sanctus nil retulit, quam illud: *Deo gratias!* & cum cerneret donatorem ſubtriſtem abire, vocat illum, acceptaque bilance in una ſcutella collocat fruges donatas, in altera ſcriptum: *Deo gratias!* Et ecce! hæc alteri multum præponderabat. D. 2. 72. Sanchez part. 6. c. 4. fol. 702.

### 193. *Melius expenditur in egenos, quam in ædificia, altaria &c.*

Lapides & ædificia cum ſæculo tranſeunt: ex vivis autem lapidibus civitas Regis Magni conſtruitur, quos in ſaphiros, & ſmaragdos convertendos eſſe Scriptura recenſet. Hinc S. Hieronymus ad Demetriadem:

Alii ædificent Eccleſias, veſtiant parietes marmorum cruſtis, columnarum moles advehant &c. non reprehendo, non abnuo, unuſquiſque in ſuo ſenſu abundet: ſed tibi aliud propoſitum eſt, Chriſtum veſtire in pauperibus, &c. S. punct. 79. fol. 254.

S. Ambroſius: Parietes auro veſtitis, & homines veſte nudatis: Clamat homo nudus, & tu ſolicitus es, quibus marmoribus pavimenta veſtias. S. punct. 82. fol. 267.

Chryſoſtomus: pecunias tuas in manus inopum diſpenſa, relictis lapidibus & ſplendidis ædificiis: &c. S. punct. 85. fol. 272.

Et iterum: Vis corpus Chriſti honorare? non deſpicias ipſum nudum, nec hic quidem in Eccleſia ſericis pannis induas, foris autem frigore, ac nuditate confici negligas. S. punct. 88. fol. 281.

S. Cæſarius Epiſcopus Arelatenſis Theodorico Gothorum Regi captivus mittitur tanquam proditionis reus: ſed comperta innocentia ille cum ingentibus donis in patriam remittitur, ubi ille theſauros in pauperes diſtribuit, inquiens: Chriſto longe gratius eſſe, ſi hos theſauros in ſuis pauperibus, quam in altaribus videat: ſæpe ſacra vaſa erogavit. F. p. 5. fol. 117.

Chriſtus ipſe unguentum non accipit, ut pauperibus illud cedat. M. conc. 42. aſſ. 2. num. 8.

S. Auguſtinus vaſa dominica propter captivos frangi ac conflari juſſit. C. Exod. 26. f. 524. col. 2.

### 194. *Docetur exemplo Sanctorum.*

Acacius Amidæ Epiſcopus vaſa aurea, & argentea vendit ad redimendos captivos. C. Gen. fol. 524. col. 2. & 973. col. 2.

Amadæus Sabaudiæ Dux pauperes vocat ſuos canes venaticos, quibuſcum cæleſtem patriam venari ſperaret. C. Gen. fol. 518. col. 1.

 Chri-

Chriſtus Dominus ſummo mane ſurrexit, ut anteverteret mulieres ſuum corpus ungere volentes: cur ergo non acceptavit unguentum pretioſum? Reſpondet S. Bernardus, ut illud pauperibus cederet. M. conc. 42. aſſ. 2. num. 8.

Arnulphus divitias omnes dat egenis, & ex ſua familia meretur procreare Reges Francorum. S. Gregorius deficiente pecunia vas argenteum dat, & pro illo Angelum ad menſam recipit, qui illi Pontificatum annuntiat. Quidam Abbas lampredam delicate coctam pauperi dat, & videt in cælum attolli, &c. S. punct. 86. fol. 275. 276.

Joannes Eleemoſynarius prima die, quo ad Patriarchatum evectus eſt, ſeptem millia mendicorum convocari ac conſcribi jubet, quibus dein quotidianum victum præbuit. Robertus Rex Galliæ egentibus ſtipem diſtribuit, & manum exoſculatur: quotidie millenis mendicis panem & vinum miniſtrat: in hebdomada ſancta pedes lavat, paſcit, ſtipem diſtribuit, aliaque ſanctæ liberalitatis opera facit, &c. D. 4. 90.

S. Serapion ſeipſum veſtibus privavit, ut nudos veſtiret: quæſitus, quis eum ſpoliaſſet? repoſuit: Iſte! Evangelium quod manu tenebat, digito ſignans. E. *Eleemoſyna* num. 11.

S. Dominicus adhuc juvenis libros vendidit, ut famelicos paſceret. Ecdicius Senator tempore famis Burgundiæ quatuor millia pauperum aluit. S. Paulinus Epiſcopus Nolanus, omnibus in pauperes erogatis, ſeipſum pro Viduæ filio VVandalis in ſervitutem tradidit. Idem fecit S. Paula Romana, quæ ita profuſa fuit in pauperes, ut moriens debuerit aliena veſte, & ſumptu ſepeliri. Idem legitur de S. Martino, de S. Joanne Eleemoſynario & aliis. C. 2. Cor. c. 8. v. 12.

### 195. *Inſignes fructus poſt ſe trahit.*

Eleemoſyna 1. actiones juſtorum dirigit, proſperat, & fortunat, ut inoffenſi per omnia pericula incedant, & felices rerum ſuarum ſucceſſus ſortiantur, rectaque via verſus cælum progrediantur. *Eleemoſyna*, ait S. Chryſoſtomus, *eſt via regia, quæ in cælorum arces adducit, &c.* C. Prov. 11. v. 4.

S. Chryſ. hom. de pœnit.

2. Inſignes virtutum fructus in animo eleemoſynarii producit: ſicut radix arboris in pingui ſolo quotannis folia, & fructus affert: ita pecunia in manibus pauperum, ait S. Chryſoſtomus, non ſolum in anno, ſed quotidie ſpirituales fructus producit, fiduciam in Deum, peccatorum abſceſſum, conſcientiam bonam, lætitiam ſpiritualem, ſpem jucundam, & bona quę præparavit Deus diligentibus ſe. *Juſtus ut palma florebit, ſicut Cedrus Libani multiplicabitur.* C. Prov. 11. v. 28.

Pſ. 91.

3. Eleemoſyna Miſericordiam Dei provocat, & ad veniam peccatorum impetrandam diſponit, juxta illud: *Beati miſericordes, quoniam miſericordiam conſequentur!* unde S. Auguſtinus: *Ante fores gehennæ ſtat miſericordia, & neminem permittit in carcerem mitti* miſericordem. Et S. Chryſoſtomus: Magna res eleemoſyna, regina virtutum, quæ homines ad cælum adducit, advocati optimi loco fungens. C. Prov. 14. v. 21.

S. Aug. hom. 29. inter 50.

### 196. *Non eſt conſilii tantum, ſed quaſi præcepti.*

*Non conſilio monetur, ſed præcepto indicitur*, ait Sanctus Thomas de Villanova. Epulo damnatus eſt propter immiſericordiam Lazaro exhibitam: ergo tenebatur ſuccurrere egenti Lazaro. *Quæ non dediſti, rapuiſti &c.* E. Serm. 73. nu. 21. 22. & ſeq.

Virgines fatuæ excluſæ ſunt, quia ſua non dederunt. S. punct. 80. fol. 261.

Nihil eſt tam proprium homini, quam humanitas: ergo homo eſt, qui humanus eſt erga alios: hinc comparatur ſoli, qui lucem & radios non ſibi ſoli reſervat, ſed cunctis impertit. C. Deut. 26. v. 12.

Deus graviter punivit immiſericordes: Vitalis Presbyter, qui S. Emmeramo in tormentis negavit hauſtum frigidæ, quoties deinceps bibit, ſemper mentis inops factus eſt. Dives, qui S. VVilibrordo potum negavit, toto anno ardentem ſitim extinguere non potuit, donec poſt annum a redeunte S. VVilibrordo veniam impetravit. C. Ezech. 26. v. 7.

*Eleemoſynam pauperis ne defraudes.* Ubi S. Baſilius, in illud: *Deſtruam horrea mea: Nunquid ſpoliator es, qui quæ diſpenſanda accepiſti, propria reputas? Eſt panis famelici, quem tu tenes! nudi tunica quam tu ſervas; diſcalceati calceus, qui apud te putreſcit, &c.* C. Eccli 4. v. 1.

Eccli 4.

### 197. *Deum debitorem facit.*

*In illo die pepigit Dominus fœdus cum Abraham.* Ecce! ait Cajetanus, quouſque ſe Deus demittat, in ſimilitudinem hominis paciſcitur cum homine. Et Chryſoſtomus: Ipſum tene debitorem, ipſum exige. Et Chryſologus: homo homini obſtringitur exiguæ



exiguæ cartulæ obligatione, Deus tot, ac tantis voluminibus cavet, & tamen debitor non tenebitur? S. punct. 22. fol. 92.

Si agricola ſementem terræ mandat ſpe lucri, quanto magis nos ſeminemus in ſinus pauperum; cum hic nulla ſterilitas fructum impedire poſſit? S. p. 88. fol. 282.

Dives quidam duodecim filiis, quos habuit, metu diſſenſionum & litium omnem hereditatem Deo in Eccleſia donavit, & Deus filiis adeo compenſavit donum, ut ſinguli ſupra bona paterna ditati ſint. E. *Miſericord. in paup.* n. 6.

Si dicas: Proles mihi ſunt ditandæ, occurrit Chryſoſtomus: ſi vis filios divites in tuto relinquere, Deum ipſis relinque debitorem, & hoc eis chyrographum trade: Deus centuplum, quod promiſit rependet. C. Lev. 24. v. 5. fol. 742.

Quæris, quomodo Deum debitorem faciam? audi Chryſoſtomum: Nunc hujuſce rei tempus eſt, nunc eſurit, nunc ſitit, nunc nudus eſt in pauperibus, cum hæc vita elapſa fuerit, tui non indigebit. C. Lev. 24. fol. 742.

Puella Alexandrina pauperi ob debita ſibi laqueum paranti omnem ſuam ſubſtantiam donat, dein ex paupertate impudentiſſime de quæſtu corporis vixit. Sed morbo correpta, & reſipiſcens, ad Epiſcopum venit, rogans baptizari. Negavit illi Epiſcopus baptiſmum, niſi ſponſorem adduceret, quod velit deinceps caſte vivere. Et ecce! adfuerunt mox duo Angeli ſponſores &c. C. Ez. 18. v. 7.

Eccl. 17.

*Omnia opera illorum velut ſol in conſpectu Dei.* Sicut ſigillo, ſeu ſignaculo ſolemus obſignare res pretioſas; ita Deus obſignat eleemoſynas in mente ſua, ut fideliter ibi aſſerventur, & ſuo tempore juſtam illis mercedem retribuat. Hinc Deus ipſe dicit: *Nonne hæc condita ſunt apud me, & ſignata in theſauris meis.* C. Eccli. 17. v. 18.

Deut. 32.

Eleemoſyna eſt victrix virtus; vincit avaritiam, vincit peccata, vincit & expugnat cælum, vincit dæmonem, vincit Deum; unde ipſa ſpecie reginæ apparuit S. Joanni Eleemoſynario, aſſerens, ſe Deo eſſe familiariſſimam, & omnia poſſe impetrare. C. Prov. 22. v. 9.

Matth. 25.

*Quod uni ex minimis meis feciſtis mihi feciſtis.* Eſt ergo Eleemoſyna ars & uſura lucroſiſſima, 1. Quia Deum, non hominem nobis debitorem facimus. 2. Quia Deus ſortem & cenſum non ſimpliciter, ſed centuplum ſolvit, id enim ſignate promiſit, *centuplum accipietis*. 3. Quia Deus bis ſolvit, in terra & in cælo. 4. Quia lucrum ſecurum eſt & certum apud Deum, ſecus ac uſuræ in terra, quæ una cum ſorte perdendi periculo exponuntur. 5. Quia ingens eſt Dei liberalitas & dignatio, quod ſe obliget ad uſuram operum, de quibus nullam accipit utilitatem. 6. Quia uſura in hac vita ſolum prodeſt uſurario, ſed Deus ſe obligat etiam ad ditandas & felicitandas proles totamque familiam. 7. Quia uſurarius pecuniam dat ſuam, non alienam, at eleemoſynarius non dat de ſuo, ſed ex eo, quod Dei eſt, & quod a Deo jam antea accepit &c. Evagrius Philoſophus audiens a Syneſio Epiſcopo hanc gnomen Salomonis: *Fœneratur Domino, qui miſeretur pauperis*, dedit ei pecunias erogandas in pauperes, popoſcitque chirographum, quo ſibi promitteret, eas in altera vita cum fœnore reddendas, quod & moriens ſecum ſepeliri juſſit. Poſt mortem apparuit Syneſio, reſtituenſque chirographum dixit: ſibi abunde ſatisfactum eſſe. C. Prov. 19. v. 17.

Prat. ſp. Jo. Moſch. c. 195.

### 198. *Non ex munere, ſed ex affectu æſtimatur.*

*Flebam quondam ſuper eo, qui afflictus erat.* Ille perfecte tribuit, ait Gregorius, qui prius in ſe volentis affectionem transfert. Sic vidua illa duo minuta offerens in ſtructuram templi, opes ſuas exhauſit ex tota anima. Petrus Telonarius poſtquam omnia expendit, ſeipſum vendit, item Serapion Syndonita, & S. Paulinus &c. S. punct. 81. fol. 263. 264.

Monitum eſt Eccleſiaſtici: *Cor inopis ne afflixeris, & non protrahas datum anguſtianti*: Quibus verbis cunctationem dantis improbat. Quare? 1. quia qui cito dat indigenti, totam aufert miſeriam, qui vero tarde, partem duntaxat miſeriæ aufert. 2. Qui cito dat, cito explet deſiderium, quod cruciat indigentem, qui vero tarde, ſinit eum ſuo deſiderio cruciari: ſpes enim, quæ differtur, affligit animam. 3. Qui cito dat, indicat animum benevolum, qui vero tarde, indicat animum avarum, & malevolum; munus autem maxime æſtimatur ex animo. 4. Qui negligit preces pauperis, eum contriſtat, & ſubinde ad iram, & impatientiam adigit, ut mala imprecetur neganti, quorum Deus vindex eſt. 5. Qui tarde dedit, diu noluit: beneficentia autem, ait Philo, nunquam pulchrior apparet, quam cum plena eſt, &c. C. Eccli. 4. v. 3.

Eccli. 4.

Perfectio, & meritum eleemoſynæ conſiſtit in promptitudine voluntatis; hinc

hinc qui non habet quod det, ex affectu, & voluntate dandi tantum poteſt colligere meritum, quantum ille qui habet quod det. S. Aug. ait: *Si potes dare, da! ſi non potes, affabilem te fac! coronat Deus intus bonitatem, ubi non invenit facultatem*. C. in Ep. 2. Cor. c. 8. v. 12. *S. Aug. in Pſ. 103.*

Miſericordia.

199. *Exhibenda proximo unice propter Deum.*

CHriſtus monet: cum facis convivium voca pauperes, claudos, cæcos &c. Quare? Cornelius a Lap. ait: *Quia non habent retribuere tibi, ut non niſi ob amorem Dei invitet, eo quod a pauperibus nihil ſperet*. B. Serm. 33. n. 27.

*Lc. 6.* *Eſtote miſericordes, ſicut & Pater veſter miſericors eſt*. Particula *ſicut* non dicit æqualitatem, ſed ſimilitudinem, nam miſericordia, quæ eſt voluntas ſuccurrendi alienis miſeriis, in Deo eſt actus caritatis, in homine eſt affectus teneritudinis naturalis. Poteſt tamen in homine etiam ex caritate promanare, ideo requiritur *eſtote miſericordes ſicut & Pater*. Et primo Deus aſſumpſit naturam humanam, ut alienas miſerias etiam in ſe ſentiret: ita & tu alienas miſerias ut proprias habe. 2. Deus miſeretur etiam eorum, qui ſua culpa ſunt miſeri, uti ſunt peccatores: ita & tu commiſeratione movearis eorum, qui potius digni ſunt reprehenſione. 3. Deus non ſolum amicorum, ſed etiam inimicorum miſeretur, imo in ipſo inferno mitius merito punit: ita & tu promptus es etiam inimicis ſuccurrere. 4. Deus miſericordiam ſuam effundit ſupra miſeros, etſi ipſe ſit feliciſſimus: ita & tu contra genium eorum, qui quanto ſunt feliciores, tanto ſunt duriores, miſericordiam indue, &c. Segn. Manna 18. Jul. Sanch. 6. p. c. 4.

Diligendus eſt Deus propter ſeipſum, proximus autem propter Deum. Et quidem primo. Propter Deum tanquam cauſam motivam, quia ipſe præcipit Legislator omni amore digniſſimus. 2. Propter Deum tanquam cauſam formalem, quia nos amavit ſine ullo ſuo commodo & emolumento. 3. Propter Deum tanquam cauſam exemplarem; quia nos amavit cum ſummo ſuo incommodo, ponendo vitam & ſanguinem pro nobis. 4. Propter Deum tanquam cauſam finalem, quia miſericordiæ opera ſecuriſſime ducunt ad Deum.

200. *Succurrit neceſſitatibus proximi.*

S. Apollinaris Patriarcha Alexandrinus, ut nobilem depauperatum ſolaretur, apocham fingit, qua quinquaginta talentorum debitorem ſe illi ſcribit, eamque apocham tanquam repente inventam illi nobili per tertium conſignat, ac ſummam ſolvit. R. 1. p. mir. 46.

Cicero ait: *Nihil eſt naturæ hominis accommodatius, quam liberalem eſſe*. Cyrus Perſarum Rex dicitur nullum in ſuos, & alienos liberalitatis genus prætermiſiſſe. Ptolomæus Philadelphus ajebat: *Malle ſe alios ditare, quam ipſe diteſcere*. Sic Alexander Severus: ſic Conſtantinus Magnus: Leo X. Papa dicere ſolebat: *Eos principe loco indignos, qui nequaquam benefica manu in ſuos uterentur*. H. Serm. 26. fol. 237.

Opera Miſericordiæ erga proximum non tantum de conſilio, ſed de præcepto eſſe videntur: cum Chriſtus eſuriit, petiit fructus a ficu, cum autem illa non haberet niſi folia, maledixit illi, & areſacta eſt ficus. C. in Matth. 21. v. 19.

Miſericordia habet ſuos gradus, & obligatur ſuccurrere propinquiori præ remotiore. Sic Chriſtus reprehendit filios dicentes parentibus egentibus *Corban*, id eſt, munus illud Deo offerre præſtat, quam dare tibi, O Pater. *Matth. 15.* S. Auguſtinus damnat parentes, qui bona ſua dant Monaſterio, cum habeant filios indigentes, *Poſſid. in Vita c. 24.* adeo talium oblationes ille refutare ſolebat. C. Oſeæ 6. v. 6.

201. *Habet commiſerationem cum peccatore.*

Si inter viginti vitra duo frangantur, ait S. Franciſcus Saleſius, an illa, quæ integra in ciſta manſerunt, merito contemnere poſſunt fracta? minime.

Hinc S. Job ait: *Quare perſequimini me ſicut Deus?* id eſt interprete Gregorio: tanquam vos Deus impeccabilis eſſetis. B. Serm. 82. n. 15. 16. *S. Greg. l. 14. Mor. c. 25.*

*Eſtote Miſericordes ſicut Pater veſter miſericors eſt*. Quomodo ergo Divinus Pater Miſericors eſt? Infinitum in modum, ita ut primo ſe extendat ad omnes peccatores, volens eos præſervare ab inferno. 3. Ut ſe extendat ad multitudinem & enormitatem omnium peccatorum, eamque ſuperet. *Miſericordia ſuperexaltat judicium*. Ita homo a ſua commiſeratione non excludat miſerrimos peccatores. C. Eccl. 17. v. 25.

Recu-



*Eccl. 29.* *Recupera proximum ſecundum virtutem tuam*. Infinita eſt beneficentia, quam tibi Deus exhibuit: ergo infinitum in modum ei debitor es. Sed quomodo tantæ obligationi ſatisfacere potes? quid illi reddes, cum ſine te ditiſſimus ſit, nec ulla re egeat? Nempe ſi cooperieris ad converſionem peccatoris, etiam miſerrimi, ut eripiatur e captivitate dæmonis, & adducatur ad Chriſtum Redemptorem. Segn. Manna 2. Julii.

202. *Virtus Deo gratiſſima, & ſalutaris.*

Miſericordia propria eſt Deo; ſummum enim Bonum ſumme eſt Miſericors, & beneficum: *Miſericordia ejus ſuper omnia opera ejus*. Et Eccleſia: *Deus cui proprium eſt miſereri ſemper & parcere*. Deus Miſericordiam præfert ſacrificio, quia plus quærit utilitatem hominis quam ſuam; hinc Nazianz. de cura paup. ait: *Eſto calamitoſo Deus!* Et S. Cypr. *Quando quis miſeretur pauperis, Deo fœnerat*. Et S. Chryſoſt. *Miſericordia major eſt gratia, quam mortuos ſuſcitare*. C. Oſeæ 6. v. 6. *S. Chryſ. Hom. 16. ad pop.*

Nulla virtus ſecurius ad cælum deducit, quam miſericordia: Illa ait S. Chryſoſtomus, *nobis manſionem in cælo ædificat, & æterna tabernacula præparat*. C. Oſeæ 6. v. 6. *Hom. 33.*

Si pauperem curaveris ut pater, Deus te curabit ut filium: ſicut ergo filius hominis homo eſt, ita filius Dei Deus eſt, præſertim ſi propriam Divinitatis dotem, beneficentiam, & miſericordiam imiteris. S. Hilarius ait: *Sic auro* (pauperi dato) *immutamur, ut ex terrenis celeſtes, ex mortalibus ſiamus cæleſtes*. Et Clemens Alexandr. *Dei imago eſt homo benefaciens*. Ac tandem Nazianz. *Nihil adeo Divinum habet homo, quam benefacere*. C. Eccli. 4. v. 11. *S. Hilar. in Pſ. 51.* *Clem. Alex. l. 2. Strom.* *Nazianz. Orat. 16. de paup.*

His omnibus concordat effatum S. Greg. Nyſſ. in illud: Beati Miſericordes, inquiens: *Si Miſericordis appellatio decet Deum, ad quid aliud te Sermo Chriſti hortatur, niſi ut Deus fias?* Certe prout in eundem ſenſum loquitur S. Leo: Deus, ubi curam Miſericordiæ invenit, ibi imaginem ſuæ pietatis agnoſcit. Quid? quod ipſi gentiles hanc veritatem agnoverunt: Seneca ait: *Quid eſt dare beneficium? imitari Deum*. C. Eccl. 4. v. 11. Ex quibus omnibus patet, quod Miſericordia & beneficentia hominem Deo ſimilem faciat &c. *S. Greg. Nyſſ. de Beatitud.* *S. Leo Serm. 1. de Quadr.*

Nulli virtuti Deus magis, & ſecurius promiſit veniam peccatorum, ac regnum cælorum, quam miſericordiæ. *Beati miſericordes, quoniam miſericordiam conſequentur*. *Sola Miſericordia*, ait Auctor Serm. ad fratres in eremo, *Deum deducit ad hominem, & hominem ad Deum, Deum humilians, & nos ſublimans*. C. Oſeæ 6. v. 6.

Miſericordia comparatur oleo: ſicut ergo per oleum Sardius lapis enervatur, qui propter rubeum ſuum colorem ſymbolum eſt judicii, & vindictæ; ita per miſericordiam mitigatur ira judicis. Et ſicut per oleum evadunt athletæ, quia ab adverſario teneri non poſſunt; ita miſericordes effugient vim dæmonum accuſantium. C. Jac. 2. v. 13.

203. *In beneficiis qualis eſſe debeat.*

Miſericordia, ſeu beneficentia erga proximum debet eſſe amica & hilaris, non ex triſtitia, & cum vultu & verbis aſperis; *hilarem enim datorem diligit Deus*. *2. Cor. 9.* Unde verba illa Eccleſiaſtici: In bonis det querelam, nec triſtitiam verbi mali, Vatablus & alii ſic vertunt: *Beneficiis ne addas reprehenſionem, nec ulli dono moleſtiam verborum*; *Eccli. 18. v. 15.* hæc enim omnem beneficio gratiam tollit, quia in beneficio maxime ſpectatur animus benevolus, cujus index eſt ſermo amicus. Unde Iſid. Peluſiota: *Non ab ipſa dationis magnitudine, ſed ex animi propoſito eleemoſyna æſtimatur*. C. Eccli. 18. v. 15. *Iſid. Pel. l. 4. Ep. 118.*

Margaritæ, ait Plinius, ſunt coagulum roris cæleſtis, ac proin pro varietate cæli ſereni vel turbidi candidæ, vel ſordidæ formantur. *Plin. l. 9. c. 35.* Beneficia & gratiæ ſunt margaritæ, quibus ſi vultus ſerenus, & hilaritas verborum accedat, hilareſcunt: ſi vero amaritudo, & acerbitas verborum, ſordeſcunt, & mœrorem afferunt. Audi Aug. *Si potes dare, da*, inquit: *ſi non potes, affabilem te præſta*. C. Eccli. 18. v. 16.

In Beneficiis dandis quatuor ſunt obſervanda 1. ut detur quoties alter indiget, hinc inops, qui mane noſtram beneficentiam eſt expertus, ſi veſpere redeat, non eſt vacuus dimittendus. 2. Ut eleemoſyna detur clam, & in occulto, neſciat ſiniſtra, quid faciat dextra. 3. Ut detur cum vultu hilari & amico. 4. Ut detur cum verbis benevolis; quæ ſæpe plus valent quam ipſum donum. C. Eccli. 12. v. 1.

Beneficia collata exprobrari non debent; exprobratio enim beneficii eſt tinea liberalitatis, quæ omnem ejus ſpeciem deformat: *Cum dederis*, ait Sapiens, *ne improperes*; *Eccli. 41.* quia eum, cui improperas, pudefacis, & ingratum reddis. Hinc Chilon Lacedæmonius ſapienter ait: *Da-*



ti

*ri beneficii decet oblivіſci, accepti meminiſſe.* Alexander vero magnus regium eſſe dicebat, in eos ſæpe, & multum conferre, a quibus male audias.

Huc ſpectat cavillus Antigoni, quem refert Seneca: ab Antigono Cynicus petit talentum, reſpondit Rex, id plus eſſe, quam quod Cynicus petere deberet. Repulſus petiit denarium, reſpondit, id minus eſſe, quam quod Regem dare deceret. Turpis cavillatio! invenit, quomodo neutrum dare: talentum reputavit indignum Cynico, denarium Rege, & ſic utrumque eluſit. Quid ergo facto opus eſt? id docet Seneca: Hæc beneficii inter duos lex eſt, alter ſtatim oblivіſci debet dati, alter accepti nunquam! Sileant inter amicos hæc verba: Ego te ſervavi! ego te eripui morti! admonitio tædium facit, exprobratio odium. C. in Ep. Jac. c. 1. v. 5.

## Opera Misericordiæ.

### Eſurientes paſcere.

204. *Eſt opus valde meritorium.*

ABraham, Tobias & Job famelicis cibos miniſtrarunt. S. Bernardinus Senenſis ſibi ipſi ſubtraxit cibos, ut egentibus porrigere poſſet. Sanch. 6. p. c. 4. fol. 689.

Quam gratum opus ſit Deo, patet ex illo, quod Epiſcopus nihil habens, quod famelico hoſpiti apponeret, precibus volitantem gruem in terram dejecerit. E. Verbo *Caritas n. 3.*

Erdicius Romanorum Senator in Burgundia agens quatuor pauperum millia tempore egeſtatis pavit, & vocem de cælo audiit: Erdici, tibi & ſemini tuo panis non deficiet in æternum, quia me tempore famis in pauperibus meis refeciſti. E. *Eleemoſyna* n. 20.

Pius Religioſus tempore prandii miſit famulum cum ſcutella edulio plena, eamque juſſit inferri in domum fere palatio ſimilem. Ingreſſus famulus invenit numeroſam prolem ſiliquas comedentem! T. n. 87.

Tob. 1. Job. 31. Ruth. 2. Tobias in captivitate circuibat carceres, & famelicos paſcebat. S. Job dicere ſolebat: Non comedi buccellam panis ſolus. Ruth colligebat ſpicas pro ſe & pauperibus. Matth. 25. Chriſtus Dominus promittit, quod panem famelico porrectum, tanquam ſibi ipſi datum acceptare & coronare velit. S. Ivo pauperem ad menſam invitavit, qui durante prandio (Chriſtus enim erat) mirum in modum ſplendere cæpit. Hinc progenitores noſtri in fundandis Xenodochiis & orphanorum domibus adeo fuere liberales, ut Chriſtum in pauperibus paſcerent.

Chriſtus Dominus famelicam turbam in deſerto miſeratus, quinque hominum millia quinque panibus mirabiliter multiplicatis pavit, præcipiens, ut ſolicite aſſerventur, quæ ſuperfuerunt, fragmenta. Hæc fragmenta nobis reſervantur, ut paſcamus eſurientes. Quam gratum hoc opus Deo ſit, pluribus prodigiis demonſtravit. S. Roſa adhuc adoleſcentula paſcebat pie pauperes fragmentis de menſa reſiduis. Deprehenſa quondam a Patre, dum panes portabat ad famelicos, quærebatur, quid portaret? Repoſuit illa: Roſas fero! Et revera dum corbem aperire jubetur, Parens roſas vidit. *In vita &c.*

### Potum dare ſitientibus.

205. *Eſt opus valde meritorium.*

DEus etiam hauſtum frigidæ non impræmiatum ſinit. S. Cyrillus, quia Virgini Anaſtaſiæ in martyrii tormentis ſitienti potum porrigit, coronam Martyrii conſequitur. Sanch. 6. p. c. 4. fol. 690.

Sancti non tantum ſitientes refecerunt, ſed potu etiam benedicto miſeros a ſuis miſeriis liberarunt. *S. Bern. in Vita.* S. Malachias Hiberniæ Epiſcopus poculo benedicto a morte mulierem liberavit, & infantem, quem utero portabat, ad partum promovit. B. Bertinus Abbas Vvalbertum Comitem lapſu equi colliſum vino benedicto, intra horam ſanitati reſtituit. *Sur. T. 5. in vita.* S. Vincentius Ord. S. Dominici vinum aceſcens convertit in optimum, unde aliquot millia ſitim levarunt. *Ferrar. in Cat. S. Ital.* S. Vvilibrordus hauſtu benedicto inſanabilem, ac rabidam cujusdam ſitim extinxit, & profligavit. *Alcuinus in Vita.*

Sitis nonnunquam major eſt afflictio quam fames, hinc ægroti, morientes, SS. Martyres in tormentis, & ipſe Dei Filius in cruce de ſiti conquerebatur. Lyſimachus Rex pro hauſtu frigidæ regnum vendidit: felix emptor, qui regiam coronam pro hauſtu modico adipiſci potuit. Sed hoc idem promittit Chriſtus illi, qui potum dederit ſitienti.

### Hoſpitio peregrinos ſuſcipere.

206. *Eſt opus valde meritorium.*

JOb & Abraham erant valde hoſpitales: Abraham in oſtio tabernaculi ſedet, ut nemo peregrinus prætergrediatur: Angelos recipit, & eis lavat pedes. Saram exhortatur, ut ſtrenue ſerviat. S. punct. 87. fol. 277. 278.



Rachab quia hoſpitalis eſt, & familiam ſuam ſervat, & meretur eſſe ex progenitoribus Chriſti. S. punct. 87. fol. 279.

Apoſtol. ait: *Hoſpitalitatem ſectantes:* Origenes: Non ſolum venientem ad nos ſuſcipiamus, ſed ſectemur, & perquiramus hoſpites, ne in plateis ſedeant, & ajant: *Vadimus ad domum Dei, nullusque ſub tectum vult nos recipere.* Præpoſtera hoſpitalitas eſt magnos laute, miſeros avare tractare. S. punct. 87. fol. 279. Et C. Gen. c. 18. verſ. 1. & 2.

Hoſpitibus ad menſam ſervire, pedes lavare, eſt mos antiquiſſimus. D. 10. 52.

Raab quia exploratores Jericho excepit hoſpitio, merita eſt ab interitu ſervari. S. Germanus in Angliam veniens a nemine, niſi a paupere paſtore excipitur, qui eum mactato vitulo reficiebat. Germanus finito prandio oſſa omnia pelli vituli involvi juſſit, ac vitulum ad vitam revocavit, paſtori autem prædixit, quod in Angliæ Regem evehendus eſſet. Quod etiam factum eſt. Sanch. 6. part. c. 4. f. 690.

In ſcelerata urbe Sodoma ſolus Loth piis operibus intentus hoſpitio recepit peregrinos, inter quos etiam fuere duo Angeli. Parem in modum hoſpitalis erat S. Job. Cum S. Gregorius veſperi aliquot pauperes hoſpitio receptos liberaliter paviſſet, mane numerum uno minorem invenit, ex quo deſumebat, Chriſtum fuiſſe, qui interim diſparuit.

Laban erat exemplum hoſpitalis patrisfamilias; nam 1. Ad vocem ſororis ſtatim invitavit famulum Abrahæ. 2. Benigne eum allocutus eſt. 3. Non curavit ſumptus in jumenta & ſocios. 4. Ipſemet Camelos deſtravit, aquam lavandis pedibus attulit. 5. Servum feſtinantem non diu detinuit, ſed abire permiſit. C. Gen. c. 24. v. 29.

Deus hoſpitalitatem largiter remuneratur tam in hac, quam in altera vita. Abraham meruit tres Divinas Perſonas humana ſpecie velatas recipere, ait enim ſacer textus: *Tres vidit, & unum adoravit.* Loth dignus fuit, qui ex incendio Sodomæ per Angelos educeretur. *Job. 42.* Job ad paupertatem redactus, divitias omnes cum fœnore recepit. *4. Reg. 4.* Eliſeus mulieri Sunamitidi filium impetravit, & cum hic mortuus eſſet, ad vitam illum revocavit. Martha & Magdalena Chriſtum hoſpitio recipientes meruerunt, ut quadriduanum fratrem Lazarum ad vitam ſuſcitarit.

Quantum hoſpitalitas placeat Deo, patet ex pœnis, quibus e contrario punit immiſericordes, qui peregrinos deſpiciunt & repellunt. Scimus crudele infanticidium Herodis: cur Dominus Deus tantam tyrannidem permiſit contra innocentes pueros? Dicunt Sancti Patres, in pœnam parentum, qui in Bethleem & alibi Mariam, & Joſephum exules non receperunt.

Monaſterium in pauperes inſigniter liberale divitiis abundat. *Cæſar. l. 3. c. 68.* Mortuo Abbate cum tenax & avarus illi ſuffectus eſt, Monaſterium depauperatum fuit. Mirantibus Monachis Angelus ad portam veniens, explicavit illis cauſam, inquiens: Expuliſtis fratrem *Date!* & tunc frater, *Dabitur vobis*, ultro a vobis receſſit, &c.

Cum juſtus ingreditur domum, pluunt ſuper illam benedictiones cœleſtes, ſic Laban propter Jacob, Ægypt. propter Joſeph ditatur. Nec obſtat, quod forſan hoſpes ſit homo malus: nam S. Hieronymus ait: Nobis in monaſterio propoſitum eſt pedes lavare venientium, non merita diſcutere. S. punct. 87. fol. 280.

Per hoſpitalitatem avertitur ira, & ſupplicium Dei, ita enim conſervatus eſt aliquis inter ruinas Antiochiæ urbis, velut Loth in Sodomis. S. punct. 87. fol. 280.

Monaſterium, dictum S. Bernardi, in altiſſimis & frigidiſſimis rupibus inter Lombardiam & Sabaudiam adjacens, immenſa beneficia confert itinerantibus, qui per ſex milliaria germanica ex una parte ſurſum, & per ſex alia ex altera parte deorſum viam maxime arduam conficere debent. Deus autem remuneratur liberalitatem illorum Religioſorum, 1. Quod nullus peſte moriatur. 2. Quod nullus rupium aſcenſu aut deſcenſu ex lapſu pereat. 3. Quod nemo Monaſterio quidquam furari queat, quin prodatur. D. 1. 2.

Epiſcopus non habens, quod famelico hoſpiti apponeret, precibus volitantem gruem in terram dejecit. E. Verbo *Caritas* n. 3.

Cerbonius Epiſcopus milites contra Gothorum inſidias in domo abſcondit. Id ubi Regi Totilæ nunciatum eſt, Epiſcopum juſſit urſo devorandum dari. Sed urſus humiliter ejus pedes lambens, docuit Totilam Sanctum in veneratione habere. E. *Hoſpitalitas* n. 2.

Civis Romanus valde hoſpitalis cum ad incitas redigeretur, Divina voce jubetur vineam ſuam cum vinea divitis permutare. Fecit, & ingentem theſaurum ibi invenit. T. nu. 164. Dauroult. p. 4. c. 8. Tit. 10.

S. Au-

*S. Aug. de Verb. Dom. c. 31.* S. Auguſtinus ait: *Suſcipite hoſpitem, quia omnes peregrini ſumus. Patria noſtra ſurſum eſt, ibi hoſpites non erimus.* Atque ut hoſpitalitatis utilitatem porro explicet, ſubjungit: Tene hoſpitalitatem, ſi vis agnoſcere Salvatorem: quod tulerat Diſcipulis infidelitas, reddidit hoſpitalitas. C. 1. Petri 4. v. 9.

Roma hoſpitalitate liberaliſſima tot habet Noſocomia, ut unum hoc urbis & orbis prodigium videatur: quiſquis miſerabilis homo ad eam venit, benigne recipitur, pane & vino nutritur. Tempore etiam famis, & luis, cum vetera Xenodochia turbam non caperent, nova erexit Cardinalibus, aliiſque ſumptus miniſtrantibus. C. in Act. c. 10. v. 23.

## Operire nudos.

### 207. *Eſt opus valde meritorium.*

JOb ait: *De Velleribus ovium mearum calefactus eſt*: quia ſcilicet lanam pro pauperum nuditate elargitus eſt. S. pun. 88. fol. 281.

Neque dicas: tanta præſtare nequeo: *S. Chryſ. hom. 46. in Matt.* nam ait Chryſoſtomus: Ego, inquit Chriſtus, non tantum poſtulo, quantum dedi: pretioſam veſtem gloriæ te indui, & tu dediſti pauperi partem veſtis: vera hæc ſunt de Sancto Martino, qui tertiam partem chlamydis pauperi dedit. S. pun. 88. fol. 281.

*Pſ. 31.* *Beati quorum tecta ſunt peccata*: ubi Innocentius: O quam digna compenſatio! pro eo, quod eleemoſyna nuditatem corporis tegit in alio, iniquitatem mentis tegat in te. S. Ib. fol. 281.

*Plorate ululantes: veſtimenta a tineis comeſta ſunt.* *Chryſoſt. hom. 33. in Gen.* Ubi Chryſoſtomus: Veſtes non ſinamus a vermibus rodi, cum tot ſint, qui indigent, & obambulant nudi, ſed veneremur, honoremque demus nudo Chriſto plus quam tineis, & induamus eum, &c. S. punct. 88. fol. 281.

S. Ægydius cum nudum pauperem cerneret, ei tunicam ſuam dedit. S. Anno Archiepiſcopus Colonienſis, cum pauperem feminam parturientem in platea offenderet, eam pallio ſuo contexit. Sanchez 6. part. c. 4. fol. 690.

Anno 1120. tempore famis Pientiſſimus Flandriæ Comes Carolus erat pater pauperum, quotidie illis octingentos panes diſtribuebat, ſingulis ſeptimanis, tredecim ex integro veſtiebat, frumentum caro coemptum illis donabat, qua re aulicorum ſuorum odium adeo incurrit, ut illi Dominum in Eccleſia Pſalmum *Miſerere* orantem crudeliter trucidarint, vere Martyrem pro caritate pauperum. Dauroult. p. 4. c. 7. tit. 5.

*S. Greg. hom. 39. in Ev.* S. Martyrius Monachus quondam hyemali tempore ad Monaſterium rediens, in via invenit jacentem paralyticum, ac leproſum pauperem: hunc pallio ſuo obvolutum ſuis ipſe humeris ad monaſterium tulit. Et ecce! dum appropinquabat loco ſacro, viderunt fratres, quod Chriſtum Dominum ferret, qui & diſparuit, dixitque quia non erubuiſti me in terris, non erubeſcam te in cælis! Quid aliud eſt hoc dicere, quam quod Chriſtus promiſit apud S. Matthæum, in die judicii coram univerſo orbe ſe dicturum: *Venite Benedicti Patris mei &c. nudus enim eram, & cooperuiſtis me! &c.* *Matt. 25.* C. Ezech. 18. v. 7.

Idem proportionaliter legitur de S. Martino, qui nudum pauperem dimidia chlamyde contexit, & noctu vidit Chriſtum hac chlamyde veſtitum, ac plaudentem: Martinus adhuc catechumenus hac me veſte contexit, &c. S. Franciſcus veſtiens pauperem militem, nocte vidit auguſtum palatium, cumque rogaſſet, cujus eſſent hæc omnia, audivit, *Tua erunt tuorumque militum.* C. Ezech. 18. v. 7.

S. Catharinæ Senenſi domum redeunti occurrit peregrinus juvenis, veſtem ab illa petens: illa rediens in ſacellum, unde venerat, tunicam non manicatam ſibi detraxit, & pauperi dedit, neſciens eſſe Chriſtum. Non contentus pauper etiam ſubuculam petiit, & illa dedit: cumque pauper pergeret petere, ſubjunxit illa: Revera cariſſime, ſi poſſem libenter plura tibi & ſocio tuo darem. Tum ille ſubridens, Video, inquit, promptum animum tuum, ſed jam bene vale! Tunc Virgo agnovit JESUM, qui ſequenti nocte veſte illa indutus ei apparuit, & veſtem illi inviſibilem promiſit, &c. C. Ezech. 18. v. 7.

## Viſitare infirmos.

### 208. *Eſt opus valde meritorium.*

N*On te pigeat viſitare infirmum, ex hoc enim dilectionem firaberis.* Sancta illa Matrona Fabiola prima fuit, quæ Xenodochium inſtituit, ſumma caritate infirmos fovit, uti eam laudat S. Hieronymus. Item Paula ægris miniſtrat, ſaniem lavat: ſcio multos divites, & Religioſos, ait Hieronymus, ob ſtomachi anguſtiam exercere hujuſmodi miſericordiam per aliena miniſteria... non manu, ſed ſicut imbecillitati ſtomachi veniam tribuo, ita perfectæ mentis ardorem in cælum fero, &c. S. punct. 89. fol. 284.



*Job 29.* S. Job ait: *Oculus eram cæco, pes claudo*: *S. Bonav. in ſtim. amor. c. 5.* ubi S. Bonaventura: Illum qui infirmo ſervit plus mereri, ait, quam ſi ipſi Chriſto miniſtraret. S. punct. 89. fol. 284.

Quidam Anaſtaſius Presbyter leproſum, quem occultum in ſua domo habebat, vocat ſuum theſaurum. S. Ib. fol. 284.

Caritas eſt Regina virtutum, ideo proximo præſertim in infirmitatibus diligenter exhibenda eſt. Paoletti Feria 5. Cinerum.

Eulogius leproſum in platea inventum ſecum domum aſportavit, eique per quindecim annos ſervivit: cum autem leproſus verbis inſoleſcere & benefactorem ſuum verbis injuriare inciperet, quæſivit ille S. Antonium Magnum, an leproſum dimittere deberet. Diſſuaſit id illi Antonius, dixitque, quod ipſius ſalus magna ex parte a cura hujus leproſi dependeret. E. *Infirmitas* n. 2.

Medicus erga ægros valde officioſus poſt mortem apparet ſuo ſucceſſori equo inſidens: quæſitus quo tenderet, repoſuit, ad ægrotantes Cappucinos; tantundem enim in purgatorio ſolatii ab his recipio, quantum iis meam operam contuli. T. 171. ſeq.

Fabiola vidua prima fuit, quæ hoſpitalia pro ægrotis erexit, in quibus illa propriis manibus miniſtrabat, vulnera fovebat, lectulos ſternebat. B. Otto Epiſcopus Bambergenſis infirmos, claudos ac miſeros diligenter annotabat, eorumque curam habebat. Epiſcopus Chartaginenſis nomine Deogratias captivos Chriſtianos vendita Eccleſiæ ſupellectile redimebat, eorum morbidorum in duobus templis curam habebat, alimenta ſuppeditabat &c. D. 9. 31. S. Gallicanus Martyr poſt triumphales lauros abunde in bellis reportatos a SS. Joanne & Paulo ad fidem converſus, relicto ſæculo Oſtiam pergit, ibique ægrorum miniſtrum agit, &c. D. 9. 31.

S. Ludovicus Epiſcopus Toloſanus ad pauperem feminam ægrotantem inviſit. Poſt auditam ejus confeſſionem abiens, cum illi famuli pediculos, quos numeroſe contraxerat, a pallio excutere vellent, dixit: relinquerent, hos eſſe coram Deo uniones. Sanchez 6. part. c. 4. fol. 691.

Paulus a Colovello apparentem ſibi B. V. dum ab ægro vocatur, relinquit, & rediens a B. Virgine propterea laudatur. T. n. 173.

Illuſtria extant hujus caritatis exempla in vitis Sanctorum. Gallicanus Martyr. a SS. Joanne & Paulo ad Chriſtum converſus, infirmorum ſervitio ſe totum dedit. Sic Apollonius Monachus, Placilla Theodoſii Imp. uxor, S. Radegundis Franciæ Regina, S. Paula, S. Maria Ogniacenſis, & alii. C. Iſa. 38. v. 22.

## Captivos redimere.

### 209. *Eſt opus meritorium.*

SAnctus Macarius captivum homicidii accuſatum redimit; occiſum enim coram tota populi multitudine interrogabat, an ab hoc captivo occiſus eſſet? Mortuus reſpondebat, non ab hoc. Amici inſtabant apud Sanctum Virum, ut porro indagaret quis ergo eſſet homicida? at Macarius ſubintulit, ſe veniſſe ad defendendos innocentes, non ad accuſandos reos. Sanchez 6. part. c. 4. fol. 691.

S. Paulinus dum nihil amplius habet, quod in redemptionem filii alicujus viduæ expenderet, ſeipſum dedit, &c. Sanchez 6. part. c. 11. fol. 871. E. *Caritas* n. 15.

S. Caſſilda Carionis tyranni Machometani filia ſuccurrit captivis Chriſtianis, eiſque alimenta ſubminiſtrat; quæ indignante patre ſubito in roſas convertuntur. Ipſa dein ſuſcepto Baptiſmo in eremum ſecedit, & eſt patrona contra ſanguinis fluxus. R. 1. part. mir. 36.

Cum libertas ſit inter bona homini æſtimatiſſima, & propterea dicitur, *aurea libertas*, grande opus miſericordiæ eſt redimere innocenter captivos, ad quod exhortatur S. Paulus Apoſtolus: Mementote captivorum, quaſi ipſi captivi eſſetis. *Hebr. 13.* Dixi, *innocenter captivos*, id eſt, qui propter falſam accuſationem, aut propter virtutem apud hæreticos, aut propter fidem apud Turcas in carcere detinentur, pro his S. Paulinus Epiſcopus ſeipſum redemptioni dedit, & B. V. Sancto Petro Nolaſco apparens, gratiſſimum ſuo filio fore dixit, ſi inſtitueretur Ordo ad redimendos captivos, &c. Econtra redimere e carceribus facinoroſos, aut illis præbere occaſionem evadendi, non eſt bonum, ſed malum opus; quia juſtitia vindicativa ſic ſufflaminatur, & vitia increſcunt, & quia captivitas ſceleratis cedit in emendationem, eum in modum, quo Rex Manaſſes per captivitatem Babylonicam fuit emendatus, &c.

Abdemelech, quia Jeremiam e carcere liberavit, ſolus cladem Hieroſolymæ evaſit. Sanctus Paulinus, Sanctulus, Acacius Epiſcopus Amidæ, Abbas Nicolaus, S. Rembertus, Anianus, Hugo, & alii in redimendis captivis mire fuerunt caritativi. C. Jerem. 38. v. 12.

Mor-

### Mortuos ſepelire.

210. *Eſt opus valde meritorium.*

JOſeph ab Arimathæa, Tobias, & Nicodemus laudantur ab obſequio ſepulturæ. Antonius S. Paulum, Loſinias S. Mariam Ægyptiam ſepelivit. Eutichianus Papa trecentos quadraginta tres Martyres propriis manibus ſepelivit. Pontiana omnes facultates ſuas ſepulturæ Martyrum impendit, &c. Sanch. 6. part. c. 4. fol. 691.

Hoc opus caritatis apud fideles tam veteris, quam novæ Legis in maxima Gen. 23. ſemper æſtimatione fuit. Patriarcha Abraham in ſepulturam uxoris Saræ quadringentos argenti ſiclos impendit. Pa- Gen. 50. triarcha Jacob, ubi in Ægypto diem obiit, a filio Joſeph in regionem Chanaan ad ſepulturam translatus eſt. To- Tob. 6. bias contra mandatum Regis Salmanaſar noctu clam mortuos ſepelivit, quod opus Deo adeo placuit, ut diceret illi Archangelus Raphael: *Dum ſepeliebas mortuos, ego obtuli orationem tuam Domino.*

In nova Lege ſcimus Chriſtum Dominum a duobus Viris nobilibus: B. V. Mariam ab Apoſtolis ex toto orbe collectis: Sanctum Proto-Martyrem Stephanum a Viris timoratis ſepultum eſſe.

Cadaver S. Romualdi Henricus Imperator propriis humeris ad ſepulcrum tulit. S. Ludovicus Rex in Syria milites ſuos peſte mortuos propriis manibus ſub terra condidit.

Deus ipſe pro ſepultura Sanctorum curam habuit. Cum S. Clemens in exilium pulſus, alligata ad collum anchoræ in profundum maris demerſus eſt, aquæ maris ad tria milliaria receſſerunt, ita ut Angeli in profundo ædiculam pro ſepeliendo ſacro corpore ædificarint. S. Catharinæ Martyris corpus ab Angelis in montem Sinai translatum eſt. S. Paulo Eremitæ duo leones ſcrobem ſepulcralem unguibus pararunt. S. Stanislai corpus in fruſtra conciſum aquilæ comportarunt, ut a Fidelibus ſepulturæ inferri poſſet, &c.

# PARS SECUNDA

## *Virtutes Cardinales.*

### PRUDENTIA.

211. *Quid ſit? Quæ ejus opera?*

SAnctus Thomas ait: *Hæc ſola dicitur* S. Th. 2. 2. q. 47. a. 3. *prudentia ſimpliciter, quæ ad bonum finem totius vitæ recte conſiliatur, judicat, & præcipit, quæ in peccatoribus eſſe non poteſt.* M. conc. 43. in Exord. nu. 2. Vide Sanchez 6. part. c. 10. fol. 833. ſeq.

Prudentia eſt omnium virtutum dux, & auriga, ait S. Antonius, quæ ſingulas hominis actiones ordinat & moderatur, itaque hominem diſponit, ut ſecure finem omnium exſpectet, & fidenter coram tribunali Chriſti ſe ſiſtat. Quoad etymon nominis prudens eſt quaſi *porro videns*; nam ut ait Iſidorus, Prudens *perſpicax eſt, &* Iſidor. l. 10. Etymol. c. 15. *incertorum caſus videt.* Definitio ejus hęc traditur a S. Auguſtino: *Prudentia eſt re-* S. Aug. l. 1. de lib. arb. c. 13. *rum appetendarum, & fugiendarum ſcientia.* Ab Ariſtotele: *Eſt recta ratio agen-* Ariſt. 6. Ethic. c. 5. *dorum.* Ab aliis: *Eſt virtus intellectus, qua in quovis negotio occurrente novimus, quid honeſtum ſit, quid turpe, quid faciendum, quid fugiendum.*

Partes integrantes Prudentiæ ſunt ſex: 1. *Providentia*, quæ eſt conſideratio futurorum eventuum, qui poſſunt ſequi ex opere. 2. *Ratio*, ſeu promptitudo colligendi unum ex altero. 3. *Docilitas*, ſeu habilitas ad diſcendum. 4. *Solertia*, ſive ſagacitas ad invenienda media breviſſimo tempore. 5. *Circumſpectio*, ſeu conſideratio circumſtantiarum operis. 6. *Cautio*, ſeu cura vitandi pericula, & incommoda operis. C. 1. Petr. 4. v. 7.

Officia prudentiæ ſunt quatuor: 1. *Conſilium* ex bona deliberatione. 2. *Judicium*, in eligendo apto remedio ad finem. 3. *Conſtantia* in retinendo eo, quod judicatum eſt. 4. *Diligentia* in exequendo. His totidem vitia, ſeu actus imprudentiæ opponuntur: Præcipitatio, Inconſideratio, Incoſtantia, & Negligentia. Prudentia ergo eſt menſura, & regula virtutum omnium. C. 1. Petr. 4. v. 7.

212. *Innititur principiis ſanæ rationis.*

*Quod inter metalla eſt aurum, hoc inter* Philo l. 1. alleg. *virtutes eſt prudentia*, ait Philo. In hoc maxime verſatur, ut nihil ſine regulis, & ductu rectæ rationis agat: Ejuſmodi regulæ



ſunt: 1. Nihil aggrediendum ſine prævia conſideratione. 2. Id ſemper facito, cujus te non pœniteat. 3. Prudentia perfecta nihil in rebus humanis admiratur. 4. Virtutibus omnibus utitur, atque earum modum, ordinem, & occaſionem, velut oculus actiones, moderatur. 5. Prudentia præterita meminit, præſentia agit, futura præcavet. 6. Sicut cicatrix admonet, cavendum eſſe vulnus; ita memoria præteritorum malorum reddit cautiores. 7. Ordinem facit inter bona & mala: Opes poſtponit famæ, famam vitæ, vitam conſcientiæ. In malis minimum eligit, in bonis maximum. 8. Prævenienda ſunt hoſtium conſilia, antequam cum damno creſcant. 9. Præſentibus bonis uti præſtat, quam fugientia quærere; ſic certa dubiis, multa paucis, facilia difficilibus, publica privatis, Divina humanis, cæleſtia terrenis anteponenda ſunt. 10. Satius eſt ſua tueri, quam aliena cum periculo appetere. 11. Accommoda te tempori, nec te in aliquibus mutes, ſed potius aptes. 12. Prudentiæ eſt, futuram injuriam præcavere, illatam vero non ulciſci. C. 1. Pet. 4. v. 7.

213. *Reſpicit finem, & effectus.*

Joannes & Alexander fratres, Comites Gaurii, hoſtiliter infenſi erant Jacobo Regi Scotiæ, eo quod capitale ſupplicium ſui parentis approbaſſet. Joannes ergo refert Regi, dum venatum exibat, in domo ſua inventum eſſe pretioſiſſimum theſaurum: Rex nimis credulus venit cum modico comitatu in ædes Gaurii, ducitur per aliquot cubicula clauſo ſemper oſtio, tandem in ultimo videt ſtare cataphractum militem cum ſtricto acinace: Gaurius ait Regi, en hic erit theſaurus tuus, moriendum tibi erit! Rex perditum ſe ratus, cum inermis eſſet, eloquenter ſimul & amicabiliter perorare cæpit: cogitaret quid ageret, hac vindicta totam ejus familiam interituram, quia nihil eſſet ſceleſtius, quam violentas manus injicere in ſuum Principem! &c. Hac eloquentia territus miles ſubſtitit, nec auſus eſt ferire, donec Regis pediſſequi, præſertim Dux Lenoxius, & Comes Marius, cui ſuſpecta res erat, effractis poſtibus illi ſubvenerunt: cæſi ſunt & Joannes & Alexander Comites. Quid redemit Regem? unica hæc deliberatio: Quid fiet poſtea! ſic quilibet in ſuis actionibus debet reſpicere finem. Vide Theatrum Trag. Princ. hiſt. 1.

Piger mittitur ad formicam. Quare? quia formica pro ſterilitate hyemis de annona ſibi in æſtate providet. C. Gen. c. 1. v. 20. ad finem.

Joſeph futuram ſterilitatem prævidens cum omni induſtria triticum coemi, convehi, & conſervari juſſit. Ubi S. Auguſtinus annotat: *Utinam homines noviſſima providerent contra ſterilitatem futuram, ſicut Joſeph.* B. Serm. 6. n. 20. & ſeq. Item Serm. 7. n. 4. & ſeq. Item Serm. 49. n. 4.

214. *Utilis eſt ad omnes fortunæ caſus.*

Dionyſius Rex regno pulſus, interrogatuſque quid ipſi nunc prodeſſet Plato & Philoſophiæ ſtudium? repoſuit: ut tantam fortunæ mutationem æquo animo feram. C. Exod. 25. v. 31. fol. 520. c. 2.

Sicut exercitum ducit Imperator, gu- Archit. ap. Stob. Ser. 1. de Virt. bernator navim, Mundum Deus, & animam ipſa mens; ita felicitatem præſentis vitæ temperat, regitque prudentia, ait Architas. C. 1. Pet. 4. v. 7. Item Prov. 24. v. 8.

Prudentia hæc ipſa diſcretionis virtus eſt, qua ſciat unuſquiſque quid in quavis rerum periſtaſi, & circumſtantia prudenter juxta dictamen rationis, legemque Dei agere, vel non agere debeat. Nam, ut ait S. Baſilius: *Vera hominis conſulti prudentia, diſcretio eſt rerum, quæ facienda ſunt, vel non facienda, & velut probus nummularius, quod probum eſt retinet, & ab omni mala ſpecie cavet.* Sicut enim nummularius partim viſu, partim tactu, partim pondere, partim ſono monetam probam a falſa diſcernit, & examinat; ſic prudens actiones bonas, a pravis judicio rationis, & Legis Divinæ dijudicat & diſcernit, &c. C. Prov. 1. v. 3.

Præſertim prudentia neceſſaria eſt præfectis, & gubernatoribus, ut cujus conſilia & praxes in promptu habeant ad regendum ſeipſum, & ſuam domum, item ad regendam civitatem & rempublicam, ſicut navarchus regit navigium. C. Prov. 1. v. 3. Hæc autem directio non eſt pro ſemper & ubique æqualis, juxta illud: *Lætatur homo in ſententia oris ſui, &* Prov. 15. *ſermo opportunus eſt optimus.* Prudentia ſive in conſilio, ſive extra illud debet eſſe accommodata tempori; ſæpe enim quod in ſe eſt bonum & utile, hoc tempore non eſt bonum, ſed malum & noxium, &c. C. Prov. 15. v. 23.

215. *Altiora ſe non quærit.*

Expreſſe monet Siracides: *Altiora te ne quæſieris*: quia non ſuperbis, ſed humilibus

### Mortuos ſepelire.

#### 210. *Eſt opus valde meritorium.*

JOſeph ab Arimathæa, Tobias, & Nicodemus laudantur ab obſequio ſepulturæ. Antonius S. Paulum, Loſinias S. Mariam Ægyptiam ſepelivit. Eutichianus Papa trecentos quadraginta tres Martyres propriis manibus ſepelivit. Pontiana omnes facultates ſuas ſepulturæ Martyrum impendit, &c. Sanch. 6. part. c. 4. fol. 691.

Hoc opus caritatis apud fideles tam veteris, quam novæ Legis in maxima [Gen. 23.] ſemper æſtimatione fuit. Patriarcha Abraham in ſepulturam uxoris Saræ quadringentos argenti ſiclos impendit. Pa- [Gen. 50.] triarcha Jacob, ubi in Ægypto diem obiit, a filio Joſeph in regionem Cha- [Tob. 6.] naan ad ſepulturam translatus eſt. Tobias contra mandatum Regis Salmanaſar noctu clam mortuos ſepelivit, quod opus Deo adeo placuit, ut diceret illi Archangelus Raphael: *Dum ſepeliebas mortuos, ego obtuli orationem tuam Domino.*

In nova Lege ſcimus Chriſtum Dominum a duobus Viris nobilibus: B. V. Mariam ab Apoſtolis ex toto orbe collectis: Sanctum Proto-Martyrem Stephanum a Viris timoratis ſepultum eſſe.

Cadaver S. Romualdi Henricus Imperator propriis humeris ad ſepulcrum tulit. S. Ludovicus Rex in Syria milites ſuos peſte mortuos propriis manibus ſub terra condidit.

Deus ipſe pro ſepultura Sanctorum curam habuit. Cum S. Clemens in exilium pulſus, alligata ad collum anchora in profundum maris demerſus eſt, aquæ maris ad tria milliaria receſſerunt, ita ut Angeli in profundo ædiculam pro ſepeliendo ſacro corpore ædificarint. S. Catharinæ Martyris corpus ab Angelis in montem Sinai translatum eſt. S. Paulo Eremitæ duo leones ſcrobem ſepulcralem unguibus pararunt. S. Stanislai corpus in fruſtra conciſum aquilæ comportarunt, ut a Fidelibus ſepulturæ inferri poſſet, &c.

# PARS SECUNDA

## *Virtutes Cardinales.*

### PRUDENTIA.

#### 211. *Quid ſit? Quæ ejus opera?*

SAnctus Thomas ait: *Hæc ſola dicitur prudentia ſimpliciter, quæ ad bonum finem totius vitæ recte conſiliatur, judicat, & præcipit, quæ in peccatoribus eſſe non poteſt.* [S. Th. 2. 2. q. 47. a. 13.] M. conc. 43. in Exord. nu. 2. Vide Sanchez 6. part. c. 10. fol. 833. ſeq.

Prudentia eſt omnium virtutum dux, & auriga, ait S. Antonius, quæ ſingulas hominis actiones ordinat & moderatur, itaque hominem diſponit, ut ſecure finem omnium exſpectet, & fidenter coram tribunali Chriſti ſe ſiſtat. Quoad etymon nominis prudens eſt quaſi *porro videns*; nam ut ait Iſidorus, Prudens *perſpicax eſt, & incertorum caſus videt.* [Iſidor. l. 10. Etymol. c. 15.] Definitio ejus hæc traditur a S. Auguſtino: *Prudentia eſt rerum appetendarum, & fugiendarum ſcientia.* [S. Aug. l. 1. de lib. arb. c. 13.] Ab Ariſtotele: *Eſt recta ratio agendorum.* [Ariſt. 6. Ethic. c. 5.] Ab aliis: *Eſt virtus intellectus, qua in quovis negotio occurrente novimus, quid honeſtum ſit, quid turpe, quid faciendum, quid fugiendum.*

Partes integrantes Prudentiæ ſunt ſex: 1. *Providentia*, quæ eſt conſideratio futurorum eventuum, qui poſſunt ſequi ex opere. 2. *Ratio*, ſeu promptitudo colligendi unum ex altero. 3. *Docilitas*, ſeu habilitas ad diſcendum. 4. *Solertia*, ſive ſagacitas ad invenienda media breviſſimo tempore. 5. *Circumſpectio*, ſeu conſideratio circumſtantiarum operis. 6. *Cautio*, ſeu cura vitandi pericula, & incommoda operis. C. 1. Petr. 4. v. 7.

Officia prudentiæ ſunt quatuor: 1. *Conſilium* ex bona deliberatione. 2. *Judicium*, in eligendo apto remedio ad finem. 3. *Conſtantia* in retinendo eo, quod judicatum eſt. 4. *Diligentia* in exequendo. His totidem vitia, ſeu actus imprudentiæ opponuntur: Præcipitatio, Inconſideratio, Incoſtantia, & Negligentia. Prudentia ergo eſt menſura, & regula virtutum omnium. C. 1. Petr. 4. v. 7.

#### 212. *Innititur principiis ſanæ rationis.*

*Quod inter metalla eſt aurum, hoc inter virtutes eſt prudentia,* ait Philo. [Philo l. 1. alleg.] In hoc maxime verſatur, ut nihil ſine regulis, & ductu rectæ rationis agat: Ejuſmodi regu-



læ ſunt: 1. Nihil aggrediendum ſine prævia conſideratione. 2. Id ſemper facito, cujus te non pœniteat. 3. Prudentia perfecta nihil in rebus humanis admiratur. 4. Virtutibus omnibus utitur, atque earum modum, ordinem, & occaſionem, velut oculus actiones, moderatur. 5. Prudentia præterita meminit, præſentia agit, futura præcavet. 6. Sicut cicatrix admonet, cavendum eſſe vulnus; ita memoria præteritorum malorum reddit cautiores. 7. Ordinem facit inter bona & mala: Opes poſtponit famæ, famam vitæ, vitam conſcientiæ. In malis minimum eligit, in bonis maximum. 8. Prævenienda ſunt hoſtium conſilia, antequam cum damno creſcant. 9. Præſentibus bonis uti præſtat, quam fugientia quærere; ſic certa dubiis, multa paucis, facilia difficilibus, publica privatis, Divina humanis, cæleſtia terrenis anteponenda ſunt. 10. Satius eſt ſua tueri, quam aliena cum periculo appetere. 11. Accommoda te tempori, nec te in aliquibus mutes, ſed potius aptes. 12. Prudentiæ eſt, futuram injuriam præcavere, illatam vero non ulciſci. C. 1. Pet. 4. v. 7.

#### 213. *Reſpicit finem, & effectus.*

Joannes & Alexander fratres, Comites Gaurii, hoſtiliter infenſi erant Jacobo Regi Scotiæ, eo quod capitale ſupplicium ſui parentis approbaſſet. Joannes ergo refert Regi, dum venatum exibat, in domo ſua inventum eſſe pretioſiſſimum theſaurum: Rex nimis credulus venit cum modico comitatu in ædes Gaurii, ducitur per aliquot cubicula clauſo ſemper oſtio, tandem in ultimo videt ſtare cataphractum militem cum ſtricto acinace: Gaurius ait Regi, en hic erit theſaurus tuus, moriendum tibi erit! Rex perditum ſe ratus, cum inermis eſſet, eloquenter ſimul & amicabiliter perorare cæpit: cogitaret quid ageret, hac vindicta totam eius familiam interituram, quia nihil eſſet ſceleſtius, quam violentas manus injicere in ſuum Principem! &c. Hac eloquentia territus miles ſubſtitit, nec auſus eſt ferire, donec Regis pediſſequi, præſertim Dux Lenoxius, & Comes Marius, cui ſuſpecta res erat, effractis poſtibus illi ſubvenerunt: cæſi ſunt & Joannes & Alexander Comites. Quid redemit Regem? unica hæc deliberatio: Quid fiet poſtea! ſic quilibet in ſuis actionibus debet reſpicere finem. Vide Theatrum Trag. Princ. hiſt. 1.

Piger mittitur ad formicam. Quare? quia formica pro ſterilitate hyemis de annona ſibi in æſtate providet. C. Gen. c. 1. v. 20. ad finem.

Joſeph futuram ſterilitatem prævidens cum omni induſtria triticum coemi, convehi, & conſervari juſſit. Ubi S. Auguſtinus annotat: *Utinam homines noviſſima providerent contra ſterilitatem futuram, ſicut Joſeph.* B. Serm. 6. n. 20. & ſeq. Item Serm. 7. n. 4. & ſeq. Item Serm. 49. n. 4.

#### 214. *Utilis eſt ad omnes fortunæ caſus.*

Dionyſius Rex regno pulſus, interrogatuſque quid ipſi nunc prodeſſet Plato & Philoſophiæ ſtudium? repoſuit: ut tantam fortunæ mutationem æquo animo feram. C. Exod. 25. v. 31. fol. 520. c. 2.

Sicut exercitum ducit Imperator, gubernator navim, Mundum Deus, & animam ipſa mens; ita felicitatem præſentis vitæ temperat, regitque prudentia, ait Architas. [Archit. ap. Stob. Ser. 11. de Vir.] C. 1. Pet. 4. v. 7. Item Prov. 24. v. 8.

Prudentia hæc ipſa diſcretionis virtus eſt, qua ſciat unuſquiſque quid in quavis rerum periſtaſi, & circumſtantia prudenter juxta dictamen rationis, legemque Dei agere, vel non agere debeat. Nam, ut ait S. Baſilius: *Vera hominis conſulti prudentia, diſcretio eſt rerum, quæ facienda ſunt, vel non facienda, & velut probus nummularius, quod probum eſt retinet, & ab omni mala ſpecie cavet.* Sicut enim nummularius partim viſu, partim tactu, partim pondere, partim ſono monetam probam a falſa diſcernit, & examinat; ſic prudens actiones bonas, a pravis judicio rationis, & Legis Divinæ dijudicat & diſcernit, &c. C. Prov. 1. v. 3.

Præſertim prudentia neceſſaria eſt præfectis, & gubernatoribus, ut cujus conſilia & praxes in promptu habeant ad regendum ſeipſum, & ſuam domum, item ad regendam civitatem & rempublicam, ſicut navarchus regit navigium. C. Prov. 1. v. 5. Hæc autem directio non eſt pro ſemper & ubique æqualis, juxta illud: *Lætatur homo in ſententia oris ſui, & ſermo opportunus eſt optimus.* [Prov. 15.] Prudentia ſive in conſilio, ſive extra illud debet eſſe accommodata tempori; ſæpe enim quod in ſe eſt bonum & utile, hoc tempore non eſt bonum, ſed malum & noxium, &c. C. Prov. 15. v. 23.

#### 215. *Altiora ſe non quærit.*

Expreſſe monet Siracides: *Altiora te ne quæſieris:* quia non ſuperbis, ſed humilibus

libus ea revelantur. Senſus eſt. 1. Noli ſcrutari, quæ Deus tibi occulta eſſe voluit, hoc eſt, res abditas, & a natura ipſa involutas. *Noli curioſe inquirere in facta Dei*, dictum eſt Hebræorum, *non licet interrogare, quo conſilio, & quam ob cauſam Creator hoc vel illud fecerit*; nam omnia facit ſapienter, tametſi ea lateant ſapientes. 2. Notanda eſt particula *Te*, altiora te; quod enim te eſt altius, poteſt non eſſe altius me, & vice verſa; ſicut altius aure velle videre, oculo velle audire, pede velle tranſcendere caput, commenſum eſt vero auri audire, oculo videre, pedi ambulare; ita altius eſt idiotæ velle ſcrutari aſtrorum ordines, & curſus, id vero commenſum eſt aſtrologo. Altius eſt ruſtico inveſtigare cauſas nivis, grandinis, ventorum, id vero commenſum eſt phyſico. Altius eſt laico diſputare de myſteriis & controverſiis fidei, id vero commenſum eſt Theologo. Ita S. Baſilius cocum, nomine Demoſthenem, qui ſecum volebat de SS. Trinitate diſputare, & Arianiſmum propugnare, falſe repulit dicens: *Hodie vidimus Demoſthenem inſulſum & infantem! tuum eſt, mi bone, pulmenta coquere, non de Theologia diſſerere.* 3. Altiora quærunt, qui ea, quæ ſuum captum tranſcendunt, curioſe indagant v. g. qui Cingaros conſulunt de fortuna & ſorte ſibi obventura, qui ſagas interrogant, de eventibus futuris, aut præſentibus occultis: qui ſcire a Deo vellent, an ſint prædeſtinati, de quibus Sapiens

Prov. 25. enunciat: *Qui ſcrutator eſt Majeſtatis opprimetur a gloria.* 4. Huic monito contraveniunt etiam in humanis v. gr. in Politica, qui quærunt, cur Princeps aut Magiſtratus hæc aut illa ſanciat; habet enim rationes altiores, & univerſaliores, quas tu ignoras. Rurſus huic monito contraveniunt, qui ſtatum & profeſſionem ſuam excedunt v. g. cum ſis plebejus, vis habere Nobilis: cum ſis chyrurgus, vis habere Medicus: cum ſis opifex, vis agere Doctorem: cum ſis Grammaticus, vis agere Theologum. In quos extat paræmia Hebræorum: *Camelus abiit, ut cornua quæreret, & aures, quas habebat, amputaverunt ei*; qui enim indebita ambit, debita amittit, & qui aliena invadit, propriis mulctatur. C. Eccli 3. v. 22.

216. *Non ſe immiſcet diſcordiis alienis.*

Gaſto Dux Aurelianenſis erat infenſus fratri Ludovico XIII. Regi Galliæ, eo quod Richelium Cardinalem ad Regiminis clavum adhiberet: ivit ergo in Belgium ibi contra fratrem exercitum conſcripturus: partes Gaſtonis acerrime tenuit Dux Montmorancius, ſed ſuo malo; quippe duo fratres Regii reconciliati ſunt, Montmorancius autem in prælio victus, captivatus, & tanquam perduellionis reus Toloſæ in Languedocia a carnifice decapitatus eſt. Theat. Trag. hiſt. 36.

Prudentum eſt, pullulantis belli cauſas inter amicos protinus incidere. Imprudentum vero eſt, tumultus occaſionem excitare. Præſtat etiam amicis inimicitias condere, quam amicos cum inimicis tollere. C. 1. Pet. 4. v. 7.

Sicut medicina medetur corporis morbis, ita ſapientia (& prudentia) animi perturbationibus; ait Clemens Alexandrinus; *Sapiens enim eſt*, prout loquitur S. Bernardus, *cui quæque res ſapiunt, prout ſunt.* Cum ergo hanc tranquillitatem animi quærere & conſervare ſtudet, non vult turbari partium ſtudiis, & diſſidiis alienis miſceri, niſi in quantum iis componendis opem ſuam impendere prudentia dictat. C. Eccli 51. v. 34. — Clemens Alex. l. Pædag.

Altiora te ne quæſieris, recepta paræmia eſt, cui ſimilis illa, alienis te non immiſceas; quia ſuſcipis onus forſan intolerabile: ex duobus diſſidentibus, ſi pacem componere ſatagas, unum offendis, aut fortaſſis utrumque. C. Eccli 13. v. 2. Item Eccli 3. v. 22. Vide ſupra.

217. *Nihil agit ſine conſilio.*

Reſpublica Norimbergenſis originem trahit a Valencennia urbe Hannoniæ, a qua etiam Norimbergenſes Regulas politicæ, & prudentes Viros petierunt, quibus in coordinando urbis ſuæ Regimine ſe conformarent: Item Bruxellis, & Venetiis Viros prudentes & expertos advocarunt, exemplum imitati Romanorum, qui, ut felicitatem ſuę Reipublicæ ſtabilirent, ab Athenienſibus Viros prudentes petierunt. Ita oportet conſilio Majorem acquieſcere. VV. Art. Diſc. Font. 10. Ex. 1.

Celebre eſt illud Euripidis: *Unum conſilium rectum magnam militum manum vincit*, iſtudque principium in pace non minus quam in bello uſurpandum. C. 1. Petr. 4. v. 7.

Eum auſculta, cui quatuor ſunt aures, id eſt, qui diuturno complurium rerum uſu plus ſapit, uti ſunt ſenes, qui res publicas & privatas diu tractarunt; commune hoc conſilium eſt. C. 1. Pet. 4. v. 7.

Annales Patrum diſcute, ajebat Ariſtoteles ad Alexandrum, inde poteris exempla extrahere agendorum; quia præterita dant documentum de futuris. C. 1. Pet. 4. v. 7.

Sa-



Sapientis eſt, bonorum ſuaſioni aſſenſum præbere. *Audiens ſapiens ſapientior erit.* Ubi S. Hieronymus: Oſtendit Salomon neminem in hac vita ita ſapere, ut ejus ſapientia nequeat augeri. S. punct. 122. fol. 379. David etſi ſpiritum Dei haberet, ſemper tamen Prophetas Gad & Nathan conſiliarios a latere habuit. Moyſes utut Deo plenus a Jethro Sacerdote Madian conſilium accepit. Salomon ſapientiſſimus viros graves pro conſilio adhibuit. S. punct. 122. fol. 380. & ſeq. Conſilium ſimile aromati. C. Prov. 27. v. 9.

Deus infinite ſapiens creaturus hominem conſilium iniit inter tres SS. Trinitatis Perſonas: *Faciamus hominem ad imaginem, & ſimilitudinem noſtram*, ad exemplum, ut homo a creatione ſua diſcat, omnia agere cum conſilio. Unde æterna Dei ſapientia de ſeipſa profitetur: *Ego Sapientia habito in conſilio.* Econtra in præcipitatione habitat inſipientia, & amentia. Ariſtoteles ait: *Conſilium capere eorum, quæ inter homines ſunt, Diviniſſimum eſt.* Et Pythagoras in ſymbolis: *In ſolitudine ſine baculo ambulandum non eſt, id eſt, cum amicis in neceſſitatibus conferendum & conſulendum.* Item alibi: Duorum temporum quam maxime cura habenda eſt, Matutini, & Veſpertini: id eſt, eorum, quæ acturi ſumus, & illorum quæ egimus: illa conſilio prævidenda, iſta emendanda ſunt. Prudentiſſimus Vir a Ptolomæo Philadelpho interrogatus, quibus conſultoribus utendum ſit? repoſuit, qui moribus ſimillimi ſunt conſulenti. C. Eccli 32. v. 24.

Quæ ſine conſilio, aut contra conſilium prudentum acta ſunt, plerumque infelicem habuerunt exitum. Roboam, quia — 3. Reg. 12.
ſtulta juvenum conſilia prætulit ſapientibus ſenum monitis, hinc potiore regni parte privatus eſt. Hebræus Impoſtor ſuaſit Ezido Regi, ut ſacras imagines everteret, promittens, quod ſi id faceret, longævam vitam ultra triginta adhuc annos eſſet producturus. Rex fecit quod perſuaſus eſt, iconoclaſta factus, ſed ultra annum cum dimidio non vixit. Filius autem Regis deceptorem Hebræum turpiſſima morte condemnavit. Viriza impius Hiſpaniæ Rex, ſubditorum rebellionem timens, muros urbium, juxta malum cujuſdam conſilium, deſtruxit, ſed a ſubditis paulo poſt regno & oculis privatus miſere periit. Sic Ludovicus Mediolani Dux, cum Galeatio fratri Ducatum per ſcelus abſtulit, a Rege Galliarum victus, captuſque, & caveæ incluſus, miſere periit, &c. C. Jerem. 44. v. 30.

*Sacer Proverbiaſtes ait: Via ſtulti recta* — Prov. 12.
*in oculis ejus, qui autem ſapiens eſt, audit conſilia.* Senſus eſt: ſtultus, & imprudens, id quod judicat, aut concupiſcit, oculis mentis ſuæ cenſet eſſe æquum & rectum, unde ſibi præfidens, alios conſulere negligit: at ſapiens ſuo judicio diffidens alios conſulit, eorumque conſilia libens amplectitur, & ſequitur. 1. Quia ſtulti ſunt ſuperbi, putantque ſe plus aliis, imo ſe ſolos ſapere: at ſapientes ſunt humiles, ſciuntque in propriis facile quemlibet falli; quia amor proprius excæcat. 2. Quia ſtulti amant ſuas cupiditates, nec ſinunt ſe ab iis avelli, quare cavent alios conſulere, ne judicia ſua mutare vi veritatis cogantur. Sapientes autem ſequuntur judicium rationis, & Divinæ legis, ne latens amor cupiditatis eos decipiat. 3. Stulti ſunt duri cerebri, & pertinaces: at ſapientes ſinunt ſe duci & flecti, quocunque eos ratio & veritas conſiliorum ducit. Certe S. Auguſtinus ſua ſcripta judicio S. Ambroſii, & Ambroſius judicio Sabini ſubjecit. C. Prov. 12. v. 15.

218. *Tenet certum præ incerto.*

Abraham juſſus ſacrificare filium e domo paterna ſecum ligna holocauſti, & ignem aſportat. Cur ligna? nonne certus erat, quod in Monte Moria eſſet ligna inventurus? Non erat certus! cur ignem ſecum detulit? ut tanto eſſet ſecurior, quia fomes præſertim tempore nebuloſo forſan ignem non reddidiſſet. B. Serm. 24. n. 17.

David in pugnam contra Gigantem progreſſus, lapides ex torrente ſecum ſumpſit. An ergo non dabantur lapides in ipſa pugnæ arena? forſan dabantur! ſed huic *forſan*, fidere non voluit egregius juvenis, ideo ſecuriora elegit. *Priuſquam iret ad bellum, elegit lapides, quia forſan poſtea non reperiret lapides in loco*, ait Abulenſis. B. Serm. 8. n. 14. & ſeq. O utinam hanc prudentiam ſibi commendatam haberent peccatores, qui peccant ſpe veniæ, qui pœnitentiam differunt ad ultimam vitæ horam, &c.

*Sapiens timet & declinat a malo: ſtultus tranſilit & confidit.* Ponamus duos viatores, qui in itinere deveniunt ad fluvium: unus quærit pontem, quo tranſeat: alter committit ſe aquis, & tranſvadare nititur. Primus ſapiens eſt, quia cautus; alter ſtulteſcit; quia in periculum ſe conjicit. Sic res ſe habet in periculis animæ: Qui peccatum, quantum valet, declinat, timens, ne involvatur malis, ſapiens eſt; ſtultus autem, qui contem-

ptim

prim peccat, blandiens ſibi. B. Serm.48, n.16. Item Serm.49. n.4.

### 219. *Parat divitias temporales, & ſpirituales.*

Liquet ab experientia, quod prudentia, & ſapientia paret gloriam, & opes ſtabiles ac durabiles; quia vir prudens ac ſolers ordinarie ſit dives, & glorioſus; dum econtra opes inſipientium, & impiorum, quas ipſi parant per fraudes & ſcelera ab injuſtis poſſeſſoribus avolant, juxta illud: *De male quæſitis non gaudet tertius heres.* Exemplo ſit Rex Salomon, qui per prudentiam, & ſapientiam factus eſt regum opulentiſſimus. C. Prov. 8. v. 18.

Spirituales gratiæ, & virtutum opes, quæ ſolæ veræ ſunt, ſemper afferuntur a prudentia, & ſapientia; illæ ſunt, quas pernicioſis avarorum gazis opponens A-
1.Tim.5. poſtolus ait: *Tu autem o homo Dei hæc fuge! ſectare vero juſtitiam, pietatem, fidem, caritatem, patientiam, manſuetudinem.* C. Prov. 8. v. 13.

Gloria, quæ juxta S. Auguſtinum, *eſt clara cum laude notitia*, tam temporalis, quam æterna, eſt individua comes prudentiæ & juſtitiæ, & ſapientiæ. C. Prov. 8. v. 18.

Alphonſus Rex Arragoniæ potentiſſimus interrogatus, quomodo opibus privari, & ad paupertatem redigi poſſet? reſpoſuit: Si venderetur ſapientia; illam enim omnibus opibus præferrem, & emerem, &c. C. Baruch. c. 3. v. 14.

Homo ſalutis ſtudioſus imitetur induſtriam formicæ; nam 1. formica in æſtate colligit frumentum, de quo in hyeme vivat: ita Chriſtianus præſenti tempore providus ſit colligendo merita pro futuro. 2. Grana incidit, & arrodit oculos ſeminis ne germinent: ita Chriſtianus opera ſua præſervet a vanitate, ne inani gloria corrumpantur. 3. Grana meliora ſeligit: ita Chriſtianus excellentiores virtutum actus exerceat. 4. Præſentit ſerenitatem, & tunc grana in aere ſiccat: ita Chriſtianus in pace publice ſuam doctrinam, actuſque virtutum exponat, in tentatione vero & perſecutione eoſdem abſcondat. C. Prov. 6. v. 8.

### 220. *In omnibus utitur diſcretione.*

Fratrum aliquis immoderato labore frangebat ſaxum, & ſenex quidam vidit penes ipſum diabolum, qui malleum cum eo tractabat, cumque ad laborandum inſtigabat, donec totus fatigaretur. Indicabat hoc ſenex fratri, & eum monuit, &c. E. *Laborare* n.5.

Coquus diurno labore laſſatus, tandem poſt completorium ad orationes perſolvendas acceſſit, & Beatiſſimæ Virgini ſpeciales devotiones perſolvere voluit. Verum ſomnus eum obruit, cum quo ubi multum luctaretur, apparuit ei Domina pulcherrima inquiens: Fili mihi ſatisfeciſti, vade dormitum &c. E. *Maria* n.35.

Ex loquela cognoſci poteſt prudentia loquentis, juxta illud: *Doctrina ſua noſcetur vir.* Prov. 19. Ad hoc autem, ut prudens ſit loquela, & loquenti æſtimationem pariat, requiritur 1. ut ſit verum, quod ait, & alienum ab omni falſitate & mendacio. 2. Ut ſit ſincerum, & alienum a ſimulatione & hypocriſi. 3. Ut ſit alienum a levitate, & ludicro nugarum. 4. Ut ſit juſtum, & alienum ab injuria aliorum. 5. Ut ſit utile, & alienum a damno, & noxa. 6. Ut ſit maturum, & opportunum tempori, loco, & perſonis. Exemplum ſit Joſeph, qui in domo Putipharis, & in carcere, & in aula Pharaonis ita ſe geſſit, ut toti Ægypto fuerit præfectus. Item Daniel, qui a Nabuchodonoſore præpoſitus fuerit toti Monarchiæ Babyloniorum. C. Prov. 12. v. 8.

Prudentia dictat miſericordiam, ſcilicet in omnibus longanimiter tolerandas eſſe proximorum infirmitates, & defectus. C. Prov. 19. v. 11.

### 221. *An & quomodo differat a ſapientia.*

Prudentia eſt virtus intellectualis ad dirigendas cum certa, & recta ratione actiones humanas circa res moraliter bonas aut malas. Sapientia eſt directrix omnium ſcientiarum, veluti ſcientia magis alta & magis univerſalis, diſcurrens cum principiis magis univerſalibus ſuper rebus abſtractiſſimis in qualibet materia, habens pro objecto principali ens qua ens, atque ſubſtantias ſpirituales & Divinas.

Prudens eſt actionum ſuarum moderator, ſuique ipſius, ſiquidem paſſiones edomitæ obſecundant voluntati, & voluntas intellectui. Sapiens eſt ille, qui majori acutia penetrans quaſcunque notitias ac circumſtantias, in eis ad invicem collatis mox deprehendit principia evidentia & æterna.

S. Auguſtinus varie definit ſapientiam, ut ejus officia, bona, & dona deſcribat. Dicit: Eſt via recta ad veritatem! Eſt rerum Divinarum, & humanarum ſcientia! Eſt modus, quo ſeſe animus librat, ut neque excurrat in nimium, neque infra quam plenum eſt, coarctetur, &c. Quæ omnia etiam ſuo modo prudentiæ conveniunt. C. Eccli. v. 25. Item Jac. 1. v. 5.



### 222. *Quomodo acquirenda practice.*

*Comede Fili mi mel, quia bonum eſt, &*
Prov. 24. *favum dulciſſimum gutturi tuo; ſic & doctrina ſapientiæ animæ tuæ, &c.* Hoc monito ſacer textus erudit, comparando prudentiam ſeu ſapientiam melli, quomodo illa acquirenda ſit. 1. Mel de cælo depluit, & eſt quaſi manna cæleſte: ſic prudentia, teſte Plinio, eſt ſudor cæli, & Divinum nectar, quod primario a Deo petendum eſt. 2. Mel conficitur ab apibus, quia virgines ſunt; hinc Pindarus apes, ſacras Cereris miniſtras appellavit: ſic prudentiæ, & ſapientiæ comes eſt caſtitas, & Sancti oderunt impuros, uti S. Catharina Senenſis odorem intolerabilem ſenſit apud impuros. 3. Mel conficitur ab apibus pacificis, & mira concordia collaborantibus: ita prudentia pacifica eſt, fugit diſcordiam. 4. Optimum mel conficitur ab apibus parvis, ita vera prudentia, & ſapientia optime diſcitur, & docetur ab humilibus & manſuetis. 5. Mel ſaluberrimum eſt, omneſque cibos dulcorat: ſic prudentia & ſapientia, omnes res, quantumvis triſtes, & adverſas dulcorare, & ſapidas efficere debet. 6. Mel omnibus ſe immiſcens, omnium ſapori ſe accommodat, in vino habet dulcedinem vinoſam, in carne carneam, in farina farream &c. Ita prudentia & ſanctitas omnibus rebus, temporibus, & perſonis ſe attemperat; quare alia eſt ſapientia juvenum, alia ſenum, alia ſacerdotum &c. 7. Mel eſt beneficum, & ſaluberrimum, plurimiſque morbis medetur, facit ſanos, & longævos. Ita prudentia, & ſapientia eſt ſaluberrima, omneſque animæ, & ſæpe corporis morbos ſanat, ac facit longævos. 8. Mel ſincerum eſt, purum, & minime fucatum: ſic prudentia & ſapientia debet eſſe ſincera, & candida, omniſque ſimulationis expers. C. Prov. 24. v. 14.

### 223. *Quomodo habere ſe debeat erga Deum?*

Finis ultimus, ad quem creatus eſt homo, Deus eſt! ad hunc ſemper tendat, hunc ſemper præ oculis præſentem habeat, ſemperque ſibi ipſi dicat: Prope eſt
Seneca ep. 41. ad me Deus, mecum eſt, intus eſt! Sacer intra nos Spiritus ſedet, malorum, bonorumque noſtrorum obſervator & cuſtos. Bonus Vir ſine Deo nemo eſt!

Semper ama Deum ſuper omnia, ita, ut ad ejus honorem opera tua omnia referas, & nullo peccato offendas. Internis inſpirationibus morem gere, ſemperque cogita, quid ad Dei gloriam & beneplacitum conferre poſſis.

Memento, quod Deo nihil clauſum, nihil occultum ſit, intimum pectus inſpicit! igitur internos etiam animi motus, cogitationeſque ita coordina, ut Dei conſpectu dignæ ſint.

Religioni tibi duc ſemper de Deo bene ſentire! firmiter crede, illum juſte ſapienterque omnia adminiſtrare; ideo paratus eſto, tam bona, quam mala de manu ejus accipere, quia omnia cedunt ad ejus voluntatem, & gloriam. Adeoque tam in proſperis, quam adverſis ſemper ex animo dic: Fiat Voluntas Dei! ut ſemper Deo dicere poſſis: Num gubernationem tuam re- Epictet. Diſſert. 3. n. 6.
prehendis? Vis me mori? paratus ſum ex voluntate tua! Vis me ægrotare? Volo, quia tu voluiſti? Pauper ſum te volente, ſed lætus! Nunquam appetivi imperium, aut excellentiam, nunquid me unquam hac de cauſa triſtem vidiſti? Paratus ſum, ſiquid mandes, ſiquid imperes! Hæc me cogitantem, hæc ſcribentem, hæc legentem occupet mors!

Solus cum Deo converſari ama, hinc turbam fuge, ſolitudinem quære, domi te conclude; nunquam enim mores, quos extuliſti, referes, aliquid ex eo, quod compoſuiſti, turbatur: inimica eſt virtutis converſatio; nemo non aliquid vitii aut commendat, at imprimit, aut allinit.

A bonis terrenis, quæ Deus dat, aut negat, animum avulſum habe: Nunquam te aliquid perdidiſſe dicito, ſed reddiſſe! filiolus obiit? Redditus eſt! Prædium eſt ereptum? An non id quoque eſt redditum? At Epict. c. 11. Ench.
improbus eſt, qui eripuit? quid ita tua refert, per quem is, qui dederat, abs te repetierit?

Divinam voluntatem in omnibus amplectere, & tuam illi conforma! puta, quæ fiunt, debuiſſe fieri, optimum eſt pati, quod emendare non potes. Dei nu-
Seneca Ep. 107. tum ſine murmuratione ſequere: malus miles eſt, qui Imperatorem gemens ſequitur. Hic magnus eſt animus, qui totum ſeſe Deo tradidit, degener autem, qui mavult Deum, quam ſe emendare.

### 224. *Quomodo erga proximum.*

Proximo in omnibus ſive corporis, ſive animi neceſſitatibus ſuccurre, & quantum potes adjuva.

Cave ne quemquam factis, aut dictis offendas; qui enim proximum offendit, offendit Deum. Bene ſentias de omnibus, nulliuſque facta in malam partem trahas.

Quæ tibi facta voles, fac etiam aliis. Vis laudari, æſtimari ab aliis, etiam alios lauda & æſtima. Vis ab aliis tibi ignoſci delicta, etiam aliis ignoſce! in omnibus juſtitiam cole.

Judicia hominum ſperne; nam quæ tu ſcis, non probat populus, quæ probat populus te neſcis! pauciſſimis placere potes, multo minus omnibus!

*Epiſt. cap. 51. Enchir.* Aliorum exempla, quæ bona videris, imitare; cum aliquid negotii eſt cum alio, cogita, quid in ea te facturus fuiſſet, qui melior, aut ſapientior te eſt? ita ratio te nunquam deficiet.

*Seneca Ep. 52.* Adjuvare te poſſunt, non tantum qui ſunt, ſed & qui fuerunt. Ex iis autem, qui ſunt, eos elige, qui vita docent, id eſt, qui ipſi faciunt, quod ſuadent, & nunquam in eo, quod fugiendum dixerint, deprehenduntur.

*Seneca ep. 38.* Verbis impetuoſis abſtine: diſputationes plus ſtrepitus habent, quam utilitatis: non multis verbis opus eſt, ſed efficacibus, ut perſuadeas, ſeminis inſtar, quod licet ſit exiguum, cum terram idoneam invenerit, plurimos fructus facit.

*Epiſt. cap. 53.* Jactantiam cave in familiari congreſſu, nec laudes tua facinora; non enim perinde ſuave eſt audire, quod tibi jucundum eſt, memorare.

*Seneca l. de conſt. c. 4.* Injuriam contemne, nec ullum dolorem, aut averſionem erga injuriantem in animum admitte. Noli vexari opinione; pueri ſunt, qui umbra, aut perſonarum deformitate, aut depravata facie terrentur. An metuis, ne quidquam honoris perdas? Sapiens nihil perdere poteſt; quia omnia in ſe repoſuit, nihil fortunæ cedit! contentus virtute vivit, & fortuitis non indiget, ideoque nec minui, nec augeri poteſt. Ad ſummum perducta incremento non dant locum. Nihil eripit fortuna, niſi quod dedit, virtutem autem non dat, ideo nec detrahit. Libera eſt, inviolabilis, inconcuſſa, adeo contra caſus indurata, ut nec inclinari quidem, nedum vinci poſſit. Validius debet eſſe quod lædit, eo quod læditur, non eſt autem fortior nequitia virtute. Non poteſt ergo lædi ſapiens.

225. *Quomodo erga ſeipſum.*

Hanc vitam temporalem tranſiens Chriſtianus ita fideliter Deo ſervire, & conſcientiam ab omni peccato immunem ſervare debet, ut moriens aliquando dicere poſſit verbis S. Pauli: *Bonum certamen certavi, curſum conſummavi, fidem ſervavi.* Hinc tranſitoria contemnere, æterna quærere, & ſoli virtuti ſtudere debet.

Deum finem ſuum ſemper reſpiciat, animam præ omnibus terrenis curet, virtutem ſupra omnia mundi bona æſtimet, peccatum ſuper omnia mala deteſtetur, & fugiat.

*Seneca ep. 14.* Corpus non immoderate diligat. Fateor, inquit Seneca, inſitam eſſe nobis corporis caritatem & tutelam! nec nego, indulgendum illi, ſerviendum nego! Multis ſerviet, qui corpori ſervit. Sic gerere nos debemus, non tanquam propter corpus vivere debeamus, ſed tanquam non poſſimus ſine corpore. Hujus nos nimius amor timoribus inquietat, ſolicitudinibus onerat, contumeliis objicit. Major ſum, *Seneca ep. 65.* & ad majora genitus, quam ut mancipium ſim mei corporis, quod non aliter aſpicio, quam vinculum libertati meæ circumdatum. Contemptus corporis ſui certa eſt libertas.

Creaturis inhærendum non eſt, ſed animus ad cæleſtia elevandus. Sicut navigantes, cum ſubducto navigio aquatum exeunt, cochleas quidem in littore colligunt, ſed animum ſemper ad navim intentum habent, ſoliciti, ne gubernator vocet, & tum cito illa omnia relinquunt.

Reſiſtendum concupiſcentiæ & voluptati; huic enim ſi ceſſeris, cedendum erit dolori, cedendum labori, cedendum paupertati, aliiſque malis. Non ſatiatur libido, ſed irritatur! Nunquam vidiſti ca- *Seneca ep. 51.* nem miſſa a Domino fruſta panis, aut carnis devorare? Quidquid excipit ore, ſtatim deglutit, & hiante rictu plura exſpectat. Sic libidini evenit; ex lapſu non *Seneca ep. 72.* fit mitior, ſed impudentior. Quiſquis ſapit, hanc ſcyllam & charybdin fugit!

*Seneca ep. 1.* Principium maximum prudentiæ eſt, tempus bene impendere: omnia aliena ſunt, tempus tantum noſtrum eſt. O quam infelix, quem tangit illud Senecæ: Magna vitæ pars elabitur male agentibus, maxima nihil agentibus, tota aliud agentibus. *Seneca ep. 71.* Id agamus, ut omne tempus noſtrum ſit: non erit autem, niſi prius nos noſtri ſimus.

*Seneca ep. 50.* Chriſtianus ſtudeat ſeipſum noſſe: difficulter ad ſanitatem pervenimus, quia nos ægrotare neſcimus, ut Harpaſte mulier fatua & cæca, neſcivit ſe eſſe cæcam, ſed domum tenebroſam dixit. Id etiam nobis contingit; nemo ſe avarum, nemo ſuperbum, nemo iracundum, nemo vindicativum fatetur; quia vitia ſpecie virtutum excuſamus.

Sa-



Sapientia.

226. *Quid ſit? quinam illius effectus.*

EST Directrix omnium ſcientiarum, diſcurrens cum principiis magis univerſalibus ſuper res abſtractiſſimas, habens pro objecto principali Deum, & ſubſtantias ſpirituales. Alphonſus Aragoniæ Rex interrogatus, quid ſit ſapientia? reſpondit: Ego eam exiſtimo eſſe Dei filiam, immortalem, & ſoli homini inter animalia datam. C. Baruch. 3. v. 14.

Cicero vocavit ſapientiam, hominis cuſtodem, & procreatricem. Alius vocabat ſapientes eſſe Prometheos. Ignis enim Promethei doctrina eſt, qua remota ex homine truncus, & qua addita e trunco redditur homo. C. Baruch 3. v. 14.

*Eccli. 12.* De hac ait Eccl. *Deum time, & mandata ejus obſerva, hoc eſt enim omnis homo:* ubi S. Bern. *ſi hoc eſt omnis homo, abſque hoc nihil eſt homo*, nec homo eſt, ſed aut ſaxum aut beſtia. Ibidem.

Conſtantinus Imp. ſapientiam ponit in manſuetudine, inquiens: Hæc cæleſtis plane, & Divina eſt ſapientia, ut pati malimus injuriam quam facere, & damnum potius accipere, quam inferre parati ſimus. C. Baruch Ibid.

Initium ſapientiæ eſt timor Domini, ubi S. Thomas, timorem vocat primum ſapientiæ effectum. Hoc eſt, timor Dei ſervilis viam parat ſapientiæ, & ſapientia parit timorem filialem, qui & ipſe amor Dei ſuper omnia. C. Eccli. 1. v. 15.

Conciliat animi pacem, & corporis ſanitatem; quia ſapiens omni ſtudio declinat ea, quæ animi pacem turbare, & ſanitatem auferre poſſunt; hinc ſancti alacritate, & tranquillitate animi adeo excitabantur, ut morbos etiam nihili curarint, &c. Eccli. 1. v. 22.

S. Auguſtinus ſapientiam varie definit, ut ejus officia, dona & bona repræſentet: Dicit: Eſt via recta, quæ ad veritatem ducit. Eſt rerum Divinarum, humanarumque ſcientia &c. C. Eccli. 14. v. 25.

22. *Confert ingentia beneficia poſſidenti.*

Eccleſiaſticus ſingillatim recenſet, quæ & quanta beneficia miſericordibus, de quibus agebat, ſapientia conferat: 1. Filiis ſuis vitam inſpirat. 2. Suſcipit inquirentes ſe. 3. Præibit in via juſtitiæ. 4. Qui vigilaverint ad illam, complectentur placorem ejus. 5. Quo introibit ſapiens, benedicet Deus. 6. Qui ſervient ei, obſequentes erunt ſancto. 7. Qui diligent illam diliget Deus. 8. Qui audit illam, judicabit gentes. 9. Qui intuetur illam, permanebit confidens. 10. Si crediderit ei, hereditabit eam. 11. Erunt in confirmatione illius. 12. In tentatione ambulat cum eo. 13. Firmabit illum. 14. Lætificabit illum. 15. Denudabit abſcondita ſua illi. 16. Et denique theſaurizabit ſuper illum ſcientiam & intellectum juſtitiæ, quæ omnia fuſius ibi explicantur. C. Eccli. 4. v. 12.

Eundem in modum ſapientia eximios fructus afferre deſcribitur: 1. Animam liberat a tenebris, quas peccatum parit. 2. Eximit a tormentis, quæ mens ſibi male conſcia ſentit. 3. Liberat a metu inferni, quem peccator commeruit. 4. Erigit animam in ſpem vitæ æternæ. 5. Elevat animam ad confidendum in Deo tanquam Patre. 6. Exſpectat diem mortis cum fiducia. 7. Sentit jam nunc lætitiam cæleſtem &c. C. Eccli. c. 6. v. 20.

Sapientia ita componit turbulentos animi motus, ut ſapiens ſit in perpetua pace & jucunditate: Ratio eſt 1. quia ſapiens eſt, cui res omnes ſapiunt, prout ſunt: ergo ſemper eſt in pace. 2. Quia ſapiens res ſibi, ſeque rebus accommodat; ergo ubique pacem, & requiem invenit. 3. Quia ſapiens ſemper eſt ſolutus, & ſui juris; habet enim animum terra celſiorem in Deo fixum; unde omnia tam adverſa quam proſpera parvi pendit, & ad ſe non pertinere exiſtimat &c. C. Eccli. 51. v. 34.

228. *In omnibus actionibus elucet.*

Sicut alciones media hyeme mare tranquillum præſtant, non ſolum ſibi ſed aliis quoque: ita ſapiens turbatiſſimis rebus, non ſolum ipſe tuebitur animi tranquillitatem, ſed & alios concitatos componet & ſedabit. 2. Sicut in culice non minus admiranda vis eſt, quam in elephante, ita ſapientia in maximis pariter ac minimis negotiis magnum virum oſtendit. 3. Sicut cochleæ lente progrediuntur, nec uſquam ſe movent, niſi cornibus prætentarint: ita ſapiens cunctabundus eſt, & pedetentim rem aggreditur, guſtu quodam prius ſumpto. 4. Sicut quo directius nos ferit ſol radiis ſuis, hoc minor eſt umbra noſtri, quo vero obliquius, hoc magis increſcit umbra corporis: ita quanto plus quiſque aſſecutus eſt ſapientiæ, hoc minus magnifice de ſe ſentit: quo longius abeſt ab ea, hoc ſe magis dila-

G 2 tat

tat ſtultiſſima perſuaſione ſapientiæ. 5. Sicut adamas nec igni nec ferro cedit: ita ſapientis animus adverſus omnem fortunæ impetum invictus eſt, &c. C. Ex. 25. v. 18. fol. 517. col. 1.

Sapientia Ethica, Oeconomica & Politica homini Chriſtiano conveniens & neceſſaria eſt. Optime autem addiſcitur ex apibus, quæ quaſi Rempublicam in Ethicis, Oeconomicis, & Politicis ordinatiſſimam habent, prout erudite deſcribit Plinius. C. Eccli. 11. v. 3.

### 229. *Obtinetur certis diſpoſitionibus.*

Ad apicem ſapientiæ multi gradus conſcendendi ſunt, tanquam præviæ diſpoſitiones, quales ſunt: Studium ſeu improba diligentia, docilitas in obediendo Magiſtris, intenſio animi, attentio cordis, timor, & tremor, animi demiſſio, gaudium, obſequium erga ſapientes, ſubtilitas in diſputando, alacritas, patientia, intelligentia Scripturæ, peritia legis traditæ, parum negotiationis temporalis, parum ſomni, modicum riſus, modicum delectationis, tarditas iraſcendi, fidelitas, perpeſſio tribulationum, ſuæ conditionis agnitio, prudenter loqui, nullum honorem ſibi arrogare, &c. Sic ſapiens graviter & circumſpecte in omnibus procedit: Non eſt ambitioſus, non vane extollitur, non libenter tanquam judex ſententiam pronuntiat, onus & jugum proximi placidiſſime portat, omnia ejus dicta, & facta in meliorem partem detorquet, in pace & veritate eum confirmat. Quærit & reſpondet, audit quæ dicuntur, & inſuper de ſuo doctrinam addit. Diſcit, ut doceat, & in praxin, quæ a præceptoribus accepit, reducat, &c. C. Eccli. 6. v. 33.

Sapiens debet fugere pericula ſicut ſerpens, qui hyeme contra frigus foraminibus, & latibulis, æſtate contra inſidias ſub herbis, & foliis ſe abſcondit. Sic faciunt etiam & hominem ſuo exemplo erudiunt multa alia animalia, uti conchæ, polypi, oſtreæ, cancri, teſtudines, crocodili, milvi, turtures, grues &c. C. Prov. 22. v. 3.

### 230. *Ex operationibus ſe prodit, & laudatur.*

Verus autem ſapiens 1. Nec rebus ſecundis effertur, nec adverſis deprimitur. 2. Negotia dextere obit, nec in vita mutationibus perturbatur. 3. Audire Dei vocem, juſtitiam diſcere, humana contemnere, Divina ſuſpicere ſatagit. 4. Puræ menti ſtudet, per quam Deo conjungitur. 5. Vincit iram & ſeipſum. 6. Contemnit fortunam, & virtutibus ſeptus expugnari non poteſt. 7. Nihil per oſtentationem fingit, vera ut ſunt diliget &c. Philo ait: ſicut gubernator in navi, magiſtratus in civitate, Imperator in exercitu, & anima in corpore: ſic ſapiens primus eſt in humano genere. C. Ex. 25. v. 18. fol. 516. col. 2. ſeq.

Sapientiam æſtimarunt homines prudentiſſimi ac potentiſſimi: Alexander videns Diogenem in dolio exclamavit: O *vas ſapientia plenum*. Alphonſus Aragonum Rex pluris faciebat ſapientiam, quam opes & regnum; quia illam ajebat eſſe Dei filiam, &c. C. Ex. 25. v. 18. fol. 517. col. 1.

Præcipue illa acquiritur per obſervationem mandatorum: *Concupiſcis ſapientiam*, ait S. Bernardus, *ſerva mandata, & Dominus dabit illam tibi*. C. Ex. 28. v. 12. fol. 542. *S. Bern. Serm. de Epiph.*

### 231. *Ardua ſuffert ſpe beatitudinis.*

Sapiens in labore virtutis, quantumvis arduo gaudet, quia certa fide, & ſpe credit, ex modico labore conſequi æternam quietem in gloria; Modicus enim labor parit æternam felicitatem. B. Galganus a voluptuoſa vita, ad auſteram, ſanctamque a S. Michaele Archangelo evocatus, in eremum ſeceſſit, ac cæleſtem in orationibus ac jejuniis vitam egit: poſt annum a cæleſti voce ad æternam requiem invitatus fuit hac voce: *Satis laboraſti! Metes nunc quod ſeminaſti, &c.* S. Stephanus ſeptem menſibus Diaconi officium exercens, cum Judæis diſputans, & fidem Chriſti prædicans, quantam gloriam lapidatione adeptus eſt! S. Laurentius quinque diebus, qui a morte S. Sixti ad ejus craticulam interfluxerunt, modicis, ſed heroicis laboribus cum Valeriano Imp. decertans, quam illuſtres ſibi in cælo triumphos creavit! quare S. Franciſcus hac brevi, ſed nervoſa concione ſuos ad omnis virtutis agones excitavit: *Modica voluptas, pœna immenſa! Modicus labor, gloria æterna! Multorum vocatio, paucorum electio, omnium retributio!* Et S. Ephrem: *Poſt tentationem requies, poſt aſperitatem vitæ gaudium*. C. Eccli. 51. v. 35.

Sapiens coronatur quintuplici corona 1. tanquam doctori ſapientiæ laurea doctoralis. 2. Quaſi eximio in omni virtute laurea virtutis. 3. Quaſi victori paſſionum corona triumphalis. 4. Quaſi ſponſo ſapientiæ corona nuptialis. 5. Denique tanquam regi ſapientiæ corona Regni. C. Prov. 4. v. 9.

232. *Quo-*



### 232. *Quomodo obtinenda in praxi.*

Jacobus Ap. ait: *Si quis veſtrum indiget ſapientia*, poſtulet a Deo omnes enim homines, quamtumvis docti & prudentes, indigent ſapientia, vel quoad inchoationem, vel quoad incrementum, & perfectionem. Eſt autem jam ſapientia non aliud, quam cognitio Dei, & ultimi finis, ac mediorum ad eum aſſequendum, eorumque deſiderium, amor, & affectus; unde dicitur: *Plenitudo ſapientiæ eſt timere Deum*. *Eccli. 1.* Hanc ſapientiam ſapiens aſſequetur, in libris, qui ab ea ſapientiales vocantur, puta in Proverbiis, Sapientia, Eccleſiaſte, & Eccleſiaſtico, quamque ſapiens nunc vocat ſapientiam, nunc ſcientiam, nunc intellectum, nunc diſciplinam, nunc eruditionem, nunc doctrinam, nunc prudentiam, nunc legem. Hinc etiam vocatur *Scientia Sanctorum! Prudentia Juſtorum!* quæ eſt timere, colere, & amare Deum, bonaque cæleſtia & æterna anteferre terrenis & caducis. C. Jac. 1. v. 5.

Modum & praxin acquirendi ſapientiam deſcribit S. Thomas ad amicum: *S. Thom. Epiſt. ad amicum.* Quia quæſiſti a me, qualiter te ſtudere oporteat in theſauro ſcientiæ acquirendæ, hoc tibi a me traditur conſilium, ut per rivulos non ſtatim in mare eligas introire; quia per faciliora ad difficiliora oportet devenire! Hæc eſt ergo monitio mea. Tardiloquum te eſſe jubeo, conſcientiæ puritatem amplectere, orationi vacare non deſinas, cellam frequenter diligas. Omnibus te amabilem exhibe, nihil quære de factis aliorum, nemini te multum familiarem oſtende. Verbis & factis ſæcularium non te intromittas! Sanctorum & bonorum imitare veſtigia: quidquid boni dicitur, memoriæ commenda, ea quæ agis & audis, fac ut intelligas. Altiora te ne quæſieris! Hæc ſi ſectatus fueris, ad id contingere poteris, quod affectas! &c. C. Jac. 1. v. 5.

Licet ſapientia complectatur omnem virtutem, tamen præ cæteris ſita eſt in patientia, verus ergo patiens, verus eſt ſapiens juxta illud: *Doctrina Viri per patientiam noſcitur*. *Prov. 19.* C. Jac. 1. v. 5.

*Pondus ſupra ſe tollit, qui honeſtiori ſe communicat*: *Eccli. 13.* alii legunt, *ditiori*, aut *fortiori*, aut *potentiori*. Multi ambiunt aulas & auras magnatum, ut eorum familiaritate honorati ſint, & dignitates ac lucra capient. Verum Siracides id diſſuadet, afferens pondus, & gravamen multiplex; amicitia enim, ut ſit facilis, & jucunda, debet eſſe inter pares. Præclare ait Seneca: *Si in parentelam felicis, aut potentis perveneris, aut veritas, aut amicitia perdenda eſt*; *Senec. in Proverb.* ubi enim ſunt impares, ſuperior vult dominari: inferiori multa imperat, quæ inferior ex metu recuſare non audet; quare potius ſervus eſt, quam amicus. Sic Euclio ille diviti poſtulanti filiam ſuam tenuis fortunæ in conjugem, reſpondit, nolle ſe, ut filia apud ipſum velut bovem, aſinam agat. Siſyphus Jovis & Deorum amicitiam ambiens, ab iratis Diis damnatus eſt ad ſaxum jugiter volvendum &c. C. Eccli. 13. v. 2.

### 233. *Vera quomodo diſtinguatur a falſa.*

Sapientia ſancta eſt, de falſa autem dicitur: Non eſt iſta ſapientia deſurſum deſcendens, ſed terrena, animalis, diabolica. *Terrena* quidem ob avaritiam, quæ quærit opes terrenas. *Animalis*, ob gulam & luxuriam, quæ concupiſcit voluptates ſenſibiles ventris & veneris. *Diabolica* ob ſuperbiam, qua ambit per dolos & aſtus excellere, &c. C. Ep. Jac. c. 3. v. 15.

Porro novem ſunt antitheſes inter veram, & falſam ſapientiam. 1. Vera eſt pudica, falſa animalis & impudica. 2. Illa pacifica, hæc contentioſa. 3. Vera modeſta, falſa petulans & ſuperba. 4. Vera ſuadibilis, falſa imperſuadibilis. 5. Illa bonis conſentiens, iſta bonis invidens. 6. Illa plena miſericordia, iſta immiſericors. 7. Vera plena operibus bonis, falſa plena ſceleribus. 8. Vera neminem judicat, falſa judicium præcipitat. 9. Vera eſt ſincera, falſa ſimulata & hypocritica &c. Pudicitia comes eſt ſapientiæ tam in puritate morum, quam doctrinæ, quæ ſola ſoli fidei Chriſtianæ propria eſt. Ab ea autem longe aberrant Gentiles, Machumetani, & hæretici, qui non tantum falſa & blaſphema docent de Deo, ſed etiam luxuriam promiſcue admittunt, foventque; omnes enim hæreſiarchæ habuerunt ſuas Amaſias, ut docet S. Hieron. Quam impia & impura docent Lutherus, & Calvinus, liquet; quia docent Deum eſſe auctorem peccati: Chriſtum in cruce ſenſiſſe pœnas inferni, & ideo deſperaſſe: Religioſos & Sacerdotes non ligari voto caſtitatis: ſi uxor nolit, vocandam eſſe ancillam: ſolam fidem ſalvare, & quæ ſunt alia abſurda. C. Ep. Jac. c. 3. v. 15.

Sapientia vera individuam habet ſororem pudicitiam & caſtitatem; hinc ambæ in ſomno ſe obtulerunt S. Grego-

rio Nazanzeno: S. Joannes Apoſtolus, quia Virgo meruit e pectore Divino haurire arcana cæleſtia. S. Thomas Aquinas ab Angelis cingulo caſtitatis fuit accinctus. S. Laurentio Juſtiniano Sapientia Divina ſe in ſponſam offert. Similiter S. Henrico Suſoni, qui propterea dictus fuit *Miniſter æternæ ſapientiæ*. Chriſtus ipſe Incarnata Dei ſapientia deſpondit ſe S. Catharinæ Virgini caſtiſſimæ, quæ licet litteratum rudis prophetiæ ſpiritum accepit &c. C. in Ep. Jac. c.3. v.15. &c.

E contra ſtupendum eſt, quas abſurditates docuerint gentiles Philoſophi, & ipſe Plato alias laudatiſſimus! docet enim: Mundum non eſſe creatum ex nihilo, ſed ex atomis. Mundum eſſe animal intelligens, æternum. Deum eſſe animam mundi, quam & ponit in medio mundi parte abjectiſſima. Stellas cenſet eſſe animalia & Deos. Terram eſſe circa polum ſuſpenſam: Dæmones eſſe generatos ex terra & cælo. Iniquos primo tranſmutari in mulieres, dein in aves & beſtias &c. C. in Ep. Jac. c.1. v.15.

Sibi ſoli ſapere, & aliis ſe ſapientiorem reputare ſtultitia eſt, quia Deus talibus, utpote ſuperbis, & præfidentibus negat ſuam gratiam &c. C. Prov. 26. v.12.

234. *Maxima bona ſecum fert.*

Sapientia comparatur cedro, quia inter virtutes ſicut cedrus inter arbores eminet. Nam 1. Cedrus in Libano ſeu monte eminet *altitudine*: ita ſapientia proxima cælo eſt, & ad Deum pertingit. 2. *Rectitudine*: ita ſapientia nihil dat favori & reſpectui humano, ſed rectiſſime ad æternam veritatem tendit. 3. *Soliditate*: ita ſapientia ſolidiſſimis & æternis rationibus innititur. 4. *Incorruptione*, cedrus enim cariem & tineam non ſentit, imo etiam aliæ res oleo cedrino perunctæ contra cariem, & tineas præſervantur. 5. *Duratione*, unde per cedrum æterna indigitantur, & cedro dignum dicitur, quod æternitatem meretur: ita ſapientia ſuos diſcipulos donat gloria & regno æterno. 6. *Fructu*, qui initio amarus videtur, demum autem mirum in modum dulceſcit: ita fructus ſapientiæ initio aſper, demum dulciſſimus evadit. 7. *Odore*, odorata enim eſt cedrus, & ſuo odore ſerpentes fugat: ita ſapientia Chriſti bonus odor eſt, & contra infernalem colubrum valet. 8. *Medicina*, cedrus enim reſinam habet contra varios morbos ſalutarem: ita ſapientia omnibus animi ægritudinibus mederi poteſt. C. Eccli. 24. v.17.

Eſt ſoror caſtitatis, & mentem munit contra tentationes libidinis. C. Prov.7. v.4.

Comparatur ligno vitæ 1. quia vitam non ſolum naturalem, ſed etiam ſupernaturalem gratiæ procurat, & prolongat. 2. Sicut lignum vitæ ſenectutem labaſcentem; ita ſapientia vires animæ, & gratiæ reſtaurat. 3. Sicut fructus ligni vitæ eſt inſtar nectaris & Ambroſiæ dulcis; ita ſapientia inebriatur ab ubertate domus tuæ, & torrente voluptatis, &c. C. Prov. 3. v.18.

Et quod præſtat cæteris, ſapientia ſecum trahit fortitudinem: *Vir ſapiens fortis eſt*; quia fortitudo animi, & virtutis, conſiſtit in ſapienti conſilio, directione, & induſtria, quæ per vires pravas magna & miranda efficit, uti patet in bellis, aliiſque caſibus &c. C. Prov. 24. v. 5. & ſeq.

Scientia.

235. *Eſt periculoſa niſi caute utamur.*

REx Salomon petiit ſapientiam a Deo, o quam longe melius petiiſſet a Deo, ne unquam peccaret, ait S. Ambroſius. S. punct. 163. fol. 521.

Ille Angelus Cherubim dictus, id eſt plenitudo ſcientiæ perdidit ſapientiam ſuam: Bernardus ait; quod ſibi ſapiens fuit, quod non dedit gloriam Deo, non retulit gratiam pro gratia, quod non ſecundum veritatem ambulavit in ea, ſed ad ſuam eam detorſit voluntatem. S. punct. 120. fol. 373. Sic hodiedum fit, ait S. Iſidorus: Plerique accepta ſcientia litterarum, non ad Dei gloriam, ſed ad ſuam laudem utuntur, & ibi peccant, ubi peccata emendare debuerunt. *S. Iſidor. l. 3. de Sum. bon.*

Scientia eſt currus triumphalis, eſt turris, eſt navis ad promovendam, & defendendam Dei gloriam: Verum timor Domini ſemper debet tenere gubernaculum; alias mala maxima timenda ſunt. Segn. Manna 9. Junii n.3. & ſeq.

S. Benedictus abrupit Romæ ſtudia, & in eremum conceſſit, ſcienter neſcius, & ſapienter indoctus. E. *Studium.*

Ariſtoteles Philoſophorum Princeps poſt mortem dicitur apparuiſſe Diſcipulo, dixiſſeque: *Ex omnibus, quorum notitiam & ſcientiam habui, plus non recordor, quam quod æternum puniar.* *Caraffa in Theol. Myſt. Sa. ... Lect.*

Ut ſcientia proſit, debet eſſe conjuncta cum zelo, & zelus cum ſcientia; nam 1. ait S. Ambr. *Angeli quoque ſine zelo nihil ſunt, amittunt ſubſtantiæ ſuæ prærogativam, niſi eam zeli ardore ſuſtentent*: Et nonnullis interjectis: *Zelus utilis præcipue* *S. Amb. in Pſ. 118.* *in Sacerdote, ne negligens & remiſſus ſit.* Verum 2. Zelo etiam conjuncta debet eſſe ſcientia, duplici ratione: primo, ut per ſcientiam intelligatur diſcretio & prudentia. Deinde ut prudenter diſcernas, quid, quibus, ubi, quando docere debeas, non enim omnibus omnia quadrant. Aliquibus nocet, quod aliis prodeſt.

236. *Quærenda eſt unice propter Deum.*

S. Bernardus diſcernit fines, quibus homo quærit ſcientiam: aliqui ſtudent, ut ſciant, & turpis curioſitas eſt: alii, ut ſciantur, & turpis vanitas eſt: alii ut ſcientiam vendant, & turpis quæſtus eſt: alii ut ædificent & caritas eſt: alii, ut ædificentur, & prudentia eſt. O quam miſeri, qui multum laborant, & tamen tanguntur ab illo Davidico: *Nihil invenerunt in manibus ſuis*. B. Serm. 26. n.15. ſeq.

*Beati qui ſcrutantur teſtimonia ejus*, ubi Card. Hugo: Plures ſunt, qui ſcrutantur ut ſciant, hæc eſt curioſitas: *In pluribus operibus ejus non ſis curioſus*. Ut laudentur, hæc eſt vanitas. *Amant vocari ab hominibus Rabbi*. Ut lucrentur, hæc eſt cupiditas: *Noli vendere ſapientiam*. Ut pervertant, ut hæretici: *Subintroierunt falſi fratres*. Ut ædificentur, hæc eſt prudens humilitas. *Scrutamini Scripturas*. Ut ædificent, hæc eſt caritas, &c. S. in præfat. fol. 14.

*Corona ſapientiæ eſt timor Domini*; ex quo patet ſapientiam & ſcientiam ordinandam eſſe ad timorem Domini: & ideo ſi idcirco ſtudes, ut te idoneum reddas ad Dei ſervitium, recte facis: quia medium ordinas ad finem: at ſi ſervitium Dei negligis, ut ſtudeas, male agis; quia finem ordinas ad medium, &c. Segn. Manna 9. Junii n.2.

Quid prodeſt ſcientia omnium creaturarum, ſi ignoras Creatorem? Nihil prodeſt! Hinc S. Aug. ait: *Infelix homo, qui ſcit illa omnia, te vero neſcit. Beatus vero, qui te ſcit, etiamſi illa neſciat: Qui autem te, & illa novit, non propter illa, ſed propter te ſolum beatus eſt.* *S. Aug. Conf.*

237. *Digna eſt honore, & præmio.*

*Plin. l. 35. c. 8.* Plinius narrat, Paulum Æmilium Minervæ ſimulacrum in templo Fortunæ erexiſſe. Ita eſt, Minervam, Deam litterarum oportet fortunæ eſſe conjunctam &c. A. 1. lect. 4. n. 20.

Georgius Fiſcellus Juriſconſultus a Sigiſmundo Imperatore ad equeſtris Ordinis dignitatem evectus eſt. Poſtea in Concilio Baſileenſi diu deliberans quem ſcamnum occupare præſtaret, Nobilium, aut Doctorum, denique primum elegit: quod Imperator conſpicatus ajebat: O ſtulte, mille equites uno die creare, at non unum Doctorem mille annis facere poſſum. Epidorpidon. fol. 80.

Robertus & Alphonſus Reges Neapolis cuidam irato affirmarunt, malle ſe corona, quam eruditione, & libris carere. Cum poſteriore præſente nonnemo aſſereret, Eruditionem Regibus parum convenire Alphonſus repoſuit: Hæc bovis, non hominis vox eſt. Epidorp. fol. 80. Vide Tit. *Nobilitas*.

Artium inventiones adeo ſunt honorificæ, ut de inventione acus Magneticæ tres nationes certent, Belgæ, Angli, & Itali. Probabilius tamen eſt Italum Amalphitanum, Joannem Goim fuiſſe inventorem. Vv. art. diſc. font. 9. Ex. 1. *P. Athan. Kircher l. 1. de Art. Magn.*

Guilielmus Benckelius piſcator in Belgio invenit conditurarn halecum, quo invento ſe ita commendavit poſteritati, ut Carolus V. ipſemet adierit illius ſepulcrum, & grates illi retulerit pro tanto beneficio. Vv. art. diſc. font. 9. Ex. 2.

Nobilitas, ajebat nonnemo, ſine ſcientia, anulus eſt ſine gemma, lucerna eſt ſine lumine, gladius eſt ſine acie, exercitus eſt ſine Duce. Pallas ſi ſagata ſolum, non item togata ſit, furia potius, quam Dea eſt.

Homo ſcientificus toti mundo gratus, ubique æſtimatus eſt; ideo ait S. Aug. *Ubicunque acceſſerit ſapiens, ubique civis eſt, nuſquam ſe peregrinum, nuſquam hoſpitem judicat.* Quin imo ſcientia eam habet amicam vim, ut favores converſantium ſibi conciliet: nemo eſt in colloquio converſantium, qui hominem doctum ſcientifice diſcurrentem non amet & æſtimet. Hinc illud effatum Caſſiani: Scientia litterarum verborum ſubminiſtrat gratiam, facitque de irato benevolum, de ſuſpecto placatum, de auſtero mitem, & de adverſante propitium. *S. Aug. Ep. ... ad Conſtant.* *Caſſian. l. 3. Ep.*

Scientia felicem in ſeipſo reddit hominem: Thales rogatus, qui eſſet felix? repoſuit, *qui corpore ſanus eſt, anima vero eruditus*. Socrates ajebat, pulcherrimum eſſe *hominem doctrina ornatum*. Et Demades: Doctos ab indoctis tantum differre, quantum Dii ab hominibus. Ariſtoteles ajebat: Differre illos, ſicut differunt vivi a mortuis, &c. Carolus IV. audiens diſputationem eruditorum, cœnare oblitus eſt. Dionyſius regno pulſus,

interrogatuſque, quid illi Plato & Philoſophiæ ſtudium profuiſſet, reſpondit: *Ut tantam fortunæ mutationem æquo animo ferrem*. Zeugmarus Monachus, quamvis cæcus eſſet, tamen circuibat docens, corripiens & confirmans unumquemque. Idem fecit Aſcelepius Afer, Epiſcopus, &c. C. Exod. 25. v. 31.

### 238. *Moderate, & diſcrete debet uſurpari.*

S. Auguſtinus ait: *Habent in epulis ſuis* [S. Aug. de Vit. Beat.] *& animi quandam luxuriem, ſi ultra modum ineas, & voraciter irruant, ita enim male quodammodo digerunt*. Diſcrete appetenda eſt ſcientia, & hoc eſt, quod vocat Paulus, *ſapere ad ſobrietatem*. Sci- [Rom. 12.] ri debet quo ordine, quo ſtudio, quo fine? non ad inanem gloriam, aut curioſitatem, ſed ad ædificationem appetatur, &c. D. 5. 2.

Cum teſte Apoſtolo ſcientia inflat, homini bene Chriſtiano, & virtuti debito ſolatio eſſe debet, quod ſcientia careat: ſi enim lætatur, quod materia tumoris aut hydropis ſibi ſubtrahatur, cur lætari non debeat, cum ſubtractam ſibi videat materiam ſuperbiæ? O quam felicior longe fuiſſet Lucifer, ſi altiſſima ſcientia caruiſſet! O quam feliciores Lutherus, Calvinus & alii, qui ſcientia ſua contra Deum & Eccleſiam abuſi ſunt.

Quidquid homo a Deo recipit, in Deum refundere debet, qui quinque talenta accepit, quinque alia lucrari, & rationem Deo reddere debet. Cur ergo homo rudis triſtetur, quod minora debita apud Deum contraxerit, quam homo doctus?

Quamquam ſcientia & ſapientia præmio ac honore digna ſit, non tamen ad aucupandos honores & præmia unice dirigi debet, ſed ſemper conjunctam ſibi habeat humilitatem: Qui theſauros effodiunt, terram rejiciunt, & ſcrobem ſibi facit: ita qui theſauros ſcientiæ appetit, terrenos affectus rejiciat, & ſe humiliet, ait S. Hieron. Salomon non aurum, non terrenam gloriam a Deo petiit, ſed ſcientiam regendi, & judicandi populum Dei.

Ne putes te eoipſo, quod doctus ſis, etiam bonum Chriſtianum eſſe! multi ſcientifici etiam, fuerunt ſcelerati; quia ſcientia virtus eſt intellectus, non voluntatis. Hunc in ſenſum ait S. Bernardus: *Sol non omnes, quibus lucet, etiam calefacit: ſic ſcientia multos, quos docet quid* [S. Bern. in Cant. Ser. 23.] *ſit faciendum, non continuo etiam accendit ad faciendum. Notitia divitem non facit; ſed poſſeſſio*.

### 239. *Conducit ad Virtutem & agnitionem Dei.*

Unicum dæmonis ſtudium eſt, ut ignorantiam propaget, & ſicut olim Philiſthæi operam dederunt, ut non eſſet faber ferrarius in Iſrael, qui arma cuderet; ita dæmon invigilat ut ſacram doctrinam impediret. Idem ſemper curarunt aſſeclæ dæmonis. Nabuchodonoſor in expugnata Solyma, Antiochus in tota Judæa, Diocletianus per totum imperium ſacras Scripturas comburi jubent. Martinus Lutherus Sacros Canones igni tradit, Machometes omnem litteraturam prohibet. A. 1. l. 1. n. 1.

Periculoſa ſemper eſt ſcientia ſine humilitate. Et quidni humilis ſit homo ſcientificus, cum ſciat omnia, quæ ſcit, ſe non alio fonte, quam ex Deo hauſiſſe? hic talentorum capacitatem, hic memoriam, intellectum, voluntatem addiſcendi, hic tempus, valetudinem, occaſionem, inſtructores, aliaque omnia dedit. Hinc quiſquis anhelat ad ſcientiam, ante omnia illud S. Aug. principium addiſcat: *Hæc tota ſcientia magna hominis,* [S. Aug. in Pſ. 70.] *ſcire, quia ipſe nihil eſt per ſe, & quoniam quidquid eſt, ex Deo, & propter Deum eſt*.

Prudentia debet eſſe præambula, & moderatrix ſcientiæ, ita ut illam doceat tam fugere candelabrum, quam modium: errat, qui ſcientiam ſuam exaltari cupit ad admirationem aliorum, errat itidem, qui indiſcreta humilitate illam abſcondit. Ideo ait S. Aug. [S. Aug. Serm. de Aſcenſ. Dom.] *Qui ſe diſcit ſcire, quod neſcit, temerarius eſt: qui ſe negat ſcire, quod ſcit, ingratus eſt*.

*Scientia*, ait S. Gregorius, quos afficit, non extollit, nec ſuperbientes, ſed [S. Greg. in Mor.] lamentantes facit; quia quanto robuſtius ſapit, tanto ſe magis infirmum in illa verius recognoſcit.

Præcedit ſcientia virtutis cultum, quia nemo poteſt appetere quod ignorat, & malum timere, quod non agnoſcit, ait S. Chryſoſtomus.

### 240. *Ex natura ſua eſt delectabililis.*

S. Thomas ait: *In contemplatione veritatis maximam delectationem conſiſtere*. Et: [S. Th. 1. 2. q. 38. & q. 31. a. 5.] *Multo majores eſſe delectationes intelligibiles, quam ſenſibiles*. Et Ariſtoteles ait, [Ariſt. 10. Eth. c. 7.] maximam delectationem eſſe, quæ eſt ſecundum operationem ſapientiæ. A. 1. lect. 1. n. 4.

Salvius Julianus dicere ſolebat: Etſi al-



terum pedem jam in ſepulcro haberem, vellem adhuc addiſcere. Conviv. apparat. fol. 174.

[Rho. l. 7. c. 12. n. 1.] Auguſtinus Stenius, vili progenie, & deformi corpore natus, quamquam extrema paupertate, & oris fœditate ab omni plebe deſpiceretur, animum tamen ad ſcientias, quantum potuit, impendit. Multis dein precibus ad Canonicorum Regularium familiam receptus, cum litteris operam dare vellet, a Collegis adeo riſui habitus eſt, ut ne lumen quidem illi ad cubiculum admitteretur. Hac iniquitate ille afflictus nequaquam ſciendi ardorem remiſit: verum noctu ſtragula obvolutus in templum deſcendens, ſeptem integros annos ad lampadem, quæ ad altare pendebat, pervigilans, nullam facultatem, linguam & ſcientiam reliquam fecit, quam animo non conciperet, ut illis e tenebris magna nominis claritate prodierit. Lohner. Bibl. T. 1. tit. 13. n. 54.

[Hugo in didaſc. l. 3.] *Siquis familiariter ſcientiam amare didicerit, jucundam valde reddit vitam, & maximam in tribulatione præſtat conſolationem*, ait Hugo.

Ariſtoteles tantus fuit ſcientiarum, & librorum amator, ut libros pauculos Speuſippi Philoſophi tribus talentis atticis coemerit, quæ noſtro calculo ad tria aureorum millia excreſcunt. VV. Art. Diſc. ſont. 19. Ex. 2.

## Libri Sacri.

### 241. *Proſunt ad ſalutem legentium.*

SAlomon docet, etiam in prudentia, atque doctrina laborem, dolorem, & afflictionem inveniri. Quid? nonne ſcientiæ ex natura ſua ſunt delectabiles? quomodo ergo dolorem in ſe continent? Reſpondet Salonius Epiſcop. Vienneſis: *Quia quanto amplius cæleſtia & æterna homo cognoſcit, tanto magis dolendo, & flendo laborat, ut errorum laqueos evadere poſſit, &c.* A. 1. lect. 1. n. 4.

Utilitatem librorum ſacrorum bene agnoſcit infernalis inimicus; hinc omnem operam confert, ut illi in manus peccatorum non deveniant: Holofernes Bethuliam everſurus, aquæductum incidi juſſit, quo aqua in urbem obſeſſam influebat. Philiſtæi populum electum vincere volentes omnibus armorum fabris ſevere interdixerunt, ne gladium aut lanceam fabricari præſumeret. Sic facit infernalis inimicus, libros & lectionem ſacram omni ſtudio impedire conatur, ideo doctrinæ fluenta & virtutum arma aufert, ut ſic ſævitiam ſuam in exitium ſervorum Dei impleat. Lohner Tom. 2. Tit. Lectio Spir. §. 10. n. 12.

Libri ſacri ſæpe ſunt efficaciores ad commovendos, ac convertendos animos, quam Verbum Dei e cathedra prolatum 1. quia ſacri Prædicatores ſæpe conceptus ſuos nimis ſublimiter criſpant ſupra captum auditorum. 2. Quia non audent aperte, & ſine fuco carpere vitia. 3. Quia non confirmant exemplo, quod docent verbo. Hæc omnia incommoda non habentur in lectione librorum ſacrorum; hinc ait S. [S. Ber. Ser. 50. de modo bene viv.] Bernardus: *Per lectionem vitia deſtruuntur, & virtutes in anima nutriuntur*. Lohner T. 2. Tit. Lectio Spir. §. 7. n. 8.

### 242. *Cauſant mirabiles converſiones.*

Guerricus Pariſienſis cum Veterum Patrum vitas legi, & hoc ſemper epiphonemate concludi audiret: *Mortuus eſt*: [Chronica PP. Præd. l. 1. p. 1. 2. c. 69.] mundo valedicit. A. 1. lect. 1. n. 5.

S. Auguſtinus fatetur, quod ex lectione ſacra ſuperbiam depoſuerit, hæreſin vicerit. Præfectus Reginæ Candacis, S. Antonius, Magnus Columbinus, Ignatius ex lectione ſacrorum librorum convertuntur. Andreas Avellinus cum clientis ſui cauſam defendens repente mendacium dixiſſet, & domi ſacras paginas aperiens incidiſſet in illud, *Os autem quod mentitur, occidit animam*, [Sap. 1. 11.] valedicit ſæculo, & Theatinorum Religionem ingreditur, &c. A. 1. lect. 1. n. 5.

Paulus Burgenſis Epiſcopus ex lectione Sancti Thomæ Aquinatis Judaiſmo abjurat. A. 1. lect. 1. n. 5.

Quod S. Hieron. de Sacra Scriptura e- [S. Hier. in Pſalm.] nunciat, id omne in genere verum eſt de libris ſacris: Habet adoleſcens quid corrigat, juvenis quid ſequatur, ſenior quid precetur: hinc diſcant feminæ pudicitiam, populi pietatem, Viduæ judicem, pauperes protectionem. Hæ triſtem conſolantur, lætum temperant, iratum mitigant, omnibus apta medicamenta tribuunt.

Juſtinus Martyr de ſeipſo teſtatur, quod dum adhuc gentilis Philoſophus exiſteret, antiquorum doctrinis deceptus in Sacra Biblia incidiſſet, & ex iis, omnes infidelitatis tenebras ſibi fugari, atque lumen & notitiam veri Dei in animo ſuo accendi expertus fuiſſet.

S. Eugenia de ſeipſa aſſerit, quod cum antea Philoſophiæ operam dederat, tandem in Epiſt. S. Pauli incidens, ejuſque dogmata in illis legens, intellectu ſuo ita

illis

illis inhæſerit, ſit cognita idolorum falſitate aquis ſe abluerit Baptiſmalibus, tandemque pro fidei confeſſione ſuum in tormentis ſanguinem profuderit.

### 243. *Conveniunt omni ſtatui.*

Homines laici ſe excuſant a lectione ſacra propter negotiorum multitudinem: ſed hoc ipſo plus aliis indigent, ſicut plus opus habet magnete, & mappa qui navigat, quam qui in littore ſecurus ſtat. A. 1. lect. 1. n. 20. Magni principes inter ſumma regnorum negotia erant ſolertiſſimi in lectione librorum ſacrorum, uti Theodoſius Junior, Carol. Magnus, Alphonſ. Arragonicus, aliique. O quot homines de ſæculo ſat temporis habent ad volvendum Ovid. aliaque profana, &c. A. 1. lect. 1. n. 24.

*Stol. am. c. 48.*

Magni Principes in regendis ſubditis plurimos errores vel per exceſſum, vel per defectum committunt, & nemo eſt, qui eos corrigere auſit. Omnes aulici ex metu reverentiali ſilent. Quid faciendum? Offerendi ſunt illis libri, in quibus errores ſuos dedoceantur. Demetrius Phalareus Regem Ptolomæum hortabatur, ut libros de regno ſcriptos emeret, legeretque; quia libri, ajebat, regum odia non timent, velut amici.

Verum quidem eſt, vocem vivam prædicatorum efficaciorem ad movendum, quam libros; quia ſacer prædicator vox Dei eſt. Verum cum tepidi, aut peccatores Chriſtiani ſermonibus ſacris raro aut numquam interſint, quid aliud remedii eorum ſaluti ſupereſt, quam lectio librorum, ex quibus ſapere, & ſe & alios dirigere diſcant.

In hac vita quaſi in via ſumus, qua ad patriam pergimus, quis autem eſt viator, qui non identidem de ſcopo ſeu termino, ad quem tendit, cogitet? Parem in modum & nos ad Deum tanquam finem noſtrum, ad quem creati ſumus, animum extollere debemus. Quibus autem ſtimulis maxime excitamur ad deſiderandum cæleſtem patriam? non aliis magis, quam lectione ſacra! ibi exemplo Chriſti & Beatiſs. Virginis, fortitudine Sanctor. patientia Martyrum, lacrymis pœnitentium admonemur ad ſequenda eorum veſtigia. Lectio ſacra in nobis *deſiderium Chriſti, patriæque cæleſtis accendit.*

*Paragd. Abb. in Reg. S. Bene.*

Omni ſtatui & conditioni hominum præ cæteris libris ſuadendus Thomæ Kempenſis libellus de imitatione Chriſti. S. Ignatius Lojola quotidie unum aut plura capitula ex eo legit, idque ut pariter faceret, omnibus aliis cujuſcunque ſtatus & conditionis ſuaſit, &c. Lohner Tit. Lectio Spir. §. 9. n. 3.

## Libri Prophani.

### 244. *Animæ ſtruunt præcipitium.*

TOtus populus Iſrael a Deo affligitur, quia furtivus Achan contra præceptum regulam auream abſtulit. Origenes loco Regulæ aureæ, legit linguam auream: *Si Poetam legis modulantem verſibus, & præfulgido carmine Deos, Deaſque texentem, ne delecteris eloquenti ſuavitate: lingua aurea eſt, ſi introduxeris in cor tuum ea, quæ ab illis afferuntur, pollues omnem Eccleſiam Dei.* O vos qui tempus in legendis libris teritis, qui de amore & armis agunt, reſpuite damnoſam eloquentiam, latet anguis in herba &c. Sceleratus Lutherus, antequam hæreſin ſuam ſpargeret, fecit gallico Idiomate librum evulgari, cui titulus *Amadis*, hoc libro paſſim per aulas Principum ſparſo brevi mores ſceleribus, adulteriis, aſtrologia judiciaria, aliiſque vitiis corrupit, & poſtmodum nullo labore in hæreſin abduxit. A. 1. lect. 1. n. 3.

S. Thereſia pervolvens libros profanos, ſtatim amare vanitatem cœpit. A. 1. lect. 1. nu. 23.

S. Cæſarius Arelatenſis legendo librum profanum obdormiſcit; videtque in ſomnio librum illum a dracone dentibus comminui. S. Hugo Cluniacenſis ſomniabat, ſe ſub capite ſerpentes nutrire: evigilans reperit ſub capite Virgilium. Sanch. 5. par. c. 4. fol. 447.

### 245. *Numeroſe in Bibliothecis aſſervantur.*

Primus, qui Bibliothecam conſtruxit, fuit Oſymandus Rex Ægypti, qui eam librariam vocavit *Animi medicam officinam.* Ptolomæus Philadelphus quadringenta, aut ut alii volunt ſeptingenta librorum millia congeſſit, quæ omnia bello ſub Julio Cæſare exuſta ſunt. Athenis Piſiſtratus Bibliothecam publicam poſuit, quæ deinde a Rege Xerxe in Perſiam translata, ſed juſſu Seleuci Nicanoris iterum Athenas reportata fuit. Conſtantinopoli centum viginti librorum millia aſſervabantur, una cum pelle draconis, in qua tota Homeri Ilias, & Odiſſea ſcripta erat: ſed demum omnia incendio perierunt. Pergami in Aſia ducenta librorum millia inveniebantur. Romæ ſub Lucullo, & multo magis ſub

Aſi-



Aſinio Pollione publicæ Bibliothecæ apertæ ſunt. Nec defuerant privati cives, qui ingentem librorum theſaurum ſibi compararunt: id fuſe narrant Scriptores & non ſine aculeo, dicentes: *Non in ſtudium, ſed in ſpectaculum*, &c. D. 5. 5. Veriſſimus eſt ille ſarcaſmus: Libri oſtenduntur, non leguntur. Piſauri in Bibliotheca Ducum Urbinatium liber eſt ex foliis membranis ſubtilibus confectus, & ingenioſiſſimis picturis exornatus, qui duodecim millibus coronatorum æſtimatur. Ecce! ſæpe cortices librorum plus quam libri amantur!

*Frolich in Plat.*

Celeberrima Bibliotheca fuit Heidelbergæ, quam quidam ipſi Bibliothecæ Vaticanæ prætulerunt, cui ſuam etiam opulentiſſimam legavit Udalricus Fuggerus Baro de Kirchberg: item aucta fuit ex Monaſterio Lorch, item ex Creuzenach: theſaurus fuit inæſtimabilis, cujus manuſcripta ad 80. millia coronatorum æſtimata ſunt. Sed belli injuria perdita ſunt omnia; ita ut chartæ pretioſæ equis loco ſtraminis ſubjectæ fuerint. VV. art. diſc. font. 23. Ex. 4.

*Scaliger l. 4. Ep. 414.*

Homines docti libros numeroſe ſcripſerunt: Galenus ſupra quadringentos, Servius Sulpitius centum octoginta. S. Auguſtin. triginta millia. Alphonſus Toſtatus quindecim Tomos &c. &c. T. n. 325.

### 246. *Obſceni ſunt ſcandalum & ruina animarum.*

*Pet. Bleſſ. de Sacr. confeſſ.*

Petrus Bleſſenſis auctorem ſcandaloſæ ſcriptionis ita alloquitur: Poſtquam innocentiam argumentoſæ libidinis aſtutia ſubvertiſti, illud ad cumulum tuæ perditionis accedit, quod cum princeps factus ſis Sodomæ & Gomorrhæ, immunditiæ tuæ diſcipuli poſt te ſedebunt in cathedra peſtilentiæ, ſerpetque peſtis canceroſa in multos, ut veniat ſuper te omnis ſanguis eorum, quos corrupiſti.

Et iterum ibidem: Quis æſtimare ſufficit, quam execrabiliter damnabilis ſit apud Deum & homines Herodiana crudelitas, quæ pueros occidit, & malitia Pharaonis, qui ſubmerſit parvulos Hebræorum? Et illi quidem non animarum, ſed corporum homicidæ fuerunt. Quanto ergo deteſtabilius eſt eorum non dicam homicidium, ſed parricidium, qui tot innocentes animas occiderunt: Pharaone & Herode damnabiliores ſunt. Lohner tit. Lect. ſpir. §. 3. 25.

Nabuchodonoſ. in belluam transformatus eſt, Diocletian. ad inſaniam redactus ſibi ipſi vim intulit, Genſericus VVandalorum Rex linguam ſibi ipſi fruſtatim laceravit; quia ſacra volumina flammis concremaverunt. Quæ pœna ergo manebit eos, qui non tantum libros ſacros eliminant, ſed obſcenos diſſeminant?

Achan furto ſuo victorioſum curſum populi ad terram promiſſam feſtinantis ſtitit: furatus eſt regulam auream, & eam in tabernaculo poſuit. Ubi Origenes ait: ſi in Philoſophor. aut Rhetorum ſermone perverſam quid invenias, memento regulam auream quidem eſſe, ſed furto ablatam & damnabilem de Jericho: JESUS autem anathema juſſit eſſe omne aurum, quod in Jericho fuerit inventum: ſi Poetam legeris, Deos, Deaſque canentem, ne reponas in tabernaculo cordis tui, anathema eſt coram Deo, polluis Eccleſiam Dei. Lohner ibid. §. 10. n. 8.

*Orig. hom. 7. in Joſue.*

Cur dæmones a Chriſto Domino expulſi, petierunt facultatem occupandi gregem porcorum? quia gaudent rebus ſuilibus, & obſcenis. Libri autem laſcivi fœtorem ſuilem ſpirant; hinc Petrus Bleſſenſis diſcipulum a lectione profana dehortans, & ad ſacram ſtimulans ait: Exi quæſo, de fœditate porcorum, ut paſcaris in deliciis domus Dei. Lohner ibid. n. 9.

Cum quondam energumenus exorcizabatur, acceſſit juvenis ſtudioſus, & dæmon ei cum magna benevolentiæ ſignificatione occurrit, dicens: Beneveneris, mi Dilecte, qui Miſſale meum in tuo ſinu defers! alludendo ad poema Arioſti, quod ſemper ſecum habebat. Unde eruditus nonnemo, librum impudicum dœmonis Evangelium, & ſcriptores illius, dœmonis Evangeliſtas vocat. Lohner ibid. n. 10.

## Artes.

### 247. *Sunt variæ, & habent varios Inventores.*

Ægyptii Geometriam, Chaldæi dierum Natalium obſervationem, Perſæ unguenta, Lydi tincturam lanarum, Lacedæmonii galeam, Phœnices fundam, Sidonios menſuras & pondera, Noe navim, Dædalus malum navis, Cteſibius machinas hydraulicas, Boetus artem ſutrinam, Chiron artem herbariam, Cleanthes picturam, Ancus Martius ſalinas, Hanno Carthaginenſis leonum manſuefactionem, Simonides Ceus artem memoriæ, Hirpinus vivaria, M. Lelius aviaria, Attalus tapetes, Anacharſis folles, Oſyris aratrum, Capaneus ſcalas, Cyniras tegulas, Ana-

ximan-

ximander horologium, Maris Teſſalus equitatum, Piſeus venabula, Sinon Græcus ſpeculas, Pan fiſtulam, lactis coagulum Ariſtæus, dentium evulſionem Æſculapius, Theud numeros, & ſupputationem, Cadmus lapicidinas, Pilumnus uſum pinſendi, Joann. Eickius Belga mixturam colorum cum oleo, Paulinus campanas.

Porro cuniculos ſubterraneos, atrox inventum, Joannes Georgius Senenſis. Monetam populi Lydiæ, pulverem pyrium & ſclopetorum uſum Berchtoldus Niger Germanus invenit. VV. art. diſc. Font. 9. Ex. 4.

Characteres antiquitate deleti poſſunt renovari & legibiles reddi, ſi gallæ conterantur, & unius diei ſpatio phialæ vino albo plenæ, beneque clauſæ miſceantur, & in loco calido afferventur, poſtea re tota in clibano per alembicum diſtillata, charta aqua inde extracta fricetur. VV. art. diſc. font. 73. ex. 4.

Ferrum poteſt reddi fluidum beneficio ſtibii, hoc mediante funduntur globi tormentarii. VV. art. diſc. font. 75. ex. 2.

Inventores artium adeo honorantur & æſtimantur in mundo, ut de inventione acus magneticæ tres nationes certent, Belgæ, Angli, & Itali.

Guilielmus Beuckelius piſcator in Belgio invenit condituram halecum, quo invento ſe ita commendavit poſteritati, ut Carol. V. ipſemet adierit ejus ſepulchrum, & grates illi retulerit pro tanto beneficio. VV. Art. Diſc. Font. 9. Ex. 2.

Totius mundi applauſum ſibi conciliavit Michael Angelus Bonarota, qui machinarum a ſe inventarum ope effecit, ut homines non omnino mille Vaticana in area Obeliſcum ſtatuerent, ad quem movendum, vel certo loco ſtatuendum Ægyptii olim reges triginta millium operam adhibuerunt. Segneri Incred. non Excuſ. p. 1. c. 10. n. 6.

## Aſtrologia.

### 248. *Ex ſiderum phænomenis cognoſcit Deum.*

CUm Athenienſes eclypſin ſolis in morte Chriſti viderant, & quidem tantam, ut eam luna, etſi ex integro ſoli opponeretur cauſare non poſſet, magnum fidei lumen acquiſiverunt, & Dionyſius Areopagita exclamavit: Aut Deus natura patitur, aut mundi machina diſſolvetur. Proinde illi ædificarunt templum, cui inſcripſerunt: *Ignoto Deo*: ibique ſacrificatum eſt, donec Apoſtolus Paulus Athenas venit, Dionyſ. convertit, cauſas & tempus eclypſis detexit, & Deum ignotum notum fecit. S. punct. 29. fol. 703.

Quamvis ſydera ſuo influxu quodammodo inclinent voluntatem, Deus tamen hunc ipſum influxum dirigit, temperat, eique dominatur: Providentia Divina eſt omnium cauſarum ſuprema: ſicut artifex horologium, ita Deus aſtra regit, hinc ille verſus: *Aſtra regunt homines, ſed regit aſtra Deus*. O Scrut. 2. Diſq. 3. c. 2.

*Potentia* Dei agnoſcitur ex creatione ſyderum, quæ tantæ ſunt magnitudinis, ut a creato intellectu capi non poſſit. Sol inter ſydera, quod inter ſatrapas Rex eſt, tantæ molis eſt, ut ejus diameter longitudine ſua extendatur ad ducenta ſeptuaginta tria millia milliarium: circumferentia ad milliaria octingenties ſeptuagies ſepties millena, adeoque globum terraqueum complectitur vicibus trigeſies octies millenis. Quid erit autem, ſi cœlum ipſum metiri libeat, in quo corpus tam grande circa terras volvitur, & lucis ſuæ theſauros in res omnes infra poſitas diſpenſat. Quam potens eſt opifex tam immenſæ molis! *Sapientia* Dei elucet ex eo, quod ſolem & ſydera per plurima ſæcula non tantum moveat, ſed ordinatiſſimo curſu circumrotet, ita ut ſol qualibet hora currendo emetiatur ſeptem milliones, octingenta octo millia milliarium. Quis capiat? *Bonitas* Dei ſe manifeſtat ex ſaluberrimo ſyderum influxu, & pluviis, quæ ex ſyderibus in terras deſtillant. Si vel minimo temporis ſpatio orbes illi ſyderei quieſcerent, quies illa exitium inevitabile rebus omnibus infra illos ſitis eſſet allatura, eum fere in modum, quo vita humani corporis mox deficit, ſi cor moveri deſinat. Quis ſatis admiretur? Vere de illis enunciari poteſt, quod S. Auguſt. generatim de toto mundo pronuntiavit: *Pulcherrima ſpecie & factum ſe eſſe, & non niſi a Deo, ineffabiliter, & inviſibiliter magno, & ineffabiliter, & inviſibiliter pulchro, fieri potuiſſe proclamat*. Segn. incred. non excuſ. p. 1. c. 10. S. Aug. l. 11. de Civit. c. 14.

### 249. *Futura præſagit interdum cum veritate.*

Ferrando Comiti Flandriæ Aſtrologus prædicit, quod cum plauſu Gallorum Pariſios intraturus ſit: & ecce! a Philippo II. capitur, & Pariſios mittitur. F. 3. l. 6. fol. 176. O Scrut. 2. Diſq. 3. c. 10.

Conjugi Imperatoris Chinenſis prædicitur, urbem Quintiam potentiſſimam a vito centoculo occupatum iri: Et ecce! Tartarorum bellidux hoc nomine compellabatur. F. 3. l. 6. fol. 185.

Domitianus Aſtrologum, qui ſibi de ſuo exitu prædicere quædam eſt auſus, ita affatus eſt: Dic mihi, quis tandem tuus futurus eſt exitus? Reſpondit Aſtrologus, ſe brevi a canibus laceratum iri! Domitian. ut fidem vaticinii eluderet, confeſtim illum concremari, & cineres illius terra tumulari juſſit. Verum denſus imber extinxit rogum, cadaverque ſemiuſtum abuſtuariis relictum, a ſupervenientibus canibus laceratum fuit. Id audiens Domitianus, jam vitæ diffiſus omnibus fortunæ caſibus obnoxius vixit. O. Scrut. 2. Diſq. 3. c. 9.

Catharinæ Mediceæ Reginæ Galliæ prædictum fuit, eam ad S. Germanum morituram, propterea S. Germani Eccleſiam, quantum poterat, declinabat. Mortua quidem eſt Bleſis, ſed Sacerdos, qui morienti adſtitit, vocabatur Abbas Julianus a S. Germano. Ibid. n. 4.

Galeatio Mariæ Vice-Comiti Mediolanenſi prædixit Aſtrologus, ipſum ex vulnere periturum, quod proprius Vaſallus ipſi eſſet inflicturus: Aſtrologus viciſſim interrogatus a Duce, quo mortis genere ipſe eſſet moriturus? reſpondit, ſe in publico interremptum iri ex trabe ligni cadente. Dux iratus mox illum decollari juſſit. Cum paratur locus, & campanæ pulſantur, ipſeque Aſtrologus concurrente populo ad locum ſupplicii ducitur, ecce! ſub porta palatii cecidit turris quæ Aſtrologum cum aliis interfecit. Dux vero in Feſto S. Stephani in Eccleſia a proprio Vaſallo interfectus eſt. Ib. n. 12.

### 250. *Falſa prædicit ex ſyderum conjunctione.*

Aſtrologi multis ex horoſcopo ſupremam felicitatem vaticinati ſunt, qui tamen in juventute mortui, aut eam felicitatem nunquam aſſecuti ſunt. Econtra multi obſcuris ſyderibus nati ad ſummas dignitates aſcenderunt. VV. art. diſc. font. 94. ex. 4.

Cæſar ab Aſtrologis monitus, ne ante hyemem in Africam navigaret, ſpretis auguriis eo navigiis feſtinavit, & feliciter victor extitit.

Branæ Alexio promiſſa fuit ingens victoria, ſi cum Conrado Marchione Montis Serrati, qui partes Iſaaci Imperatoris tenuit, arma conferret. Verum fuſus periit cum toto exercitu.

Conſtant. Imper. perſuaſus ab Aſtrologo promiſſione certæ victoriæ, in Bulgaros movit, at Cajanus Bulgaror. Princeps in eum irruens ſtragem magnam edidit, & præcipuos Duces, Imperatore vix fuga elapſo, interfecit, atque pecuniam, equos, aulæa, & omnem apparatum regium diripuit. O. Scrut. 2. Diſq. 3. c. 10. n. 5.

Joannes XXI. Pont. Max. ex ſtellarum ſitu vitam ſibi longiſſimam in Pontificatu vaticinatus eſt, quarto vero poſt menſe Viterbii, corruente ſubito ædificii teſtudine oppreſſus interiit.

Alexandro VI. Rom. Pont. Aſtrologi ad annum 1493. vel certo ad annum 1496. vel denique ad annum 1502. ex ejus horoſcopo mortem prædixerunt: cumque ille hos annos feliciter ſupervixiſſet, contrariam viam ineuntes longævam Pontifici vitam augurati ſunt, ſed eo anno Pontifex mortuus eſt.

Ridiculum eſt, quod refert de Chaleſ: Dux Mantuanus de fatis Muli ſui, ſub nomine Baſtardi in Palatio nati conſuluit Aſtrologos Italiæ: plerique conditionem perſonæ attendentes, quem filium ſpurium Principis exiſtimabant, illi dignitates Eccleſiaſticas ominabantur qua prædictione ſe omnibus deridendos expoſuerunt. O. Scrut. 2. Diſq. 3. c. 11. n. 18.

### 251. *Decipit, & decipitur in ſuis vaticiniis.*

Vaniſſimum eſt ex unica figura, ſeu themate Genethliaco ita Nati vitam, actuſque etiam liberos, vitæque accidentia divinare: repugnat talis Divinatio ſacris litteris: *A ſignis cæli nolite metuere, quæ Gentes timent, quia leges populorum vanæ ſunt*. Jerem. 10. Fuit hic error Priſcillianiſtarum, docentium, quod Deus animas, & corpora fatalibus aſtris adſtrinxerit. Damnavit etiam hunc errorem Conc. Toletanum I. in confeſſione fidei, & Sixtus V. in motu proprio, qui incipit: *Cæli & terræ*. Vetant etiam Leges Civiles, de Malef: & Mathemat. Imo ipſi etiam Aſtrologi, inter quos Cardanus: *Aſtrologi, ut Divinatores, homines peſſimi ſunt, deceptores, ac malorum morum*. O. Scrut. 2. Diſq. 3. c. 10. §. 2.

Argumentum efficax eſt illud Chaleſii: ſi humana omnia, eorumque eventus ab aſtris penderent, tunc quicunque ſub eodem Horoſcopo naſcerentur, eoſdem eventus nanciſcerentur, idem vitæ genus, eandem fortunam, & ſimilia. Sed hoc eſt falſum; nam ex duobus gemellis unus moritur ſæpe, alter ſupervivit: ſic Ja-

Jacob & Eſau uno partu ſunt geniti, & tamen eorum ſtudia, indoles, & exitus vitæ diverſa fuerunt. Celebre item exemplum affert S. Auguſtinus de Firmino ſuo amico, qui natus fuit eodem momento, quo filius ancillæ: Firminus tamen vitam honoratam, familia ſua dignam duxit, filius autem ancillæ laborioſam, & multis ærumnis obſcuram egit. Unde recte concludit auctor præfatus: *Ergo aliæ in ſubſidium advocandæ ſunt cauſæ: quod ſi ſemel admittatur, tota ruit Aſtrologia; tot enim concurrent, ut captum mentis humanæ ſuperent*. O. Ibid. n. 5.

## Architectonica.

### 252. *Admiranda Templa, Turres & Palatia.*

SEmiramis uxor Nini ædificat Jovi Belo templum magnificentiſſimum, quod ſtadii unius erat altitudine. C. in Gen. c. 10. v. 8.

Templum Capitolii Romæ 200. pedes altum 800. in circumferentia habet, capit 80000. perſonas & ſe extendit ad octo jugera, erat olim pretioſiſſime ornatum. Templum pacis altitudine 300. pedes, in latitudine 200. continet. F. 1. l. 15. f. 234.

Templum ædificatum ab Herode Aſcalonita erat longum centum cubitis, ex albis marmoribus viginti quinque cubitos longis: obductum erat intus & foris laminis aureis: porticus fulciebantur centum ſexaginta duabus columnis: opus hoc octenni labore perficiebatur, & putant aliqui, id pretioſius fuiſſe primo templo Salomonis. D. 4. 36.

Eccleſia Cathedralis Hiſpali eſt ampliſſima totius Chriſtianitatis. Eccleſia Cathedralis Cordubæ numerat 600. columnas marmoreas. Soli Tabernaculo, ubi Venerabile aſſervatur, quotannis trium millium coronatorum reditus deſtinati ſunt. Poſſunt in hoc templo ſimul & ſemel 365. Sacerdotes ſacrificare, quia habet tot altaria, quot annus dies.

Templum Cathedrale Saliſburi in Anglia tot habet portas, quot annus menſes: tot feneſtras quot annus dies, tot columnas, quot annus horas. VV. art. diſc. font. 24. Ex. 3.

Apud Cavennam templum eſt, quod totum unico ſaxo tegitur, ita ut nemo latius ſaxum in univerſa Europa conſpexerit. Ejus ambitus 100. pedes, craſſities 10. continet. VV. art. diſc. font. 24. Ex. 1.

Templum B. V. Ulmæ ædificatum eſt ſpatio centum, & undecim annorum. In templo Dianæ Epheſi extruendo tota Aſia 220. annos inſumpſit. Templum Mechæ in Arabia tam amplum eſt, ut ejus ambitus dimidium milliare Germanicum obtineat. Templum S. Dionyſii Pariſiis habet tectum argenteum. Valvæ templi D. Joann. Florentiæ ſunt ex ære fuſili, tam raro artificio factæ, ut vix in univerſa Europa habeant ſui ſimiles. VV. art. diſc. font. 29. Ex. 12.

Turris Babylonica alta fuit milliario Germanico. C. Gen. c. 10. v. 8.

Pyramid. Ægypti numerantur inter mundi miracula; in una illarum ædificanda laborabant trecenta ſexaginta hominum millia, & quidem per 20. annos. Quam admirandum tale opus fuerit, ex eo deſumitur, quod ſolum in cepas, alium & rapas a laboratoribus comedi ſolitas expenſa ſint mille octoginta talenta, talentum computando ad ſexcentos ſcutatos. D. 4. 4.

Inter admiranda opera merito cenſeri debent Obeliſci ac columnæ, quas Sixt. V. Romæ operoſe erexit, præſertim columna pyramidalis in area S. Petri coram Vaticano erecta, & S. Cruci dedicata. D. 5. 71.

Turris Eccleſiæ Cathedralis Hiſpali numerantur inter miracula Hiſpanica; poteſt in illius apicem eques commode equitando aſcendere, in ea pendent triginta tres ingentes campanæ.

Nero Imp. tam vaſtum palatium extruxit, ut tota Roma ejus domus videretur, non alia re damnoſior, quam ædificando: tanta ædium laxitas, ut porticus triplices millenarias haberet, cætera auro illita, diſtincta gemmis, unionumque conchis erant. Similis Neroni Caligula fuit, nihil tam efficere cupiebat, quam quod effici poſſe negaretur: exciſi ſunt montes duriſſimi ſilicis, campi montibus æquati, complanata montium juga. Eadem inſania laboravit Tarquin. &c. C. Jerem. 22. v. 13.

### 253. *Admirandi pontes.*

Puer paſtoritius mirandum pontem ſuper Rhodanum Avenione ædificat: urbis Præfectus primo riſit ſimplicitatem pueri pontem deſignantis, & pro fundamento joci cauſa illi ingentem lapidem, quem triginta Viri movere non poterant, aſſignavit. Nihilominus hunc lapidem ſolus puer ad ripam portavit. F. 3. l. 6. in Vita Lud. VII. fol. 173.

Pons ſeu aquæductus Segoviæ habet centum ſeptuaginta ſeptem fornices, ſeu porticus.

In



In Imperio Senenſi pons *Loyang*, cujus longitudo 360. perticas, latitudo ſeſquiperticam continet, totus eſt ſtructus ex ſecto nigricante lapide: Nullum habet arcum, ſed pilas ex lapidibus ſupra trecentas, quæ maximi navigii figuram habent, utrinque in angulum acutum deſinentem, ut minus aquæ alliſionem ſentiant.

In eodem Sinenſi Imperio pons reperitur, a ditiſſimorum parentum filia exſtructus: hæc primis nuptiarum diebus maritum amiſit, cumque denuo nubere apud Chinenſes nefas ſit, mortuis etiam parentibus, cum omnis ſolatii expers eſſet, pontem multis fornicibus diſtinctum extrui curavit, & conſumptis opibus, cum pons abſolutus eſſet, ex illo ſe in aquas præcipitavit.

Carolus Magnus prope Moguntiam impoſuit Rheno pontem ligneum: longus is erat 500. paſſus, in eoque extruendo tota Europa, teſte Aventino, decem anni: laboravit. Uno autem ante Caroli mortem anno tota hæc fabrica igne abſumpta periit trium horarum ſpatio, ita ut præter ſigna infra aquas nil remanſerit.

Mirabilis eſt ſtructura pontis in Gallia dictus *Pont du Grad*, diſtans uno milliari ab urbe *Uſais* in provincia. Sunt autem pontes tres, unus ſtructus ſuper alterum, & quidem inter duos montes altiſſimos: primus & infimus ad radices montium longus eſt 130. paſſus, patet equitibus, & curribus. Supra hunc pontem in medietate alter pons eſt longus 220. paſſus. Tertius continet 35. fornices, ſupra quos canalis eſt, per quem aqua ab uno monte per alium in urbem Nemauſum decurrit. VV. art. diſc. font. 23. Ex. 6.

## Cognitio linguarum.

### 254. *Quomodo orta, quem in finem?*

HEbræam linguam in orbe primam fuiſſe ſatis liquet ex ethymo, & ſignificatione nominum Adam, Eva, Cain, Seth, Babel, Abraham &c. horum enim & aliorum nominum origo, & ſignificatio non ex alia, niſi ex hebræa lingua peti poteſt. Aliæ linguæ, uti Syriaca, ſunt tantum Dialectus ex Hebraica, veluti lingua Gallica, Italica, Hiſpanica, a latina oriuntur. C. Gen. c. 11. v. 1. & ſeq. Deliravit nonnemo, Belgicam linguam fuiſſe in orbe primam, ſed luſus ingenii eſt. C. Gen. c. 11. v. 1.

In confuſione illa turris Babylonicæ Deus non ſingulas linguas, ſed linguarum Matrices infudiſſe cenſetur, ex quibus dein aliæ linguæ natæ ſunt, uti ex Hebræa nata eſt Syriaca, Chaldaica, Arabica. Ex Latina ortum trahunt Italica, Gallica, Hiſpanica. Ex Græca variæ Dialectus, uti Aeolica, Dorica, Jonica, Attica. Ex Illirica oriuntur Polonica, Bohemica, Hungarica. Ex Teutonica conſurgunt Flandrica, Danica, Suecica, Anglica, Scotica. Lingua Germanica merito numeratur inter linguas matrices; quia nepotes Japhet, a quo Germani deſcendunt, confuſioni linguarum apud turrim Babel non interfuerunt, utpote qui jam ante regiones ſeptentrionales occupavere, &c. D. 7. 84.

Omnes nationes laborant pro conſervatione ſuæ linguæ; Claudius Imp. Virum e Lycia in civem Romanum aſſumpſit, ſed poſtquam intellexit, eum linguæ Romanæ ignarum eſſe, iterum excluſit, ne corruptio linguæ in urbem inveheretur. Mithridates Ponti Rex duas & viginti linguas calluit, poterat ſingulis regni ſui gentibus ſine interprete loqui. Filii Principum in exterorum linguis inſtruuntur, ut ſi in exteras regiones nubant, ſine difficultate illis aſſueſcant. Ad intelligentiam S. Scripturæ notitia linguarum eſt utiliſſima; hinc ex juſſu Clementis V. Pont. in Univerſitatibus lingua Hebræa, Græca, & aliæ doceri debent. D. 10. 3.

### 255. *A ſolo Deo; non a dæmone infundi poteſt.*

Cognitio linguæ Hebrææ aut alterius, quam dicitur dæmon aliquibus Anabaptiſtis, & rudibus indidiſſe, habitualis non erat, ſed actualis per modum ſuggeſtionis, ſicuti nos declamantibus carmina ſuggerimus: imo ſæpe loquitur ſolus dæmon prout patet in energumenis: res hæc clara eſt, quia ſi convertantur, aut liberentur, rurſus ad ſuam ruditatem redeunt. C. Gen. c. 11. v. 7.

Sicut creatio, ita confuſio linguarum eſt opus ſolius Dei: Deus autem apud turrim Babel infudit habitus linguarum, ſed tantum matricum; dico matricum, quia ex his cæteræ dein prognatæ ſunt, uti ex Hebraica Syriaca, Chaldaica, Arabica, ex Latina Italica, Valachica, Gallica, Hiſpanica &c. C. Gen. c. 11. v. 7.

Apoſtoli in die Pentecoſtali accipiunt donum linguarum, ita ut omnium linguis loquerentur, ad quos pervenerunt. S. Vincent. Ferrerius lingua Hiſpana prædicans a variis nationibus intelligitur. Similiter S. Anton. Paduanus, S. Bernardin. Senenſis in Concil. Florentin. & S. Xaverius apud Indos a diverſiſſimis gentibus

in-

intelligentur. Cum S. Paulus in Inſula Maltha prædicabat, auditus eſt uſque in Inſulam Gozo duodecim milliaribus diſtantem, illæque gentes converſæ ſunt. D. 3. 85.

Sancti in cœlo creduntur Hebraicam linguam locuturi, quam Deus hunc in finem electis omnibus infundet. D. 10. 63.

S. Ephrem ibat Sanctum Baſilium viſurus, cum ergo a S. Baſilio Divinitus cognitus & invitatus fuit, ante omnia doluit, quod græcam linguam non calleret, ut Baſilio loqui poſſet: Orarunt ambo, & ecce S. Ephrem terſiſſime cæpit græce loqui. Sanch. 5. part. c. 4. fol. 459.

## Medicina.

### 256. *Non valet contra mortem.*

REx David. cum decem plagas Ægypti recenſet, ſpecialiter memorat moros omnes fuiſſe a pruina deſtructas. *Et moros eorum in pruina.* Cur ſingulariter ad animadverſionem adjungit? Reſpondeo quia mori alias contra pruinas ſecuræ ſunt, ideo addit Pſalmiſta, etiam has contra pruinas Dei punientis non fuiſſe defenſas. O quot homines ſunt, qui velut mori contra pruinas, ita illi contra morbos ſe propugnant, & tamen *non eſt conſilium contra Dominum*, ait Labbata, omnes ſolicitudines, & præcautiones contra ſubitaneum morbum non valent. B. Serm. 25. n. 27. ſeq.

Labb. P. Mors pro-poſ. 4.

Medicina ars eſt uſitatiſſima. Gonnella a Duce Ferrarienſi quæſitus, quænam ars maxime vigeret? reſpondit: Medicorum! fidem non dante Duce, ſimulavit dentium dolorem, ſic ſtans ante fores templi ultra trecenta remedia conquiſivit. T. n. 214. Sic aliis morbis fere nemo eſt, qui non remedium ſciat. Et ad quid tot conſilia? Nihil proſunt.

Quamquam autem ita ſit, tamen honorandus eſt Medic s, dicente Eccleſiaſtico: *Honora Medicum propter neceſſitatem*, vi hujus honoris debetur illi Reverentia, Obedientia, & ſuſtentatio perſonæ condigna. Contra hunc honorem debitum agunt, qui in morbis acceſſunt circumforaneos impoſtores, empyricos periculoſos, & feminas ſuperſtitioſas, ſed ſuo damno, qui vitæ & conſcientiæ noxam incurrunt. Sed quid prodeſt Medicus, cum non valeat contra mortem? reſpondeo, prodeſt contra morbos, ad quod ex Dei ordinatione majorem habet virtutem, quam miſeri hi agyrtæ, & deceptores. C. Eccli. 38. v. 1.

Eccli 38.

*Da locum Medico; etenim illum Dominus creavit, ut non diſcedat a te;* Deus enim vult ſua beneficia homini largiri non per ſe ſolum, ſed homine cooperante: ita, ut adhibeat media, a Deo & natura præſcripta, &c. C. Ibid. verſ. 12.

Idem v. 12.

### 257. *Contra varios morbos valet.*

Dicitur, quod radix aſpargorum dentium dolorem, allium clauſa manu, ſeu pugno retentum cordis ſingultus, perſicaria fluxum ſanguinis domet. D. 7. 30.

Allium prodeſt contra venena, contra vermes, contra ructus ſtomachi, contra tuſſim provenientem ex frigore, facile reſolvitur, & facile pertranſit. D. 11. 66.

Lapis Bufonius contra peſtilentes & venenoſos tumores præſtantiſsimum eſt remedium. VV. Art. Diſc. Font. 24. ex. 14.

In Lypothymia tum ex reſolutione ſpirituum, tum ex eorum oppreſsione, ſi labia fricentur ſale, præſentiſsimum eſt remedium. VV. art. diſc. font. 48. ex. 2.

Margaritæ ſiccant corporis humiditates, roborant cor, recreant ſpiritus, valent contra ſyncopen, melancholicos affectus, morbos peſtiferos, capitis vertiginem, & ſanguinis fluxum. VV. Art. diſc. Font. 48. ex. 11.

Roſæ ſilveſtris radix, morſibus rabidorum canum medetur. In Lacetania miles a rabido cane morſus, roſæ radicem in lacte bibens ſervatus eſt, & deinceps ſanati ſunt omnes, qui eo remedio uſi fuerunt. VV. Art. diſc. Font. 58. ex 3.

Tempore contagioſæ luis expedit exſuccati bufonis exuvias e collo gerere; quia hæ venenum omne in ſe attrahunt.

Denique panacea optima contra quoſcunque morbos, aliaſque afflictiones, eſt pia vita Chriſtiana, & ardens confidentia in Deum Creatorem & Conſervatorem noſtrum, in cujus manu eſt vita & mors omnium hominum. Sic S. Gorgonia morbum quo laborabat, cum Medicos admittere nollet, Euchariſtiæ ſumptione miraculoſe ſanavit &c C. Eccli 38. v. 11.

### 358. *Quibus remediis vitam, & ſanitatem prolonget.*

Dicitur, quod mel, oleum, crocus, butirus & ſimilia mire ad conſervationem vitæ conducant. Joannes de temporibus, qui vitam ad trecenteſimum annum produxit, quæſitus, qua ratione ſe conſervaſſet? repoſuit: *Extra oleo, intus melle.* Sic etiam crocus habet oleoſitatem & calorem cordi humano valde amicum. Moderatione tamen opus eſt; quia exceſſus grandia cauſare poteſt nocumenta. Vv. Art. diſc. Font. 15. Ex. 8.

Opobalſamum mira virtute eſt præditum contra omnes fere morbos, & præſertim contra vulnera. Vv. Art. diſc. Font. 41. Ex. 7.

Acetum ex ſquilla confectum miræ eſt virtutis ad vitam conſervandam: ſiquis quotidie parum biberit, ejus faucium & oris partes nunquam male valebunt, facile ſpiritum trahet, oculi acutiſſime cernent, cibum belle conficiet, & nihil malignitatis in ſtomacho remanebit. Vv. Art. diſc. Font. 41. Ex. 8.

Matthiolus l. 2. c. 168.

De Rhabarbaro, quod ex ſola China provenit, mira narrantur, & ſequentes verſus habentur: Calfacit & ſiccat, ſtringit Rhabarbarum & Alvum ſolvit, & eſt pueris, gravidis benedicta medela, viſceraque obſtructa hoc aperit, bilem & pituitam purgat, conducit ſtomacho, confortat & hepar, ſanguis & ex illo fit clarus, ſputa cruenta ſiſtit, dejectoque juvat, ruptiſque medetur & diſſenteriis confert. Vv. Art. diſc. Font. 41. Ex. 14.

Optimum autem conſervandæ valetudinis remedium eſt prudens *Dieta*, ſeu in cibo & potu exacta frugalitas, quæ docet moderari etiam ſomnum & vigilias, repletionem & exinanitionem: attendendum naturale deſiderium, nec extendendum ultra ſatietatem, nec adhibendum aliter quam expediat. Intemperantia & ebrietas ſunt ſica, quæ morbos & præmaturas mortes cauſant, juxta illud: *Plures occidit gula, quam gladius!* Quibus accedere etiam debet moderamen paſſionum animi, præſertim iræ, concupiſcentiæ & ſimilium, quæ ſi exuberanter inardeſcere permittuntur, lethales morbos, morteſque ante tempus poſt ſe trahunt, prout teſtatur experientia, &c.

## Muſica.

### 259. *Quantæ virtutis & efficaciæ ſit.*

AMphion Thebanus, Arion Metimnæus, Orpheus Thracicus ſilvas, lapides, & feras movebunt. David cythara malignum ſpiritum compeſcit. S. p. 30. f. 705.

Boethius teſtatur, cantu ſuaviſſimo juvenem furentem fuiſſe mitigatum. Xenophon cytharam aſperis ſonis pulſans Alexandrum ad arma concitat. S. p. 30. fol. 706.

Spiritus malus Saul compeſcitur per muſicam. Theodoſius Imperator contra cives Antiochenſes gravi ira exarſit, ſed muſica, quam Flavianus Epiſcopus ſupra menſam adornaverat, ita placatus fuit, ut commiſerationis lacrymas fuderit. Aliquis juvenis in Dania poterat homines ad rabioſum furorem muſica commovere. Qui a Tarantula intoxicati ſunt, per muſicam ſanantur. D. 2. 80.

Hanlinius obſidens urbem Lu, & audiens incolas voce & organis canentes, conjecit inde, in urbe vigere bonos mores, & confeſtim juramentum reſcidit, exterminandi urbem incendiis & rapinis. En! muſica conſervavit urbem ab interitu. T. n. 235.

Mulier ex bonis perditis ad inſaniam redacta, & ſibi ipſi violentas manus injectura, amæno teſtudinis luſu ad mentem, & manſuetudinem revocatur. T. n. 236. & ſeq.

Pythagoras cum in homines ebrios incidit, confeſtim juſſit *Doricum* canere (eſt ſpecies cantus exhilarantis) itaque crapulam ac temulentiam diſcuſſit, ut illi corollas capite detraxerint, ſeque ad modeſtiam compoſuerint. Eundem in finem Veteres inter convivia muſicam inſtruxerunt, ut convivæ exhilarentur, & lites, ac rixæ, ex vino ortæ, ſopiantur. C. Eccli. 32. v. 5.

Quanta ſit vis Muſicæ ex eo patet, quod non tantum homines lætificet, ſed etiam beſtias cicuret: Cervi fiſtulis capiuntur: cygnos hyperboreos cytharæ cantus adducit: Elephantes Indici Organi voce demulcentur: fiſtulis aves alliciuntur: Delphinis cytharæ ſonus amicitiam hominum perſuadet; cantu attrahuntur ſerpentes: Item Veteres muſica febres curabant: ad ſedandas animi affectiones tibias adhibebant: Organicis modulis lymphaticos ad mentem reducebant. C. Eccli. 32. v. 5.

### 260. *Vana in templo illaudabilis.*

Monachus non in humili pſalmodia, ſed in vocis artificio ſibi complacens in choro ab apparente dæmunculo laudatur, dicente: O bene! O bene cantatum! E. Verbo *Cantus* n. 1.

Memorat P. Georgius Stengelius, ſe in Convictu Ingolſtadienſi vidiſſe virum brachiis & manibus carentem, qui in menſam inſiliens excuſſis calceis, pedum digitis organum ſcitiſſime pulſabat. Si famulus, qui folles attollebat, negligentior fuerit, plano pede excuſſam illi alapam dabat. Lohner Tom. 3. in Append. Hiſt. n. 299. Sic fit, quæ artificioſa, aut inſolita ſunt in muſica, admiramus! cum peregrinus Cantor, Che-

Stengel. l. de Monſtris c. 16. §. 9.

Chelyſta aut Organædus artem ſuam in templo producit, omnes concurrunt, & arrectis auribus artem auſcultant: interim dum mirantur & confabulantur, rem Divinam inter ultimas curas reponunt.

Attendendum eſt, ait Cornelius a Lapide de Muſica in templo, ne cantus ſit levior aut laſcivior, qui potius petulantiam, quam devotionem provocet ac potius aures titillet, quam mentem ad Deum attollat. C. Eccli. 32. v. 5.

In Haſelina regione fons, dum ſilebant omnia, quietus & tranquillus erat: cum autem Muſica fiſtulæ aut tibiæ inſonabat, ſubſultare, & æſtuare aqua intumeſcens ſolebat. Eccleſia cæleſtium gratiarum fons eſt, ubi Deus reverenti ſilentio adoratur. Cum autem Muſica aut vox inſolitum in modum criſpata inſonat, tota orantium orcheſtra turbatur, attolluntur capita, videtur, garritur, & ea, quæ in verbo Dei percepta ſunt, oblivioni traduntur. C. Eccli. 32. v. 5.

Olim in primitiva Eccleſia in convivio, quod Agape, ſeu convivium dilectionis aut Euchariſticum vocabatur æque adhibebatur muſica ſeu cantus. Sic dicit
Col. 3. v. 16. S. Paulus: *Verbum Chriſti habitet in vobis abundanter, in omni ſapientia docentes, & commonentes voſmet ipſos Pſalmis, Hymnis, & Canticis ſpiritualibus, in gratia cantantes in cordibus veſtris Deo.* Item alibi:
1 Cor. 14. v. 26. *Unuſquiſque veſtrum Pſalmum habet &c.* Item Tertullianus: *Poſt aquam manualem & lumina, ut quis de Scriptura Sacra, vel proprio ingenio poteſt, provocatur in medium Deo canere, hinc probatur, quomodo biberit &c.* Utut autem ita ſit, hæc muſica, ſeu cantus erat ad modeſtiam, ad exhilarationem ſanctam, ad probandam ſobrietatem; nunc autem reſonant tubæ & tympana cum martiali ſtrepitu, ad plauſum potius principum, quam Dei honorem. C. Eccli. 32. v. 5.

## Philoſophia.

### 261. *Confunditur a veritate Chriſti.*

HÆreticus Philoſophus, Arii aſſecla, in Concilio Nicæno acutiſſime oppugnat æqualitatem Filii cum Patre Divino: fere omnibus obmuteſcentibus S. Spiridion ſimpliciſſimus Epiſcopus ſurgit, & nudam veritatem fidei, nimirum Filium eſſe æqualem & conſubſtantialem Patri recitando, Philoſophum ita confudit, ut victum ſe publice profeſſus ſit. B. Serm. 59. n. 5. ſeq.

Caveant profani, & ſcioli Philoſophi, qui in argutiis & ſubtilitatibus ſuis confidentes, quibus ne unius floſculi geneſin intellectu capere ſciunt, etiam ipſis fidei veritatibus ſeſe opponere, aut in dubium ſaltem vocare audent, caveant, ne decepti & illuſi olim cum pudore & tremore confundantur. Quid prodeſt Terræ magnitudinem, diametrum, circumferentiam, fertilitatem, aliaſque proprietates ſcrutari, & ſimul terrena cæleſtibus poſtponere? Quid prodeſt aeris gravitatem, effluvia, virtutem elaſticam, aliaque phænomena æſtimari, & ſimul negligere aerem illum, quem Chriſtus Dominus in Apoſtolos ad ſuam, aliorumque ſalutem inſufflavit? Quid prodeſt Ignis operationes, incendia, ſubterraneos caminos, fumorum evaporationes, effectuſque terribiles profunda conſideratione perpendere, & nihil de igne caritatis habere in corde, æternumque denique incurrere incendium? Quid prodeſt de aquæ, fontium, lacuum ipſiuſque Oceani profunditate, origine, ſalſedine, aliiſque qualitatibus diſputare, & ſimul ſuſceptæ in aqua Baptiſmali obligationis oblivisci? Quid prodeſt, contentioſe litigare, an in rerum natura dari poſſit vacuum, & olim cum anima caritate, & meritis vacua coram Divino Judice comparere? Eheu! nihil prodeſt niſi ad confuſionem, & damnationem æternam! &c.

### 262. *Sæpe eſt nocivus & inanis clamor, in Diſputationibus.*

S. Paulus monet: *Noli Verbigerare*, id eſt inutiles quæſtiones de nomine evita, quæ ad veritatem non faciunt: S. Auguſtinus ait: Verbis contendere eſt non curare, quomodo error veritate vincatur, ſed oſtentare ſcientiam, doctior aliis videri, victor aut ſuperior evadere velle, quod juvenum eſt, & elati animi. S. punct. 121. fol. 376. in fine.

In Diſputationibus eouſque progrediendum, donec veritas emergat, quæ ubi patuerit, eſt quieſcendum. Virulenta victoria eſt, ubi cum viceris perdas amicum, ait Lipſius. *Honor eſt homini, qui ſeparat ſe a contentionibus*, ait Salomon, & tu inhonoratum te putas, niſi centies ſubſummas, &c. S. punct. 121. fol. 378.

*Quæ de ſurſum eſt ſapientia primum pudica eſt, deinde pacifica, modeſta, ſuadibilis, bonis conſentiens.* S. punct. 121. fol. 378. in fine.

Hac forſan de cauſa Philoſophia a multis odio habita fuit. Petilius Romanus li-



bros Philoſophicos caſu in effoſſa terra inventos comburi juſſit. Romani ſub Conſule Cajo Phannio Strabone prohibent Scholas Philoſophicas, putantque operam melius collocari, ſi juventus ad arma & agriculturam erudiatur. Sub Domitiano Philoſophi tanquam morum corruptores ex urbe relegantur. Antiochus juſſit juvenes, qui cum Philoſophis deprehenſi fuerint colloquia & diſceptationes facere, in crucem agi &c. D. 8. 97.

Habet inutiles, ſapiente indignas quæſtiones: Sic Philoſophus ad Abbatem Pachomium quæſivit, 1. Quis eſt ille qui natus non eſt, & tamen mortuus? reſp. Theodorus Monachus: Adam. Quæſivit 2. quis eſt natus & non mortuus? Repoſuit, Henoch. Quæſivit 3. Qui mortuus & non putrefactus? Reſp. Uxor Loth. Verum deſine hæc curioſa ſcrutari, & potius indaga legem Chriſti de qua judicaberis. Cum S. Barnabas Romæ Chriſtum prædicaret, acceſſerunt ſtudioſi & interrogarunt, cur elephas ſit tam magnus, muſca tam exigua, ille quatuor pedes, iſta cum ſex pedibus alas haberet? S. Barnabas pergebat in ſacra ſua doctrina, & demum repoſuit, ante omnia quærendum eſſe regnum Dei. S. Edmundus deditus erat Matheſi, ejus Mater apparuit illi in ſomno & manu ejus apprehenſa duxit circum dicens: *Pater*. Duxit alterum, dicens: *Filius*. Duxit tertium dicens: *Spiritus Sanctus*. Qua re docuit illum relicto vano ſtudio ſanctis rebus inſiſtere. Regum quidam induſtrie exploravit, quid in corbibus ſuis agerent apes. Abbas Pœmen cuidam argutas ſubtilitates loquenti edixit: Hæc nihil proſunt, &c. Sanch. 5. p. c. 3. fol. 440. ſeq.

### 263. *Concluſiones ſyllogiſticæ in Scriptura.*

Deus ad Ezechielem: *Fac concluſionem.* Qualem? de peccatoribus ait Card. Hugo: *Propoſitio eſt peccatorum, aſſumptio tranſgreſſionum, concluſio æternorum ſuppliciorum.* Eodem modo loquitur Bernardus. Deus oſtendit Ezechieli librum, in quo erant *lamentationes, carmen, & væ*, hæc tria, ait Cardinalis Hugo ſibi videri ut ſyllogiſmum, in quo Major loquitur de pœnitentia: Minor fit ab homine inter delicias: concluſio eſt de pœnis: Dominus lamenta proponit, & nos ſequimur carmina, & ideo concludit væ æternum. B. Serm. 13. n. 7. Serm. 2. n. 26.

*Arguet mundum de peccato, de juſtitia, & judicio:* Ubi Card. Hugo: *Et formatur ſic argumentum Spiritus Sancti: peccatum fecit, juſtitiam omiſit: ergo judicium damnationis incurrit.* B. Serm. 20. n. 11.

Fides eſt *argumentum non apparentium:* Ubi Peraldus: Fides primo proponitur: Secundo vitæ rectitudo aſſumitur, ex quibus vita æterna concluditur. B. Serm. 40. n. 8. Serm. 51. n. 8.

Ultima concluſio, quæ omnes homines exſpectat, eſt felix, vel infelix mors. Quæris, quæ tua futura ſit? intuere præmiſſas, id eſt, vitam anteriorem! ſi præcedat continuum virtutis exercitium, viva fides, firma ſpes, ardens Dei & proximi amor, pœnitentia de peccatis, & jugis mortificatio ſuarum paſſionum, concluſio eſt in forma: Ergo hic homo ſalvandus erit! Si vero præcedant ſcelera gravitate & numero maxima, voluptates terrenæ, & oblivio rerum cæleſtium, infelix concluſio eſt iſta: Ergo hic homo damnabitur! æternum peribit! &c.

Sicut Mundus habet ſuos paralogiſmos pro divitiis, pro voluptatibus, pro honore terreno; ita ſapientia ſyllogizat contra mundum, contra divitias, contra voluptates &c. C. Ep. S. Jac. 2. v. 4.

### 264. *Quantos errores vendiderit in profanis Philoſophis.*

Plato docuit, Deum eſſe corporeum: Deum eſſe animam mundi, quæ magno ejus ſe corpore miſcet. Deos quoſdam eſſe juniores, & minores: animas corpori præextitiſſe, & in corpore quaſi in carcere prioris vitæ ſcelera luere: In Republica uxores debere eſſe communes: hominum, animalium, ſæculorum, rerumque omnium fore revolutionem, ita ut poſt decem annorum millia iidem hic omnes ſtudentes, docentes, audientes ſedeamus, &c.

Pythagoras docuit a corpore in corpus jam hominis, jam pecudis tranſmigrationem: unde de ſeipſo mentitus eſt:

*Ipſe ego me memini Trojani tempore belli*
*Panthoides, Euphorbus eram, cui pectore quondam*
*Hæſit in adverſo gravis haſta minoris Atridæ.*

Antiqui Philoſophi fuerunt impuriſſimi, & inſuper docuerunt, libidinem, etiam ſpurciſſimam, eſſe neceſſariam, & inevitabilem; talis fuiſſe perhibetur Socrates, Plato, Periander, Theodorus, Ariſtippus, Demetrius, Diogenes, Zeno, Epicurus, & alii &c. C. Rom. c. 1. v. 26.

Ariſtoteles primum Motorem orienti

affigit: aſſerit eum moveri fato, & naturali neceſſitate: mundum hunc eſſe ab æterno: futurorum contingentium non eſſe determinatam veritatem, Deum ea determinate non ſcire, animæ vero immortalitatem, Deique Providentiam ita obſcurat, ut intelligi, & explicari non poſſit, dictus propterea ab aliquibus carnifex ingeniorum &c. Corn. Gen. Encom. in S. Script. n.15.

Strato Lampſacenſis docuit, Mundum ingenitum fuiſſe, & ſuapte vi ab æterno extitiſſe. Stoici cum Platone docuerunt, mundum conditum eſſe ex materia æterna, ingenita, Deoque coæva. Peripatetici, Deum non libere, ſed ex neceſſitate naturæ mundum ab æterno curaſſe. Epicurus, mundum fortuita atomorum conjunctione fuiſſe productum. C. Gen. c.1. v.1.

Epictetus putavit humanam animam eſſe avulſam Divinitatis particulam. C. Gen. 2. v.7. fol. 65.

Platonici commenti ſunt, certa ſyderum revolutione peracta omnes omnino cauſas, & effectus redituros, puta eoſdem homines, urbes, ſcholas, cujus revolutionis ſpatium vocabant annum magnum, eumque concludebant triginta ſex annorum millibus, quo nempe ſpatio crediderunt peragi curſum nonæ ſphæræ ab occaſu in ortum. O. Scrut. 2. Diſq. 3. c. 13. §. 4.

### Theologia.

### 265. *Unice ſe fundet in Scriptura Sacra.*

REginaldus Polus Cardinalis quondam diſſeruit, ſcientiam Sacram Scripturarum unicam eſſe, in quam homines litteratos, præſertim Theologos incumbere oporteat. Excepit alius, quod aliis ſcientiis, tanquam ancillis uti poſſimus & debeamus. Repoſuit Cardinalis: *An neſcis Agar propterea, quod ancilla eſſet, domo ejectam fuiſſe?* A. 1. lect. 1. n. 23.

Theologia ſcientia eſt, quæ ſuas concluſiones ex principiis fide certis deducit, ideoque ſcientiarum omnium nobiliſſima, ſimul ac certiſſima eſt, principia vero fidei fidemque ipſam Scriptura complectitur. Unde ſequitur quod Scriptura Sacra Theologiæ principia ſubminiſtret, quibus Theologus ſuas demonſtrationes mentis ratiocinio, ceu Mater fœtus novos gignat, atque perficiat. Unde qui Theologiam a Scriptura Sacra divelli poſſe putat, prolem ſine matre, domum ſine fundamentis, aquæductus ſine ſcaturigine, ſegetem ſine ſemine, concluſionem ſine præmiſſis fruſtra ſperat & exſpectat. C. Encom. S. Scripturæ n. 5.

S. Dionyſius de Deo & rebus Divinis diſputans Sacræ Scripturæ ut principio ſemper inhæret. Inter alia dicit: nulla ratione præſumendum eſt, aliquid de ſecretiſſima Deitate dicere, aut cogitare, præter illa, quæ nobis ſacra eloquia tradiderunt. C. Ib. n.6.

Theologia eſt habitus ſupernaturalis verſans circa Deum & Divina, præ aliis ſcientiis id ſpeciale habet: 1. Quod ſit *certior* cæteris; quia aliæ ſcientiæ certitudinem ſuam habent ex lumine naturali rationis humanæ, quæ decipi poteſt: Theologia vero ex lumine ſcientiæ Divinæ, qui falli & fallere neſcit. 2. Quod ſit *Dignior* aliis ſcientiis, eo quod dignitate objecti, & certitudine aſſenſus, & ratione finis, ad quem ordinatur, ſcilicet æternæ beatitudinis excellentia longe ſuperet ſcientias naturales. 3. Quod ſit *utilior* aliis ſcientiis, uti ex ipſa experientia colligitur, quia ad ſalutem animarum, ad Eccleſiæ incrementum, & ad extirpationem hæreſum conducit: certe ſatis compertum eſt, quantum detrimentum Eccleſia ex neglecto Theologiæ ſtudio paſſa ſit Religio Catholica, & quantum ex eo reſtituto hæreſibus repagulum, frœnumque injectum ſit. Jam vero has prærogativas Theologia, certitudinis, dignitatis, & utilitatis, habere non poteſt, niſi ex fundamento Scripturæ, ſeu Verbi Divini, ut conſideranti patebit &c.

### 266. *Cauta ſit in ſententiis probabilibus.*

S. Apoſtolus Paulus hortatur Chriſtianos: *Sic ambuletis, ut abundetis magis.* 1. Theſſ. 4.
Vult dicere: oportet Chriſtianum non id ſolum ſtricte operari, quod Deus præcipit, ſed ſuperabundanter ſupra legem operari, & quaſi augmentum adjicere, cum in modum, quod ager non tantum reddit ſementem acceptam, ſed multiplicat. *Oportet*, ait S. Chryſoſtomus, *non in acceptis tantum præceptis conſiſtere, ſed etiam* S. Chryſ. hic.
*tranſcendere.* Liberalem oportet eſſe erga Deum, & legem non ad litteram, ſed ad abundantiam obſervare.

Audi quid Pſalmiſta ajat: *Quoniam non* Pſ. 70.
*cognovi litteraturam, introibo in potentias Domini.* Nempe multis litteratura cedit in laqueum, quibus carentia litteraturæ ceſſiſſet in ſalutem. Eo ipſo, quod ſcientia inflentur, quaſi negotiantur cum Deo, legem illius pro libitu torquent, actiones ſuas excuſant; hinc Pagninus legit: *Quoniam non cognovi negotiationem*, ſalvus ero. O quantum periculum in his & ſimilibus argumentis: Hoc non comprehenditur ſub lege! hoc non excedit rationem peccati venialis! eſt probabilis, eſt credibilis ſententia! &c. qui tam avare cum Deo procedunt, merentur, ut & Luc. 6.
Deus in ſuis gratiis eadem menſura illis remetiatur. B. Serm. 48. n. 19.



Ex interfectoribus Chriſti nullus erat, qui non ſceleri excuſationem obtendere noſſet. Judas ait: Ego quidem vendidi, ſed venditionem revocavi! Synagoga ait: Ego accuſavi, ſed non condemnavi: *Nobis non licet occidere quemquam.* Pilatus ait: Ego omnem lapidem movi, ut eum in libertatem reſtituerem! Ecce! Chriſtus occiditur, & nemo vult eſſe occiſor! Ita hodiedum fit apud multos temerarios! confidunt in ſuis dictaminibus, actionibus ſuis, ſæpe peſſimis, varios probabilitatum colores illinunt, juſtitiam lædunt, Deum offendunt, & tamen ſe putant eſſe excuſatos! B. Serm. 50. n. 34.

Dicis forſan, te hujus vel illius libri auctoritate niti? At Deus te non judicabit ſecundum illum librum, ſed judicabit orbem terrarum in æquitate, & *populos in veritate ſua, non in tuis ratiociniis*, ait Labbata. Erat tunc ſententia probabilis de pluralitate Beneficiorum, quando tempore Dionyſii Carthuſiani ille Cancellarius Pariſienſis mortuus & damnatus eſt. Apparuit poſt mortem Epiſcopo totus igneus, interrogatuſque de cauſa ſuæ damnationis repoſuit: Perii, quia meæ opinioni, contra monita, & conſilia aliorum inhæſi. B. Serm. 57. n. 24.

Adam comedit pomum, quia ſententiam probabilem ſibi formavit, non eſſe peccatum, niſi forſan veniale. M. conc. 28. §. 1. n. 7. C. Gen. c. 3. n. 6.

Sicut ludus canum cum felibus, & felium cum muribus tandem in occiſionem deſinit: ita a re levi ad gravem, a probabili ad improbabilem facile tranſitur. conc. 28. §. 1. n. 9.

S. Bonav. ait: *Arbor ſcientiæ multos privat arbore vitæ*; Melior eſt ergo ſancta ſimplicitas, quam alta ſcientia! In quo conſiſtit hæc ſimplicitas? in cæca obſervatione mandatorum! Quidam ſimpliciſſimus Frater, uti habetur in Revelationibus S. Birgittæ per triennium infirmus nil aliud dicere auditus eſt, quam *Deſidero! Deſidero! Deſidero!* Quæſitus quid deſideraret, repoſuit, *Deum!* poſt mortem illius dixit Dominus ad Birgittam: Quia Magiſtri nolunt ad me venire, ideo colligo pauperes in regnum cælorum! &c. March. Hort. Paſt. de Car. tr. 2. l. 2. prop. 1.



### 267. *Quid ſentire debeat de ſententiis benignis.*

Medio tutiſſimus ibis! *In Directione propriæ conſcientiæ*, omnino conſultum eſt, ſuadendumque omnibus Chriſtianis, ut non tantum probabiliora, ſed & ſecuriora eligant, præſertim in caſu, quo actu, ſeu ſub ipſa operatione agnoſcunt, contrariam ſententiam eſſe probabiliorem; quia tunc videtur fieri non poſſe, ut omnem formidinem in contrarium e conſcientia ſatis excludant. Quodſi *in Directione alienæ conſcientiæ* id fieri non poſſit, v. g. ſi confitens ſuæ opinioni ex prudenti ac ſolido fundamento inhæreat, relinquendus eſt in bona fide, nec poteſt ſine injuria privari Abſolutione; quia Benigniſmus, ſeu ſententia in materia morali minus quidem, ſed vere ac Theologice probabilis non rejicienda, ſed tuto etiam in praxi amplexanda eſt. Loquor hic cum reverentia & reſpectu aliter ſentientium, unice ad Dei gloriam, & animarum ſalutem, præſertim in arcano confeſſionis tribunali.

Supponitur autem 1. Quod pure quæſtio ſit de honeſtate, & licentia actionis, & non ſubſit periculum, aut præjudicium proximi in vita, fama, & fortunis; hinc Romana ſedes hac in materia decidit, Judici, Medico, & Miniſtro Sacramentorum non licere amplecti minus probabilem, propter præjudicium tertii. 2. Supponitur, quod non conſtet, ſed vere dubium ſit de exiſtentia legis contrariæ. 3. Quod operans agat cum timore Domini, & bona fide, paratuſque ſit omittere hanc actionem, ſi ſciret dari legem prohibitivam, Divinam, naturalem, aut humanam.

Sententia hæc videtur eſſe venerabilis, & tuto amplectenda. 1. Quia a tribus omnino ſæculis & amplius, a Doctoribus virtute, & ſcientia excellentiſſimis, in omnibus fere Academiis, & Scholis publicis, imo in ipſa urbe Romana, non reclamante Pontifice tradita eſt, tanto in numero, ut numerum contra ſentientium decuplo certe ſuperent. Quis credat tot Doctores virtute, & ſcientia inſignes improvide egiſſe, præſertim cum omnes fere Sacri Ordines mitiorem hanc ſententiam tenuerint, & plerique hodiedum teneant?

2. Romanus Pontifex duplicem hac in re deciſionem dedit: Non dari obli-

gationem ſemper eliciendi tutiorem, nec licere operari ſecundum opinionem tenuiter probabilem: Ergo ſententiam vere probabilem, ceu mediam inter utramque non reprobavit; quia expreſſio unius, virtualis excluſio alterius.

3. Sententia vere probabilis conſolidari, & firmari poteſt per dictamen reflexum, certum, & excludens omnem formidinem periculi in contrarium, quod ſic ſonat: Quando prudenter ago, id eſt, ex rationibus tam ponderoſis, quæ poſſunt Virum prudentem, & conſcientioſum commovere ad rationabilem aſſenſum, tunc non pecco: Atqui hic & nunc in his circumſtantiis ago prudenter, id eſt, ex rationibus tam ponderoſis, quæ poſſunt virum prudentem ac conſcientioſum commovere ad rationabilem aſſenſum: Ergo non pecco. Major certiſſima eſt; quia omne peccatum eſt actus imprudens, conſequenter quando prudenter ago, non pecco. Minorem igitur negant adverſarii, ſed negari non poteſt, nec indiget probatione; quia mihi eſt experimentaliter certa coram Deo, & conſcientia, & inſuper ſcio, quod bona fide, & ſine dolo agam.

4. Si daretur obligatio amplectendi probabiliorem, daretur etiam obligatio inquirendi in probabiliorem: ſed hæc obligatio eſt impoſſibilis, tam litterato, quam rudi; Litterato quidem, quia omnes Doctorum ſententias, eorumque rationes deberet memoria tenere. Rudi vero, quia ne quidem ſcit, quid ſit magis aut minus probabile! Et quis eſt, vel ubi eſt curator animarum, qui hactenus operam dedit inſtruendi rudem populum in hac obligatione? Hinc promovetur argumentum: ſi daretur obligatio eligendi probabiliorem, tunc operans v. g. civis celebrans contractum, deberet certo ſcire, ſuam actionem eſſe probabiliorem; alias operaretur in dubio, adeoque peccaminoſe. Sed hoc certe ſcire non poteſt; quia id judicandi nullum certum haberet fundamentum. Quodſi conſulere poſſet Confeſſarium Probabiliſtam, dicet iſte actionem, ſeu contractum eſſe licitum: ſi conſuleret Anti-probabiliſtam, dicet eſſe illicitum, & ſic redigeretur ad ſcrupulos & animi perplexitatem! quanta abſurditas!

Dices 1. Electio minus probabilis non eſt actus prudens in concurſu probabilioris? Reſp. Nego: nam probabilior non enervat minus probabilem; hæc enim virtutem ſuam motivam in concurſu etiam probabilioris retinet: Luna etiamſi incomparabiliter minor ſit ſole, tamen dicitur *Luminare Magnum*: Ergo etiamſi ſententia *A* ſit minus probabilis in comparatione probabilioris *B*, tamen retinet virtutem magnam commovendi virum prudentem ad aſſentiendum. Et quæſo, ubi? ubi datur obligatio ſic comparandi utramque opinionem, & indagandi in probabiliorem? Quis dabit nobis diſcerniculum dogmatice certum, quænam ex duabus opinionibus ſit magis aut minus probabilis? S. Bonaventura docet, hominem Chriſtianum poſt lapſum in peccatum mortale ſtatim obligari ad eliciendam contritionem, S. Thomas hanc obligationem negat: qua trutina jam librabimus, quiſnam ex duobus his Sanctis fuerit ſanctior, quiſnam doctior? Sed inſtabis! ſaltem inter rationes pro & contra facile diſcerni poteſt, quænam ſit gravior, quænam levior! Reſp. iterum Nego! forſan ratio pro, quam Petrus judicat probabiliorem, Paulo videtur minus probabilis! forſan, quod apparet probabilius, eſt omnino falſum; quia falſa, juxta Philoſophum, ſæpe ſunt probabiliora veris! forſan, quod hodie mihi probabilius eſt, cras erit minus probabile; quia multæ ſententiæ probabiliores factæ ſunt minus probabiles, & viciſſim: Sic tempore S. Bonaventuræ fuit Sententia probabilior, quod bonum inventum non comparente Domino debeat diſtribui in pauperes, hodie eſt improbabilis: conſequenter daretur abſurdiſſima variatio in operando: hodie poſſem inire hunc contractum, cras non poſſem: hodie poſſem abſolvere pœnitentem, cras non poſſem, & pœnitens apud Probabiliſtam abſolveretur, apud Probabilioriſtam non abſolveretur, quod prorſus eſt ineptum. Urgebis ulterius: Eſt imperceptibile, quomodo conſcientia operantis per opinionem minus probabilem tranquillari, & extra formidinem poni poſſit? Reſpondeo cum diſtinctione: hoc eſt imperceptibile, ſi ſermo ſit de dictamine directo, quod eſt mere probabile, concedo! ſi ſermo ſit dictamine reflexo, quod eſt omnino certum prout ſupra probatum eſt, Nego! Ipſa etiam major probabilitas de ſe non excludit formidinem in oppoſitum, ſed indiget dictamine reflexo & ultimato, quod debet eſſe certum: ergo eandem habet difficultatem, quam ſententia mere probabilis.

Dices 2. Optandum eſſet, ut omnes Chriſtiani ſemper ſecuriora eligerent! Reſp. veriſſimum id eſt quoad propriam conſcientiam, ſed quoad directionem aliarum



conſcientiarum, ad corrigendos ſcrupulos, & tranquillandos animos id fieri non poteſt. Ponamus, quod pœnitens a Confeſſario conſilium petat, aut ſe accuſet, quod in actionibus ſui ſtatus & officii probabilia elegerit, relictis probabilioribus, quid agit Confeſſarius? an illum obligat ad probabiliora, & quidem ſub reatu peccati mortalis? Peſſime, & indiſcrete agit, præſertim ſi illum ſine abſolutione dimittat! peccata non emendat, ſed potius auget, injuriam facit pœnitenti, a quo emendationem ſperare non poteſt in re, quam alii æque docti ut licitam approbant, aut ſaltem diſſimulant. Si Dominus Deus Miſericors eſt, cur Miniſter ejus ſit auſterus? melius eſt pœnitentem cum minus probabili mittere in purgatorium, quam cum probabiliori in infernum! Hæretici averſantur noſtram ſanctam Religionem, quia putant eſſe jugum nimis grave & auſterum, quanto minus convertentur, cum viderint hoc jugum per novas ſententias auſteriores quotidie magis ac magis aggravari? Quidquid ſit, Ais, Probabiliſmus noxius eſt; quia diſponit ad tepiditatem, ad laxiſmum! Reſp. retorquendo: Anti-probabiliſmus noxius eſt, quia diſponit ad perplexitatem, ad Janſeniſmum! Non eſt res facilis invenire rationes in foro Theologico vere & ſancte ſolidas ad cohoneſtandam actionem dubiam, ad quod revera obviæ quævis & frivolæ non ſufficiunt. Igitur non probabiliſmus, ſed abuſus probabiliſmi noxius eſt: non autem eliminanda ſunt omnia, quæ per abuſum fieri poſſunt nociva; ſic enim extirpari deberet vinum, quo multi abutuntur ad ebrietates: extirpari deberent gladii & ſclopeta, quibus multi abutuntur ad homicidia: extirpari deberet muliebre genus, quo multi abutuntur ad ſcortationes & adulteria. Probabiliſmus bonus & utilis eſt ex ſe, per accidens eſt, quod nocivus fieri poſſit per abuſum.

Utinam in Eccleſia vigeret *Rigor Diſciplinæ*, non *Rigor Doctrinæ*! Utinam Superiores tam Eccleſiaſtici, quam ſæculares officium exacte facerent, ita, ut verbo & exemplo vitia extirpare, ſcandala publica extinguere, libidinem compeſcere, propudioſa conſortia tollere, delicta ad juſtitiæ lancem plectere, parentes, heros, Magiſtratus, omneſque illos, qui aliis præſunt, ſuæ obligationis admonere ſtuderent, certe Dei gloriæ, & reformationi morum magis conſultum foret: verum quia boni hi Domini in altum evecti, ſolum ad pingues reditus, ad corporis commoda, ad recreationes, eſum, potum, quietem, non ad laborem ſe vocatos putant, ſicque in munere ſuo obdormiſcunt, venit inimicus homo & in agro Eccleſiæ zizania ſcelerum & ſcandalorum ſeminat. Faxit Deus, ut iſti evigilent, & officio ſuo coram Deo & mundo ſatisfaciant, tunc tollentur innumera peccata, quæ modo non curantur, aut de induſtria palliantur, & obteguntur. *Rigor Doctrinæ* ad Reformationem morum parum, aut nihil condocere, imo etiam nocere poteſt, quia animos reddit anxios, ſcrupuloſos, perplexos, aut omnino ad puſillanimitatem, ad deſperationem adducit. Quid? quod ſubticendum hic minime videtur, illi ipſi grandes Domini, qui Rigoriſmum voce & ore profitentur, aliiſque præcepta dare ac perſuadere volunt, ut ſemper perfectiora eligere ſtudeant, ut pericula etiam remota fugiant, ut conſilia etiam Evangelica amplectantur, ut nunquam cum ſola attritione confiteri præſumant, ut omnem Epikiam legis averſentur, & denique ſemper eligant, quod ad Dei gloriam magis conducit, illi ipſi, inquam, qui videri volunt aliorum reformatores, in ſua vivendi methodo laxiſſimi ſunt, humanos favores, honores, divitias, luxum, & commoditates ſæculi, non ſine neglectu ſui officii quærunt, adeoque, quod buccis crepant, opere refutant, & quod in aliis ædificare volunt, in ſeipſis deſtruunt, & evertunt. En! quam parum proſit rigor doctrinæ ad reformandos mores, & quam longe optabilior eſſet rigor diſciplinæ!

## JUSTITIA.

268. *Quid ſit, & quomodo exercenda?*

EST virtus voluntatis tribuens unicuique quod ſuum eſt. Sucquet in via Vitæ ad finem. Seu juxta Imperatorem: Eſt conſtans & perpetua voluntas jus ſuum cuique tribuendi. De carentia hujus virtutis conqueruntur damnati: *Juſtitiæ lumen non luxit nobis*: quia ut ait Labbata: *Neſciunt unicuique rei debitam æſtimationem tribuere; pluris enim corpus, quam animam faciunt*. B. Serm. 2. n. 26. Labb. V. Verb. Dei p. 7.

S. Auguſtinus ait: *Juſtitiam eſſe amorem Deo tantum ſervientem*: quod explicat S. Thomas. Sicut in dilectione Dei includitur dilectio proximi, ita etiam in hoc, quod homo ſerviat Deo, includitur quod unicuique reddat, quod debet. A. l. 5. n. 14. S. Aug. l. de mor. Eccl. c. 15 S. Th. 1. 2. q. 58 a. 1. ad. 6.

gationem ſemper eliciendi tutiorem, nec licere operari ſecundum opinionem tenuiter probabilem: Ergo ſententiam vere probabilem, ceu mediam inter utramque non reprobavit; quia expreſſio unius, virtualis excluſio alterius.

3. Sententia vere probabilis conſolidari, & firmari poteſt per dictamen reflexum, certum, & excludens omnem formidinem periculi in contrarium, quod ſic ſonat: Quando prudenter ago, id eſt, ex rationibus tam ponderoſis, quæ poſſunt Virum prudentem, & conſcientioſum commovere ad rationabilem aſſenſum, tunc non pecco: Atqui hic & nunc in his circumſtantiis ago prudenter, id eſt, ex rationibus tam ponderoſis, quæ poſſunt virum prudentem ac conſcientioſum commovere ad rationabilem aſſenſum: Ergo non pecco. Major certiſſima eſt: quia omne peccatum eſt actus imprudens, conſequenter quando prudenter ago, non pecco. Minorem igitur negant adverſarii, ſed negari non poteſt, nec indiget probatione; quia mihi eſt experimentaliter certa coram Deo, & conſcientia, & inſuper ſcio, quod bona fide, & ſine dolo agam.

4. Si daretur obligatio amplectendi probabiliorem, daretur etiam obligatio inquirendi in probabiliorem: ſed hæc obligatio eſt impoſſibilis, tam litterato, quam rudi; Litterato quidem, quia omnes Doctorum ſententias, eorumque rationes deberet memoria tenere. Rudi vero, quia ne quidem ſcit, quid ſit magis aut minus probabile! Et quis eſt, vel ubi eſt curator animarum, qui hactenus operam dedit inſtruendi rudem populum in hac obligatione? Hinc promovetur argumentum: ſi daretur obligatio eligendi probabiliorem, tunc operans v. g. civis celebrans contractum, deberet certo ſcire, ſuam actionem eſſe probabiliorem; alias operaretur in dubio, adeoque peccaminoſe. Sed hoc certe ſcire non poteſt; quia id judicandi nullum certum haberet fundamentum. Quodſi conſulere poſſet Confeſſarium Probabiliſtam, dicet iſte actionem, ſeu contractum eſſe licitum: ſi conſuleret Anti-probabiliſtam, dicet eſſe illicitum, & ſic redigeretur ad ſcrupulos & animi perplexitatem! quanta abſurditas!

Dices 1. Electio minus probabilis non eſt actus prudens in concurſu probabilioris? Reſp. Nego: nam probabilior non enervat minus probabilem; hæc enim virtutem ſuam motivam in concurſu etiam probabilioris retinet: Luna etiamſi incomparabiliter minor ſit ſole, tamen dicitur *Luminare Magnum*: Ergo etiamſi ſententia *A* ſit minus probabilis in comparatione probabilioris *B*, tamen retinet virtutem magnam commovendi virum prudentem ad aſſentiendum. Et quæſo, ubi? ubi datur obligatio ſic comparandi utramque opinionem, & indagandi in probabiliorem? Quis dabit nobis diſcerniculum dogmatice certum, quænam ex duabus opinionibus ſit magis aut minus probabilis? S. Bonaventura docet, hominem Chriſtianum poſt lapſum in peccatum mortale ſtatim obligari ad eliciendam contritionem, S. Thomas hanc obligationem negat: qua trutina jam librabimus, quiſnam ex duobus his Sanctis fuerit ſanctior, quiſnam doctior? Sed inſtabis! ſaltem inter rationes pro & contra facile diſcerni poteſt, quænam ſit gravior, quænam levior! Reſp. iterum Nego! forſan ratio pro, quam Petrus judicat probabiliorem, Paulo videtur minus probabilis! forſan, quod apparet probabilius, eſt omnino falſum; quia falſa, juxta Philoſophum, ſæpe ſunt probabiliora veris! forſan, quod hodie mihi probabilius eſt, cras erit minus probabile: quia multæ ſententiæ probabiliores factæ ſunt minus probabiles, & viciſſim: Sic tempore S. Bonaventuræ fuit Sententia probabilior, quod bonum inventum non comparente Domino debeat diſtribui in pauperes, hodie eſt improbabilis: conſequenter daretur abſurdiſſima variatio in operando: hodie poſſem inire hunc contractum, cras non poſſem: hodie poſſem abſolvere pœnitentem, cras non poſſem, & pœnitens apud Probabiliſtam abſolveretur, apud Probabilioriſtam non abſolveretur, quod prorſus eſt ineptum. Urgebis ulterius: Eſt imperceptibile, quomodo conſcientia operantis per opinionem minus probabilem tranquillari, & extra formidinem poni poſſit? Reſpondeo cum diſtinctione: hoc eſt imperceptibile, ſi ſermo ſit de dictamine directo, quod eſt mere probabile, concedo! ſi ſermo ſit dictamine reflexo, quod eſt omnino certum prout ſupra probatum eſt, Nego! Ipſa etiam major probabilitas de ſe non excludit formidinem in oppoſitum, ſed indiget dictamine reflexo & ultimato, quod debet eſſe certum: ergo eandem habet difficultatem, quam ſententia mere probabilis.

Dices 2. Optandum eſſet, ut omnes Chriſtiani ſemper ſecuriora eligerent? Reſp. veriſſimum id eſt quoad propriam conſcientiam, ſed quoad directionem a-

lia-



liarum conſcientiarum, ad corrigendos ſcrupulos, & tranquillandos animos id fieri non poteſt. Ponamus, quod pœnitens a Confeſſario conſilium petat, aut ſe accuſet, quod in actionibus ſui ſtatus & officii probabilia elegerit, relictis probabilioribus, quid agit Confeſſarius? an illum obligat ad probabiliora, & quidem ſub reatu peccati mortalis? Peſſime, & indiſcrete agit, præſertim ſi illum ſine abſolutione dimittat! peccata non emendat, ſed potius auget, injuriam facit pœnitenti, a quo emendationem ſperare non poteſt in re, quam alii æque docti ut licitam approbant, aut ſaltem diſſimulant. Si Dominus Deus Miſericors eſt, cur Miniſter ejus ſit auſterus? melius eſt pœnitentem cum minus probabili mittere in purgatorium, quam cum probabiliori in infernum! Hæretici averſantur noſtram ſanctam Religionem, quia putant eſſe jugum nimis grave & auſterum, quanto minus convertentur, cum viderint hoc jugum per novas ſententias auſteriores quotidie magis ac magis aggravari? Quidquid ſit, Ais, Probabiliſmus noxius eſt; quia diſponit ad tepiditatem, ad laxiſmum! Reſp. retorquendo: Anti-probabiliſmus noxius eſt, quia diſponit ad perplexitatem, ad Janſeniſmum! Non eſt res facilis invenire rationes in foro Theologico vere & ſancte ſolidas ad cohoneſtandam actionem dubiam, ad quod revera obviæ quævis & frivolæ non ſufficiunt. Igitur non probabiliſmus, ſed abuſus probabiliſmi noxius eſt: non autem eliminanda ſunt omnia, quæ per abuſum fieri poſſunt nociva; ſic enim extirpari deberet vinum, quo multi abutuntur ad ebrietates: extirpari deberent gladii & ſclopeta, quibus multi abutuntur ad homicidia: extirpari deberet muliebre genus, quo multi abutuntur ad ſcortationes & adulteria. Probabiliſmus bonus & utilis eſt ex ſe, per accidens eſt, quod nocivus fieri poſſit per abuſum.

Utinam in Eccleſia vigeret *Rigor Diſciplinæ*, non *Rigor Doctrinæ*! Utinam Superiores tam Eccleſiaſtici, quam ſæculares officium exacte facerent, ita, ut verbo & exemplo vitia extirpare, ſcandala publica extinguere, libidinem compeſcere, propudioſa conſortia tollere, delicta ad juſtitiæ lancem plectere, parentes, heros, Magiſtratus, omneſque illos, qui aliis præſunt, ſuæ obligationis admonere ſtuderent, certe Dei gloriæ, & reformationi morum magis conſultum foret: verum quia boni hi Domini in altum evecti, ſolum ad pingues reditus, ad corporis commoda, ad recreationes, eſam, potum, quietem, non ad laborem ſe vocatos putant, ſicque in munere ſuo obdormiſcunt, venit inimicus homo & in agro Eccleſiæ zizania ſcelerum & ſcandalorum ſeminat. Faxit Deus, ut iſti evigilent, & officio ſuo coram Deo & mundo ſatisfaciant, tunc tollentur innumera peccata, quæ modo non curantur, aut de induſtria palliantur, & obteguntur. *Rigor Doctrinæ* ad Reformationem morum parum, aut nihil condocere, imo etiam nocere poteſt, quia animos reddit anxios, ſcrupuloſos, perplexos, aut omnino ad puſillanimitatem, ad deſperationem adducit. Quid? quod ſubticendum hic minime videtur, illi ipſi grandes Domini, qui Rigoriſmum voce & ore profitentur, aliiſque præcepta dare ac perſuadere volunt, ut ſemper perfectiora eligere ſtudeant, ut pericula etiam remota fugiant, ut conſilia etiam Evangelica amplectantur, ut nunquam cum ſola attritione confiteri præſumant, ut omnem Epikiam legis averſentur, & denique ſemper eligant, quod ad Dei gloriam magis conducit, illi ipſi, inquam, qui videri volunt aliorum reformatores, in ſua vivendi methodo laxiſſimi ſunt, humanos favores, honores, divitias, luxum, & commoditates ſæculi, nôn ſine neglectu ſui officii quærunt, adeoque, quod buccis crepant, opere refutant, & quod in aliis ædificare volunt, in ſeipſis deſtruunt, & evertunt. En! quam parum proſit rigor doctrinæ ad reformandos mores, & quam longe optabilior eſſet rigor diſciplinæ!

J U S T I T I A.

268. *Quid ſit, & quomodo exercenda?*

Eſt virtus voluntatis tribuens unicuique quod ſuum eſt. Sucquez in via Vitæ ad finem. Seu juxta Imperatorem: Eſt conſtans & perpetua voluntas jus ſuum cuique tribuendi. De carentia hujus virtutis conqueruntur damnati: *Juſtitiæ lumen non luxit nobis*: quia ut ait Labbata: *Neſciunt unicuique rei debitam æſtimationem tribuere; pluris enim corpus, quam animam faciunt*. B. Serm. 2. n. 26. Lab. V. Verb. Dei p. 7.

S. Auguſtinus ait: *Juſtitiam eſſe amorem Deo tantum ſervientem*: quod explicat S. Thomas. Sicut in dilectione Dei includitur dilectio proximi, ita etiam in hoc, quod homo ſerviat Deo, includitur quod unicuique reddat, quod debet. A. l. 5. n. 14. S. Aug. l. de mor. Eccl. c. 15 S. Th. 2. 2. q. 58 a. 1. ad. 6.

Juſtitia tribus adminiculis ſuſtentari debet, prout dicere ſolitus eſt Maximilianus I. Imperator: campo pleno militaribus copiis: choro pleno cantantibus monachis: & patibulo pleno furibus. T. 223.

Erckenbaldus Judex ægrotans audivit in proxima camera clamores femineos, cumque intellexit nepotem ſuum voluiſſe opprimere feminam, juſſit eum confeſtim ſuſpendi. Cum autem milites illi parcerent, & eum poſt aliquot dies ad januam cubiculi ſtantem conſpexit, vocatum ad ſe cultello occidit. Sacerdos propter hoc facinus voluit illi negare Euchariſtiam. Verum cum vix abiit, vocavit eum ægrotus, juſſitque eum videre ſacra in pixide an habeat corpus Domini: cumque ſacerdos non reperiſſet, ſubjunxit: Ecce! quem mihi negaſti, ipſe mihi ſe non negavit, apparuitque hoſtia in ore ejus. E. *Euchariſtia* n. 7.

269. *Eſt neceſſaria regnis & regibus.*

Iſa. 11. *Erit juſtitia cingulum lumborum ejus, & cinctorium renum ejus.* Principes fide & juſtitia obarmari debent; vere enim S. Auguſtinus ait: *Remota juſtitia quid ſunt regna niſi magna latrocinia?* Et Cicero: *Jus & æquitas vincula ſunt civitatum.* Et denique Philoſophorum Princeps: *Rex debet eſſe cuſtos, ut nec opulenti injuſtum*
Ariſt. 5. Politic. 6. *aliquid patiantur, nec plebs contumeliam accipiat.* C. Iſa. 11. v. 5.

Juſtitia autem per fidem firmari debet, quia hæc illius fundamentum, nec una ſine altera ſolida aut utilis eſt; ideo Romani in Capitolio fidem Jovi junxerunt, tanquam tutori humani generis. C. in Iſa. 11. v. 5.

Scelerati ac facinoroſi homines morte puniendi ſunt, *qui enim parcit malis, nocet bonis.* Seneca ajebat: *Pinguior victima Deo mactari non poteſt quam homo ſceleratus.* Et Cato Romanus dicere ſolebat: Eos Magiſtratus, qui maleficos pœnis non coercent, lapidibus obruendos eſſe, ne ex pœnæ neglectu ſalus Reipublicæ labefieret. S. Ludovicus Rex homini facinoroſo vitæ gratiam fecit, ſed cum poſtea orans incidit in hæc verba: *Beati qui cuſtodiunt judicium, & faciunt juſtitiam:* hominem reum revocari, & ad mortem condemnari juſſit &c. C. Num. 25. v. 8.

Solon rogatus in quo ſalus Reipublicæ conſiſteret, ajebat: *Si boni præmiis invitentur, & mali pœnis coerceantur.* Bias damnaturus reum lacrymari cœpit, interrogatus cauſam reſpondit: *Quia neceſſarium eſt naturæ quidem condolere, legi autem ſuffragari.* C. 1. Petri 3. v. 17.

270. *Tenetur punire malefactores.*

Bonum eſt malefacientes pati, & puniri; hic enim eſt actus juſtitiæ vindicativæ, qua & ſcelus præteritum vindicatur, & Reipublicæ ſatisfit, ejuſque læſioni & ſcandalo. Quare fures & latrones, dum puniuntur, & patienter pœnas ſuſtinent, faciunt actum virtutis non unius ſed plurium, uti pœnitentiæ, patientiæ, juſtitiæ, qua pro injuria Deo & Reipublicæ ſatisfaciunt, & facinoroſis ſtatuuntur in exemplum. Sicut ergo ſummum peccatoris malum eſt impunitas, ita ſummum eorum bonum eſt punitio. Hinc Ven. Beda: *Si mihi detur optio, malim a culpis flagello retrahi, ut Saulus, quam æternæ peccatorum ultioni ſubjici, ut Elimas.* Sane ſignum æternæ reprobationis eſt, cum fures, & impii a Deo permittuntur impune graſſari: econtra ſignum æternæ electionis eſt, ſi eos tradat in manus juſtitiæ; ita enim a Confeſſariis diſponuntur ad pœnitentiam, & piam mortem, ſicque verum, quod prudens Vir enunciare ſolebat, *plures a patibulo, quam e lecto ad cœlum aſcendere.* C. 1. Pet. 3. v. 17.

Idem per umbram agnoverunt gentiles: Cato cenſorius dictitabat: *Se malle pro collato beneficio nullam reportare gratiam, quam pro maleficio perpetrato nullam dare pœnam.* C. Ibidem.

Sicut ergo aliena in delinquentibus plectuntur crimina; ita & propria plectenda ſunt in ſeipſo; *ſibi enim ignoſcit, quem non pœnitet admiſſi.* Ageſipolis Cleombroti filius, cum ei dixiſſet aliquis, quod cum æqualibus obſes fuiſſet, repoſuit: *Merito fui; decet enim noſtra peccata, noſtraſque culpas nos ferre.* C. Ibid.

Junius Brutus, & Manlius Torquatus proprios filios delinquentes damnarunt ad mortem, ut legem ſuorum ſanguine ſancirent, nequis eam violans impunitatem ſibi polliceretur. C. Ibid.

Sicut probi præmiis provocari, ita mali pœnis coerceri debent. Cato dicebat: Magiſtratus, qui maleficos non coercent, lapidibus eſſe obruendos, ne pœnę neglectus ſalutem Reipub. labefactaret. C. 1. Petr. 2. v. 14.

271. *Non ſinit ſe corrumpi muneribus.*

*Munera tua tibi ſint*, dixit Daniel ad Regem. Sancti terrena omnia & munera deſpexerunt. Eliſeus noluit accipere munera Naaman, quem a lepra curavit. Captiva Chriſtiana in Iberia, cum Reginam a morbo ſanaſſet, dona a Rege oblata non accepit, eumque cum regno integro convertit. S. Hilarion Orionum Virum ditiſſimum a legione dæmonum liberavit, cumque iſte ingentia dona ad Monaſterium afferret, repudians illa Sanctus ajebat: *Non legiſti, quid Giezi, quid Simon paſſi ſint?* quorum alter accepit pretium, alter *obtulit, ut ille venderet gratiam Spiritus Sancti, hic mercaretur?* cumque Orionus triſtaretur ſubjunxit Abbas: *Noli triſtari fili! ſi enim hæc accepero, & ego offendam Deum, & legio ad te revertetur, &c.* C. Dan. 5. v. 17.

Cum Eunuchus Conſtantii Cæſaris, Liberio Pontifici, quem Cæſar in exilium ejecit, auri ſummam jubente Cæſare attuliſſet, ut inde viveret, non accepit Liberius, inquiens: *Tu Eccleſias expilaſti & jam mihi egenti affers eleemoſynam? abi primum, & Chriſtianus ipſe fiat.* Cum S. Martinus domum quamdam Chriſti virtute a peſte liberaſſet, & ideo illi centum argenti libræ pro honorario offerentur, recipere dona detrectavit. Cumque famuli & diſcipoli ejus murmurarent, reſpondit: *Eccleſia Chriſti nos veſtit & paſcit! Gratis accepiſtis, gratis date!* C. Dan. 5. v. 17.

Eccli. 8. *Multos perdidit aurum & argentum, & uſque ad cor Regum extendit*, ait Eccleſiaſticus: Aurum ſuo fulgore excæcat oculos judicum, ut divitis cauſam præfe-
Deut. 16. v. 19. rant cauſæ pauperis: *Munera excæcant oculos ſapientum, & mutant verba juſtorum, &c.* C. Eccli. 8. v. 3. Et c. 20. v. 31. Vide etiam Titulum: *Judices, Prætores &c.* Item C. Act. 20. v. 33.

## Solutio decimarum.

272. *Eſt obligatio a Deo multa bona poſt ſe trahens.*

ABulenſis ait, ſolutionem decimarum eſſe tributum, quod in recognitionem beneficiorum Deo perſolvitur in Sacerdote. S. Auguſtinus ait: Eſſe holocauſtum, quo homo cognoſcit ſe decimam eſſe creaturam rationalem, quam Deus poſt novem choros Angelorum creavit. Originem trahit ab Abrahamo, qui de ſpoliis Regis Sodomorum Deo decimas dedit, quem dein ſecutus eſt Jacob: & quidem *optima, & delecta erant cuncta.*

Ex ſolutione decimarum, ait Auguſtinus, ſequitur fertilitas, ſanitas, benedictio Divina &c. B. Ser. 38. n. 34. & fuſe C. Gen. fol. 815. col. 2. ſeq.

Decimæ etiam Diis gentilibus, Herculi & Jovi fuerunt ſolutæ. Sacerdotibus, ait Philo, æque ac Regibus tributa pendenda ſunt, hæcque tributa & decimæ veteris legis adumbrarunt decimas dandas Sacerdotibus novæ legis. Meliapore templum S. Thomæ Apoſtoli ex decimis mercium, quę in urbem portabantur, fuit conſervatum. Carolus Martellus, quia decimas Sacerdotum in ſtipendia militum voluit convertere, a S. Eucherio Epiſcopo fuit excommunicatus. S. Stephanus Rex Hungariæ poſt victoriam obtentam Eccleſiæ S. Martini decimas addixit. Regnum Daniæ, quia non pendit decimas a S. Canuto Rege aſſignatas, miſerabili agrorum ſterilitate per multos annos affligitur, qua media pars hominum fame extincta eſt. Quidam civis Patavii Thomas Capivacius S. Bellinum Epiſcopum, qui decimas exegiir, occidit, poſtea fame & inopia periit: poſteri ejus non poterant ingredi templum S. Bellini, &c. C. Num. 18. v. 32.

273. *Potius cum exceſſu, quam cum defectu danda eſt.*

Lyranus obſervat, templi menſuras omnes fuiſſe vulgaribus longiores: & calamus, quo angelus menſus eſt, erat ſex cubitorum, & palmi: cur excedit? quia menſuratur res Dei. S. punct. 85. fol. 273.

Cain pure de frugibus terræ, Abel vero de pinguibus oblationem fecit, hinc iſte acceptus fuit apud Deum, non ille: ait Philo: *Sic ſunt multi qui dant primatum creaturæ, ſecundarium honorem Numini*, nempe qui ex frugibus dant pejores pro decimis, ait. C. Gen. fol. 92. col. 1.

Eutropius Eques Alexandrinus duo vaſa argentea unum pro ſe, alterum pro S. Martyre Menna confici jubet: cum autem illud S. Martyris elegantius fuit confectum, illud ſibi retinere, vilius Martyri dare conſtituit. Quid fit? famulus vaſculum pretioſius lavare volens illud in mare decidere ſinit, & fere ipſius aquis perit: id videns Dominus utrumque vas S. Martyri devovit. R. cent. 2. part. 1. mir. 35.

*Ne polluatis oblationes filiorum Iſrael.* Id eſt, ne decimam partem peſſimam ſeligatis, ut eam detis Sacerdotibus, *& moriamini*, quaſi diceret, ſi id feceritis, a me occidemini. Unde patet, quod Deus non tantum decimam, ſed etiam meliorem partem petierit ſibi offerri. C. Num. 18. v. 32.

274. *Liberaliter compenſatur a Deo.*

S. Sabinus Epiſcopus, cum fluvius Padus ejus agros devaſtaret, per notarium pro-

promulgari illi ac præcipi juberet, ut ſtatim ſe in ſuum alveum reciperet: recepit ſe fluvius, nec deinceps cum damno illorum agrorum exundavit. R. 1. p. mir. 43.

Deus ab Hebræis petiit primogenita, & dein Num. 3. loco horum acceptavit Levitas omnes, qui inventi ſunt numero 22000. dein his pro ſua ſuſtentatione aſſignavit primogenita pecorum ſibi debita. C. Exod. 13. v. 5.

*Prov. 3.* *Honora Dominum de tua ſubſtantia, & implebuntur horrea tua ſaturitate, & vino torcularia redundabunt.* Sicut ergo eleemoſyna, ſic & ſolutio decimarum non depauperat, ſed ditat. 1. Quia idipſum quaſi congruam pietatis mercedem & præmium Deus promiſit. 2. Quia, qui opes erogant in opera pia, recte illis utuntur, merenturque eſſe earum diſpenſatores, & Domini. 3. Quia hoc poſcit natura frugum & opum, ut ſcilicet expendantur ad id, ad quod a Deo creatæ ſunt. 4. Quia hoc congruit ſapientiæ, & juſtitiæ Dei, ut ſua dona effundat in eos, qui eiſdem prudenter utuntur ad Dei gloriam, & pauperum alimoniam. C. Prov. 3. v. 9.

## Gratitudo.

### 275. *Debetur ob beneficia accepta.*

JOſephus impoſſibile ſibi duxit, offendere herum in ſe beneficum. Saul auditis meritis Davidis placatus eſt. S. Polycarpus octoginta ſex annis ſe Deo ſerviiſſe, nec mali quidquam expertum fuiſſe aſſerens, commoveri non poterat, ut fidem negaret. B. Serm. 4. n. 15.

Diomedes & Glauces pugiles in arena ſibi conciliantur ob memoriam beneficiorum. B. Ib. n. 11. & Serm. 20. n. 3. Serm. 21. n. 3. Serm. 46. n. 3.

S. Raphael Angelus ducens & reducens Tobiam voluit canem ſubſequi, ut Tobias per canem doceretur gratitudinem. B. Serm. 85. n. 5. Moyſes non percutit aquas, quia ab his olim ſervatus fuit. B. Ib. n. 9.

Non tantum beneficia inſignia, ſed etiam minima gratitudinem exigunt. Chriſtus, ubi 4000. hominum pavit, juſſit fragmenta colligi, ubi Bern. jubemur *nec minima beneficia obliviſci*. S. p. 156. fol. 506. in fine. Et M. conc. 17. §. 2. n. 10.

*Gen. 14.* Abrahamo a cæde quatuor regum redeunti, obviam egreſſus Rex Sodomorum, omnia ſua obtulit, & quamvis Abraham oblata non acceptavit, voluit tamen ſocios ſuos donorum eſſe participes.

Laban pro donis & inauribus, quas ſervus Abrahæ attulit ſorori ſuæ Rebeccæ, in hoſpitium domus ſuæ illum invitavit, & cum omni humanitate recepit.

Joſeph expoſuit Pharaoni ſomnium ſuum, & ideo ab illo ad ſummos honores fuit exaltatus.

*4. Reg. 4.* Elias Mulieri Sunamitidi, hoſpitæ ſuæ, promiſit, quod velit negotium illius agere apud Regem: Item filium ejus mortuum ad vivos revocavit.

*Tob. 12.* Tobias Junior multa cum gratitudine narravit, retulit Patri ſuo beneficia a Raphaele in itinere accepta &c.

*Eſt. 4.* Eſther Regina a Mardochæo nutrita, & educata inſignem illi gratitudinem apud Regem præſtitit, quia illum & totam Judæorum gentem ab interitu liberavit.

*Matt. 8.* Judæi rogantes Chriſtum pro ſervo ægrotante Centurionis dixerunt illi: Dignus eſt, ut hanc illi gratiam conferas, quia diligit gentem noſtram, & Synagogam nobis ædificavit.

### 276. *Deo Summo Benefactori maxime exhibenda.*

Moyſes, Judith, David, tres pueri, Jonas, & alii pro liberatione cantica intonant. B. Serm. 87. n. 17. S. p. 149.

Ezechias punitur, quia laudes Deo non canit poſt victoriam. M. conc. 17. aſſ. 2. n. 8.

Illa ſponſa oculos non avertit a ſponſo, qui eam liberare e carcere voluit ſua morte. S. punct. 156. fol. 503.

Abraham propter promiſſionem Divinam altare extruxit. S. Ib. fol. 504.

Duo minuta debemus Deo, id eſt corpus & animam, quia ipſe hæc, & omnia dedit &c. M. conc. 17. aſſ. 2. n. 1. 2. ſeq.

Deus inſpiravit Adæ ſpiraculum vitæ: cur non omnipotenti verbo animam ejus creat? Rupertus ait: ut ſtatim Adamus per gratitudinem vitam, quam acceperat in os Dei, reſſlaret. M. conc. 17. aſſ. 2. n. 7.

*4. Reg. 5.* Propter ſingulare beneficium, quod Eliſæus exhibuit Naaman Syro, ſuadendo illi, ut ſe ſe lavaret in Jordane, & ſic mundaretur a lepra, Naaman illi obtulit munera. O quanta debemus munera Deo propter valetudinem datam, reſtauratam, conſervatam & alia innumera bona. Hinc omnino laudabile, & Boni Chriſtiani nota eſt, ſi in familiari diſcurſu, dum actiones ſuas & negotia feliciter ad finem deducta commemorant, hoc epiphonemate utantur: Deo ſint laudes! Recuperavi valetudinem diu afflictam, Deo ſint laudes! compoſui lites cum vicino, Deo ſint laudes! redii incolumis ab itinere periculoſo, Deo ſint laudes! & quæ ſunt ſimilia! operam dent Parentes, & Superiores, ut filios & ſubditos ſuos ad hanc loquendi methodum aſſuefaciant! Hæc induſtria non erit ſine m[illegible]! &c.



Etiam gentiles poſt [illegible]tatas victorias Diis ſuis anathem[illegible] ſuſpenderunt: ſic Ariſtomenes felic[illegible] contra Lacones pugnans, Leocritus expugnato oppido Piræo clypeum Jovi dedicavit. Philiſthæi arma Saulis interfecti in æde Aſtaroth: Angli calcaria aurata Francorum in templo ſuſpenderunt. Phocas Imp. captis urbibus Agarenorum portas earum ſecum Conſtantinopolim ad templum S. Sophiæ tulit: ſic plures alii victores fecerunt. C. in Num. 31. v. 50.

### 277. *Quomodo exhibenda Deo.*

1. Abſtinendum a peccatis, & offenſis Dei. Cum Deus primam plagam Ægypti decrevit, Aaron debuit percutere aquas: Cur non Moyſes? Reſpondeo, quia ab aqua in ſua viminea corbe fuit conſervatus in vivis. B. Ser. 85. n. 9. Similiter Joſeph ad nefas ſollicitatus reſpondet: quomodo poſſum id facere, & offendere meum benefactorem? S. punct. 156. fol. 502.

*S. Aug. Ser. 113. de temp.* 2. Deus non tantum ore, ſed etiam opere laudandus; hinc Auguſtinus nomine Dei: *Mores volo, non voces: lauda vivendo, non ſonando.* Ideo David ſolem & lunam ad laudem Dei evocat non ut laudent loquendo, ſed obtemperando. B. Serm. 84. num. 10.

3. Exhibenda etiam per opera ſupererogatoria: Noe omnia fecit ex præcepto Dei, ſed inſuper ultra præceptum extruxit altare: ubi S. Ambroſius: Intellexit nimirum, eam veram eſſe gratiarum actionem, quæ non jubetur, ſed defertur. S. punct. 156. fol. 504.

*Joſue 6.* Dux Joſue expugnata, & everſa urbe Jericho valde erat ſolicitus, ne feminæ Raab, quæ prius exploratores ſuos benigne acceptos abſconderat, injuria inferretur, aut domus ejus læderetur.

*Judic. 8.* Cum Gedeon populum Iſrael ab inimicis liberavit, conclamarunt omnes ad eum: Dominare noſtri, quia redemiſti nos de manibus Madian! Sic agnoſcendum, adorandumque Dei dominium, ob præſervationem ab inimicis, aliaque beneficia.

### 278. *Docetur etiam a brutis.*

Cum Regis Lyſimachi cadaver combureretur, illius canis ultro in rogum inſiliit inter flammas combuſtus. Alius Domini ſui Romæ in Tyberim projectum cadaver extrahit, ac defendit. Hexamereon. fol. 399. Vide Lud. Granat. fol. 44. & 67.

P. Sebaſtianus Sarmento S. J. vidit in [illegible]ea pueros cum avicula filo alligata ludentes, qui demum plumas evellere, & occidere volebant. Rogavit Pater, ne id facerent, ſed ad laudes Deo canendas avolare permitterent. Paruere pueri! & avicula deinceps ad Patris cubiculum identidem advolans, totis diebus accinebat, quaſi pro ſervata vita grates rependens. *Ex Faſt. S. J. 8. Aug.*

Ciconia ex aere delapſa crus fregit, & ab Heraclea femina ſanata eſt. Poſtmodum dimiſſa cum altero anno rediit, præſtantem unionem ſuæ benefactrici attulit. Alia Domino domus, in qua nidulabat, annuatim pretioſam Zingiberi radicem tanquam cenſum tulit. D. 5. 32.

Leæna peperit duos maſculos cæcos, hos attulit S. Marco Anachoretæ, quibus ille ſigno crucis lumen oculorum dedit. Leæna altera die attulit benefactori pellem ovinam, quam ille S. Athanaſio donavit. Simile quid etiam habetur de S. Macario. Draco & leo pugnabant, quorum iſte a superveniente milite adjutus & draco occiſus fuit. Atque ecce! leo ſemper ſervivit militi, cumque iſte navim mare trajecturus conſcenderat, leo natando ſecutus eſt navim. Abbas Geraſimus leoni ſpinam e pede extraxit, & iſte ſecutus Abbatem in Monaſterium ſerviit illi cuſtodiendo aſinum: cum Abbas mortuus eſt, leo præ dolore ſepulcro immortuus eſt. Sanchez 6. par. c. 5. fol. 733. & ſeq. R. 1. part. mir. 11.

Frater Martinus ex Ordine S. Dominici innocentiſſimus Vir corvum ſclopeto vulneratum in pede ſanat. Et corvus ſemper ad illum advolitans ei ſerviit. R. cent. 3. mir. 59.

Accipiter pedibus dolet, ideo veſperi aviculam capit, quam noctu ad pedes calefaciendos unguibus tenet, exoriente autem ſole dimittit, & poſtea factam obviam nunquam perſequitur. VV. art. diſc. tom. 48. ex. 1. Vide de Aquilis. C. Exod. 19. v. 4.

Androdus ſervus herum fugiens in leonem pede fauciatum extracta ſpina ſanat, eique diu in antro convivit. Poſtea ex fuga retractus Romæ ad beſtias damnatus eſt: fuit inter belluas etiam iſte leo, qui benefactorem agnoſcens, blandienſque illi non nocuit, ſed a morte defendit.

Toantes draconem educavit, & nutrivit, poſtea in ſilva illum dereliquit. Cum

redux

redux in latrones incidiſſet, lamentabiliter clamans, a dracone voce agnitus fuit, qui cito advolans nutritium ſuum contra latrones defendit, vivumque conſervavit.

Panthera viatorem, qui catulos illi in foveam prolapſos extraxit, eouſque per ſilvam comitata eſt, quouſque eum extra omne periculum perduxit.

Aſpis ab Ægyptio educata, cum in ejus abſentia unus ex catulis filium hoſpitis venenato morſu peremit, redux catulum homicidam, in conſpectu hoſpitis, morte multavit. C. Iſa. 1. v. 3.

### 279. *Docetur a Sanctis, & piis Chriſtianis.*

S. Potamiena cum Marcella Matre ad ſupplicium ducitur, & a Baſilide lictore ab injuriis tumultuantis populi defenditur, pro hoc beneficio promittit illi, ſe apud Deum pro eo rogaturam, id quod etiam fecit; apparuit enim illi cum corona pretioſiſſima, quam Baſilidi offerens eum, & Chriſtianum, & Martyrem fecit. D. 7. 23.

3. Reg. 17. Elias maxima compaſſione condoluit pauperculæ Mulieri, a qua ſuſtentabatur, & precibus ſuis filium ejus defunctum a morte ſuſcitavit.

2. Tim. 1. S. Paulo Apoſtolo in carcere pie miniſtravit Oneſimus ſervus Philæmonis, & ecce! in gratiarum actionem affectuoſam Epiſtolam miſit ad Philæmonem, rogans, ut ſervum ſuum non dure, ſed benigne haberet.

Sancti non tantum beneficia, ſed & malefacta ingenti gratitudine compenſant. Vide Tit. *Sancti*. Lib. 4. S. Thelica (Baron. an. 261.) fortiſſimus Martyr inter tormenta identidem repetit illud: *Deo gratias!* S. Cyprianus ad mortem condemnatus, carnifici pro ictu gladii viginti aureos numerari juſſit.

Joann. Ribi l. 4. ex. n. 3. Sanctus Pius V. Pont. Max. ruſtico, cum quo noctu profugerat, pro nocturno hoſpitio adeo gratus fuit, ut duabus illius filiabus duo aureorum millia in dotem donarit, &c.

Eleonora Auſtriaca, Mantuani Ducis Uxor, pauperes artifices, aratores, piſcatores, ceteroſque hujuſmodi magnis beneficiis excipere ſolebat, dicens hos eſſe Principum benefactores, utpote qui ſuis laboribus, illis lautitias, divitias, otiumque pararent. O quantum hodie genius Principum degeneravit ab his principiis! putant ſuos ſubditos eſſe ſpongias, e quibus ſibi fas ſit, non modo ſuccum, ſed ſanguinem quotidie exprimere!

### 280. *Meretur accipere nova beneficia.*

*Clamavi, quoniam exaudiſti me*, ubi Gregorius: Qui loquens exauditus fuerat, votis proficientibus exauditur clamans. S. punct. 12. fol. 90.

Voluit Deus, ut populus adverſus Amalecitas pugnaturus virgam Moyſis intueretur: Quare? ut ex acceptis aliis beneficiis ac victoriis etiam nunc victoriam ſperaret. S. Ib. fol. 90.

Quia Cinæus benigne ſe habuit ad filios Iſrael, pepercit illi Saul, quando deſtruxit Amalecitas. 1. Reg. 15.

Poſtquam Rex Saul per ſceleratum Doeg octoginta quinque Sacerdotes occiderat, Abiathar filius Abimelech fugit anxius ad Davidem, quem ille, memor beneficiorum, quæ a Patre illius acceperat, benigne excepit, inquiens: Noli timere, qui quæſierit animam tuam, quæret & meam. 1. Reg. 22.

Propter ſingularem amorem & gratitudinem, qua Jonathas addictus erat Davidi, iſte poſt mortem illius inquiſivit, an aliquis eſſet ſuperſtes de genere illius? cumque inveniſſet Miphiboſeth filium Jonathæ, hunc in domum ſuam vocavit, & menſæ convivam adhibuit. 2. Reg. 9.

Cum Elias Propheta Abdiam Regis Achab œconomum ad Regem mittere voluit, ut ſuam illi præſentiam indicaret, dicendo: *Adeſt Elias!* reſtitit Abdias, & allegans ſua obſequia, quibus Prophetas a furore Jezabel abſcondit, ſubjiciens: Hoccine ego merui, ut nunc me ſervum tuum tradere velis in manu Achab, ut interficiat me? Ecce! vult a periculoſo nuntio ſibi parci propter obſequia bene præſtita! 3. Reg. 18.

Hæmorrhoiſſa tactu fimbriæ ſanata, præ foribus domus ſuæ ſtatuam æneam hujus miraculi indicem collocavit, & ecce! Chriſtus hanc ejus gratitudinem alio miraculo compenſavit, dum ad pedes imaginis herbam ignotam produxit, quæ ubi fimbriam Chriſti veſtimenti per ſtatuam præſentati attigit, omni morborum generi medebatur, &c. (Beirlinck in Ieſu I. Matth. them. 3.)

## Pœnitentia.

### 281. *Reſuſcitat merita mortificata.*

De filio prodigo Pater: *Proferte ſtolam primam*. Et de Nabuchodonoſore Cyrillus, reſtituit illi Deus regni honorem: Mulierem fornicariam poſtliminio Deus iterum in ſponſam aſſumit. S. punct. 107. fol. 313.



De fonte quodam perhibetur, quod extincta funalia reaccendat: ita fons lacrymarum reaccendit caritatem &c. S. punct. 10. fol. 576.

Petrus poſt peccatum conſtituitur Princeps Apoſtolorum. M. conc. 37. aſſ. 3. n. 1.

Si perditam ſanitatem recuperare poſſes ſolo animi dolore: ſi perditum unionem: ſi membrum abſciſſum: an non libenter velles ad modicum eſſe triſtis? B. Serm. 5. n. 51. Serm. 7. n. 15.

Poſtquam primogenita Ægypti deleta ſunt, ait Deus, ſanctificavi mihi primogenitum Iſrael: ubi S. Ambroſius: Cum renuntiatur improbitati, ſtatim adſciſcitur virtus &c. M. conc. 33. aſſ. 3. num. 8.

Ea eſt pęnitentiæ virtus, ut amiſſa per peccatum reparet, & gratiam redintegret. Paoletti Dom. 4. Adventus. Vide Titul. Pœnitentiæ Sacramentum.

2. Par. 33. Manaſſes Rex in captivitatem Babylonicam ob peccata ſua ductus, dum pœnitentiam agit, reductus in Jeruſalem regnum, & ſceptrum recuperat. Ita peccatum recuperat merita per peccatum perdita.

Joel. 2. *Convertimini ad me*, promittit Deus per Prophetam, *& reddam vobis annos, quos comedit locuſta, bruchus, ærugo & eruca*. Id eſt, merita, olim quidem in ſtatu gratiæ facta, ſed per peccatum mortificata, prout intelligit S. Hieronymus.

### 282. *Eſt neceſſaria relapſo.*

Prima navis, qua homo ad portum ſalutis vehi poteſt, eſt innocentia, ſi hanc perdas, pœnitentia eſt ſecunda poſt naufragium tabula. B. Ser. 7. n. 7. Serm. 45. §. 6.

Duplex eſt pœnitentia, interna, & externa: interna eſt, quæ in deteſtatione peccati conſiſtit: externa, quæ in actionibus pœnalibus & ad Deo ſatisfaciendum aptis poſita eſt. Utraque eſt neceſſaria, ſive Deum offenſum, ſive hominem offendentem conſideremus. Peccatores quidem, dum pœnitentiæ monentur, putant, nil aliud requiri, quam ut Confeſſarii juſſa faciant: ſed non eſt ita; neceſſarium eſt, ut præter id, quod Confeſſarius injunxit, aliæ quoque pœnalitates voluntarie aſſumantur. Primo propter Deum, qui vult contracta debita ad teruncium expungi. P. p. 3. diſc. 19. n. 2.

Conſiderandum igitur, quod peccatum ſit Dei injuria conjuncta cum ſummo contemptu omnium attributorum Dei, in quantum peccator non curat agere, quod ſupremo omnium Monarchæ placet, quam quod belluinæ ſuæ cupiditati arridet. P. p. 3. diſc. 19. num. 4.

Præterea peccatum tantæ eſt crudelitatis, ut Deus ipſum vellet annihilare: *Peccatum mortale talis eſt naturæ, ut ſi poſſibile eſſet, deſtrueret ipſum Deum, eo quod cauſa eſſet triſtitiæ in Deo, & triſtitiæ infinitæ*. (Medin. de Pænit.) Hæc autem triſtitia, ſi poſſibilis eſſet, ex eo ſequeretur, quia creatura præhabetur Deo, & contemnitur ejus imperantis auctoritas. P. p. 3. diſc. 19. num. 5.

Dein pœnitentia neceſſaria eſt propter hominem offendentem, ſive ſpectemus præterita, nimirum culpam commiſſam, ſive præſentia, nimirum reatum pœnæ, ſive futura, nimirum ſeriam emendationem. P. p. 3. diſc. 19. num. 9.

Putant aliqui ſe plene ſatisfeciſſe, ſi peccata Sacerdoti confeſſi ſint. Sed plane non eſt ita! Sancti, qui res momentis ſuis longe diligentius quam nos librabant, longe alium ſenſum habuere: etſi de noxarum venia certi fuerint, tamen deflere non ceſſabant illas, & aſpera quæque amplexa ſunt, eo ſolum ex capite, quod ſcirent ſe peccaſſe: talis fuit in Lege Naturæ Adamus, in Lege ſcripta David, in Lege Gratiæ S. Magdalena, &c. P. p. 3. diſc. 19. n. 9.

Si Sancti de venia certi, aut innocentes tam rigoroſam pęnitentiam egerunt, quid nobis agendum incertis? P. p. 3. diſc. 19. num. 11.

Errant Chriſtiani, ſi Confeſſarios quærant, qui levibus mulctis peccata vindicari jubent; quia hęc peccata dein tanto acerbiore igne luent, &, quod potiſſimum eſt, per leves pœnitentias malæ propenſiones non extinguuntur. *Ad remiſſionem plenam peccatorum ſine magnis fletibus noſtris & laboribus pervenire nequaquam poſſumus, &c.* P. p. 3. diſc. 19. n. 14.

### 283. *Aſſumit voluntarias ſatisfactiones ad delenda peccata.*

Opera, quibus Deo offenſo ſatisfacimus, ſunt oratio, eleemoſyna, & jejunium. Quod ſi quis hæc nimis dura putet, abſtineat ab oblectamentis alias non vetitis, uti choreis, ludis theatralibus, oculorum curioſitate, & aliis. Aut ſaltem patienter ferat ærumnas ſibi a Deo immiſſas; quamquam enim hæ nonnunquam voluntariæ non ſint, fiunt tamen ſatisfactoriæ per oblationem & reſignationem. Durus aliquis, (Simile.) & inhumanus creditor expungendis debitis exigit lectiſſimum monetæ genus: humanus autem contentus eſt quolibet, dummodo ſolvatur, quod debetur. Deus eſt creditor placidiſſimus; non tantum quæ ſponte acceſſimus dura, ſed etiam aliun-

aliunde obvenientia in compenſationem peccati admittit. P. p. 3. diſc. 19. n. 17.

Magdalena oculos, capillos, unguenta, quæ in injuriam creatoris uſurparat, poſtea adhibet in ejus obſequium. Ait Origenes: Currebant prius pedes veſtri ad effundendum, nunc ad liberandum ſanguinem currant: protendebantur manus, ut aliena diriperent, nunc protendantur, ut propria largiantur, &c. S. punct. 107. fol. 310. & ſeq. M. conc. 8. aſſ. 3. n. 9.

Iſa. 31. *Convertimini ad me ſicut in profundum receſſeratis*. In profundum recedere non tantum dicit peccare, ſed malitioſe peccare: *Profunde peccaverunt, ſicut in diebus Gabaa.* Oſe. 9. Gabaonitæ enim ſtudioſe exſpectarunt, donec Propheta aſſideret menſæ, ut eum compellerent ad tradendam, eorum libidini uxorem. Hoc eſt ſtudere peccato. Jam ſi ita receſſiſti a Deo, neceſſe eſt, ut tantundem adhibeas ſtudii ad revertendum. Proinde ne dicas, te omittere orationem, quia modum ignoras, & quæ ſunt ſimilia; quia ſi modum neſcis, applica te, ut diſcas! ſtude nunc modeſtiæ ſicut prius ſtuduiſti diſſolutioni, ſtude taciturnitati ſicut antea ſtuduiſti turpi loquacitati, ſtude devotioni, ſicut prius ſtuduiſti malitiæ, &c. Segn. Manna 3. April. n. 2. & ſeq.

### 284. *Sera non eſt ſincera.*

Nunquam locutus es cum homine, qui in naufragio, aut periculo ſubmerſionis ægre evaſit? Si quæratur, utrum contritionem elicuerit, dicet nihil minus: mea tota cogitatio fuit, utinam in littus emergerem, de anima nihil mihi incidit. Sic fit apud ægrotos, quidquid illis ſpirituale ſuggeratur, illi ſolum cogitant: utinam convaleſcerem! atque ſic negotium animæ nunquam ſerio tractant.

Fur ſuſpenſus, & a Medicis ad ſectionem anatomicam impetratus, in calefacto hypocauſto (quia forte carnifex funem non ſatis arcte conſtrinxit) ad vitam redit, faſſus dein, quod nec centeſimam partem eorum reſciat, quæ ſecum peracta ſunt. Vide Tit. Mors: *De his quæ in morte.* Si tanta confuſio in morte, quis credat, illos actus pœnitentiæ ſerios, & efficaces fore?

Conizo ſceleratus Monachus cum diabolo pactum facit, ut ſe triduo ante mortem moneret: Monuit quidem dæmon, ſed Conizo, quoties fratres de pœnitentia loquebantur, ſemper obdormiit, & ſic periit. E. Verb. *Converſio* n. 2.

Deus varia animalia in victimas accepit, non vero piſces. Quare non? quia vix viventes ad altare adduci potuiſſent. C. Levit. 1. verſ. 2. Pœnitentia dilata ad mortem non accepta Deo.

Rex David de peccato adulterii & homicidii a Domino veniam accepit, quia ſtatim ad monitum Prophetæ Nathan pœnitentiam egit: *Peccavi Domino!* Econtra Judas reportans iniquam pecuniam, & delictum confitens pœnitentiæ gratiam non obtinuit, quia ſero pœnituit, &c.

Confeſſio Achan illi non profuit, quia ſera fuit. B. Serm. 22. num. 20. Serm. 8. n. 27. Serm. 9. num. 5. Serm. 49. num. 28.

Vitis ad ignem deſtinatur, & tamen flet? omnino: quia tunc primum flet cum abſcinditur. B. *Serm.* 68. n. 21.

Qui vivens obliviſcitur Dei, moriens obliviſcitur ſui, ait Gregorius. S. punct. 130. fol. 404.

Latronis in cruce converſi exemplum neminem decipiat, tum quia plurimis virtutibus ille pollebat, tum quia exempla miſericordiæ Divinæ non ſunt trahenda in conſequentiam &c. S. punct. 31. fol. 733.

Ne dicas: homo iſte piiſſime mortuus eſt, ad omnes Confeſſarii voces capite nutavit, crucifixum arripuit &c. non ſunt enim ſolida hæc feriæ pœnitentiæ argumenta. Quid prodeſt, ſi caput moveat? arbor dum ventus flat, cacumine nutat. Quid prodeſt ſi crucifixum arripiat? qui naufragatur, omne quidquid in manus venit, arripit, &c. B. Serm. 49. num. 28.

Antiochus in morte ſanctiſſima fecit propoſita, & tamen periit: quia ſerio non agebat, ſed tantum metu mortis. Hinc S. Ambroſius: Qui in ultimæ ægritudinis neceſſitate pœnitentiam agit, & moritur, veritatem dico, non quidem denegandum illi eſſe arbitror, quod petit, verum neque auſim affirmare quod bene ſit mortuus. Idem docet S. Auguſtinus, & alii. Mors eſt meſſis vitæ, qui lolium ſeminat, non metet triticum; qui ſemper deorſum ambulat, in fine non conſiſtet in apice montis. Quales ſunt diſpoſitiones, talis introducitur forma, miraculum foret ſi ad diſpoſitionem ſicci & calidi ſequeretur forma aquæ: ita mirum foret, ſi ad vitam malam ſequeretur mors bona. Miles in fine ſtipendium recipit a Rege cui ſervit, non a Rege contra quem rebellavit, &c. Ita diſcurrit S. Chryſoſtomus. D. 9. 10. Vide Tit. Pœnitentiæ Sacramentum.

Pœnitentia comparatur auroræ, non crepuſculo veſpertino: Cur autem auroræ? Quia ſicut aurora rorem, ita pœnitentia fecunditatem bonorum operum adducit. Item quia ſicut aurora poſt tenebras lucem adducit, ita pœnitentia facit, ut incipientes poſt peccatorum tenebras luce bonorum operum ſplendeſcere incipiant, &c. Prov. 4. verſ. 18. Hæc tanta emolumenta & delectamenta nullibi adſcribuntur luci veſpertinæ, neque pœnitentiæ ſeræ, &c.



### 285. *Docetur exemplo Sanctorum.*

Magdalena inſtrumenta peccati convertit in inſtrumenta compunctionis. S. punct. 107. fol. 310.

Petrus flet uſque ad ſulcos in genis. Arſenius ſemper pannum in gremio habebat, quo decidentes lacrymas excipiebat. S. punct. 107. fol. 312.

B. Maria Villana a teneris pia, deinde evanida mundi amatrix, in ſpeculo videt deformitatem ſuæ conſcientiæ, & hoc aſpectu converſa ingreditur Ordinem S. Dominici, ac auſteram pœnitentiam agit. *Ephem. Dom.* 28. *Martii*.

Petrus Comes Antiſſiodorenſis ob violata Eccleſiæ jura excommunicatus adeo pœnitentiam agit, ut cadaver contra interdictum Epiſcopale in cœmeterio ſepultum propriis manibus exhumarit. Hæc pœnitentia adeo placuit Deo, ut Petrus poſtea factus ſit Imperator Orientis. Ex culpa Godefredi Ducis Lotharingi urbs Verdunenſis una cum templo Beatę Virginis exuſta eſt: ſed poſtea adeo pœnituit, ut templum magnifice reædificarit, publice ſe virgis cædi permiſerit, & Eccleſiæ quartam partem comitatus Turonenſis donarit. D. 8. 5.

S. Bonifacius cum Aglae impudice converſatus ſeipſum ad hanc pœnitentiam condemnat, ut in urbem Tharſus properaret ibi Martyrum corpora veneraturus. Captus dein a gentili præſide crudeli martyrio affectus fuit. D. 9. 5.

S. Ambroſius ad lapſam Virginem ſcribit: Induere cilicio, & caſtiga corpus tuum pro meritis, abſcinde capillos, qui tibi occaſio fuerunt ad luxuriam, oculi tui continuo lacrymis innatent, quia ſexum alterum aſpexerunt, facies palleſcat, quæ antea rubuit, &c. In primitiva Eccleſia publice pęnitentes die cinerum ciliciis induti admittebantur in Eccleſiam, tum Sacerdotes orabant ſuper illos ſeptem Pſalmos pęnitentiales, tum in terram ſemper proſtrati conſpergebantur cinere, ac demum per Clericos e templo expellebantur, verbis illis *In ſudore vultus tui veſceris pane tuo*, quibus Adamus e Paradiſo fuit ejectus: jubebantur autem in die Cęnæ Domini pœnitentes redire, & tum primum reconciliabantur, &c. D. 11. 12. D. 12. 52.

S. Macarius quia in impuram cogitationem conſenſit, quadraginta diebus jejunat, & mira auſteritate ad mortem uſque perſeverat. R. cent. 2. p. 2. mir. 50.

### 286. *Ardenter deſideratur a Chriſto.*

S. Chryſoſtomus ait: *Inſanus amator non ita dilectum amat, ut Deus pœnitentem animam.* S. Chryſ. hom. 22. de pœnit. S. punct. 24. fol. 98. Exemplum latronis, fol. 101. Davidis, fol. 103. Filii prodigi, fol. 116. & punct. 107. fol. 314.

Animam pœnitentem Deus fere plus amat, & æſtimat, quam innocentem. Filius prodigus lautius habetur, quam moriger: Pater cariorem ſenſerat, quem lucrifecerat, ait Tertullianus, quaſi diceret: Deus plus amat, quos per pœnitentiam lucratur. Tertull. l. de pœnit. c. 8. Sicut ovis perdita plus amatur, quam totus grex; ita videtur Deus plus amare pęnitentem; quam Angelos: *Plus acquiſivimus*, ait S. Ambroſius, S. Ambr. in Pſ. 37. *qui plus peccavimus; quia beatiores facit tua gratia, quam noſtra innocentia.* Et de S. Petro Arnobius: Major gradus redditur ploranti, quam ſublatus fuerat deneganti. S. punct. 107. fol. 314.

Petrus poſt peccatum fit Princeps Apoſtolorum. M. conc. 37. aſſ. 3. n. 1. 2.

Angeli, ſi poſſent, inviderent homini, quod pœnitere non poſſint. M. Ibid. nu. 2.

Tanta eſt pœnitentiæ virtus, ut pœnitentem fere gratiorem reddat Deo, quam innocentem. Paoletti Dom. 4. Advent.

Anima ſancta Divinæ gratiæ ſplendore ornata amatur a Deo plus quam Angelus. Quodſi infelix anima per peccatum cæleſtem gratiæ ornatum perdit, Deus tamen non perdit amorem, ſed eam reſtaurare cupiens, balneum illi e ſuo ſanguine parat, &c. C. Lev. 12. v. 3.

### 287. *Non eſt differenda.*

Magnus ille paterfamilias utique etiam denarium dedit illi, qui primum hora undecima venit, ſed noli propterea in ſeram ſenectutem differre pœnitentiam: nam, ut ait Auguſtinus: *Quando vocaris, veni: hora ſexta vocaris, veni: paterfamilias etiam hora undecima venienti denarium promiſit, ſed undecimam horam non promiſit.* S. Aug. Serm. 59. de Verb. Dom. Periculoſum igitur eſt differre pœnitentiam propter incertitudinem mortis. B. Serm. 6. n. 8. Serm. 7. n. 25. 26.

*Quæ-*

*Quemadmodum deſiderat cervus ad fontes aquarum &c.* Cervus ſaucius non differt accelerare ad refrigerium. Ita &c. pœnitentia enim ſera Deo vires adimit ad juvandum. M. conc. 1. aſſ. 3. n. 2.

Moyſes ſex civitates refugii poſuit, quia ſex ſunt dies, quibus operari licet, ſeptimus eſt æternitas. M. conc. 1. aſſ. 3. n. 1.

Ephraim a morbo non ſanatur, quia ſerio auxilium poſtulat. M. Ib. n. 2.

Achan confeſſio non liberat a lapidatione, quia ſera erat. M. Ib. n. 3.

Quidam ægrotus monitus de pœnitentia ſemper repoſuit: ſufficere adhuc tempus. Verum ultimo terribiliter clamare cœpit: O pœnitentia ubi es? pœnitere non valeo, juſto Dei judicio, quia nolui. E. *Pœnitentia* n. 11.

Cervus ſaucius ſtatim dictamnum quærit: hirundo ſtatim cæcos pullos chelidonia ſanat: naufragus ſtatim tabulam apprehendit. Cur peccator non ſtatim pœniteat? C. Lev. 12. v. 3. Vide Paoletti Dom. 4. Adventus.

### 288. *Placat Deum.*

Cherubini illius gladius, qui Paradiſum cuſtodiit, erat flammeus, ſed verſatilis: bene verſatilis, ait Procopius, ut oſtendat Dei miſericordia gladium averti poſſe: *Ut converſo homine a vitiis ad virtutem gladius quoque convertatur.* B. Serm. 8. num. 6.

Dum fratres Joſeph propter furtum ſcyphi ſe humiliant, amiciſſime habentur: ita peccator contritus & humiliatus a Deo in amicum recipitur. B. Serm. 46. n. 3.

*Oſeæ 13.* *Conſumas eos ut leo.* Leo zelotypus eſt cum leæna, & ſi ab hac alium amare advertat, in fruſta diſcerpit: quod ſi vero leæna ſe prius lavet in flumine, tunc leo nihil advertit, & pacifice cum ea vivit: *Gemin. l. 5. c. 15.* *Si anima*, ait Geminianus, *in flumine lacrymoſæ pœnitentiæ lavetur, ab ipſo Chriſto peccatum diſſimulatur, & parcitur.* B. Serm. 7. n. 12. ſeq.

Deus iratus comparatur leoni, de tribu Juda. Nota autem, leo placatur multipliciter, ita ut homini non noceat. 1. Si oculos ejus pallio obveles: ita peccator defenditur pallio Sanctorum, præcipue Beatiſſimæ Dei Matris. 2. Si in eum fueris beneficus: ita Deus placatur operibus bonis. 3. Si ſupplex & proſtratus jaceas: ita ſi coram Deo humilieris: 4. Si ignem aut flammam illi oſtendas: ita ſi Deo ignem caritatis in corde tuo exhibeas &c. Dan. 6. v. 22.

S. Chryſologus ait: *Pretioſus eſt pœnitentiæ fructus, quia quod defendi non poteſt, ablui poteſt.* S. punct. 10. fol. 576. *S. Chryſol. Serm. 2. in Fer. 5. Paſſ.*

Urbi Limanæ, quæ erat ſentina ſcelerum, S. Franciſcus Solanus denunciat Dei ſupplicium, cum autem populus ad pœnitentiam convertitur, promittit illis veniam & remiſſionem. R. cent. 3. mir. 7.

Quidam Philoſophi defendunt vim pulveris ſympathetici, & putant illum, ſi hujate ſanguini applicetur, vulnerato Viennæ exiſtenti mederi poſſe: ſed refutatur hæc opinio, quia incredibile eſt, virtutem hujus pulveris per tot obſtacula eouſque pertingere poſſe. Verum in ſenſu ſpirituali datur ejuſmodi pulvis, qui cordi Divino per peccatum vulnerato medeatur: qualis eſt iſte pulvis? ille quo David pœnitens caput conſperſit. Pœnitentia placat ſtatim Deum. Vv. art. diſc. font. 41. ex. 15.

### 289. *Mactat, & enecat paſſiones hominis.*

*Sacrificate Sacrificium juſtitiæ.* Ubi Auguſtinus per Sacrificium juſtitiæ pœnitentiam intelligit: Remigius vero declarat peragi hoc Sacrificium de medio tollendo taurum ſuperbiæ, hircum laſciviæ &c. S. punct. 107. fol. 310.

Peccatum relinquit pravos habitus, qui per confeſſionem non tolluntur: *Mortuus eſt Pater & quaſi non eſt mortuus; ſimilem enim reliquit ſibi poſt ſe &c.* *Eccl. 30.* Sicut Sol, etſi ex eclypſi emergat, tamen non ſimul malignos effectus ab eclypſi cauſatos abſtergit, ita licet confeſſio peccatum remittat, non tamen habitus pravos extinguit: ſalubri ergo rigore opus eſt; hic enim ſervit tanquam falx ad demetendum quidquid noxium pullulaverat. *Satisfactoriæ pœnæ medentur peccatorum reliquiis, & vitioſos habitus tollunt*, ait Trid. *Trid. ſeſſ. 14. c. 8.* P. p. 3. diſc. 19. n. 16.

Putant aliqui, ſibi circa reatum pœnæ ſatis conſultum eſſe per indulgentias; ſed perperam; quia indulgentiæ non ſunt remedium ad tollendas ſiniſtras paſsiones. Vincenda eſt conſuetudo conſuetudine, prava, laudabili &c. P. p. 3. diſc. 19. n. 16.

Dicis forte: Diabolus magnum jus ac poteſtatem acquiſivit in peccatorem, adeoque paſsiones inimicas ſemper excitat. Verum ſcias per pœnitentiam vinci diabolum.

Cum S. Magdalena de Pazzis in ſuo oratorio preces funderet, apparuit illi ingens dæmonum copia. Sancta Virgo exprobravit illis ſuam infirmitatem, & arrepto flagello illos ex uno oratorii angulo



gulo in alterum, denique in orcum fugavit. Cur flagellum adeo valuit contra orcinos ſpiritus? quia illi nil magis formidant, quam inſtrumenta pœnitentiæ. R. cent. 2. part. 2. mir. 36.

### 290. *Vera non eſt res facilis.*

Terribilem ſententiam enuntiat Ambroſius: *Facilius inveni qui innocentiam ſervaverint, quam qui congrue egerint pœnitentiam.* *S. Ambr. l. 2. de pœnit. c. 10.* Cur? Reſpondeo: ibi nulla eſt pœnitentia, ubi poſtea regnat ambitio, gula, commercium cum ſæculo. S. punct. 107. fol. 311. C. Lev. 12. v. 3.

Vera pœnitentia debet inſtrumenta peccati convertere in materiam luctus, & compunctionis &c. S. punct. 107. fol. 310.

Non fruſtra orat Eccleſia in Litaniis: *Ut ad veram pœnitentiam nos perducere digneris*: vult enim his verbis ſatis clare inſinuare non quamvis pœnitentiam eſſe veram, ac ſeriam, ſed indigere ſuis fructibus ac effectibus.

*Tria in unoquoque pœnitente ſunt conſideranda*, ait S. Greg. *Confeſſio oris, converſio mentis, & vindicta peccati.* Confeſſio vix bene fit, quia animus haud ſatis examine diſcutitur, præſertim circa peccata omiſſionis, quorum plurima committuntur tam circa juſtitiam, quam circa caritatem. Dein longe minus bene fit converſio mentis; quia multi non concipiunt ſerium dolorem, tantum dolent ob pœnam ſicut Saul, qui non peccatum ſed amiſſionem regni deploravit: inſuper non averſantur ſerio occaſiones, &c. Denique etiam non bene fit vindicta peccati, ſeu ſatisfactio, quia nec Deo offenſo, nec proximo læſo fit compenſatio. Non Deo; quia alias ipſorum peccatum in majoris fervoris augmentum deberet cedere; non proximo, quia raro ſuperat difficultatem reſtitutionis, &c. P. p. 1. diſc. 5. n. 11. & ſeqq.

Ad emundationem leproſi adhibebantur hyſſopus, cedrus, coccinum, paſſer vivus, paſſer mortuus, & aqua: ita ad veram pœnitentiam debet concurrere fides, ſpes, caritas, humilitas, mortificatio & lacrymæ. C. Lev. 14. v. 7.

### 291. *Fugiat occaſiones, & materias peccati.*

Magdalena fregit alabaſtrum, ne vel gutta remaneat: Joſue funditus evertit Jericho: Moyſes in cinerem redegit vitulum: Joſias Rex Pythones, Arioloſ, figura idolorum, & immunditias ſuſtulit, & ideo hanc laudem meruit, quod *ſimilis illi non fuit ante eum Rex, qui reverteretur ad Dominum in toto corde ſuo.* O quot ſunt ſimiles Racheli, quæ licet in terram promiſſionis pergeret, tamen aliquot idola ſecum tulit. S. punct. 107. fol. 311.

S. Magdalena pœnitentium exemplar poſt mortem Chriſti trans mare in Gallias fugit, ibique in ſpecu Maſſilienſi multis milliaribus procul ab urbe Solymæa vixit. Quare? an non potuiſſet in caſtello ſuo, Magdalo, ſibi conſtruere eremum? Nempe id fecit, ut fugeret occaſionem peccati, quod recrudeſcere potuiſſet, etiamſi remiſſionem ab ipſo Chriſto Domino acceperit.

Tribus Magis apparuit in ſomno Angelus, monuitque, ut non redirent ad Herodem tyrannum: Herodes eſt homo Vetus, & mundus. Noli redire, & reverteris in domum tuam re feliciter geſta. *S. Franc. Borg. in Monit. ſpirit.* num. 4.

Chriſtus Philippo ad ſe vocato, rogantique, ut ſibi prius liceret ſepelire Patrem, licentiam hanc non dedit, ne occaſione ſepulturæ immiſceretur infidelibus & amicis, item ne forſan intereſſet executioni teſtamenti & diviſioni hereditatis, ſicque per has profanas actiones depravatus, in tranſverſum ageretur. C. in Matth. 8. v. 21.

Multi poſt pœnitentiam retinent litteras, ectypa, munuſcula, affectum &c. Juditha conopæum Holofernis ſuſpendit in *anathema oblivionis*, quia ab amante erat. B. Serm. 57. n. 13.

De oblatis pro peccato voluit Deus, ut ne minimum quidem remaneat. S. punct. 107. fol. 312.

David concupiſcentia deceptus, ne quidem concupiſcentiæ aquæ ſidit, ſed effundit, ait Ambroſius. S. Ib.

Sicut puer ludibundus ridet aviculam, quam avolantem filo tenet: ita dæmon ridet pœnitentiam ejus, quem illaqueavit amore occaſionis: alas interdum expandere ſinit ad pia deſideria, ad conciones &c. ſed tantum ludit: ſic luſit Herodem, cui placebant ſermones Joannis, & tamen detinebatur amore Herodiadis. S. punct. 107. fol. 312.

De peccatis præteritis non affligi eſt novam injuriam irrogare Deo. Sponſa perfida in flagranti deprehenſa ſi poſtea adulterum non amplius reſpiciat, probat ſe marito: at ſi cum complice iterum colludat, certe maritus ſe bis contemptum eſſe judicat. Sic res ſe habet apud Deum. *De peccatis non dolere, magis Deum iratum facit, quam peccare.* Ait S. Chryſoſtomus. *S. Chryſ. Hom. 60. ad pop.* P. p. 3. diſc. 19. num. 10.

Jacob idola familiæ aurea & argentea non in alios uſus convertit, ſed ſubtus terram defodit. C. Gen. 35. v. 4.

### 292. *Vera præmunire debet contra relapſum.*

Pœnitentia auſtera fere neceſſaria eſt ad tollendam proclivitatem in malum: Equus ceſpitans admonetur calcaribus, non tam ut negligentia præterita puniatur, quam ut deinceps cautior reddatur: ſic res nobiſcum habet; ſi quoties peccamus, toties mulcta haud levis exigeretur, cautiſſimi redderemur in poſterum; *Quis non facile homo ad peccata redit, ex quo pœnam expertus eſt*, ait S. Thomas. (S. Thom. ſuppl. q. 15. a. 3.) Atque hæc eſt origo lapſuum repetitorum, quia ex facilitate veniæ fit, ut peccatum pro levi malo reputetur. P. p. 3. diſc. 19. n. 13.

Princeps otioſus, & deliciis aſſuetus non curat petulantiam & damna rebellium in regno ſuo: at qui vere patriam amat juſtiſſima ira excandeſcit, & cum exercitu rebelles opprimere ſtudens nec ſumptibus, nec ſanguini parcit. *Homo pœnitens eſt ſibi iraſcens*, ait S. Auguſtinus. Si revera damna peccati conſideret, & commiſſa dolere, & futura fugere ſtudebit. P. p. 3. diſc. 19. num. 15.

Sacrificium Deo Spiritus contribulatus, cor contritum & humiliatum. Definitur autem Sacrificium, quod ſit *oblatio rei ſenſibilis per realem immutationem &c.* Ergo mutari debet cor pœnitentis, nec amplius relabi, fugere occaſiones, contemnere voluptates, &c.

Deus in Paulo converſo dedit ſchema & typum veræ converſionis peccatorum: Lux enim repræſentat gratiam excitantem, & internam illuminationem: proſtratio in terram adverſitatem: Vox reprehenſionem concionatoris aut conſcientiæ: Ananias Confeſſarium: cæcitas clauſuram oculorum, & animæ ad res terrenas: triduanum jejunium ſatisfactionem: caſus ſquammarum depoſitionem excuſationum: cibus Euchariſtiæ frequentationem. Hæc omnia niſi concurrant, non eſt vera pęnitentia, nec ſatis potens contra relapſum. C. in Act. Ap. c. 9. v. 4.

### 293. *Mutat peccatorem in juſtum.*

*Et altera Maria.* Bene altera, ait Chryſoſtomus, quia jam peccatrix erat, ſed altera. S. punct. 1. fol. 6.

Ille juvenis ad priſtinum nefas ſollicitatus reſpondet: *Ego non ſum ego.* Vide Titulum *Abnegatio*.

Samaritana venit ut meretrix, regreditur caſta. S. punct. 24. fol. 97. & fol. 311.

*Ninive ſubvertetur*: & tamen non ſcitur fuiſſe ſubverſam: quin imo ait Auguſtinus: *Stantibus mœnibus, atque domibus everſa eſt civitas in perditis moribus*: In ipſa Ninive non inveniſſet quis Niniven. S. punct. 107. fol. 311.

Nunquam obſervaſti, quomodo conficiatur papyrus? Pannus lineus, poſtquam diu homini ſerviit, demum vetuſtate attritus migrat in viliſſimum centonem: hic cento vilipenditur, in ſterquilinium abjicitur, pedibus conteritur. Sed ecce! quis crederet, hunc centonem adhuc in grandi honore habendum? id tamen fit, cum in molendinum papyraceum evehitur, conteritur, & in papyrum formatur, qua Principum decreta ſcribuntur. Mi peccator, ab initio eras in Baptiſmo puriſſime lotus velut mundiſſima tela linea, dein per peccatum factus es cento viliſſimus: verum macte animo! potes ſi ſerio voles, in papyrum mundiſſimam migrare: quomodo? ſi contereris per pœnitentiam.

Jacob poſtquam familiæ præcepit, ut abjicerent Deos alienos, ulterius præceptum addidit: *Mundamini ac mutate veſtimenta veſtra*: Mutatio veſtimentorum munditiem & renovationem internam ſignificat. C. Gen. 35. v. 2.

Quid eſt ſpeculum? eſt vitrum fragile, & tamen cum ſoli opponitur, inſtar ipſius ſolis ſplendeſcit. Ita peccator fragile vitrum eſt, cum autem a ſole Miſericordiæ Divinæ reſpicitur, ad pulchritudinem fere Divinam elevatur.

### 294. *Quam efficax ad remittenda peccata.*

David quamprimum dixit: *Peccavi*, ſtatim reſponſum tulit: *Dominus tranſtulit peccatum tuum.* Ubi Sanctus Auguſtinus: tantum tres ſyllabæ valent! S. pun. 25. fol. 103.

Peccator conſiderans virtutem pęnitentiæ non deſperet, &c. S. punct. 31. fol. 726.

*Pulvis, quem projicit ventus a facie terræ*, peccatum eſt; pœnitentia illud delet ut pulverem. M. conc. 1. aſſ. 3. num. 7. 8.

Monachus a dæmone tentatus exiit ex eremo, & incidens in mulierem turpiſſime cum illa peccavit. Porro deſperans voluit ſe in flumine ſubmergere, ſed Dei Miſeratione reſipiſcens tam auſtere & prolixe pœnitentiam egit, ut Deus illi veniam & remiſſionem peccatorum per prodigioſam lucernæ accenſionem ſignificarit. E. *Deſperatio* num. 4.

S. Auguſtinus ait: *O humilis lacryma, tuum eſt regnum, tua eſt potentia! &c. vincis invincibilem, & ligas omnipotentem.* Et S. Greg. *Polluta conſcientia lacrymis baptizata renovatur.* (S. Greg. l. 21. Mor.) Scimus quam grata fuerit Deo pœnitentia Magdalenę, Pelagiæ, Thaidis, Petri, Pauli, Matthæi, Mariæ Ægyptiæ, Arſenii, Fabiolæ &c. C. Lev. 4. in fin. & Lev. 12. v. 3.

*Qui ſeminant in lacrymis, in exultatione metent.* Cur in exultatione? ſicut granum frumenti, ſi non humectetur, areſcit; ſi autem pluviis humectetur, fructum affert: ita peccatum, ſi lacrymis irrigatur, fructum veniæ, ipſiuſque cœli parturit, ait Reinerius. B. Serm. 54. n. 12. 13.

### 295. *Debet eſſe conſtans & perſeverans.*

Miles a Confeſſario juſſus per totam noctem in Eccleſia orare, fortiter hanc pęnitentiam peregit. Nam ea nocte congregati ſunt dæmones, Lucifer conqueſtus, quod perdiderint amicum optimum, quærebat ex ſociis, quis illum poſſit ex Eccleſia expellere? primus itaque dæmon indutus formam ſororis monuit fratrem imminere hoſtes: alter ſpeciem uxoris ſimulans, dixit ſe ex arce cum filiis fuiſſe ejectam: tertius ſuſcitans incendium prope Eccleſiam vocavit militem ad reſtinguendum ignem: quartus ſub forma Preſbyteri ingreſſus eum tanquam excommunicatum exeſſe juſſit. Miles tamen non receſſit, revelatumque eſt ſancto Viro, quod ea nocte ſua conſtantia quatuor coronas promeruerit. E. *Pœnitentia* 9.

(Eccli 5.) *De propitiato peccato noli eſſe ſine metu*: timendum enim 1. ne confidentia, pœnitentia, & diſpoſitio tua ſit falſa, ideoque peccatum non ſit tibi remiſſum, quia *neſcit homo an amore vel odio dignus ſit*. 2. Eſto culpam eſſe remiſſam, timendum tamen de pœna, quæ remanet; neſcis enim an pro hac pœna ſatisfeceris. 3. Timendum, quia nunquam potes eſſe certus de remiſſione, hinc alibi ſuadetur: (Eccl. 21.) *Fili, peccaſti? ne adjicias iterum, ſed & de priſtinis deprecare, ut tibi dimittantur.* S. Magdalena, etiamſi ore Divino audierit, dimiſſa ſibi eſſe peccata, tamen in ſolitudinem procul a mundo receſſit, & ibi pœnitentiam per triginta annos produxit. Idem fecerunt S. Maria Ægyptia, S. Guilielmus Aquitaniæ Dux, S. Pelagia, & alii pœnitentes, qui nunquam ſe ſatis ſecuros eſſe arbitrati ſunt. S. Auguſtinus dicere ſolebat, *Etiam laudatiſſimos quoslibet Sacerdotes, nunquam committere debere, ut ſine pœnitentia ex hac vita decedant.* C. Eccli 5. v. 5.

Poſt extirpatas herbas venenoſas, quam ſolicitus eſt hortulanus, ne illæ radicem in terra reliquerint, & de novo repullulent. Poſt peſtem ſopitam, quam ſolicite fumigantur ædes & cubicula, ne virulentus vapor remaneat. Poſt incendium extinctum, quam ſolicite indagatur, ne ſcintilla adhuc gliſcat, in novas flammas eruptura! Ita timidus ac ſolicitus debet eſſe pœnitens, ne peccati extincti ſemen ſuperſit. Hinc *pœnitentia* idem ſonat, ac *pœnæ tenentia*, ſine qua non eſt ſecuritas contra relapſum.

### 296. *Non eſt tetrica, ſed hilaris.*

Duo fratres poſt vitam impuram egerunt pœnitentiam. Unus in ſacra ſolitudine factus eſt macilentus, alter pinguis. Quæſiti cauſam, primus repoſuit: Ego intuitu pœnarum, quas promerui, continuo in timore vixi. Alter ajebat: ego intuitu præmiorum, quæ exſpecto, Deo gratias egi, quod me eruerit ex inquinamento mundi. Reſponderunt autem ſenes, æqualem eſſe utriuſque pęnitentiam. E. *Pœnitentia* num. 2.

Sicut pœnitentia moderna difficilis videatur, conſideret pœnitentiam Veterum, quæ longa, & dura, in pane & aqua per plures annos fuit, uti patet ex Canon. Pœnitent. S. Baſilii, Gregorii Nyſſeni, Bedæ, Rabani Mauri, aliorumque: olim pœnitentiam agebant induendo habitum monaſticum, nec amplius ad ſæculum revertebantur, uti habetur in Concil. Toletano, (Concil. Tolet. 12. c. 2.) idque fecit ipſe Rex Hiſpaniarum VVamba ſub annum Domini 674. Hac de cauſa Pęnitentiarii Romani virgam tenent, qua recitantes Pſalmum Miſerere pœnitentes percutiunt. Henricus II. Imp. a S. Annone Archiepiſcopo Colonienſi duriſſimis verberibus fuit afflictus. Idem factum eſt Henrico II. Angliæ Regi, qui occaſionem dedit cædis S. Thomæ Cantuarienſis Epiſcopi, proſtratus in terram, & ſcapulis nudatus, ab unoquoque ex octoginta Monachis tribus verberibus percuſſus eſt, &c. C. in Matth. 4. v. 17.

Non eſt dicibile, quantas conſolationes Deus pœnitentibus poſt luctum pœnitentiæ ſubmittat, ut vere ſperare & dicere poſſint: *Poſt tenebras ſpero lucem.* C. Thren. 5. v. 22. Item Prov. 15. v. 30.

Bona conſcientia parit lætitiam, quæ totius orbis gaudia immenſum ſuperat. Hæc autem conſcientia eſt fructus feriæ pœnitentiæ. S. Maria Ogniacenſis de remiſſione peccatorum, & ſua prædeſtinatione certior facta, extra ſe rapiebatur, & præ gaudio ſine fine jubilabat: Ibimus in S. Sanctorum, & quid ſunt Sancta Sanctorum? &c. Idem legitur de S. Petro de Alcantara, de S. Franciſco Seraphico, & aliis. C. Prov. 15. v. 30. Item 1. Petr. 3. v. 31. Vide Tit. Conſcientia bona, &c.

*297. Debet eſſe proportionata peccatis.*

Chriſtus ter quæſivit Petrum, *Amas me?* Cur ter? Reſpondet Cyrillus: ut trina confeſſio trinæ negationi reſponderet. M. conc. 8. aſſ. 3. num. 8.

Magdalena per omnia inſtrumenta peccatorum pœnitentiam agit. M. Ib. nu. 9.

Ex facilitate pœnarum, quas ſæpe Confeſſarii injungunt, fit, ut peccatum pro levi malo reputetur. Si in uſu adhuc eſſent pœnitentiæ in primitiva Eccleſia injungi ſolitæ, non is flagitiorum torrens Chriſtianas provincias inundaret. *Omnis* (S. Greg. in 1. Pſal. Pœnit.) *curatio, quanto difficilius acquiritur, tanto acquiſita cautius cuſtoditur.* Ait S. Gregorius. P. p. 3. diſc. 19. n. 13.

Quæ cauſa eſt, quod pro graviſſimis peccatis leviſſimæ pœnitentiæ agantur? Non alia, quam quia deformitas, & atrocitas peccati non ſatis conſideratur. *Nullus eſt, qui agat pœnitentiam ſuper peccata ſua dicens: quid feci?* Si rite attenderetur damnum peccati, & injuria, qua afficit Deum, dicendo: *Quid feci?* profecto peccata acerbiſſimis pœnitentiis caſtigarentur. P. p. 3. diſc. 19. n. 14. & 15.

(S. Ambr. l. 2. de pœnit.) S. Ambroſius ait: *Facilius inveni qui innocentiam ſervarint, quam qui congrue agerent pœnitentiam.* Nimirum quia voluntariæ caſtigationes non proportionantur peccatis. C. Lev. 12. v. 3. ad finem.

Naaman Syrus juſſus eſt a Propheta ſepties lavari in Jordane, per unicam vicem non recuperaſſet ſanitatem, quia lepra eſt morbus valde pertinax; ita peccatum, idque valde intenſum, aut ſæpius repetitum morbus animæ eſt longe gravior, quam quod uno actu pœnitentiali perfecte corrigi, & emendari poſſit. Repetendæ ſunt animi compunctiones, ſuſpiria, lacrymæ ſepties aut ſæpius, &c. S. Petrus Apoſtolus, S. Magdalena, S. Maria Ogniacenſis, S. Guilielmus Dux Aquitaniæ, aliique pœnitentes toties in fletus & gemitus eruperunt, quoties recordati ſunt, quod Deum offenderint ſummum Bonum! Qui poſt pœnitentiam redit ad priora mundi oblectamenta, inanis pœnitens eſt; quia qui illicita perpetravit, etiam licita ſibi interdicere debet, ait S. Gregorius, &c.

Temperantia.

*298. Quid ſit? & quis ejus effectus?*

Eſt virtus moralis, cujus præſidio cohibemus appetitus paſſiones, quæ verſantur circa delectabilia ſenſuum, præcipue guſtus, & tactus, ad quorum duorum ſenſuum functiones aliorum ſenſuum actus ordinantur. Sucquet Via Vitæ æternæ.

Ejus officium eſt, moderari facultatem concupiſcibilem, eamque revocare ad dictamen rationis; adeoque ſicut appetitus iraſcibilis a fortitudine, ita concupiſcibilis a temperantia, circa res delectabiles, ſuam regulam, & perfectionem accipit. Hinc homo temperans ſemper ſibi erit æqualis, mores habebit ſemper compoſitos, vultum ſemper uniformem, cui nec ira nubibus obducit frontem, nec riſus ex ore perſtrepit, ſimilis vertici Olympi, ubi eadem ſemper ſerenitas.

Actus principalis temperantiæ eſt moderari appetitum objectorum delectabilium, eo uſque, ut eorum uſus non generet voluptatem ſuperfluam, neque carentia generet ſuperfluum dolorem. Ipſa æquipondium tenet inter lacrymas & riſum, inter ſuſpiria & jubila, inter deſideria & dolores! Et ſicut fortitudo audaciam efficit timidam, timiditatem audacem; ita temperantia juſto æquilibrio mæſtitiam efficit delectabilem, delectationem mæſtam, ut unum & alterum reducat ad mediocritatem honeſti.

S. Auguſtinus ait: Munus temperantiæ (S. Aug. l. de Mor. Eccleſ.) eſt in coercendis, ſedandiſque cupiditatibus, quibus contrariamus in iis, quæ nos avertunt a legibus Dei, & fructu bonitatis ejus. Ejus officium eſt contemnere omnes corporeas illecebras, laudemque populorum, &c. Et S. Proſper: Temperantia (S. Proſp. de Vit. contempl.) facit abſtinentem, parcum, ſobrium, moderatum, pudicum, tacitum & verecundum: hæc virtus, ſi in animo habitat, libidines frænat, affectus temperat, deſideria ſancta multiplicat, vitioſa caſtigat, omnia intra nos confuſa ordinat, ignem libidinoſæ voluptatis extinguit, mentem placita tranquillitate componit, & totam ab omni ſemper tempeſtate vitiorum defendit. Et denique Seneca: Tempe- (Seneca Ep. ult.)





rantia voluptatibus imperat, alias odit, & abigit, alias diſpenſat, & ad ſanum modum dirigit, nec unquam ad illas propter ipſas venit. Scit optimum eſſe modum cupitorum, non quantum velis, ſed quantum debeas ſumere, &c.

Abſtinentia: Jejunium, &c.

*299. Eſt homini perquam utilis.*

(Eccl. 4.) *Cibus tuus, quo veſceris, erit in pondere,* id eſt moderatus &c. S. pun. 91. fol. 285.

*Diſciplinato bene inſtituto vinum exiguum:* ubi Rabanus: Tenuis victus tam animæ, quam corpori utilis eſt. Et Sanctus Hieronymus: cibus ſimplex modicus, minus oneroſus: impeditur cruditas ſtomachi, inſomnia, cholera, brevitas vitę &c. S. Ib. fol. 286.

Abſtinentia prodeſt ſanitati, caſtitati, & ſapientiæ. C. Gen. c. 9. v. 21. Sanchez 5. part. c. 7. fol. 515.

Temporibus ante diluvium probabiliter nondum erat licitum carnibus veſci: gregibus ovium & boum autem tantum utebantur Veteres ad ſacrificia, item ad lanam, lac, caſeum. Dein diuturno tempore *ex uno cibo comedere mos fuit antiquorum.* Et tamen illi homines corpore, anima, & fortunis erant felices. D. 10. 74.

Hominem omnino idoneum facit ad contemplanda cæleſtia: S. Chryſoſtomus vocat jejunium ſcholam precum, & merito; nam pinguis venter, ait S. Hieronymus, non gignit tenuem mentem. Accipiter bene paſtus non volitat, nec intellectus poſt multas epulas elevatur. Daniel per jejunium idoneum ſe fecit ad viſionem. S. punct. 90. fol. 285.

(S. Chryſ. Ser. 1. de jejun.) Tempore calamitatis vel publicæ, vel privatæ ad jejunium confugiendum eſt, ut per pœnitentiam Dei ira placetur: *Jejunium,* ait S. Chryſoſtomus, *Dei ſententiam revocat, & immortalitatis eſt conciliator.* Ita Joſaphat obſeſſus a Moabitis, Ammonitis & Idumæis toti Judææ jejunium imperat, & a Deo auxilium per miraculum obtinet. Iſraelitæ obſeſſi a Philiſtæis tempore Samuelis jejunantes, eos profligant. Imminente Judæis excidio Chaldæorum illis evadendi hoc dat remedium: *Sanctificate jejunium.*

Sic Joſaphat, Ezechias, Manaſſes, Juditha, Mardochæus, aliique in ſuis afflictionibus jejunio remedium quærunt. B. Serm. 45. n. 21. C. Zach. 7. v. 3.

Et Urbs Ninive jejunio excidium avertit. S. punct. fol. 291. Et C. ibidem.

Sobrietas eſt Mater ſapientiæ, tum quia caput facit ſerenum, ſpiritusque animales facit aptos ad ſpeculandum, tum quia anima, quo minus occupatur cibo, eo magis intendere poteſt ſtudio, & contemplationis. Experti id ſunt homines ante diluvium, qui vino abſtinentes fuerunt longævi, & ſapientes: Item Nazaræi, & Rechabitæ, Moyſes & Elias, Joannes Baptiſta, Paulus Eremita & Cœnobitæ omnes, &c. C. Dan. 1. v. 17.

*300. Eſt neceſſaria ad vincendas tentationes.*

Cui jejunium neceſſarium non eſt? Reſpondeo illi, qui carnem non habet. Mulieribus jejunare neceſſarium eſt, ſicut reſpirare. S. Chryſoſtomus ait: ſi in Paradiſo neceſſarium fuit, extra Paradiſum multo magis. S. punct. 96. fol. 290.

Job cur tam fortis erat contra tentationes? ex jejunio. Contra guloſi ſtatim vincuntur: ſic quinque Reges contra quatuor ſuccubuerunt, quia luxui dediti erant. S. punct. 96. fol. 290.

Contra Amalec jejunio pugnatur: S. Ambroſius ait: jejuni hominis ſputum ſi ſerpens guſtaverit, moritur: ita ſerpens infernalis jejunio vincitur. S. Ib. fol. 291.

Sicut obſidens urbem ante omnia curare debet, ne annona in urbem veniat: ita volens expugnare tentationes ante omnia corpus jejunio mortificare debet. Sanchez 5. part. c. 7. fol. 524.

Draco venenoſus ad vaſtitatem uſque affligebat viciniam: fratres autem decem diebus jejunantes ſputa congeſſerunt in pelvim, eaque devoranda dederunt Draconi, & iſte occiſus eſt. Parem in modum fugatur infernalis Draco. E. Verbo *Abſtinentia,* ex. 12.

Quid eſt, quod Juvenis caſtiſſimus Joſeph carnem habuit quaſi ſpiritualem? Lippomanus ait, quia e cibis Domini nihil præter ſiccum panem edebat.

Abraham cum dimiſit Agar, nullum viaticum illi dedit præter panem, & aquam: Procopius, & Sanctus Antonius ajunt: Agar interpretatur *ſuſcitans feſta,* & denotat carnalem voluptatem: hæc melius domari non poteſt, niſi pane, & aqua. S. punct. 93. fol. 288.

Sanctus Hieronymus ad Euſtochium: Hoc dico, non quod Deus inteſtinorum noſtrorum rugitu, & inanitate ventris delectetur, ſed quod aliter pudicitia tuta eſſe non poſſit. S. punct. 93. fol. Ib. Sanchez 5. part. c. 7. fol. 517.

Bona conſcientia parit lætitiam, quæ totius orbis gaudia immenſum ſuperat. Hæc autem conſcientia eſt fructus feriæ pœnitentiæ. S. Maria Ogniacenſis de remiſſione peccatorum, & ſua prædeſtinatione certior facta, extra ſe rapiebatur, & præ gaudio ſine fine jubilabat: Ibimus in S. Sanctorum, & quid ſunt Sancta Sanctorum? &c. Idem legitur de S. Petro de Alcantara, de S. Franciſco Seraphico, & aliis. C. Prov. 15. v. 30. Item 1. Petr. 3. v. 31. Vide Tit. Conſcientia bona, &c.

297. *Debet eſſe proportionata peccatis.*

Chriſtus ter quæſivit Petrum, *Amas me?* Cur ter? Reſpondet Cyrillus: ut trina confeſſio trinæ negationi reſponderet. M. conc. 8. aff. 3. num. 8.

Magdalena per omnia inſtrumenta peccatorum pœnitentiam agit. M. Ib. nu. 9.

Ex facilitate pœnarum, quas ſæpe Confeſſarii injungunt, fit, ut peccatum pro levi malo reputetur. Si in uſu adhuc eſſent pœnitentiæ in primitiva Eccleſia injungi ſolitæ, non is flagitiorum torrens
[S. Greg. in 1. Pſal. Pœnit.] Chriſtianas provincias inundaret. *Omnis curatio, quanto difficilius acquiritur, tanto acquiſita cautius cuſtoditur.* Ait S. Gregorius. P. p. 3. diſc. 19. n. 13.

Quæ cauſa eſt, quod pro graviſſimis peccatis leviſſimæ pœnitentiæ agantur? Non alia, quam quia deformitas, & atrocitas peccati non ſatis conſideratur. *Nullus eſt, qui agat pœnitentiam ſuper peccata ſua dicens: quid feci?* Si rite attenderetur damnum peccati, & injuria, qua afficit Deum, dicendo: *Quid feci?* profecto peccata acerbiſſimis pœnitentiis caſtigarentur. P. p. 3. diſc. 19. n. 14. & 15.

[S. Ambr. l. 2. de pœnit.] S. Ambroſius ait: *Facilius inveni qui innocentiam ſervarint, quam qui congrue agerent pœnitentiam.* Nimirum quia voluntariæ caſtigationes non proportionantur peccatis. C. Lev. 12. v. 3. ad finem.

Naaman Syrus juſſus eſt a Propheta ſepties lavari in Jordane, per unicam vicem non recuperaſſet ſanitatem, quia lepra eſt morbus valde pertinax; ita peccatum, idque valde intenſum, aut ſæpius repetitum morbus animæ eſt longe gravior, quam quod uno actu pœnitentiali perfecte corrigi, & emendari poſſit. Repetendæ ſunt animi compunctiones, ſuſpiria, lacrymæ ſepties aut ſæpius, &c. S. Petrus Apoſtolus, S. Magdalena, S. Maria Ogniacenſis, S. Guilielmus Dux Aquitaniæ, aliique pœnitentes toties in fletus & gemitus eruperunt, quoties recordati ſunt, quod Deum offenderint ſummum Bonum! Qui poſt pœnitentiam redit ad priora mundi oblectamenta, inanis pœnitens eſt; quia qui illicita perpetravit, etiam licita ſibi interdicere debet, ait S. Gregorius, &c.

Temperantia.

298. *Quid ſit? & quis ejus effectus?*

Eſt virtus moralis, cujus præſidio cohibemus appetitus paſſiones, quæ verſantur circa delectabilia ſenſuum, præcipue guſtus, & tactus, ad quorum duorum ſenſuum functiones aliorum ſenſuum actus ordinantur. Sucquet Via Vitæ æternæ.

Ejus officium eſt, moderari facultatem concupiſcibilem, eamque revocare ad dictamen rationis; adeoque ſicut appetitus iraſcibilis a fortitudine, ita concupiſcibilis a temperantia, circa res delectabiles, ſuam regulam, & perfectionem accipit. Hinc homo temperans ſemper ſibi erit æqualis, mores habebit ſemper compoſitos, vultum ſemper uniformem, cui nec ira nubibus obducit frontem, nec riſus ex ore periſtrepit, ſimilis vertici Olympi, ubi eadem ſemper ſerenitas.

Actus principalis temperantiæ eſt moderari appetitum objectorum delectabilium, eo uſque, ut eorum uſus non generet voluptatem ſuperfluam, neque carentia generet ſuperfluum dolorem. Ipſa æquipondium tenet inter lacrymas & riſum, inter ſuſpiria & jubila, inter deſideria & dolores! Et ſicut fortitudo audaciam efficit timidam, timiditatem audacem; ita temperantia juſto æquilibrio mæſtitiam efficit delectabilem, delectationem mæſtam, ut unum & alterum reducat ad mediocritatem honeſti.

S. Auguſtinus ait: Munus temperantiæ eſt in coercendis, ſedandiſque cupiditatibus, quibus contrariamus in iis, quæ nos avertunt a legibus Dei, & fructu bonitatis ejus. Ejus officium eſt contemnere omnes corporeas illecebras, laudemque populorum, &c. [S. Aug. l. de Mor. Eccleſ.] Et S. Proſper: Temperantia facit abſtinentem, parcum, ſobrium, moderatum, pudicum, tacitum & verecundum: hæc virtus, ſi in animo habitat, libidines frænat, affectus temperat, deſideria ſancta multiplicat, vitioſa caſtigat, omnia intra nos confuſa ordinat, ignem libidinoſæ voluptatis extinguit, mentem placita tranquillitate componit, & totam ab omni ſemper tempeſtate vitiorum defendit. [S. Proſp. de Vit. contempl.] Et denique Seneca: Temperantia voluptatibus imperat, alias odit, & abigit, alias diſpenſat, & ad ſanum modum dirigit, nec unquam ad illas propter ipſas venit. Scit optimum eſſe modum cupitorum, non quantum velis, ſed quantum debeas ſumere, &c. [Seneca Ep. ult.]



Abſtinentia: Jejunium, &c.

299. *Eſt homini perquam utilis.*

[Eccl. 4.] *Cibus tuus, quo veſceris, erit in pondere,* ideſt moderatus &c. S. pun. 91. fol. 285.

*Diſciplinato bene inſtituto vinum exiguum:* ubi Rabanus: Tenuis victus tam animæ, quam corpori utilis eſt. Et Sanctus Hieronymus: cibus ſimplex modicus, minus oneroſus: impeditur cruditas ſtomachi, inſomnia, cholera, brevitas vitę &c. S. Ib. fol. 286.

Abſtinentia prodeſt ſanitati, caſtitati, & ſapientiæ. C. Gen. c. 9. v. 21. Sanchez 5. part. c. 7. fol. 515.

Temporibus ante diluvium probabiliter nondum erat licitum carnibus veſci: gregibus ovium & boum autem tantum utebantur Veteres ad ſacrificia, item ad lanam, lac, caſeum. Dein diuturno tempore *ex uno cibo comedere mos fuit antiquorum.* Et tamen illi homines corpore, anima, & fortunis erant felices. D. 10. 74.

Hominem omnino idoneum facit ad contemplanda cæleſtia: S. Chryſoſtomus vocat jejunium ſcholam precum, & merito; nam pinguis venter, ait S. Hieronymus, non gignit tenuem mentem. Accipiter bene paſtus non volitat, nec intellectus poſt multas epulas elevatur. Daniel per jejunium idoneum ſe fecit ad viſionem. S. punct. 90. fol. 285.

[S. Chryſ. Ser. 1. de jejun.] Tempore calamitatis vel publicæ, vel privatæ ad jejunium confugiendum eſt, ut per pœnitentiam Dei ira placetur: *Jejunium,* ait S. Chryſoſtomus, *Dei ſententiam revocat, & immortalitatis eſt conciliator.* Ita Joſaphat obſeſſus a Moabitis, Ammonitis & Idumæis toti Judææ jejunium imperat, & a Deo auxilium per miraculum obtinet. Iſraelitæ obſeſſi a Philiſtæis tempore Samuelis jejunantes, eos profligant. Imminente Judæis excidio Chaldæorum illis evadendi hoc dat remedium: *Sanctificate jejunium.*

Sic Joſaphat, Ezechias, Manaſſes, Juditha, Mardochæus, aliique in ſuis afflictionibus jejunio remedium quærunt. B. Serm. 45. n. 21. C. Zach. 7. v. 3.

Et Urbs Ninive jejunio excidium avertit. S. punct. fol. 291. Et C. ibidem.

Sobrietas eſt Mater ſapientiæ, tum quia caput facit ſerenum, ſpirituſque animales facit aptos ad ſpeculandum, tum quia anima, quo minus occupatur cibo, eo magis intendere poteſt ſtudio, & contemplationis. Experti id ſunt homines ante diluvium, qui vino abſtinentes fuerunt longævi, & ſapientes: Item Nazaræi, & Rechabitæ, Moyſes & Elias, Joannes Baptiſta, Paulus Eremita & Cœnobitæ omnes, &c. C. Dan. 1. v. 17.

300. *Eſt neceſſaria ad vincendas tentationes.*

Cui jejunium neceſſarium non eſt? Reſpondeo illi, qui carnem non habet. Mulieribus jejunare neceſſarium eſt, ſicut reſpirare. S. Chryſoſtomus ait: ſi in Paradiſo neceſſarium fuit, extra Paradiſum multo magis. S. punct. 96. fol. 290.

Job cur tam fortis erat contra tentationes? ex jejunio. Contra guloſi ſtatim vincuntur: ſic quinque Reges contra quatuor ſuccubuerunt, quia luxui dediti erant. S. punct. 96. fol. 290.

Contra Amalec jejunio pugnatur: S. Ambroſius ait: jejuni hominis ſputum ſi ſerpens guſtaverit, moritur: ita ſerpens infernalis jejunio vincitur. S. Ib. fol. 291.

Sicut obſidens urbem ante omnia curare debet, ne annona in urbem veniat: ita volens expugnare tentationes ante omnia corpus jejunio mortificare debet. Sanchez 5. part. c. 7. fol. 524.

Draco venenoſus ad vaſtitatem uſque affligebat viciniam: fratres autem decem diebus jejunantes ſputa congeſſerunt in pelvim, eaque devoranda dederunt Draconi, & iſte occiſus eſt. Parem in modum fugatur infernalis Draco. E. Verbo *Abſtinentia,* ex. 12.

Quid eſt, quod Juvenis caſtiſſimus Joſeph carnem habuit quaſi ſpiritualem? Lippomanus ait, quia e cibis Domini nihil præter ſiccum panem edebat.

Abraham cum dimiſit Agar, nullum viaticum illi dedit præter panem, & aquam: Procopius, & Sanctus Antonius ajunt: Agar interpretatur *ſuſcitans feſta,* & denotat carnalem voluptatem: hæc melius domari non poteſt, niſi pane, & aqua. S. punct. 93. fol. 288.

Sanctus Hieronymus ad Euſtochium: Hoc dico, non quod Deus inteſtinorum noſtrorum rugitu, & inanitate ventris delectetur, ſed quod aliter pudicitia tuta eſſe non poſſit. S. punct. 93. fol. Ib. Sanchez 5. part. c. 7. fol. 517.

Juditha Holoſernem victura jejunio ſe munit. M.conc.1.aſſ.2.n.2. Angeli Eliam frugaliter paſcunt, quia jejunio vincere debebat Jezabelem. Samſon fortiſſimus erat, quia a Matre in jejunio conceptus. M. Ib. nu.3.4. Daniel leones, tres pueri ignem vincunt jejunio. M.Ib.n.5.6.

301. *Approbatur & grata eſt Deo.*

Princeps hæreticus in Polonia pro Feria ſexta Paraſceves in odium Catholicæ fidei convivium parat ex carnibus, & ad eas veſcendas Sacerdotem comminatione mortis cogit: ille procidens in genua Dei auxilium implorat. Et ecce! altilia & volucres aſſæ aſſumptis plumis revixerunt, & fugerunt. Princeps fuit converſus. J.155.

Caſſian. collat.21. c. 28. Jejunium Quadrageſimale eſt quaſi decima pars anni, per quam decimam Deo pendimus, ait Caſſianus. C. Exod.24. v.18.

De multis Sanctorum legitur, quod toto jejunii quadrageſimalis tempore ab omni eſu abſtinuerint. Hi certe vitam prorogare non potuiſſent, niſi a Deo prodigioſe fuiſſent conſervati. S. Maria Ægyptia 47. annis vixit in eremo, primis ſeptendecim annis non niſi duobus panibus, quos ſecum domo attulerat, reliquis autem triginta annis ſine omni cibo victitans, ac veſtibus conſumptis nuda, frigore & æſtu toſta, ita ut æthyopiſſa videretur. C. Deut. 8. v. 4.

Ex Scriptura & Hiſtoriis habetur, quod tempore calamitatis publicæ iracundia punientis Dei fuerit mitigata per jejunium populi. Sic Ninivitæ per triduanum jejunium averterunt excidium urbis, &c.

302. *Quadrageſimale, unde? & quomodo?*

Jejunia Quadrageſimæ vocantur etiam ſtationes, ad imitationem quadraginta annorum & ſtationum, quas Iſraelitæ in ſua peregrinatione fecerunt. *Quid eſt Jejunium? eſt ſtatio*, ait Paſtor. *Stationes vocantur jejunia*, ait Ambroſ. &c. C. Exod. 24. v. 18.

Paſtor. l. 3. c. 5. Ambroſ. Serm. 25.

Simeon Stilites viginti octo Quadrageſimas ſine ullo cibo tranſegit. Chriſtiani ſic ſervabant jejunium, ut decem ſoles ſine cibo tranſigerent. Quidam Monachi viginti dies ac noctes cibo abſtinebant, unus omnino ad quadraginta dies jejunium protraxit, &c. C. Exod. 24. in fine.

In primitiva Eccleſia hoc jejunium jam erat de conſuetudine, quamvis nondum ubique locorum fuerit receptum in legem. Teleſphorus Pontifex conſtituit, ut a Dominica Quinquageſimæ jejunium inchoaretur, verum hæc ejus conſtitutio tantum conſuetudinem, non legem induxit; ſic legimus, quod S. Spiridion hoſpiti carnes appoſuerit. Tandem ab Eccleſia lege ſancita, & confirmata eſt. C. ad Tit. 1. v. 15.

Quadrageſimalis jejunii origo ab ipſis Apoſtolicis temporibus derivaſſe creditur: Ad illud tenentur omnes Chriſtiani, præter eos, qui ætate, labore, aut impotentia excuſantur: Ætate excuſantur, qui vigeſimum primum ætatis annum necdum compleverunt, & ſenes ſexagenarii decrepiti. Labore excuſantur, qui tam operoſa occupatione fatigantur, ut jejunio ferendo pares non ſint, uti ſervi, agricolæ, fabri, aliique. Impotentia excuſantur ægroti, pauperes, itinerantes &c. Ad ſubſtantiam hujus jejunii tria requiruntur. 1. Abſtinentia ab eſu carnium. 2. Unica refectio de die. 3. Certa hora refectionis, quæ eſt circa meridiem, niſi aliud conſuetudo loci, aut neceſſitas ſuadeat, &c. Quæres, an per veſpertinam collatiunculam frangatur jejunium? Reſpondeo non frangitur, ſi moderata illa ſit, & quartam partem prandii non excedat. Ita paſſim Auctores, &c.

303. *Docetur exemplo etiam gentilium, & Veterum.*

Moſcovitæ feriis eſurialibus magis quam aliæ gentes ſunt obnoxii: toto anno paucis diebus illis licet comedere carnes. Primum jejunium ante Paſcha durat octo ſeptimanis. Secundum incipit poſt Dominicam primam Trinitatis & finitur in Feſto SS. Apoſtolorum Petri & Pauli. Tertium ſumit initium die prima Auguſti & finitur decima quarta ejuſdem. Quartum appellatur jejunium S. Philippi, & incidit in diem duodecimam Novembris duratque ſex ſeptimanis. VV. Art. diſc. Font. 40. Ex. 7.

Populi Calecutiæ, præſertim nobiles, nec piſces, nec carnes, nec quidquam comedunt, quod vitam aliquando habuit. VV. art. diſc. font. 40. ex. 8.

Ita abſtinentes fuerunt Enos, Henoch, Mathuſalem, Noe. Ita Nazaræi, & Rechabitæ abſtinentia commendantur. Moyſes & Elias 40. dierum jejunio viſionem Dei meruerunt. Paulus Eremita, Antonius, Hilarion vitam quaſi Angeli in abſtinentia & contemplatione duxerunt. C. Gen. 9. v. 21.

Perſæ ad panem non niſi naſturtium adhibuerunt, tumque floruerunt virtute, orbis imperium per 200. annos tenentes.



Ægyptii Sacerdotes carne, vino, ovis, & lacte ſemper abſtinuerunt, ut intentius Divinis vacarent, & libidinem reſtinguerent, &c. Socrates rogatus, qua in re ab aliis hominibus differret, reſpondit: *Alii vivunt, ut edant, ego edo, ut vivam.* C. Ibid.

304. *Prolongat vitam.*

Chryſoſtomus vocat jejunium *pharmacum immortalitatis*: primis quinque diebus creationis, ait Ambroſius, nihil Deus de cibo locutus eſt, ſed primum ſexto, ubi beſtiæ creatæ ſunt. S. punct. 92. fol. 287.

S. Paulus Eremitarum primipilus vixit annos centum & quindecim. Antonius centum & quinque. Paphnutius nonaginta, Hilarion octoginta quatuor. Jacobus centum & quatuor. Macarius nonaginta octo. Arſenius centum viginti. Simeon Stylita centum & novem. Romualdus centum viginti. Et hi omnes in ſolitudinibus victitantes, non niſi pane, aqua, leguminibus, herbis, & quidem vix una aut altera vice in hebdomade reficiebantur. D. 5. 68.

Homines ante diluvium ab omni eſu carnis abſtinuerunt, & tamen vitam ad annos aliquot centenos produxerunt. C. Gen. 9. v. 12

Priſtini Anachoretæ erant admirabiles in jejunio & abſtinentia, & tamen plerumque ultra centenos vixerunt.

Sicut gula plures occidit, quam gladius propter crudam, ac turbulentam concoctionem, & nocivos humores, quos immoderatus eſus, & potus in ſtomacho relinquit: ita jejunium & abſtinentia digerit, & conſumit vitioſos humores, & ſæpe, quod non valuerunt medicinæ, ægrotantem valetudini reſtituit, &c.

305. *Docetur exemplo Sanctorum.*

S. Maria Ægyptiaca duobus panibus ſeptendecim annis vivit. C. Deut. c. 8. v. 4.

Moyſes jejunavit uſque ad quadrageſimum diem. S. Catharina Senenſis jejunium quadrageſimale ſola quotidiana Euchariſtia protraxit. Kornm. f. l. 114. Frater Nicolaus in Helvetia per viginti & unum annos ſine omni cibo corporali vixit. Ib. 115.

Cum S. Fructuoſus Epiſcopus & Martyr ad necem duceretur, oblata ſunt ei aliqua condimenta, & vinum: at ille recuſavit oblata inquiens: nondum eſt hora ſolvendi jejunium. D. 2. 52.

Primi Chriſtiani in jejunio quadrageſimali debebant abſtinere ab omni mactabili, conſequenter etiam a piſcibus: ægrotantibus vix permiſerunt olei, & vini uſum. S. Aſella Virgo tota majore hebdomada nihil obſonii guſtabat; aliqui Monachi decem, alii viginti diebus ab omni eſu abſtinebant. D. 3. 11. D. 12. 4.

Ludovicus Pius Rex Galliarum ante mortem per dies quadraginta nihil cibi guſtat. Albertus Magnus teſtatur ſe noviſſe Matronam Coloniæ, quæ interdum per viginti dies impaſta vixit &c. D. 3. 45.

Abbas Palæmon tempore Paſchæ petebat a Pacomio convivio excipi, & Pacomius appoſuit illi herbas cum oleo. Ille autem flere incepit dixitque: Dominus meus Chriſtus in cruce pendet, & ego oleo fruar? his dictis panem ſolum & aquam guſtavit. Sanchez 5. part. c. 7. fol. 531. &c. Vide Tit. *Pœnitentia Sanctorum*, Mirabilis in jejunio & inedia. Et E. Verbo abſtinentia, ex. 7.

Quæſitus quidam Patrum quid heri, quid hodie comediſſet? reſpondit heri comedi piſa & olera, hodie olera & piſa. Quid cras & perendie? cras comedam piſa cum oleribus, & perendie olera cum piſis &c. E. Verbo *Abſtinentia* ex. 8.

Continuo per omnem vitam abſtinebant Sancti a vino. C. Levit. 10. v. 9.

Humilitas.

306. *Fugit dignitates & laudes humanas.*

SAnctus Gregorius Magnus in ſpeluncam ſe abdit, ne ad Pontificatum eveheretur, e qua per miraculum deinde evocatus eſt. Petrus Cæleſtinus ſe Pontificatu abdicat: Ambroſius Mediolano aufugit, ne in Epiſcopum eligeretur: Joannes Chryſoſtomus in eremum ſecedit, ne Epiſcopus fieret. Ammonius Monachus auriculam ſibi abſcindit, ut ad Epiſcopale munus ineptus fieret.

S. Thomas Aquinas Archiepiſcopatum Neapolitanum recuſat. Idem fecit S. Philippus Nerius, aliique. B. Serm. 14. n. 21.

Sancti contemnunt mundanam gloriam, & laudes humanas: Moyſes aperte negavit ſe eſſe filium filiæ Pharaonis. Sanctus Chryſoſtomus ait: *Illa gloria volo ut ambiatur, cujus laus non ex hominibus, ſed ex Deo eſt.* Et alibi docet: contemptum humanæ laudis nos Deo ſimiles reddere; ſicut enim Deus laude non indiget, ſic gloriæ contemptor Deo ſimilis

fit. S. Clemens Alexandrinus: Si laudare non deſinitis, ex laude veſtra meam conjicio impunitatem. S. Macarius, ſicut paupertas Monacho divitiæ ſunt, ita deſpectio laus eſt. Idipſum & agnoverunt fideles: Seneca ait: *Conſcientiæ ſatisfiat, nihil in famam laboremus*. Cum Pompejus triumphum non admiſit, antequam militibus dona petentibus ſatisfieret, exclamavit Servilius: Nunc demum video Pompejum magnum eſſe, & triumpho dignum, &c. Jerem. 17. v. 16.

Chriſtus, ne a Judæis in Regem eligeretur, fugit in montem, erudiens nos fugere mundanas dignitates, ait Chryſoſtomus. S. punct. 20. fol. 626.

Chriſtus parvulus in mundum veniens, mundana deſpexit faſtigia, inſigne humilitatis exemplar. S. punct. 150. fol. 471.

Pater Hurtadus a Carolo V. Epiſcopatu Toletano donatus recuſat genuflexus hanc dignitatem, & ab Imperatore æternum hujus ſilentium poſtulat. D. 1. 13.

Sicut carnes non coctæ ſeu crudæ non ſunt conveniens cibus hominis. Ita laus mundana, quæ ſæpe tantum ab externa virtutis ſuperficie oritur, non convenit homini Chriſtiano. Ideo homines ſancti & vere humiles ſemper aſpernabantur mundi blandimenta, & in id ſolum erant intenti, ut opera ſua a Deo approbentur, qui intima cordis perſpicit.

Hunc in finem occultat ſua opera: David ait: *Dextera Domini fecit virtutem*, non ego. Quærebant aliqui Chriſtum: *Domine quando te vidimus nudum?* ubi Theodoretus: Hoc proprium eſt virtutis, ut opes ſuas occultet: S. Paulus quatuordecim annis occultat ſuum raptum, & non niſi coactus prodit. S. punct. 21. fol. 472.

307. *Eſt ſignum prædeſtinationis.*

Sanctus Gregorius ait: *Evidentiſſimus reproborum ſignum eſt ſuperbia, & humilitas electorum*. B. Serm. 48. num. 37. S. punct. 150. fol. 472.

Hinc diabolus eſt ſuperbiſſimus; promiſſa fuit illi æterna felicitas, ſi dicere vellet: Domine Deus ignoſce, peccavi tibi! Et non potuit, nec voluit. E. Verbo *Culpa* num. 2.

S. Antonius audiens, quod needum ad ſanctitatem Coriarii in urbe Alexandria venerit, ipſum convenit, & audiit: Quod mane & veſpere ſemper cogitaret, totam civitatem repletam eſſe ſanctis, ſe ſolum eſſe peccatorem, & cum alii ſalventur, ſe damnatum iri. Admiratus Antonius æmulari decrevit tantam humilitatem. E. *Humilitas* n. 7.

Chriſtus Dei Filius illuſtre humilitatis exemplum nobis dedit, dum de cælo deſcendens humiliavit ſemetipſum factus obediens uſque ad mortem: qui ergo ejus humilitatem æmulantur, Chriſti ſunt, id eſt, conformes ideæ humilitatis, ſicut econtra ſuperbi, imitantes ſuperbiam Luciferi, ſunt Luciferiani, &c. C. Ep. ad Philipp. 2. v. 5.

S. Gregorius ait: *Quia Redemptor noſter regit corda humilium, & Leviathan Rex dicitur ſuperborum, aperte cognoſcimus, quod evidentiſſimum reproborum ſignum eſt ſuperbia, & humilitas electorum*. C. Ep. ad Philipp. 2. v. 5.

S. Greg. l. 34. Mor. c. 21.

S. Auguſtinus ait: *Per ſuperbiam Angelorum creatura cecidit de cælo: per humilitatem humana fragilitas aſcendit in cælum*. C. Prov. 15. v. 33.

S. Aug. Hom. ult. inter 50.

Quærentibus diſcipulis, quis eſſet major in regno cælorum, reſpondit Chriſtus, quicunque humiliaverit ſe ſicut parvulus iſte, hic major eſt in regno cælorum.

Matt. 18.

308. *Acquiritur ex cognitione ſui ipſius.*

*Sicut in percuſſura cribri remanet pulvis*: Ita conſideratione ſui ipſius humilitas: Noli, o homo, tibi blandiri propter aliqua opera bona: *Excute te*, ait Palacius, *& farina bonorum cadente, nihil niſi furfures, & miſeriam invenies*. B. Ser. 57. n. 25. M. conc. 20. aſſ. 1. num. 3. 4. 5.

*Siquis exiſtimat ſe aliquid eſſe, cum nihil ſit, ipſe ſe ſeducit*. Homo omnino nihil eſt, & 1. ſecundum naturam: ſicut enim ante ſæcula nihil fuit, antequam naſceretur, ita etiamnum in eodem profundo hæret: cum nihil ſit ex ſeipſo. Imago in ſpeculo nihil eſt quia ſtatim diſparet cum a ſpeculo recedis: eundem in modum homo imago Dei nihil eſt; quia ſtatim in nihilum recidit, ſi Deus vultum avertit, &c. 2. Secundum gratiam: ad quamvis operationem meritoriam indiget homo gratia tam habituali, quam actuali, ſine his nihil poteſt, ſicut oculos ſine luce nihil videt. 3. Secundum peccatum, quia per hoc redigitur ad ſtatum deteriorem nihilo, juxta Hieronymum dicentem: *Melius eſt non eſſe, quam male eſſe, &c.* Quod ſi homo nihil eſt in ſe, quid erit comparative ad Sanctos? ad Beatam Virginem? ad ipſum Deum? &c. Segn. Manna 11. Aug.

Galat. 3.

S. Hieron. in Jerem. 20.

Fratres Joſeph, quandiu putarunt ſe eſſe innoxios a furto Scyphi, animoſe reſponde-

tunt



runt diſpenſatori domus, cum vero Scyphum invenerunt in ſacco Benjamin, plus nimis humiliati ſunt, & ſeipſos ad captivitatem condemnarunt. C. Gen. 44.

Quid eſt homo in infantia? Ex defectu uſus rationis ineptus ad omnia. Quid in adoleſcentia? Ex immaturitate judicii lepidus, imprudens, incautus. Quid in ætate virili? millenis periculis, laboribus, inſidiis, & tentationibus obnoxius. Quid in ſenectute? repueraſcens, ſenſibus deficiens, infirmus! Quid denique poſt mortem? Cinis & pulvis! &c.

309. *Honorem fugiens honorem conſequitur.*

Paulus, dum affirmat: *Non ſum dignus vocari Apoſtolus* per Antonomaſiam hunc titulum *Apoſtolus* conſequitur. Joannes dum ſe indignum ait tangere corrigiam pedum, tangit caput Chriſti. Centurio dum ſe indignum fatetur, in domum recipit Chriſtum. S. punct. 150. fol. 472.

S. Alexander, quia egregiam formam, & profanam ſcientiam in via ſalutis ſibi nocituram metuit, carbonarium agit, a quo vili munere autem in Epiſcopum urbis Cumanæ Deo diſponente vocatur. R. cent. 2. part. 2. mir. 17.

Moyſes ineptum ſe reputans ad legationem ſibi a Deo oblatam, conſtituitur Deus Pharaonis. Sic S. Baſilius factus eſt Deus Valentis Imp. S. Ambroſius Juſtinæ Imp. &c. dum eos liberrime coarguerunt. *Quantumcunque ſe depoſuerit homo in humilitate, tantum proficit in altum*. C. Exod. 7. v. 1.

In Vit. PP. l. 7. c. 23.

S. Auguſtini pronuntiatum eſt: *Quanto quis humilior erit in ſeipſo, tanto major erit in conſpectu Dei*. C. Prov. 15. v. 33.

Honor mundanus comparatur umbræ: qui umbram ſolis inſequitur, hunc illa fugit, & qui umbram fugit, hunc illa inſequitur. Ita ille, qui honorem mundanum contemnit, honoratur, amatur: & qui honorem ambitioſe quærit, deſpicitur, irridetur. S. Alexander præclara progenie natus, ut mundi applauſum fugiat, in ſilvis carbonarium egit. At dum ejus ſanctitas viciniæ innotuit, ad ſolium Epiſcopale evectus eſt, &c.

310. *Eſt fundamentum aliarum virtutum.*

*Non inveni tantam fidem in Iſrael*. Quid? An ergo centurionis fides major erat, quam Abrahami? Reſpondeo: ſi res utut parva ſupra magnum fundamentum ponatur, magna videtur: ita fides centurionis erat poſita ſupra magnam humilitatem. *Domine non ſum dignus*. M. conc. 32. aſſ. 2. n. 6.

*Docet nos implere omnem juſtitiam*. Ubi Gloſſa: Omnis juſtitia eſt humilitas. Sicut omnis injuſtitia eſt ſuperbia, qua quis alteri, etiam ſuperiori ſe anteponit: ita omnis actus virtutis eſt humilitas, qua quis Deo, ejuſque ſe legi ſubjicit, &c. C. Acta Apoſt. c. 20. v. 19.

Matt. 3.

Magna dignitas eſt humilitatis, de qua Climacus: Qui cum hac velut ſponſa copulatus eſt, lenis eſt, placidus, pronus in compunctionem, miſericors, ſuper omnia ſerenus, tranquillus, lætus, alacer, obſequens, omnium moleſtiarum expers, vigil, impiger, & imperturbatus. C. in Matth. 11. v. 29.

*Climac. Grad. 25.*

Humilitas omnium virtutum fons & origo. 1. Quia eſt compendium doctrinæ & perfectionis Chriſti. 2. Sedes pacis & concordiæ. 3. Levamen omnis laboris, & oneris. 4. Schola Chriſti juxta illud: *Diſcite a me &c.* 5. Soror & ſocia manſuetudinis, &c. Matth. 11. v. 29. Vide C. 1. Petri 3. v. 8.

In picturis artificioſis umbra ſeu nigricans color neceſſarius eſt, quia per hunc ceteri colores, quaſi per antiperiſtaſin acuuntur, & elevantur. Ita ceteræ virtutes in oculis Dei & hominum non fulgent ſine humilitate, &c.

311. *In honorum faſtigio recordatur vilis originis.*

Joſephus Prorex Ægypti non ſuperbia elatus eſt. Villegiſus Elector Moguntinus rotam ſemper ante oculos habere voluit, ut ſic Patris meminiſſet. Benedictus XI. non vult agnoſcere Matrem, niſi in veſtitu triviali. Franciſcus I. Galliarum Rex captus in pariete ſcripſit: *Hodie mihi, cras tibi*: Cui Carolus V. Imperator ſubſcripſit: Homo ſum, nihil humani a me alienum puto. C. Gen. c. 43. verſ. 23. Hiſtoriam de Benedicto IX. enarrat etiam Menochius centuria 1. c. 12. E. *Humilitas* num. 1.

Epiſcopus Pariſienſis humili origine natus Matrem veſtibus pretioſis ornatam diſſimulat agnoſcere; indutam autem pauperculis laciniis amice excepit. E. *Humilitas* n. 30.

Quamvis David per Samuelem jam unctus eſſet in Regem, tamen ex mandato Patris portabat victualia fratribus, quibus prælectus fuerat.

1. Reg. 17.

Saul

Saul cum efferre ſe ſupra ſe inciperet, admonitus quaſi fuit ſuæ originis, & et- *1. Reg. 15.* iam cauſæ ſuæ exaltationis: Nonne cum parvulus eſſes in oculis tuis, caput in tribubus Iſrael factus es?

S. Fulco e paupere ſtudioſo ad Papienſem Inſulam vocatus, quotidie, ut pauperis originis meminiſſet, quinos mendicos, & totidem Muſarum clientes, cum ſuo Magiſtro menſæ adhibuit.

Pavo ſuperbiſſima volucris dum caudæ oculatæ ſyrma verſus ſolem explicat, mirum quantum ſibi in ſua pulchritudine complacet: at cum forte pedes ſuos deformiter nigricantes aſpicit, complicata cauda ſeipſam erubeſcit! O quam multi in altum elati ac dilatantes philacteria ſua, ſi ſuæ originis meminiſſe vellent, plumas demitterent, ſeipſos erubeſcentes &c.

312. *Docetur a Chriſto & Sanctis.*

Chriſtus Dominus, dum paralyticum ſanat ait: *Ecce! ſanus factus es:* Non dicit: Ecce! te ſanum feci. Puellam a mortuis excitans tibicines ejecit: tum dum bonum opus facis, noli tuba canere ante te. Chriſtus naſcitur in nocte, in monte Thabor utitur nube, &c. S. punct. 21. f. 82. punct. 150. fol. 471.

Sanctus Pæmen, Ægidius, Jodocus, Alexius, Eulalius, Pynuphius, Hilarion, Petrus Telonarius, Philippus Nerius, aliique a mundo contemni quærunt. S. punct. 21. fol. 83. 84. & ſeq.

*Bellarm. de transl. Im p. c. 2.* Frater Adolphus Natus Holſatiæ Comes relicto ſæculo in Ordine S. Franciſci conceſſit: quondam cum ſocio mendicatum exiens, & urceum lactis portans, Filios ſuos ſplendido cum comitatu obvios habuit: ut igitur ab illis nullam reverentiam, ſed potius riſum referret, lac omne ſibi ſuper caput effudit, & ſic ne quidem agnitus eſt.

S. Franciſcus Borgias ſuem, quam in *Ex Vita l. 4. c. 1.* porta Collegii donum accepit, ſuis ipſe humeris in culinam reportavit.

Abbas Moyſes cum adverteret adventantes, qui ſe venerari & admirari vellent, dixit eis: Quid vultis Moyſen videre? homo fatuus eſt, & hæreticus, &c. Abbas Simeon, cum Judicem regionis ad ſe venturum audiret, ad fores cellæ ſedit caſeum, & butyrum comedens. E. *Gloria humana* n. 2. 3.

In Tabenneſi Mulierum Monaſterio una monialis per quadraginta & amplius annos in culina laborans, & ab omnibus pro delirante habita, ab Angelo in meritis comparatur Sancto Piterio Abbati. E. Verbo *Gloria humana* n. 5.

Adolphus Holſatiæ Comes in Ordinem Minoritarum concedens, cum aliquando lac mendicans obvios haberet Holſatiæ Principes, urceum lactis omnem ſuper caput ſuum effudit. E. *Mortificatio*.

313. *Placet, & omnia impetrat a Deo.*

Opera bona non placent Deo, niſi juncta humilitati: S. Bernar. ait: *Sine humilitate audeo dicere, nec Mariæ Virginitas placuiſſet*. M. conc. 40. aſſ. 2. n. 5.

Humilitas inſignes habet prærogativas: 1. Quod Chriſto Magiſtro mundo ſit tradita. 2. Quia ſingulariter a Deo honoratur. 3. Quia donis ac muneribus a Deo liberaliter donatur. 4. Quia nulli facile vitio ſuccumbit. 5. Quia a Deo omnia impetrat. 6. Quia contra dœmonem ſecuritatem præſtat. Sanch. 7. part. c. 2. fol. 898. & ſeq.

Chananæa expulſionem dœmonis a filia, centurio adventum Chriſti in domum, Achaz duplex ſignum, humilitate impetrat. S. punct. 150. fol. 472.

Moyſes humilitate adeo placuit Deo, ut conſtitutus ſit Vice-Deus Pharaonis. M. conc. 40. 6. 2. n. 6.

Sicut Deus ſuperbis reſiſtit, & humilibus dat gratiam; ita exaltat humiles & ſuperbos humiliat. 1. Quia fons & radix omnis boni eſt humilitas. 2. Quia ſuperbus eſt vas tumidum, & vento arrogantiæ plenum. 3. Quia Deus eſt zelotes gloriæ ſuæ. 4. Quia humilitas eſt virtus Chriſti, & Chriſtianiſmi. C. Jac. 4. v. 6.

Humiliatio etiam in peccatore videtur *3. Reg. 21.* Deo eſſe grata & accepta. Achab ſceleratus Rex Iſrael audiens infligendam ſibi pro criminibus pœnam, humiliatus eſt coram Domino, & ecce! propter hoc Dominus dictam pœnam minoravit.

Roboam & Principes ejus audientes per Prophetam ſententiam excidii, humiliter ſe ſubjecerunt pœnæ, dicentes: Dominus eſt! Et ecce! Dominus dixit ad Prophetam: *2. Par. 12.* Quia humiliati ſunt, non diſperdam illos!

314. *Quomodo ſit exercenda.*

*Humilia te in omnibus*, nempe humi- *Eccl. 3.* liari oportet in cogitatione, verbo & opere. *In cogitatione* ita ut cum conſurgunt cogitationes vanæ, non admittas ad auditum, poſſiſque dicere cum S. Vincentio Ferrerio, vana gloria venit & vadit maligna, ſed non ſubſiſtit &c. *In verbo* fuge humilitatem affectatam eorum, qui laudem repellunt inſtar pilæ, ut tanto majore impetu redeat. De teipſo nunquam loquere, quia theſauri cum oſtenduntur, perduntur, & ſi forte de te loqui neceſſe ſit, uſurpa idioma Sanctorum, qui omnia tribuunt Deo: Non dicas lucratus ſum animam, ſed Deus lucratus eſt eam. *In opere* ſtude quotidie exercere unum actum humiliationis, quia humiliatio eſt via ad humilitatem, *humilia te in omnibus*, &c. Segn. Manna 24. Junii n. 3.



*Si ſeparaveris pretioſum a vili, quaſi os* *Jer. 15.* *meum eris*. Separare oportet pretioſum a vili attribuendo Deo, quidquid boni habes, & attribuendo tibi, quidquid habes mali. Quare dicitur *omnis homo mendax?* Quia ſibi tribuit, quod ſuum non eſt. Dic quid habes pretioſi per te ipſum? Nobilitatem? ingenium? ſcientias, &c. Hæc omnia a Deo ſunt. Et tamen tu ſæpe de his donis gloriaris tanquam ex te eſſent. Homines ſancti longe aliter locuti *Judit. 13.* ſunt: *In manu feminæ percuſſit illum Dominus: Dominus interfecit in manu mea &c.* Ita loquebatur Judith, attribuendo victoriam Deo. Tu prorſus agis oppoſitum, tibi adſcribis, quod boni agis, & quid ſervas Deo? illi culpam imputas mali quod committis; quia ſi peccas, pro eo, ut adſcribas malitiæ voluntatis tuæ, adſcribis malignitati naturæ, difficultati legis *Gen. 4.* &c. *Ecce ejicis me hodie a facie terræ &c.* Segn. Manna 29. Aug. n. 1.

315. *Eſt virtus dæmoni odioſiſſima.*

Monacho in domum venienti obviavit filia a dœmone obſeſſa & illi alapam infregit: cum autem Monachus percutienti alteram maxillam præberet, dœmon expulſus eſt, clamans: Violentia mandatorum Chriſti expellit me! E. *Humilitas* n. 8. & 11.

Diabolus obvians S. Macario voluit illum falce percutere, ſed non potuit, dicens: Multas violentias patior a te Macari! Et ecce! quidquid tu facis, facio & ego: jejuno, vigilo, caſtus ſum. Sed in uno me ſuperas: Quæſivit Macarius in quo? & repoſuit dœmon: in humilitate. E. *Humilitas* n. 9.

Dœmon ex ſuperbia de cœlo præcipitatus, nulla jam magis virtute ſuperatur, quam humilitate Sanctorum. Senex quidam, cui diabolus ſub ſpecie Chriſti Domini apparuit, oculos clauſit, inquiens, non ſum dignus in hac vita, ut Chriſtum videam! hac voce confuſus tentator diſparuit. E. Verb. *Dæmon* n. 9. Dacius Epiſc. in domo a dæmonibus infeſta pernoctabat, cumque illi beſtialem ululatum excitarent, improperavit illis Epiſcopus. Pudeas male ſpiritus! voluiſti Deo eſſe ſimilis, & nunc ſimilis es omnibus beſtiis, ſic pudefactus dæmon receſſit. E. Verb. *Exul.*

## Caſtitas, Virginitas.

316. *Eſt Virtus prorſus Angelica.*

Qui *non nubent, neque nubentur erunt* *Matt. 22.* *ſicut Angeli Dei*. Virgines habent hanc in cælis prærogativam, ut Agnum immaculatum proxime ſequantur, juxta illud: *Hi ſunt, qui cum mulieribus non* *Apoc. 14.* *ſunt coinquinati, virgines enim ſunt, & ſequuntur Agnum quocunque ierit. Differunt* *S. Ber. in Epiſt.* *quidem inter ſe homo pudicus & Angelus, ſed felicitate, non virtute*, ait Bernardus &c. C. Iſa. 56. verſ. 5.

Virginitas eſt virtus Angelica, Virgines ſunt Angeli terreſtres, ac homines cæleſtes, uti docent S. Aug. & Nazianz. qui Virginitatem vocat *Angelicæ gloriæ æmulam*. Virginalis integritas, ait S. Au- *S. Aug. de Virg. c. 13.* guſtin. *Angelica portio eſt, & in carne corruptibili perpetuæ incorruptionis meditatio*. Imo virgines præſtare videntur Angelis; hinc Angelus a Joanne ſe adorari non permiſit &c. C. Iſa. 56. verſ. 5.

Sicut Angeli ſunt Principes aulæ cæleſtis, ita & Virgines, imo Reginæ, juxta illud: *Deſpondi vos uni viro Virginem ca-* *2. Cor. 11.* *ſtam exhibere Chriſto*. C. Apoc. 14. v. 1.

Eſt Status excellentiſſimus 1. quia eſt imitatio vitæ & integritatis Angelicæ. 2. Quia eſt holocauſtum Dei, hinc Virgines a S. Ignatio Mart. vocantur Sacerdotes Dei. 3. Quia eſt connubium ſpirituale cum Chriſto. 4. Quia plus cæteris a Chriſto amatur. 5. Quia Virgines ſunt nobiliſſima pars Eccleſiæ, hinc certe apud hæreticos non invenitur, quia ſine gratia Dei impoſſibile eſt inter tot carnis illecebras conſervare Virginitatē. 6. Quia Virgines in cælis eximium habent præmium & coronam. 7. Quia Virginitas ſimilem facit Deo, & Sanctiſsimæ Trinitati, &c. C. 1. Cor. verſ. 34.

Caſtitatem Dominus Deus coronat Angelica, id eſt cæleſti ſapientia: Ambæ hæ virtutes apparuerunt S. Gregor. Nazianzeno, eumque complectentes dixerunt: Miſſæ ſumus a Domino tibi cohabitare, quia jucundum nobis in corde tuo, & mundum habitaculum præparaſti. S. Joannes Apoſtolus, quia Virgo fuit, meruit ex

pectore æternæ ſapientiæ haurire arcana cæleſtia, unde quaſi Aquila libravit ſe ad thronum SS. Trinitatis. S. Thomas Doctor Angelicus, angelicam habuit caſtitatem, in extaſi ab Angelis cingulo caſtitatis accinctus. S. Laurentio Juſtiniano Juveni, apparuit Dei ſapientia eique, ſi vellet ſibi deſponſari, pacem animi appromiſit. Idem contigit S. Henrico Suſoni, qui propterea Miniſter æternæ ſapientiæ vocabatur. Simili modo æterna ſapientia, Chriſtus Dominus deſpondit ſibi S. Catharinam Senenſem, quæ licet litterarum rudis ſublimiſſimorum myſteriorum intelligentia, & ſpiritu prophetico claruit. Anulus hujus deſponſationis adhuc Romæ aſſervatur, &c. Cauſa eſt, quod ſapientia ſit ſapientiæ Dei participatio, requirit ergo cor purum & cæleſte, &c. C. Jac. 3. v. 17.

### 317. *Quomodo conſervari debeat.*

Tantam agnoſcunt S. Patres in conſervanda illibata caſtitate difficultatem, ut quidam ajat: Majus eſt miraculum de carne propria fomitem eradicare luxuriæ, quam expellere immundos ſpiritus de corpore alieno. Quid ergo agendum ad conſervandum hunc theſaurum? Caſſianus ait: Sex ſunt, quæ incorruptam conſervant caſtitatem: Sobrietas, operatio, aſperitas cultus, inhibitio ſenſuum, raritas ſermonis cum honeſtate, evitatio opportunitatis, & perſonæ, & loci, & temporis, &c.

*In Collation. PP.* — *Caſſian. ſuper Matth.*

Qui caſte capit vivere, hæc monita ſibi commendata habeat. 1. Omnem illicitum carnis congreſſum, familiaritatemque fugiat. 2. Ab opere carnis etiam licito abſtineat. 3. Deſideria carnis mox retundat, & nec minime conſentiat. 4. In cogitationibus non immoretur, ſed ſtatim illas deprimat. 5. Aſpectus, tactus, & motus, qui ad opus nefarium provocant, fortiter cohibeat. 6. Vel in ſomno illecebroſis phantaſmatibus repugnet. 7. Memoriam rerum turpium, quas audit aut legit, cum contemptu rejiciat. 8. Alios etiam motus, qui ex cauſis mere naturalibus conſurgunt, compeſcat, quem gradum a pauciſſimis obtineri, ait Caſſianus, &c.

S. Bernardus ait, Virginem debere eſſe *Pudicam, verecundam, pavidam, circumſpectam, nihil penitus admittentem, quod evacuet gloriam conſcientiæ atteſtantis &c.* C. Iſa. 56. n. 5.

*S. Bern. Serm. 85. in Cant.*

Caſtitas & Virginitas maxime conſervanda eſt mortificatione (quam cythara Davidis compeſcens dæmonem ſignificat) ſicut enim in honoribus humilitas, in opibus paupertas; ita & in delitiis periclitatur caſtitas: id ſenſit, & docuit S. Carolus Borromæus ſcribens ad aliquem Cardinalem: Sine pœnitentia, & aſperitate vitæ, impoſſibile eſt ſervare caſtitatem. C. Apoc. 14. v. 2.

### 318. *Male cuſtoditur inter evagationes, curioſitates &c.*

Sponſa in Canticis quæſivit, ubi Sponſus cubet in meridie? cur de meridie ſolicita eſt? ubi ergo invenire deberet noctu, ſi neceſſe foret? Villaregius reſpondet nomine ſponſæ: *Nocte non exibo:* Quid? etiam Sponſi, id eſt Chriſti gratia non? Non: *Adeo periculoſum feminis non recludi noctibus, ut nec prætextu Deum quærendi domum relinquant in nocte.*

*Villareg. Jud. 1. v. 14.*

Dina Jacobi filia ex curioſitate videndi mulieres alienigenas egreſſa eſt, ſed hæc curioſitas innumera mala poſt ſe traxit: a Principe Sichem deflorata eſt: cædes, rapinæ, bella, incendia ſecuta ſunt: S. Bernardus exclamat: *Quis crederet tunc illam tuam curioſam otioſitatem, vel otioſam curioſitatem fore poſt ſic non otioſam, ſed tibi, tuiſque hoſtibus tam pernicioſam.* B. Serm. 36. num. 19. 20. Serm. 46. num. 21. C. Gen. 34. v. 25.

*S. Bern. de grad. humil.*

Impudicus oculus impudici cordis eſt nuntius, ſolo aſpectu, etiam intactis corporibus fugit caſtitas, ait Sanctus Auguſtinus. S. punct. 114. fol. 347.

Eva dum e Paradiſo proſpicit, ſerpentem videt, unde omnis calamitas originem duxit. M. conc. 5. aſſ. 2. n. 1.

Mulieres ſanctæ ad ſepulcrum venerunt orto jam ſole: ſol maturius ſolito illa die ortus eſt: Quare? Reſpondeo ne mulieres inter tenebras irent, quod ſuſpecta res eſt. B. Serm. 46. n. 21.

Maria non erat in horto, dum filius capiebatur, quia non decebat noctu foris eſſe. M. conc. 5. aſſ. 2. n. 9.

Cur Martha & Magdalena non ipſæ cucurrerunt, & mortem Lazari Chriſto nuntiarunt? Reſpondet Cardinalis Hugo, quia diſcurrere, & vagari eſt ſignum inverecundæ mulieris. M. conc. 5. aſſ. 2. n. 3.

Beatiſſima Virgo tribus menſibus latet in domo Eliſabeth. M. Ib. n. 4.

Quidam curioſus aſcendit in arborem, exploraturus, quid in ſpecu contigua faceret S. Acepſimas Monachus: ſed male ceſſit illi curioſitas, quia momentanee fuit correptus a paralyſi, nec antea ſanatus, quam



arborem illam excidit. Similiter mulier quædam, quæ de tecto ſuæ domus proſpiciens explorare volebat, quid ageret in ſua ſolitudine S. Virgo Monegunda, cæcitate punita eſt. Quod iſtis curioſitas nocuit corpore tenus, ſæpe aliis nocet in anima, &c. D. 8. 55.

Apud veteres Romanos non erat mulieribus licitum intereſſe ſpectaculis: Sempronius Sophus ideo ſuæ conjugi repudium dedit, quia ſine ſua licentia interfuit ſpectaculo. Quare? quia *ſpectatum veniunt ſpectentur ut illæ, iſte locus caſti damna pudoris habet.* D. 9. 73.

S. Cyprianus ait: Diabolus *offert oculis formas illices, & faces voluptatis, ut viſu deſtruat caſtitatem.* D. 12. 77.

*S. Cypr. de zel. & liv.*

Quid pulchrius, quid amænius, quid odoratu gratius eſt Roſa? & tamen cum ejus folia manu conteruntur, inamænum odorem ſpargunt. Ita Virginitas caſtitas, ſi libere ſe oculis & manibus aliorum exponit, coram Deo fœtet. VV. Artic. diſc. Font. 12. Ex. 18.

In Moſcovia mulieres, tanquam captivæ, domi cuſtodiuntur; quæ in publicum prodit, pro inhoneſta habetur. VV. Art. diſc. Font. 40. Ex. 7.

Dina curioſitatis cauſa in urbem Sichem egreſſa a principe gentili turpiter deflorata eſt, & innumera mala conſecuta ſunt. Oportet ergo Virgines nendo, ac texendo domi concludi: *Mulier intra murorum munimenta ſe contineat, cujus prima virtus eſt, non videri,* ait Sulpitius. C. Gen. 34. v. 1.

*Sulpit. Dial. 2.*

### 319. *Non invenitur apud veſtium luxum.*

Spiritus Sanctus teſtatur: *Amictus hominis, & riſus dentium, & ingreſſus hominis enuntiant de illo.* Quid enuntiant? Cyprianus ait: *Ornamentum, & veſtium inſignia, & lenocinia formarum non niſi proſtitutis, & impudicis feminis congruunt.* Et S. Chryſoſtomus: *Ornatus iſte habitus adulter eſt, atque adeo fœdus, ut meretrices, ac Virgines diſcernere fere nequeamus.* B. Serm. 41. n. 12. & ſeq.

*S. Cypr. de habit. Virg.* — *S. Chryſ. hom. 8. in 1. ad Tim.*

Patriarcha Judas occurrentem ſibi Thamar putavit meretricem: Quare? *Quia ſe depinxerat, & ornaverat, idcirco Judæ ſuſpicione viſa eſt quæſtui ſe dare,* ait Tertullianus. B. Serm. 41. num. 41.

*Tertul. l. de cult. fem. c. 12.*

Beatiſſimæ Virginis veſtes fuere ſubcineritii coloris: idipſum narrat Baronius de primis Chriſtianis: *Nigri coloris indumentum teſſera quædam Chriſtianæ Philoſophiæ eſſe videbatur.* Et S. Hieronymus: *Solent quædam, cum futuram Virginitatem ſpoponderint, pulla tunica eam induere, & furvo operire pallio.* D. 4. 76.

*Baron. an. 156.* — *S. Hieron. Epiſt. 12.*

In Provincia Pudifetanea arbor eſt, quæ cum homo accedit, cedit & ramos in ſe colligit: cum vero receſſerit, ramos iterum expandit, unde pudoris nomen conſecuta eſt. VV. Art. diſc. Font. 24. Ex. 12. Sic caſtitas conſtituta eſſe debet: cedat, & acceſſum hominis vereatur. Vide ap. Luxuria tit. Laſcivus habitus.

S. Cyprianus ait: *Virgines ſericum & purpuram indutæ, Chriſtum induere non poſſunt: auro & monilibus ornatæ, ornamenta cordis, & pectoris perdiderunt.* S. Ambroſius: *Quanto femina hominibus ſplendidior videtur, tanto magis deſpicitur a Deo.* S. Auguſtinus: *Exterioris hominis ornamenta, quanto magis appetuntur, tanto ſunt interioris majora detrimenta.* Sic paſſim loquuntur SS. Patres apud C. Iſa. c. 3. verſ. 26.

*S. Cypr. de Habit. Virg.* — *S. Ambr. 1. ad Tim. 1.* — *S. Aug. Serm. 18. Verb. Ap.*

### 320. *Quantum æſtimetur a Chriſto, & Sanctis.*

Cur Chriſtus non venit in mundum ut adultus Vir, & corpus ſuum formavit ex maſſa terræ, velut corpus Adami? Reſpondeo quia alias non fuiſſet filius caſtiſſimæ Virginis. M. conc. 25. aſſ. 2. num. 8.

Sancti jacturam vitæ tolerare malunt, quam jacturam caſtitatis. Ita S. Thecla, Catharina, Margarita, Barbara, Columba, Marciana &c. B. Serm. 45. §. 5.

S. Emericus a Patre in Matrimonio collocatus Virginalem pudicitiam in ipſo Matrimonio conſervat. Idem fecit S. Elzearius Comes cum Delfina. S. Julianus cum Baſiliſſa ſponſa in Virginalem pudicitiam conſentientes cælico odore reficiuntur, & Chriſtus apparens illis ſua nomina in libro vitæ oſtendit. S. Amadoro & Virgini conjugi Angelus pulcherrimas coronas de cælo affert. Sanchez 5. part. c. 8. fol. 550. & ſeq.

Agnes Primisiai Bohemorum Regis filia ab Henrico Anglorum Rege, & Friderico Imperatore ad nuptias invitatur, illa tamen repellit utrumque & in cœnobium ſecedens ſe Deo donat. R. 1. part. mir. 42.

S. Birgitta, quia amatur a multis procis, rogat, & impetrat a Deo, ut altero oculo fuerit privata, quem dein Monaſterium ingrediens a Deo recipit. R. 1. cent. part. 2. mir. 13.

S. Coleta alaudam habuit, quæ cum illa comedere, cantare, & ire ſolebat in ſignum ejus

ejus caſtimoniæ. Item oviculam pulcherrimam, quæ eam continuo ſequebatur, in choro ſub elevatione in genua procumbebat. R. 1. cent. 2. part. mir. 17.

Picarda Nobilis puella Florentina, cum e Monaſterio etiam vi fuit erepta, & contra voluntatem ſuam a parentibus deſponſata, impetrat e cælo, ut ejus venuſtas fœtenti lepra fuerit deformata. R. cent. 2. part. 2. mir. 8.

Neo-converſę Chriſtianæ in India adeo amant Virginitatem, ut ſe ipſas fucco deformarint, ferro candente uſtularint, fatuas ſimularint, ne a Principe perperam amentur. R. cent. 3. part. 2. mir. 31.

Virgo Monialis a Principe loci amata, & ſub comminatione comburendi Monaſterii expetita, oculos ſibi eruit, & Principi miſit, ſicque caſtitatem ſervavit. E. *Virgo* 20.

S. Hier. in Pſ. 95. S. Ign. Ep. ad Thar. — S. Hieronymus ait: *Virginitas hoſtia Chriſti eſt*. C. Lev. 1. v. 12. Et S. Ignatius Martyr: *Eas*, inquit, *quæ in Virginitate degunt, in pretio habete, tanquam Chriſti Sacerdotes*. *Ibid.*

Homines ſancti & ſanctæ vitæ potius quam caſtitatis jacturam elegerunt: uti Flavia Domitilla deſponſata Aureliano, ſponſum reſpuit, a S. Clemente velum Virginitatis accipiens, unacum illo Martyrium ſubiit. Sic S. Thecla a Paulo converſa nuptias Tamyridis, S. Iphigenia nuptias Regis Hyrtaci, S. Suſanna Diocletiani Neptis nuptias Maximiani Imp. S. Agnes, S. Felicula, aliæque Virgines oblatas nuptias, ſponſoſque rejecerunt, &c. C. 1. Petri 3. v. 1.

S. Baſil. l. de Virgin. — S. Baſilius ait: *Sacra Virgo talem ſe habitu & inceſſu exhibebit, ut qui illi forte obvii fuerint, quaſi vivum Dei ſimulacrum aſpicientes, faciem ad reverentiam, & admirationem componant*. C. Iſa. 56. v. 5. &c.

Virgines, ſunt Principes, imo Reginæ, & Sponſæ in aula Chriſti, juxta illud: *Deſpondi vos uni viro virginem caſtam exhibere Chriſto*. C. Apoc. 14. v. 1.

Elogia Virginum ſunt. 1. Quod ſtent cum Agno ſupra montem. 2. Quod habeant nomen Dei in frontibus ſuis. 3. Quod ſint cytharædi Dei. 4. Quod cantent canticum novum coram Deo. 5. Quod empti ſint a terra. 6. Quod cum mulieribus non ſint coinquinati &c. C. Apoc. 14. v. 5.

Ipſi dæmones videntur habere reſpectum, & reverentiam erga Virgines! Nam ecce! Abbas Joannes non potuit compeſcere, nec expellere in energumeno dæmonium: cum autem ad eum aliquando venit homo ſecularis, dæmon ſtatim exceſſit. Indagans in hanc rem Abbas invenit, quod ille per undecim annos cum uxore ſua virginitatem ſervaverit. E. Verbo *Caſtitas* n. 3.

## 321. *Pericula optime vincit fuga & metu.*

Aliter cum Goliath, aliter cum Betſabea pugnandum fuit: ibi pugna, hic fuga: ita &c. S. punct. 32. fol. 137.

Job circa tentationes de patientia ſtabat: contra cogitationes de Virgine fugiebat. S. Ibid. uſque ad fol. 140. 141.

Virgo quædam Alexandra pudicitiæ inſidias paſſa in ſpecum ſubterraneum duodecim annis ſe concludit, nec commercium admittit cum hominibus niſi per anguſtum foramen, quo deſuper illi alimenta miniſtrabantur.

Idem habetur de Marana, & Cyra, quæ quadraginta duobus annis in ſpecu delituerunt. D. 8. 55.

Virgo Alexandra, forſan hęc eadem quę ſupra, quæſita a S. Melania, quomodo in ſolitudine viveret? repoſuit ſe primam diei partem orationi, alteram labori, tertiam lectioni, quartam pſalmodiæ, & ultimam brevi ſomno tribuere. Sic ſic vivere Virgines debent. Sanchez 4. part. c. 4. fol. 281.

Quædam Virgo inſidias alicujus juvenis paſſa in eremum ſecedit, ibique ſeptendecim annis deliteſcit, a nemine hominum viſa. Sanchez 5. part. c. 3. fol. 414.

Virgo fugiens Amaſium, ut illum non ſcandalizaret, & in eremum ſecedens hoc donum a Deo impetrat, ut illa omnes videret, illa tamen a nemine videretur. — S. Ephrem. Prat. Spirit. c. 179. — Alia per internuncios quærens amaſium, quid illi in ſe maxime placeret, illeque reſpondiſſet, ſe oculis ejus capi, effoſſos ſibi oculos illi miſit, ut iis ſe exſatiaret. S. Xaverius dicebat, feminas majori periculo adiri quam fructu. Meretrix monuit S. Ephrem, ut terram, non ſe, aſpiceret. C. Gen. 34. v. 1.

Alcamenes interrogatus, cur inter divitias parce, & je une viveret? Repoſuit: Decet eum, qui multa poſſidet, pro ratione, non pro libidine vivere. C. Levit. 3. verſ. 2.

## 322. *Probatur miraculis.*

Quidam Abbas, qui Porphyriam meretricem convertit, ut ſe a criminis ſuſpicione liberet, ignem manu fert. Sancta Cunegundis ſuper prunas ambulat. C. Gen. fol. 358. col. 1.

Sanctus Britius Epiſcopus Turonenſis ſor-



fornicationis accuſatus ex infante quærit, num ille ſit ipſius Pater: infantulus articulate negavit. Simile quid contigit Epiſcopo Brooni &c. C. Gen. fol. 986. col. 2.

Tuccia Veſtalis Virgo turpitudinis accuſata ſuam innocentiam probat, dum aquam cribro hauſtam ad judicem defert. Kornmann. fol. 262.

Britius Epiſcopus impudicitiæ accuſatus infantem natum coram populo interrogat: an ego ſum Pater tuus? Repoſuit puſio: Tu non es. Cum autem populus hanc infantuli aſſertionem magicis artibus tribueret, Britius in innocentiæ teſtimonium ignitos carbones illæſa manu per urbem circumtulit. D. 4. 62.

Claudia Veſtalis impudicitiæ accuſata in teſtimonium innocentiæ navim, quam in ſabulo altè immerſam nulla vis commovere poterat, Zona ſua adverſo flumine Romam traxit. D. 11. 53.

S. Cunegundis à Conjuge Henrico in ſuſpicionem impudicitiæ tracta, in ſignum ſuæ innocentiæ prunis ardentibus inambulat illæſa. Sanchez 6. part. c. 3. fol. 680. C. Dan. 14. v. 62.

Theognia juſſu S. Baſilii carbones ignitos in ſinu gerit, &c. C. Lev. 12. verſ. 4.

Sanctarum Virginum corpora Catharinæ Senenſis, Agnetis, Magdalenæ de Pazzis, & aliarum multis ſæculis incorrupta teſtantur dignitatem virginitatis. Corpus S. Cæciliæ per 1500. annos incorruptum Romæ in ejus templo ſemper octoginta lampadibus argenteis ardentibus honoratur. C. Iſa. 56. v. 5.

## 323. *Quomodo conſtituta eſſe debeat.*

Rebecca fuit ſpeculum Virginum: Nam 1. fuit laborioſa non otioſa. 2. Cum aqua ſtatim revertitur, non diu moratur in publico. 3. Servo obſequioſe famulatur, & plus offert, quam ille petiit. 4. Non illum ipſamet in domum ducit, ſed Matri nunciat. 5. Non curioſe inquirit, quid negotiorum habeat. 6. Obtemperat parentibus, cum eos videt conſentire. 7. Cum vidit ſponſum, ſtatim ſe peplo operuit. C. Gen. c. 24. verſ. 15.

S. Aug. de Commun. vit. Cler. — Refrænare debet ſenſus externos, præſertim oculos, *Non dicatis*, ait S. Auguſtinus, *vos habere animos pudicos, ſi habeatis oculos impudicos; quia impudicus oculus impudici cordis eſt nuntius.*

S. Greg. in Mor. — Debet eſſe conjuncta humilitati: ait enim S. Gregorius: cum de ipſa continentia mens elevatione tangitur, plerumque Deus, ſuperbiam deſeriens, hanc in immunditiam operis cadere permittit; *Nulla enim eſt caſtitas carnis, quam non commendat humilitas mentis*. Et S. Auguſtinus: Audeo dicere ſuperbis continentibus expedit cadere, ut in eo ipſo, in quo ſe extollunt, humilientur. — S. Aug. Ser. 57 in Matth.

In Zodiaco cæleſti Virgo media eſt inter leonem & libram. Per leonem intelligi poteſt indignatio ſeu iracundia Dei peccatis laſciviæ æternam damnationem minitantis: *Leo de tribu Juda*. Per libram intelligi poteſt diſtrictum Dei judicium gravitatem peccati luxuriæ, & exorta inde ſcandala ponderantis. Inter hæc duo ſigna leonem & libram cum timore ſemper vivat Virgo, & nunquam deſinet manere ſignum cæleſte.

## 324. *Conciliat authoritatem & æſtimationem.*

Joannes Boſnenſis Epiſcopus redarguit Friderici Imperatoris impudentiam: Et ecce! Imperator ſubornavit pulcherrimam ſuarum concubinarum, ut illum ad lapſum blanditiis traheret. Fecit id femina in loco occulto, clam inſpiciente Imperatore: Verum Sanctus Vir feminam ſonanti colapho ita percuſſit, ut in terram procideret. Quo facto Imperator neminem hominum magis, quam hunc Epiſcopum æſtimare cœpit! E. Verbo *Caſtitas* n. 9.

S. Ignatius Epiſcopus & Martyr ait: *Eas, quæ in Virginitate degunt, in pretio habete, tanquam Chriſti Sacerdotes*. C. Levit. 1. v. 12. Item Iſa. 56. verſ. 5. — S. Ignat. Ep. ad Tharſenſ.

B. Joannes Vvildeshuſanus Ord. S. Dom. valedixit aulæ Imperatoris, & humilem vitam elegit. Friderico Imp. impuritatem vitæ exprobravit, qui vindictam ſumpturus inſtigavit impudentem feminam, ut P. Joannem ad ſcelus commoveret. Fecit lena, quod juſſa fuit, ſed ſonanti colapho repulſam tulit. Id ubi Imperatori innotuit, æſtimationem de Dei famulo duplicavit. Joannes denique ad ſupremum totius Ordinis Generalatum evectus, prodigiis poſt mortem floruit. *Ephem. Dom. 4. Nov.*

Etiam Veteres magnam æſtimationem ſibi conciliarunt per continentiam: Catonem, dixerunt, & continentiam ex eodem utero prognatos videri. Alexander Magnus noluit captivas Darii filias aſpicere, inquiens: Turpe foret, ſi qui viros vicerat, à mulieribus vinceretur, &c. C. 1. Petr. 2. v. 11. Item Jac. 1. verſ. 14. Jerem. 2. verſ. 24. Et Dan. 1. verſ. 17.

325. De-

### 325. *Debet prima initia impudentiæ averſari.*

Joſephus ad primam vocem impudicæ mulieris horruit, & apprehenſus pallio fugit: S. Ambroſius ait: Contagium judicavit, ſi diutius moraretur. Eſto, O Virgo, quod turpe nihil cogites, ſi tamen colludas, litteras, munuſcula accipis, nonne ſpem facis proco ſucceſſu temporis obtinendi id, quod cogitat? C. Gen. 39. v. 12.

*S. Ambr. l. de Joſeph.*

S. Vincentius Ferrerius monet Virgines: *Reſiſtite in principio, quia ſi verecundia eſt perdita, de peccato in peccatum ruetis.* B. Serm. 36. n. 32.

Amnon deſperabat ſe potiturum ſua ſorore, ſed quamprimum loqui cæpit de nuptiis, tunc infelix Tamar oppreſſa eſt. B. Ser. 42. n. 10.

Amalecitæ omnes, etiam parvuli debebant deleri: ita etiam parvæ tentationes debent eliminari. S. punct. 32. fol. 139.

Petrus turpiter cadit: Prima tentamenta, ait Hieronymus, ſunt mulierum frequentes acceſſus. S. punct. 9. fol. 575.

Ægyptii Virgines ſuas ornabant torque, in qua ſex aves erant expreſſæ, turtur, columba, aquila, ciconia, noctua, & alauda; Virgo enim debet eſſe ſola ut turtur, caſta ut columba, prompta ut aquila, pia ut ciconia, vigil ut noctua, & devota ut alauda. VV. Art. diſcurr. font. 79. Ex. 5.

Alexander Magnus invitatus, ut Darii filias pulcherrimas captas viſeret, noluit ire dicens: *Non committam, ut qui viros vici, à mulieribus vincar.* Idem, in Jovis ara mulierem pulcherrimam videns, cum Hephæſtion diceret, æquum eſſe, ut amatam caperet, repoſuit: Indigniſſimum eſt, ut qui aliorum incontinentiam plectimus, ipſi incontinentiæ ſervire deprehendamur. Adoleſcenti dicenti, magnum eſſe, ſi, quæ quis concupiſcit, aſſequatur, repoſuit: *Majus eſt, nihil eorum, quæ non decent, concupiſcere.* C. Levit. 3. v. 1.

### 326. *Debet exhorreſcere ſexum alterum.*

Pientiſſima Virgo ſolitudinis amantiſſima, cum S. Martinus Vir pietate & miraculis clarus ad eam inviſere vellet, & omnes propterea illam beatam æſtimarent, ſe Sancto Epiſcopo videndam non præbuit: id quod S. Martinus adeo approbavit, ut illam ſumme æſtimarit. E. *Femina* n. 5.

S. Charilelphus a Regina invitatus ſub ſpe ingentis præmii non comparuit, ſed nunciari juſſit, ſe nunquam inducendum eſſe, ut feminam aſpiceret. E. *Femina* n. 9.

S. Bernardus quod incaute aſpexiſſet feminam, tam rigidam a ſe exegit pœnam, ut ſe ſtagno gelido uſque ad collum immergeret, donec frigore pene fuerit exanimatus. E. *Femina* n. 11.

Joſephus Ægyptius utpote juvenis robuſtus facile potuiſſet Dominæ pallium extorquere, ſed noluit; quia vel mulierem tangere ipſi contagioſum & venenoſum videbatur, non minus quam rabidiſſimi canis morſus. C. Gen. 39. v. 12. Poſtmodum evectus ad ſolium Proregis non vindictam ſumpſit de calumniatrice? Quare? forſan amore manſuetudinis? eſt aliqua ratio; ſed puto ideo quia caſtiſſimus juvenis noluit cogitare feminam olim impudenter amantem. C. Gen. 39. & 40.

Chriſte Deus! Puriſſima Virgo Maria Mater tua intemerata ad Angeli Gabrielis ingreſſum, vocemque trepidat, & turbatur. Et non horrebit imbecillis & immunda femina viri converſationem, quamvis ille vel Angeli ſpeciem indutus eſſe videatur! Ita exclamat S. Franc. Saleſ. Direct. p. 3. c. 9. n. 9.

Religioſus Matrem ſemiculam per torrentem tranſlaturus, manus ſuas pallio involvit. C. 1. Petr. 2. v. 11.

### 327. *Solicite conſervatur a Sanctis.*

Ille juvenis dum aliter non poterat, linguam ſibi præmordet, & in vultum procacis lenæ exſpuit. S. Vincentius Ferrerius, quia vincit puellam, quæ ſe ante illius oculos procaciter nudavit, dæmones ex illa pellit. S. Philippus Nerius, quia non conſentit feminæ pellicienti, ſcamno percutitur. S. punct. 36. fol. 157.

Quidam Monachus ſororem ægrotam non intuetur. Pia quædam Virgo a Sancto Martino ſe aſpici non patitur. S. punct. 114. fol. 346. E. *Femina* num. 5.

Sanctus Dominicus, Franciſcus, Jordanus, Thomas, Ludovicus, aliique, inſidias, ac pericula caſtitatis generoſe ſuperant: C. Gen. fol. 886. col. 2.

Theophyla Virgo a perſecutoribus Chriſti in lupanar detruditur: rogat Deum ut ſe defenderet, producit Evangelii volumen, legit, meditatur; & ecce procus, qui ad eam dehoneſtandam primus ingreſſus fuerat, mortuus concidit: ceteri ingredientes a latere illius viderunt venuſtiſſimam juvenem, qui eam cuſtodiebat: mirantes exclamaverunt: *Quis eſt ficut Chriſtianorum Deus?* D. 2. 84.



*Iſid. Peluſiota l. 2. ep. 53.*

Quædam Virgo a juvene fere ad inſaniam uſque amata capillos capitis novacula ſibi abradit, tum caput & manus aqua ac cinere tanquam cruſta obducit, & ſic deformata repulit amatorem. D. 8. 15.

S. Thomas Aquinas ab impudica pellice inſtinctu fratrum ad laſciviam ſolicitatus, eam titione fugat.

S. Virgo Brugadiſma juveni Ausberto in conjugem promiſſa a Deo rogat, & impetrat per lepram deformari. Quædam Virgo, teſte S. Ambroſio, dum a parentibus ad nuptias deſtinaretur, in Eccleſiam confugit, ibique altari inhæret tamdiu, donec ab Epiſcopo conſecrationem pro more illius temporis impetravit. Sanch. 5. p. c. 8. fol. 552. & ſeq.

S. Pelagia cum ab irruentibus militibus inhonorari metueret, dixit, exſpectate parum, donec veſtes venuſtiores aſſumam: interim in faſtigium domus aſcendens ſe præcipitem ex alto egit. Sanch. 6. p. c. 9. fol. 828.

### 328. *Eſt Deo gratiſſima.*

Veronæ erant duæ ſorores, filię Bartholomæi Vitalis Medici, quæ Virginitatem illibate ſervabant, poſt mortem in illarum ſepulcro apiculæ mellificarunt, eventu tanto mirabiliore, quod hæc animalcula omnem cadaverum fœtorem fugiant. Quæ volucres nunc nidificabunt in ſepulcris noſtrorum juvenum? D. 2. 7.

Virginitas in decem Sybillis coronatur prophetico ſpiritu, & vaticiniis, quæ etiam de vero Meſſia fundebant. D. 4. 39.

Mercator poſt naufragium, & jacturam omnium bonorum in carcerem datus a creditoribus, ægre nutritur ab uxore mendicante. Aliquando uxor fuit ad nefas ſolicitata a divite cum promiſſo, quod velit pro omnibus illius debitis fidejuſſionem facere. Uxor repoſuit, ſe non eſſe Dominam ſui corporis, ſed maritum, illique expoſuit quid rei ſubeſſet. Maritus maluit eſſe inops quam ſceleratus. Ea res adeo placuit prædoni in eodem carcere captivo, ut uxori Mercatoris detexerit latentem theſaurum, quem illa eruit, & creditoribus ex aſſe ſatisfecit. Ecce! Deus remuneratus eſt caſtimoniam horum conjugum. D. 7. 100.

Caſtitas, & Virginitas inſignia præmia recipit a Deo. Joſephus Ægyptius quia caſtus, ad regni ſolium evehitur: Juditha Holofernem vincit: Sara ab Aſmodæo liberatur: Suſanna calumniæ eripitur. Multorum caſtorum corpora incorrupta permanent, aut amœniſſimum odorem efflant, & S. Auguſtinus ait: Nuptiæ mundum, at Virginitas cælum refert. Sanch. 5. p. c. 8. fol. 543.

Felix cum conſenſu conjugis ad Epiſcopatum vocatus eſt: Poſtmodum repudiata conjux zelotypia tacta ut exploraret, an non alteri adhæreret, noctu ſub ejus lectica ſe collocavit, viditque ſplendidiſſimum Agnum ſupra ejus pectus recumbere. Sanch. 5. p. c. 8. fol. 554.

Duo conjuges in ipſo conjugio ſervant caſtitatem, de his revelatum eſt a Deo, quod meritis ſuis ſuperent merita duorum anachoretarum. E. Verbo *Caſtitas* n. 2.

Arverni, dum innocens Virgo Georgia moritur, funus illius a magno columbarum, ſupra feretrum volitantium grege ſtipatur &c. C. Lev. 12. v. 6. ad fin.

SS. Julianus & Baſiliſſa in conjugio Virginitatem colentes cælico odore reficiuntur, & Chriſtus apparens illis ſua nomina oſtendit in libro vitæ. S. Amadoro & Virgini conjugi Angelus duas pulcherrimas coronas affert de cælo. Cum Abbas Joannes in expellendo dæmone deficeret, adventante quodam juvene dæmon ſtatim fuit expulſus. Interrogans Abbas ex juvene quis eſſet, comperit eum cum ſua ſponſa undecim annis caſte vixiſſe. Sanch. 5. p. c. 8. fol. 552. & ſeq.

S. Solangia paupercula, cum Virginitatis amore ditiſſimi juvenis nuptias recuſat, ab illo decapitatur, abſciſſum caput ter SS. Nomen JESU inclamavit, & a ſancta humi ſublatum ad ſepulcrum delatum fuit. Illa dein in illius regionis Patronam aſſumpta eſt. R. 1. p. mir. 31.

S. Ludovicus Epiſcopus Reginam ad nefas invitantem torvo oculo repellit, & oculus ille in ſepulcro non computruit, ſed poſt quadraginta annos lucidiſſimus inventus eſt. E. Verbo *Caſtitas* n. 7.

### 329. *Cuſtoditur contra inſidias a Deo.*

Deus Joſephi caſtitatem ab hera tentatam defendit, & per Moyſen toti orbi dilaudavit. Mulier falſo adulterii accuſata a carnifice occidi non potuit ictu ſepties repetito. S. Agnes, Lucia, Theophila, & aliæ Virgines ad leones & lenones damnatæ, ab Angelis illæſæ præſervatæ ſunt. S. Cunegundis Henrici Imp. conjux falſo adulterii accuſata nudis plantis ſuper ferrum candens ambulavit. Narciſſum Hieroſolymorum Epiſcopum tres falſi teſtes criminis accuſarunt, & mox tribus malis, quæ ſibi imprecati ſunt, cæcitate, morbo, in-

incendio contabuerunt. S. Marina ſub habitu viri inter Monachos vivens, ſtupri accuſata a filia hoſpitis, cum poſt mortem fuiſſe feminam compareret, innocens inventa, accuſatrix vero a malo dæmone obſeſſa primum poſt ſeptimam diem liberata eſt, &c. Dan. 14. v. 62.

Verum omnibus illuſtrius legitur in vita S. Eliſabethæ Reginæ Luſitaniæ, quæ apud Regem Dionyſium accuſata, quod famulum pedifſequum adamaret, ita a Deo defenſa eſt, ut accuſator a præfectis fornacis ex errore in clibanum fuerit conjectus, quia interim famulus, cui pœna hæc deſtinata fuerat, in via audiendo Miſſæ Sacrificio commoratus fuerat. Fornax illa hodiedum in rei memoriam conſervatur. C. Dan. 14. v. 62.

S. Thomas ab impudente femina tentatus, ardente titione illam fugavit. Poſtea ab Angelis cingulo caſtitatis cinctus, omni deinceps libidinis ſenſu caruit.

Daria Virgo veſtalis a S. Chryſantho ad fidem converſa in lupanar detruditur, ſed a leone, qui ex amphitheatro evadens ante fores lupanaris ſe collocaverat, defenditur: quiſquis ad Dariam impudicitiæ cauſa ingredi præſumebat, a leone in terram proſternebatur, & niſi a mandatis Dariæ fuiſſet prohibitus, proſtratum certe occidiſſet. Sanch. 5. p. c. 8. fol. 560.

S. Agnes in lupanar detruſa defenditur ab Angelo, cumque hoc non obſtante Simphorius Prætoris filius ingredi, eamque attrectare auderet, a dæmone ſtrangulatus, ſed a Virgine iterum a morte ſuſcitatus eſt. Sanch. 5. p. c. 8. fol. 561.

S. Lucia, cum juſſu tyranni in lupanar raptari deberet, adeo immobilis fit, ut vi equorum & inſtrumentorum a loco dimoveri non potuerit.

Cum Chriſtophorum Martyrem tyrannus a fide avertere non poſſet, impudicas feminas ad eum pervertendum vocavit; ſed ecce! cubiculum cælico ſplendore repletum fuit, & feminæ mortuis ſimiles in terram colliſæ ſunt, quas ille ſurgere juſſas ad fidem convertit. Sanch. 5. p. c. 8. fol. 563.

Virgo Benefrida a Jodoco Regis Alani filio in ſuo cubiculo occupata per feneſtras deſilit & in Eccleſiam fugit, quam inſequens Jodocus ibi in Eccleſia capite plectit. Sed Jodocus morte punitur, & Virgo ad vitam revocatur. Sanch. 5. p. c. 8. fol. 570.

Juvenis inſidiatus Virgini, dum illam occupat, vertigine capitis percuſſus una cum equo in flumen labitur, & ſubmergitur, ſed precibus Virginis reſuſcitatur. E. *Verbum Dei* 7.

Dulcitius Diocletiani Præſes erga Virgines Agapen & Chionam impuro amore captus, cum illæ in culinam fugiſſent, eas inſectatur, ſed a Deo adeo excæcatus fuit, ut cacabos & ollas amplexaretur, & eas baſiando turpiſſime ſe denigraret. Revertens dein ad palatium Diocletiani, nec ſuam agnoſcens nigredinem, a ſatellitibus pugnis & ludibrio habitus fuit. E. *Virgo* n. 10.

### 330. *Fortiſſime propugnatur uſque ad mortem.*

Impudentes mundi filiæ, ſi importunitatem ſolicitatorum obtendant, putant ſe ſatis excuſare ſuum dedecus, diſcant a femina Japonenſi Virgines mori poſſe, ſuperari non poſſe, ſi ipſæ non velint. Talis virgo in mancipatum abducta, & turpi quæſtui expoſita fuit: primum amatorem unguibus, & dentibus a ſe repulit. A Domino verberibus contuſa, ſemper negavit, ſe conſenſuram, demum ſtricto cultro minitanti non reſtitit, ſed vitam ac ſanguinem dedit, continuo affirmans, ſe paratiorem eſſe, ad vitam quam ad Virginitatem amittendam. R. cent. 3. mir. 37.

Margarita in aqua eſt mollis, exempta vero protinus dureſcit. Vv. art. diſc. font. 48. ex. 11.

Ita Virginalis pudicitia, quamvis tenera & imbellis ſit ex natura ſua, in periculis tamen generoſa evadit.

Sophronia Matrona Romana, cum inſidias & pericula pateretur a Maxentio tyranno, ſeipſam occidit, malens vitam quam pudicitiam perdere. E. Verbo adulter. ex. 4.

Puella Alexandrina maluit in olla fervente picis exuri, quam impuro Domino conſentire, & revera deſpexit cum riſu crudeliſſima tormenta. E. Verbo Amor illicitus n. 1.

Juvenis caſtiſſimus, manibus & pedibus ligatus, cum meretrici aliter reſiſtere non poſſet, linguam ſibi morſu præſcidit, & in faciem blandientis exſpuit. E. *Virgo* n. 16.

S. Pelagia una cum Matre & ſororibus, cum inſidiatorum vim aliter effugere non poterat, in profluentem proſilit, & aquis hauſta vitam quam caſtitatem perdere maluit. D. 2. 47.

S. Euphraſia Virgo Nicomedienſis in lupanar abrepta promittit juveni, qui ad eam vitiandam advenerat, quod velit illum invulnerabilem reddere: experimentum capturo juveni, ipſa ſuum collum fictis liquoribus inungit, juvenemque hortatur, ut in ſeipſa nunc probationem faceret, vibrat ille gladium, & uno ictu Virgini caput amputat. In Belgio filia alicujus Advocati militem vim ſibi inferre volentem cultro ſauciat, qui ejus conſtantiam admiratus poſt triduum mortuus eam omnium opum ſuarum heredem ſcripſit. D. 2. 50.

*Niceph. Caliſtus l. 7. hiſt. c. 13.*



Cum gentiles Dani ſub Belliducibus Hinguar & Stuba in Scotiam & Angliam irruentes tyrannice ſæviebant, & præſertim Sacris Virginibus turpiſſimam vim inferebant, Beata Ebba Abbatiſſa una cum Monialibus, ut contra lenones eſſent ſecuræ, ſibi naſum & labia præſciderunt.

Idem fecerunt Sanctimoniales Antiochiæ irruente Saladino. D. 7. 72.

S. Nicetas juſſu tyranni manibus & pedibus ligatus in lecto collocatur, & ab impudica pellice ſolicitatur: verum ille ſibi linguam præmordet, & hanc una cum ſanguine in faciem pellicis exſpuit. Sanchez 5. p. c. 8. fol. 561.

S. Solangia paupercula, gregibus paſcendis adhibita, ob venuſtatem a Comite ditiſſimo in ſponſam petitur. Negat illa, iſte inſtat: illa fugit, iſte inſectatur, & prehenſam in equo ſuo collocat. Dum flumen tranſeunt, illa ex equo deſilit, Comes ſtricto gladio inſequitur, & caput illi amputat, quod Sancta manibus ſuis attollens inter trinam nominis Jeſu invocationem ad ſepulturam defert. R. 1. p. mir. 31.

## Verecundia.

### 331. *Quam grata Deo.*

Sponſus laudavit ſponſam, *ſicut fragmen mali punici, ita genæ tuæ*, quia nimirum verecundo rubore ſuffuſi. B. Serm. 55. n. 17. M. conc. 25. aſſ. 2. n. 3.

Sponſa a ſponſo reprehenſa erubuit, & ſtatim laudata fuit propter pulchritudinem. M. conc. 30. aſſ. 3. n. 4. Publicanus verecunde culpam faſſus veniam impetrat. M. ib. n. 10.

S. Ammonius flumen pervadaturus erubeſcit denudare pedes, & ſubito arcano miniſterio in alteram ripam prodigioſe transfertur. Sanch. 5. p. c. 10. fol. 617.

Innocentes pueruli ad aram ſervire ſoliti quotidie jentaculum ſuper aram comedebant, & ſemper Divinus Puſio hoſpes illis adfuit. Hac ſuper re conqueſti aliquando rogarunt Jeſulum, ut & ipſe panem afferret & ſibi jentaculum faceret. Divinus infans invitavit eos ad convivium in Feſto Aſſumptionis B. V. ubi illi poſt Sacrum una cum Bernardo Sacerdote eorum Magiſtro placidiſſime in ara mortui ſunt. R. 1. p. mir. 33.

Etiam ſine voce pro Deo perorat: In veſte Sacerdotali mala punica inter tintinnabula pendebant: Cur? quia ſunt ſymbolum verecundiæ, quæ ſuo ſilentio non minus ædificat, quam ſermo prædicationis &c. M. conc. 30. §. 3. n. 7. Sanchez 5. p. fol. 613.

Propugnat innocentiam, & animi candorem: S. Chryſoſtomus ait: *Habet inſitum quemdam anima pudorem, quem ſubito calcare atque projicere non poteſt, ſed ſenſim atque paulatim ex negligentia perit.*

*S. Chryſ. hom. 86. in Matth.*

Margaritæ ſunt ſymbolum caſtitatis: licet ſint candidiſſimæ, ſi tamen attente inſpiciantur, præſertim in radiorum ſolarium luce, habent aliquid coloris purpurei. Vv. Art. diſc. Font. 48. ex. 11. n. 16. Ita Virgines, præſertim in luce, erubeſcunt.

### 332. *Eſt cuſtos innocentiæ & virtutum.*

Suſanna, utut a duobus Judicibus accuſata, tamen pro innocente habetur, quia verecundia ſe defendit: *Pudor patronus eſt pudicitiæ*. M. conc. 30. aſſ. 3. n. 5.

Cur ſacer Evangeliſta non prius laudavit virtutes Beatiſſimæ Virginis antequam eam ab Angelo ſalutatam recenſuit? Ratio eſt: quia plus dicere non poterat, quam illam fuiſſe ſumme verecundam, ex quo ſatis conſtat, virtutes omnes in compendio in ea fuiſſe. M. conc. 30. aſſ. 3. n. 6.

Verecundia, ait Cic. *eſt cuſtos virtutum omnium*. Et Val. Max. *Eſt parens omnis honeſti conſilii, Magiſtra innocentiæ, cara proximis, accepta alienis.*

*Valer. Max. l. 4. c. 5.*

Proprium Virginum monile eſt pudor & verecundia: non veniunt in idem pudor, & amor; hinc vocatur pudor virgineus; hinc S. Gregorius Nazianz. laudat ſororem ſuam S. Gorgoniam, quod præ omni mulierum ornatu ruborem, & candorem elegerit. Mirabile eſt effatum Tertulliani: *Ejuſdem libidinis eſt videri & videre: tam Viri ſancti eſt ſuffundi, ſi Virginem viderit, quam ſanctæ Virginis, ſi a viro viſa ſit.* Pudor eſt frænum vitiorum, ait S. Chryſoſtomus: Econtra impudentia eſt Mater impudicitiæ: impudentes ſunt ſimiles canibus; *Bene*, ait S. Hieronymus, *canis & meretrix copulantur; quia utrumque animal pronum eſt ad libidinem*. C. Eccli. 26. v. 19.

*S. Gregor. Orat. de S. Gorg.*

*Tertull. l. de vel. Virg. c. 2.*

*S. Hier. in c. 66. Iſa.*

Quin imo S. Ephrem in vita Abrahæ audacter pronuntiat: *Continentia eſt vitæ ſpiritualis fundamentum*. C. Lev. 3. v. 1.

## Manſuetudo.

### 333. *Injurias compenſat benefactis.*

CHriſtus ſervo percutienti injuriam compenſat beneficio. B. Serm. 1. n. 14.

David illo ipſo tempore, quo ab Abſalone ad internecionem quæritur, illi benefacit, rogando Duces, ut ſervarent puerum Abſalon. B. Serm. 21. n. 41.

Richardus Rex Angliæ in obſidione cujuſdam arcis a quodam Beltramo letaliter ſauciatus fuit. Occupata arce, adductus fuit jaculator ad Regem, cui iſte: Quid mali tibi feci, quod vitam mihi adimas? Repoſuit audacter Beltramus: Sat mali mihi feciſti, quia patri meo & duobus fratribus vitam eripuiſti: gaudeo de tua morte, quam etiam ego libenter obibo, dummodo tu non ſis ſuperſtes. Quid egit Rex? Veniam dedit occiſori, & centum aureos illi numerari præcepit. D. 5. 41.

Mancipium a Domino ſuo peſſime habitum, cum Dominus a militibus ad necem quæritur, aliquem in ſeditione occiſum, veſtibus Domini induit, & militibus ita fucum faciens Dominum ſuum jam diu ab aliis eſſe exanimatum, hunc incolumem in vivis ſervat. D. 7. 2.

S. Chriſtophorus a lictoribus gravibus tormentis affectus arbori alligatur, & ſagittis petitur: ſed ſagittæ omnes in aere pendentes permanſerunt. Tyrannus id miraculum viſurus accurrit, & ſtatim una ſagittarum in oculo læditur. S. Chriſtophorus præcepit, ut poſt ſuam mortem ſuo ſanguine oculus tingatur, & certo fore ſanandum, quod & factum eſt. Sanch. 6. p. c. 5. fol. 728.

S. Eliſabetha Hungariæ Regis filia rogavit Dominum, ut ſingulos injuriatores ſuos ſingulari beneficio pro ſingulis injuriis remunerari vellet. E. Ex. 10. v. 11.

### 334. *Eſt virtus maxime decens Chriſtianum.*

S. Chriſtophorus Martyr, cum a Samjorum Præſide gentili ſonanti alapa percutitur: Bene tibi ſit, ait, quod Chriſtianus ſim: alias certe vindicarem. S. punct. 8. fol. 567.

Chriſtus manſuete alloquitur Judam: *Amice, ad quid veniſti?* Neſcit enim Chriſtianus inimicum, ait Tertull. per quem ad gloriam aſcendit. S. p. 148. fol. 461.

S. Bernardus alapa percuſſus Chriſtianam legem allegat. S. punct. 8. fol. 567.

Tertullianus monet: Verberanti te in faciem, etiam alteram genam adverte. S. Ib. fol. 568.

S. Franciſcus Xaverius, & ejus ſocius Joannes Fernandez in Japone ſub concione ſputo in faciem appetuntur, ferunt manſuete, & multos propterea convertunt. S. punct. 11. fol. 583.

Monachus a femina energumena colapho percuſſus, cum ei mox alteram maxillam præberet, dæmonem expulit, clamantem: Violentia mandatorum Dei me expellit. E. *Humilitas* n. 8.

Gentiles Philoſophi mirum in modum fuerunt manſueti: Cato in balneo percuſſus, dein veniam rogatus, non memini, ajebat, me percuſſum. Ariſtides ad extremum ſupplicium ductus, cum ab aliquo inhonoraretur ſputo, ridens abſterſit faciem, & comitanti Magiſtratui dixit: Admone iſtum, ne poſtea tam improbe oſcitet. De Julio Cæſare dicitur, quod nihil oblivisci ſoleret, quam injurias. Pericles tota die injuriis laceſſitus, veſperi injuriantem cum lumine comitatus eſt &c. Hæc fecerunt gentiles, quid faciat Chriſtianus? C. Num. 12. v. 3.

### 335. *Quantum placet Deo.*

Sponſa laudatur, quia habet oculos columbarum. Quare? quia columba felle caret, neminem lædit. B. Serm. 54. n. 20. Serm. 59. per totum.

Joanni Gualberto, dum fratris interfectori dat veniam, Crucifixus annuit in modum gratias agentis. Brev. 12. Jul.

S. Stephanus orando pro inimicis meruit, ut beatitudo cæleſtis illi obviam iret. S. punct. 30. fol. 709. Lucratus eſt Eccleſiæ S. Paulum. Num. 12. v. 3.

Homo manſuetus ſimilis eſt Angelo, imo ipſi Deo. S. Ib. fol. 710. M. conc. 3. aſs. 1. n. 8. 9. ſeq.

Moyſes vocatur Deus Pharaonis, quia manſuetus. M. conc. 3. aſs. 2. n. 7. C. Exod. 10. v. 11.

Iſaac a Deo benedictionem recipit, quia erga Geraritas perſecutores eſt manſuetiſſimus. S. Ivo diſſidentem filium & Matrem Sacrificio Miſſæ componit. Paphnutio Abbati in meritis comparatur homo ſæcularis, quia diſſidentes componere ſolebat &c. C. Gen. c. 26. v. 29.

Joannes Thebæus, diſcipulus Abbatis Ammonis, duodecim annis ægrotanti ſeni ſervit, a quo ne unum quidem placidum verbum recepit. Moriturus ergo ſenex tenuit manum ejus, & ſalutem illi appromiſit. C. Ex. 10. v. 11.





Sanctus ille Senior ab infidelibus Alexandrinis exagitatus, rogatuſque, ecquæ mira Chriſtus ſupra naturam feciſſet? Hæc, inquit, quod injuriis veſtris non movear. C. Num. 12. v. 3.

Joannes Abbas ait: Porta cæli eſt injuriarum perpeſſio, Patres noſtri per multas injurias in ea gratulantes ingreſſi ſunt. C. Num. 12. v. 3.

### 336. *Eſt Virtus glorioſa generoſum denotans animum.*

Quis fortior Goliatho? nonne David? quis Davide? nonne qui Davidem vincit? ſed David Davidem vicit Sauli parcendo, ait Chryſoſtomus. S. punct. 110. fol. 322. Hinc glorioſior rediit e ſpelunca, quam ex arena. S. Ibid. fol. 323.

Quæ cauſa, quod in Genealogia Chriſti ſolus David *Rex* vocetur? nonne Salomon Rex? nonne alii Reges? Reſpondet Auguſtinus: hic proprie Rex, qui non ſucceſſione hereditaria, ſed propria virtute ſibi regnum comparavit: qui ſibi imperare poteſt, dignus eſt, ut & aliis imperet. S. punct. 110. fol. 324.

Sanctus Paulinus ait: *In Chriſto triumphat, qui tunicam auferenti remittit & pallium.* S. punct. 15. fol. 595.

Chriſtus dicitur Filius Dei, dum ex amore humani generis *Incarnatur* eſt: *Judicaturus* autem dicitur filius hominis. M. conc. 3. aſſ. 2. n. 8.

Carolus Magnus filiam, quod cum Eginhardo Secretario fornicata eſſet, utrumque mortis reum, non morte punivit, ſed conjugio copulavit. C. Gen. 50. verſ. 19. Eandem manſuetudinem ſpiravit Rudolphus Imperator inquiens: Immitem me fuiſſe pœnituit, lenem & placabilem nunquam. Ludovicus XII. ex Duce Aurelianenſi factus Rex non ſumpſit vindictam contra civem, ſuum antea inimicum, inquiens: Rex Galliæ non ulciſcitur injurias Ducis Aurelianenſis. Alphonſus Aragonum Rex de nimia manſuetudine inculpatus repoſuit: An ergo vultis urſos & leones regnare? Ibidem.

Monachus juvenis ſub porta Athenis injuriatus riſit. Quæſitus cur rideret? repoſuit, integro triennio injurias mercede compenſavi, hodie gratis recipio. Hoc dicto admiſſus in urbem tanquam ſapiens. C. Num. 12. v. 3.

### 337. *Mitigat iram in hoſte.*

Prov. 25. *Sermo mollis confringit oſſa, &c.* Ubi Chryſoſtomus: Non in iis, qui ira commoti ſunt, ſed in nobis ſitum eſt, ut vel extinguatur illorum ira, vel ad majus irritetur incendium. S. punct. 30. fol. 720.

B. Libertinus ab Abbate iracundo ſcabello ſuppedaneo percuſſus, patientiſſime tulit. Quin imo altera die de genu veniam ab Abbate petiit: quo viſo Abbas ſe peccaſſe confeſſus & humiliatus eſt. Verum Libertinus ſuæ culpæ imputans injuriam, cum a fratribus rogaretur, cur tumentem haberet faciem? repoſuit, ſe in ſcabellum ſuppedaneum impegiſſe: ut honori ſui Abbatis conſuleret. E. *Patientia*, num. 1.

Jacob rediens in Chanaan fratrem Eſau, cujus iram pertimeſcebat, adoravit pronus in terram, & eum omnino manſuetum expertus eſt. C. Gen. 33. v. 3. & 10.

Alexandro Severo Imper. objecit uxor: contemptibilem tibi Imperii dignitatem feciſti: & ille repoſuit: ſed ſecuriorem & diuturniorem. C. Gen. 50. v. 19.

Monachus poſt convitia a gentili Philoſopho alapa percuſſus, mox aliam maxillam ei præbuit, tunc ille adoravit eum, dicens: Vere Monachus es. C. Num. 12. v. 3.

*Nihil aſperum eſt mitibus, nihil arduum humilibus*, ait S. Leo; ſicut enim lana bombardarum globos excipit, & ſua mollitie eorum impetum infringit; ita manſuetudo, & humilitas omnia dura & aſpera ſua lenitate frangit, & emollit. C. in Matth. 11. v. 29.

Sermo manſuetus non tantum mitigat iram in adverſario, ſed inſuper animum illius & affectum lucratur. Requiritur autem 1. ut ſermo ſit ſapiens ac prudens. 2. Ut ſit ordinatus, & facilis intellectu. 3. Ut ſit gratioſus & hilaris. 4. Ut procedat ex corde benevolo, & amore pleno. C. Prov. 16. v. 21. & 24.

### 338. *Docetur exemplo Sanctorum.*

Agathon Abbas nunquam dormitum conceſſit, niſi prius excuſſa omni indignatione. Peſius Anachoreta dixit, quod ſol per 40. annos nunquam ſe iratum viderit. C. Gen. c. 26. v. 29.

S. Ludovicus Rex duos aſſaſſinos, qui illi mortem machinabantur, præmiatos & impunes domum remiſit. D. 1. 87.

Cuidam vitæ regulam roganti dixit S. Macarius, eas & illa oſſa mortuorum conviciare: ivit iſte fecitque juſſa, retulitque Sancto oſſa ad omnia tacuiſſe. Nunc eas ajebat Sanctus, & oſſa laudes: ivit, laudavit, retulitque itidem oſſa ſi-

luiſſe. Sic tu fac, ſubintulit S. Magiſter dicteria hominum non cura, ad omnia manſueſce. R. 1. part. mir. 22.

Joſeph Ægyptius a Domina calumnioſe accuſatus, in carcerem conjectus eſt: poſt triennium a Pharaone, Deo ſic diſponente, in ſolium Proregis evectus toti Ægypto imperitabat: Quamquam ergo a calumniatrice vindictam ſumere potuiſſet, Scriptura tamen nec verbulo de vindicta meminit. Quanta manſuetudo! C. Gen. c. 40.

S. Agnes reſuſcitat Præfecti Filium ſe invadentem: Joannes & Paulus Terentiani filium a dæmone liberant: S. Laurentius & Pergentinus carnifices ſuos obrigeſcentes orando vigori reſtituunt: S. Sabinus Venuſtianum Præſidem oculorum dolore ſanat. Idem legitur in vita S. Potamienæ, S. Chriſtinæ, S. Anatoliæ, S. Eugeniæ, Dariæ, & aliorum Martyrum. C. Gen. 45. v. 3.

Moyſes elogium retulit, quod fuerit
Num. 12. v. 3. mitiſſimus ſuper omnes homines, qui morabantur in terra. S. Amma in Monaſterio quaſi ſtulta, ludibriis expoſita cum id manſuete ferret, a S. Pitrione Dei inſtinctu declarata fuit omnium ſapientiſſima & ſanctiſſima. C. Num. 12. v. 3.

S. Stephanus Rex Hungariæ dum nummos pauperibus diſtribuit, coorta inter petulantes rogatores ſeditione, ab uno graviter injuriatus, eique magna ex parte barba evulſa eſt. At ille nequaquam ira accenſus, ſed gaudio perfuſus ad Eccleſiam properavit, & Deo gratias egit. H. Serm. 27. fol. 269. Vide ſupra Lib. 4. Tit. *Manſuetudo Sanctorum.*

### 339. *Remittit benigne injuriam.*

Moyſes oratione placat Deum, volentem punire populum propter injurias tam ſibi, quam Moyſi illatas. Diſcant hic Principes & Prælati, ingratitudinem ſubditorum, & vitia tolerare & diſſimulare: Imo diſcant hoc ab ipſis etiam gentilibus: Themiſtocles a ſuis Athenienſibus expulſus fugit ad Artaxerxem eorum inimicum, verum cum Rex iſte mittere illum vellet contra Græcos, maluit mori, quam patriam oppugnare. Scipio Africanus, qui Hannibalem devicit, tandem accuſatus a Romanis in exilium miſſus eſt: interrogatus, quomodo ſe haberet erga patriam ingratam? Repoſuit: Sicut filius erga Matrem ægram. Epaminondas, qui Thebas ad imperium evexit, accuſatus, & ad mortem poſtulatus, reſpondit: Occidite me, ſed ſepulcro meo inſcribite, quid patriæ fecerim. C. Num. 14. v. 18.

Præclariores hac in re fuerunt fideles: Theodoſius Imp. neminem eorum, a quibus læſus eſt, ultus eſt: miranti dixit: utinam hoſtes meos, dudum mortuos, ad vitam revocare poſſem! S. Bernardus a quodam ſuo pugno percuſſus, cum alii in percuſſorem involare vellent, inhibuit dicens: Oportet me aliis ignoſcere, cui toties a Deo ignoſcitur &c. C. Nu. 14. v. 18.

Beneficiis vincere inimicos Divinum eſt: Sic Deus ſua pietate certat cum impietate hominum, eo tempore incarnatus, cum mundum vidit, beſtiarum more ſceleratiſſimum. Hoc novum victoriæ genus Dei & Chriſti eſt: Sancta illa rogata: quomodo ad ſanctitatem perveniſſet, repoſuit: *Nunquam a quoquam læſa ſum, quin illi peculiare beneficium impenderim.* C. Iſa. 7. v. 14.

Sigiſmundus Imp. reprehenſus, quod inimicis vitæ gratiam fecerit, reſpondit: *Tibi utile videtur hoſtem occidere, quia mortui bella non excitant: At ego inimicum occido, dum parco, & amicum facio.* C. Ib.

Alphonſus Aragonum Rex, expugnato Stephano, centuriones & milites, qui ſibi maledixerant, mira humanitate excepit: cum alii eos morte mulctandos cenſerent, ajebat: *Malim ex clementia erga hoſtes quam ex victoria laudem paciſci, &c.* C. Iſa. 7. v. 14.

### 340. *Meretur a Deo defendi contra injurias.*

Eſt celebris quæſtio, cur Dominus Deus Sanctos Martyres contra exquiſita tormenta immunes ſervaverit, rariſſimo autem contra ictum gladii? & reſpondetur: gentiles & tyranni, qui Sanctos Martyres ordinarie, pro veneficis & diabolicis habebant, erant perſuaſi magicas incantationes valere quidem contra ictum gladii, non vero contra exquiſita tormenta. Ut igitur Dominus Deus demonſtraret, ſuos Martyres non eſſe veneficos, permiſit illos gladiis decapitari, & contra alia tormenta defendit. En ſi tu injurias non vindicas, Deus tui cauſam ſuſcipiet. D. 5. 89.

Inter Abbatem & Principem terrenum graves erant diſcordiæ circa poſſeſſionem alicujus fundi, quæ tandem venerunt ad arma. Princeps cum armata militum manu comparuit in arena, ex altera vero parte Abbas cum Monachis cucullatis inermis adfuit, quo conſpecto Princeps adeo contremuit, ut armis abjectis ex equo deſiliens veniam rogarit. E. *Diſcordia.* n. 1.





Patriarcha Moyſes in omnibus actionibus ſingulari Dei protectione gaviſus eſt, quia fuit manſuetiſſimus. *In fide & lenitate ipſius Sanctum fecit illum.* En! ſicut fidelis obedientia erga Deum, ita lenitas & manſuetudo erga proximum ſanctificat; manſuetus enim affectus habet ordinatos & compoſitos, ideoque puros & ſanctos. S. Baſilius de hac virtute ait:
S. Baſil. in Pſ. 33. *Qui nullum in animo ſuo perturbationi reliquerunt locum, hi demum manſueti appellantur.* Et S. Auguſtinus: *Mites ſunt, qui cedunt improbitatibus, & non reſiſtunt malo.* Horum defenſionem Deus in ſe ſuſcipit, ſicut fecit Moyſi, & aliis. C. Eccli. 45. v. 4. S. Aug. l. 1. de Serm. Dom. in mont. c. 2.

### 341. *Concipitur intuitu propriorum peccatorum.*

Judas Patriarcha inaudiens Thamar filii ſui Her demortui uxorem, & nunc viduam uterum ferre, ſtatim ſententiam adverſus eam pronunciavit, ut produceretur, & combureretur. Cum autem illa Judam annulo, armilla, & baculo convicit, illum eſſe auctorem ſuæ imprægnationis, ſtatim miteſcere, & dicere cæpit, Juſtior me eſt. C. Gen. 38. v. 26.

Joan. 8. Cum Judæi Chriſto Domino adduxerunt mulierem in adulterio deprehenſam, ille pronus digito ſcribebat in terra. Quid ſcripſit? S. Hieronymus putat, Chriſtum ſcripſiſſe omnia illorum peccata; nam hanc Scripturam mox verbo explicans Chriſtus ajebat: *Qui ſine peccato eſt veſtrum, primus in illam lapidem mittat.* Judæi ergo in ruborem viſis propriis peccatis dati, a conſilio lapidationis deſiſtentes, & manſueſcere docti, terga verterunt. C. Joa. 8. v. 6.

S. Apoſtolus Petrus, qui fidem ſuam Chriſto jactabunde ſupra cæteros dilaudavit, *ſi omnes, ego non ſcandalizabor!* paulo poſt Divinum Magiſtrum ter turpiſſime negavit. Quæſo cur Dominus Deus pudendum hunc lapſum in dilectiſſimo Apoſtolo permiſit? Nempe ut Petrus, qui erat fervidæ indolis, manſueſcere diſceret. Chriſtus illum elegit in caput Eccleſiæ, & ſupremum Antiſtitem, ideo labi permiſſus eſt, ut aliarum infirmitati compati, & intuitu ſuorum delictorum, alienis connivere diſceret, ſicque exemplum daret Superioribus, qua ratione in ſuo munere ſe habere debeant &c. Matth. 26. v. 70.

## Concordia.

### 342. *Fugat inimicos viſibiles, & inviſibiles.*

SAul obſeſſus liberatur a dæmone per citharam Davidis, quæ eſt ſymbolum concordiæ. B. Serm. 59. n. 3.

Sicut dæmon gaudet diſſidiis & altercationibus ita concordia dejicitur, ait S. Chryſoſtomus. S. punct. 30. fol. 714.

Antiſtenes dixit, *Fratrum inter ſe concordiam quovis muro firmius eſſe monumentum.* Ageſilaus Rex Lacedæmoniorum interrogatus, cur Lacedæmon non cingeretur muro? oſtendens cives armatos, & unanimes, reſpondit: *Hi ſunt Spartæ mœnia,* ſignificans, unitatem civium, quibusvis mænibus eſſe fortiorem. Lycurgus a Lacedæmoniis rogatus, quo pacto contra hoſtes tuti eſſe poſſent? Repoſuit: *Si pauperes manſeritis, & contentiones mutuas deponatis,* ſignificans immodicas opes, & diſcordias duas eſſe peſtes urbi exitiales. Similem in modum Scipio Africanus capta Numantia Tyreſium principem rogavit, qua ratione Numantia prius invicta jam manus hoſti dediſſet? cui ille: *Concordia victoriam, diſcordia exitium præbuit.* C. 1. Petri 3. v. 8.

Scilurus octoginta habens filios moriturus faſciculum telorum ſingulis porrexit, juſsitque rumpere: id cum ſinguli non poſſent, ipſe tela ſingula exemit, & ſingula facile fregit, hoc documentum adjiciens: Si concordes fueritis invicti manebitis: contra ſi diſsidiis diſtrahamini, imbecilles eritis, & expugnatu faciles. C. 1. Petri 3. v. 8.

### 343. *Quomodo conſervanda ſit.*

Si una pars auſtera, & iracunda ſit, altera debet aliquantiſper tacere, & manſueſcere: fulmen, ſi cadat in petras, omnia diſtringit, quia reſiſtentiam invenit: ſi vero cadat in lectum non nocet, quia reſiſtentiam non habet &c.

Diſplicet Deo fratrum, & amicorum diſcordia, eamque punit & vendicat: Antiochus Epiphanes Demetrium, fratris Seleuci filium, regno paterno excluſit; hinc inter utriuſque poſteros continua per ducentos annos fuere bella, altero alterum viciſsim obtruncante &c. Econtra fratrum & amicorum amor, gratiam Dei, & hominum conciliat. Quomodo autem hæc conſervanda ac ſtabilienda ſit, ſuggerit Caſsianus hæc fundamenta: 1. Superbiam Caſſian. coll. 16. c. 6.
mundi contemptui habeant: indignum e-

nim eſt, ut res viliſſima pretioſiſſimæ, id eſt, amori & concordiæ præhabeatur. 2. Ut unuſquiſque ſuas reſecet voluntates, & unus alteri obediat. 3. Ut ſciat omnia, etiam utilia, & neceſſaria, poſtponere bono pacis & caritatis. 4. Ut credat nec juſtis, nec injuſtis cauſis penitus eſſe iraſcendum. 5. Ut ſciat iracundiam fratris aut amici, ut ſuam curare & mitigare, tanquam utrique perniciofam. Pi-

In Vitis PP. l. 7. c. 42. menius Abbas juſſit fratribus, ut ſtatuam laceſſerent injuriis, cumque ſtatua injuriis non moveretur, ait, Fratres, ecce ſeptem ſumus, ſi vultis ergo pariter manere, ut lucrum animæ faciamus, ſit ſtatua iſta nobis in exemplum &c. E. Amos 1. c. 11.

Duo media ſtatuit Caſſianus pro firmanda concordia Monachorum 1. Abnegationem terrenarum cupiditatum. 2. Abnegationem propriæ voluntatis. C. Act. Ap. c. 4. v. 32.

### 344. *Summopere placet Deo.*

Diluvium omnes arbores eradicavit, non olivam; quia columba ramum attulit. Cur? oliva ſignum eſt pacis, & concordiæ &c. S. punct. 26. fol. 113.

Moyſes ad laudem Dei omnes evocat, quia placet Deo concordia. M. conc. 3. aſſ. 3. n. 7.

Deus laudavit omnia creata, ſed ſimultatem eorum dixit *valde* bonum, quia illi placet unitas, ait S. Auguſtinus. C. Gen. c. 1. v. 31.

*Si duo ex vobis conſenſerint ſuper terram de omni re, quamcunque petierint, fiet illis a Patre meo.* Ubi S. Hilarius: in tantum, ait, humanæ pacis concordiæ ſtuduit Chriſtus, ut unitatis merito omnia impetranda eſſe confirmet. S. punct. 61. fol. 215. ad finem.

Ubi pax ibi abundantia: Concordia res parvæ creſcunt, diſcordia etiam maximæ dilabuntur. M. conc. 44. aſſ. 2. n. 7. & ſeq. C. 1. Pet. 3. v. 8.

Latro ad inſtantiam Beati Apollonii pacem inter diſſidentes ſanciens, dein cum eo ad Monaſterium recedens, noctu in ſomnis vidit Divinum Judicem, qui ipſi peccatorum veniam appromiſit, cumque hanc ipſam viſionem etiam Apollonius habuiſſet, res inſtar prodigii habita fuit, quam eventus comprobavit. E. *Diſcordia* n. 3.

Duæ mulieres per quindecim annos cohabitantes ſine lite & turbatione pacis a Deo adeo æſtimantur, ut in meritis præhabitæ ſint Abbati Macario. E. *Diſcordia* n. 5.

Chriſtus Dominus concordiam & pacem in terram tulit, juxta cantum Angelorum: *Et in terra pax hominibus*: Ubi S. Leo: Pax ſit hominibus, quæ ſcilicet eos faciat; bonæ voluntatis, qui nimirum alibi vocantur filii dilectionis, dilecti a Deo. C. Iſa. 2. v. 4. Et C. Jac. 3. v. 18.

### 345. *Plurima bona poſt ſe trahit.*

Ex pace omnia bona naſcuntur, ideo eam inviolabilem conſervare debemus. Paoletti Fer. 3. Paſchatis.

Megeſiſtratus Epheſius Delphos fugiens ab oraculo juſſus eſt ibi civitatem condere, ubi homines olivæ frondibus coronatos ſaltantes invenerit. Quod cum ille in Aſiæ quadam regione deprehendiſſet, urbem Eleuntem condidit, ex olivæ frondibus tanquam pacis ſigno omnia bona ſperans. C. Lev. 2. v. 1. fol. 623. col. 2.

Concordia proſperitatem, & divitias parit: Severus Imp. moriens filiis dixit: *Facite, ut conveniat inter vos, cætera contemnite!* Sic etiam Scilurus octoginta filios habens, moriturus faſciculum telorum ſingulis porrexit, juſsitque rumpere. Id cum non poſſent, ipſe tela ſingillatim omnia fregit, addiditque: ſi concordes fueritis, invicti manebitis, ſi diſsidiis diſtrahemini, imbecilles eritis, & expugnatu faciles! Nempe veriſsimum eſt illud: *Melius eſt duos eſſe ſimul quam unum; habent enim emolumentum ſocietatis ſuæ.* C. 1. Petri 3. v. 8.

Concordia eſt vita beata: In cælis inter milliones Angelorum, & in aſtris & ſtellis, licet contrarios habeant motus, ſumma eſt concordia; hinc primi Chriſtiani impenſe ſtuduerunt unanimitati, juxta S. Lucam: *Multitudinis credentium, erat cor unum, & anima una &c.* C. 1. Petr. 3. v. 8. Eccl. 4.

Ottho Imp. voluit cedere Imperio, ut tolleretur bellum civile. Cicero ait: *Pax vel injuſta utilior eſt juſtiſſimo bello.* Et Antiſthenes: *Concordia quovis muro firmius eſt munimentum.* C. Iſa. 2. v. 4.

## Modeſtia.

### 346. *Eſt amplectenda ex variis motivis.*

JOannes Berchmannus miræ Modeſtiæ Juvenis S. J. varia ſibi motiva hujus virtutis propoſuit: Modeſtia, ait, eſt virtus, quæ motus omnes animi, corporiſque cum honeſtate, ac decentia moderatur. Amplexanda eſt: 1. Ad exemplum B. V. Mariæ, quam ob morum decentiam Dionyſius fere Deam credidit. 2. Ob præcepta S. Ignatii de modeſtia. 3. Quia immodeſtus



deſtus injuriam facit Paſſioni Chriſti. 4. Ob Dei præſentiam. 5. Ob gloriam, quam inde meremur. 6. Ob exemplum Sanctorum Beata Tecla ad ſupplicium capitis ducta non attollit oculas. Religioſus quidam, dum flumen transvadaturus, horret pedes nudare, mirabiliter tranſportatur. S. punct. 114. fol. 348.

Virtus Modeſtiæ mire placet Deo & Angelis eo modo, quo delectat homines videre Reginas regio cyclade ornatas. Cant. 7. *Quam pulchri ſunt greſſus tui in calceamentis filiæ principis.* C. 1. Petri 3. v. 8.

Quæres, qua arte, & quibus mediis acquirenda ſit modeſtia? 1. Cogitare ſe verſari in præſentia Dei, & Angelor. ſi enim modeſtiſſimi ſumus in præſentia Regis aut Viri gravis, quid faciemus in conſpectu Dei? 2. Conſervare internam pacem animæ; ſicut enim cythara per chordas rite in ſe compoſita facit ſonum harmonicum, & ſicut mare, ſi nullus eſt ventus, eſt tranquillum; ita ad pacem animi internam ſequitur externa morum compoſitio. 3. Habere monitores, qui mores noſtros notent, ſic S. Carolus Borromæus duos aluit Sacerdotes, qui in actiones ſuas omnes vigilarent, ſeque libere monerent. 4. Conſiderare mores Chriſti, dum viveret, prædicaret, & circumiret vicos & caſtella; ſic fiet, ut pudeat nos iraſci, eſſe impatientes & immodeſtos. 5. Verſari cum modeſtis ſic fiet, ut ſicut Avis Ictarus, morbum ictericum; ita nos modeſtiam ab aliis attrahamus. C. Ibid.

### 347. *Attemperare debet omnes actiones.*

S. Ambroſ. ait: *Speculum mentis plerumque in rebus refulget: ipſum ſonum vocis liberet modeſtia, ne cujuſquam offendat aurem vox fortior. Imo in omni uſu loquendi, ut ſenſim quis aut pſallere, aut canere, aut poſtremo loqui incipiat, &c.* M. conc. 30. aſſ. 3. n. 3.

S. Chryſoſt. hom. 34. S. Chryſoſt. *Nihil ita animam in tranquillitate, & quiete eſſe facit, ut manſuetudo & modeſtia.* C. Gen. c. 13. v. 16. in fine.

Modeſtia eſt compoſitio membrorum, ſenſuum, veſtium, inceſſus, ſermonis, aſpectus, vultus, omniumque motuum, & actuum externorum. Eſt omnium virtutum purpura, ſicut purpura Reges, ita modeſtia decorat fideles. Eſt ornamentum, & veſtis regia hominis, quæ mire ipſum ſpecioſum reddit. *In omnibus motibus veſtris,* S. Aug. in Reg. ait S. Auguſt. *nihil fiat, quod cujuſquam offendat aſpectum, ſed quod veſtram deceat ſanctitatem.* C. 1. Petri 3. v. 8.

Eſt effectus, & actus virtutis internæ; eſt enim impoſſibile, ut quis externe modeſtus & compoſitus ſit, niſi prius affectus, & paſſiones internas edomuerit. *Habitus mentis in ſtatu corporis agnoſcitur*, ait Hugo Victorinus. Quocirca Angeli ſæpe in humano corpore apparuerunt, ut angelicos mores, & modeſtiam exprimerent. S. Tho. quadruplicem effectum modeſtiæ conſiderat, nam 1. Moderatur appetitum excellentiæ. 2. Curioſitatem ſciendi. 3. Senſuum libertatem, & 4. veſtitus vanitatem. C. 1. Petri 3. v. 8.

### 348. *Ædificat aſpicientes.*

Imperator Maximinianus non poterat aſpicere S. Lucianum propter ejus gravitatem, ideo vel per interpretem, vel velatis oculis eum alloquebatur. Sanch. 5. part. c. 10. fol. 613.

S. Dionyſ. Mariam, ſi fides admitteret, pro Dea fuiſſet habiturus propter ejus modeſtiam. Sanch. 5. part. c. 8. fol. 614.

S. Mariam de Ognies aſpiciens luſor ad pœnitentiam & amaras lacrymas commovetur. Sanch. 5. part. c. 8. fol. 616.

Modeſtus eſt quaſi viva Statua virtutis; proximi enim, dum internam virtutem videre non poſſunt, illam per externam modeſtiam metiuntur, & æſtimant, qualiter factum eſt in Eſſæis, qui adeo fuere compoſiti, ut in cœtu nullus ſpueret, nullus ſibilum ederet, ita, ut Angeli viderentur. C. 1. Petri 3. verſ. 8.

Modeſtia præſertim in verbis, & maxime in correptione, & caſtigatione trahit animos. Exemplum dedit Chriſtus Dominus: correcturus Samaritanam, non dixit: tu es meretrix, ſed ſuaviter illam inducendo, *Voca Virum tuum!* ſic delictum illa ſponte eſt faſſa. Joann. 4. S. Bonavent. adeo fuit modeſtus & ſuavis, ut aſpicientium animos ad ſui æſtimationem commoveret. S. Mechtildis adeo amavit ſilentium, ut muta videretur: ſin cum ea quis colloquebatur, angelum ſe audire putabat. S. Lucianus ea erat modeſtia, ut Maximian. Imp. eum intueri non auderet, metuens, ne ejus gravitate & aſpectu ad fidem Chriſtianam traheretur. C. 1. Petr. 3. v. 8.

S. Cyprian. tantum ſanctitatis & gratiæ in ore præſeferebat, ut confunderet intuentium mentes, dubitantes plus vereri, aut diligi mereretur. S. Franciſcus ſuos mittebat ambulatum in urbem, dicens: *Ite concionatum!* veſtro nimirum modeſto & Religioſo inceſſu; morum enim concio eſt viva, verborum mortua. Pontifex cum ſuis

ſuis Prælatis viſitans S. Bernardum in Claravalle, ipſius & Monachorum modeſtia adeo commotus, & compunctus eſt, ut plerique eorum præ devotione uberes lacrymas funderent. C. 1. Pet. 3. v. 8.

## Mortificatio.

### 349. *Eſt neceſſaria ad expianda peccata.*

SAnctus Auguſtinus monet: *Illud quod feriſti impunitum eſſe non poteſt: aut punis, aut punit Deus: vis, non puniat? puni tu.* B. Serm. 45. n. 21.

Non ſatis eſt pœnitentiam eſſe mere internam, ſed neceſſe eſt, ut cum anima etiam corpus aliquid incommodi patiatur; quia partem in culpa habet. Non-
Huile. nunquam cum duo ejuſdem noxæ rei capite plecti deberent, & lictor deeſt, alterutri vitæ gratia facta eſt, ut conſortem ſua ipſe manu plecteret. Sic Deus vult: anima & corpus ſunt ejuſdem criminis rei, Deus autem animæ gratiam delicti facit, ea lege, ut pœnam corpori infligat. Sic anima fit miniſtra Divinæ Juſtitiæ: *In peccatorem pœnitentiam pronuncians, pro Deo indignatione fungitur*, ut ait Tertull. P. p. 3. diſc. 19. n. 8.

Cervus ſagitta ictus dictamnum herbam comedens ſagittam excutit: ita juvenis ſagitta peccati vulneratus illam excutiat per mortificationem, cujus dictamnus, herba acris, & mordax ſymbolum eſt, ait Tertull. C. Prov. 7. v. 23.

Beatiſſima Virgo inſtruit S. Birgittam, non eſſe aliam viam ad gratiam, niſi crucem & mortificationem. C. Prov. 31. v. 27.

Ut terra ſterilis in horto aut agro fœcunda reddatur, neceſſe eſt, ut fodiatur, aretur, & ſtercoretur; ita homo, qui de terra ſumptus eſt, ut a vitiorum lollio purgetur, & ad proferendas virtutum fruges aptetur, debet per mortificationem viliter tractari, contemni, & tribulari &c. Eundem in morem, ſi tela linea aut veſtis ſit mucore, & maculis fœdatus, debet lixivio acriter lavari: ita & anima per rigorem a peccatis purgari &c.

### 350. *Eſt neceſſaria ad præſervationem a peccatis.*

Ager, niſi zizania continuo eradicentur, ſtatim urticis plenus eſt. B. Serm. 62. n. 25.

David utut ſeniculus, tamen ad pugnas progreditur, quia antea in otio cecidit: ita ſemper pugnandum, nunquam otiandum eſt. B. Serm. 62. n. 26.

Joſue funditus evertit Jericho, urbem Hai combutit, quinque Reges ſuſpendit, Chananæum, Amorrhæum, Hethæum, Pherezæum occidit &c. Cur? hæc bella ſunt myſteria, ait Origenes, mortificandi ſunt ſemper hoſtes carnis. S. p. 112. fol. 339.

Spiritus continuo pugnat adverſus carnem, videtur ea pugna explicari poſſe per bilancem, in qua aſcendente una lance deſcendit altera. Cum igitur carni tribuuntur omnia, eſus, potus, recreationes & ſimilia, econtra ſpiritui nihil tribuitur per meditationem, paſſionum edomationem, & ſimilia, quid mirum quod caro prævaleat, ſpiritus opprimatur? fovenda eſt anima, & continuo roboranda in hoc prælio.

Mater S. Edmundi, dum illum Pariſios ad ſtudia mitteret, cilicia & flagra ſimul illi dedit cum mandato, ut iis in hebdomada bis aut ter uteretur ad edomandam carnem. Et revera Edmundus tam innocens manſit, ut meruerit in campo Puerum Jeſum ſpectabilem habere. E. *Luſus* n. 7.

Alia eſt mortificatio *activa*, qua ipſe mihi vim infero, alia *paſſiva*, qua a Deo crucior. Utraque conducit ad expianda & prævertenda peccata. S. Auguſtinus ait: *Duos filios habet homo, alterum caſtigat, alterum dimittit: facit unus male, & non corripitur: alter mox ut ſe moverit, flagellatur. Unde hoc, niſi quia huic caſo hereditas ſervatur, ille autem dimiſſus exheredatus eſt.* C. Prov. c. 3. v. 12.

Roſa initio ſpinis caruit, ſed additæ ſunt ſpinæ, ut voluptas odoramenti dolore aculeorum arceatur &c. C. Eccli. 24. v. 18.

### 351. *Docetur exemplo Sanctorum.*

Hilarion fame, Benedictus ſpinis, Franciſcus nive, Stilites columna corpus domant. S. punct. 106. fol. 309.

S. Job, utut ab omnibus derelictus, deſpectus, abjectus, in ſeipſum tamen ſeveriſſimus fuit: teſta, non linteolis ſaniem abſtergebat: imo ſe volutabat, ut dolores exacerbaret &c. S. p. 106. fol. 309.

Benedictus in ſpinis ſe volutat. Continuo in Feſt. S. Bened. conſid. 4.

S. Paulus de ſeipſo ait: *Ego igitur ſic curro &c. Non quaſi aerem verberans*, id eſt hoſtem verbero, carnem ſubigo. Iſidorus Clarius ait: caſtigabat corpus Paulus, quod magis ſpirituale erat, quam noſtræ ipſorum animæ. S. punct. 106. f. 309.

S. Joannes Baptiſta veſtitur pilis camelorum, tanquam veſte cilicina. S. Ibid. fol. 110. Beata Catharina Genuenſis corpus affligit, ut fere perimat. Paula Romana



mana vanitatem priorem compenſat auſteritate. S. punct. 112. fol. 340.

Dominicus Loricatus, Guilielmus, Nicolaus Tolentinas, Henricus Suſo corpus ſuum acerrime flagris cædunt. S. punct. 19. fol. 621. 622.

S. Peregrinus Monaſterium ingreſſus cæleſti luce in capite fulſit. Per triginta annos nunquam ſedit, nunquam lecto decubuit, nunquam diem ſine confeſſione vacuum abire permiſit. Ejus putrefactum crus Jeſus de cruce deſcendens tactu ſanavit. N. 1. Maji.

S. Paulus ærumnas Sanctorum deſcribens ait: *Alii ludibria & verbera experti, lapidati ſunt, ſecti ſunt, tentati ſunt, in occiſione gladii mortui ſunt &c.* Et tamen inter medias has perſecutiones ſibi ipſis innumera mala voluntarie irrogarunt, jejuniis, flagellis, ciliciis, vigiliis, & præſertim ſubjugatione omnium paſſionum, ac victoria ſenſuum, ita ut dicere Deo potuerint, propter te mortificamur tota die &c.

### 352. *Aſſimilat Chriſto Domino.*

Angelus præcepit occidi hædum ſupra
S. Greg. l. 3. mor. c. 17. petram: ubi Greg. Carnes ſupra petram ponimus, cum corpus noſtrum Chriſti imitatione cruciamus. S. p. 112. fol. 340.

Chriſtus a primo inſtanti ſemper fuit in afflictione corporis. S. p. 150. f. 472. 473.

Odio habenda eſt caro, ut præcipit Dominus; qui autem odit alterum, vellet eum in crucem agere ſicut Aman Mardochæum: carnem ſuam Chriſtus crucifigat, ait Apoſtolus, ubi Caſſianus ait: Sicut crucifixus quis jam non pro animi ſui motu membra ſua movendi habet poteſtatem; ita & nos voluntates noſtras & deſideria ... ſecundum legem Dei applicare debemus. S. punct. 112. fol. 340.

S. Damianus contra Petrum Monachum defendit uſum flagellorum: tum quia Chriſtus & Apoſtoli flagris cæſi ſunt, tum quia talis pœnitens *in pectoris ſui tribunali præſidens trifarium tenet officium, judicis, rei, & tortoris.* S. p. 19. f. 618. & ſeq.

*Qui Chriſti ſunt carnem ſuam crucifixerunt cum vitiis & concupiſcentiis.* Hanc
Gal. 5. Ep. ſcripſit Paulus non ad Anachoretas, ſed ad omnes Chriſtianos. Dicit autem, quod character hominis accepti Chriſto non ſint prodigia, ſapientia &c. ſed mortificatio. Hanc vocat crucifixionem, 1. Quia debet fieri cum affectu ad crucifixum. 2. Quia debet eſſe ſtabilis, ſicut Chriſtus non deſcendit de cruce. 3. Quia debet eſſe dolorifera ſicut crucifixio. Segneri Manna 17. Martii n. 1. 2. &c.

Sponſus in Canticis invitat ad montem myrrhæ & ad collem thuris, id eſt, ad montem Calvariæ, quæ eſt pars montis Moriæ, ut ibi intuitu crucis, clavorum, totiuſque Paſſionis Dominicæ diſcamus mortificationem tam activam, ſpontaneam, quam paſſivam ab aliis illatam &c. C. Cant. 4. v. 6.

### 353. *Debet eſſe diſcreta.*

Omne Sacrificium Deo oblatum debebat ſale condiri. Quia ſal eſt ſymbolum Lev. 2. v. 13.
prudentiæ & diſcretionis, quæ in omni opere adhibenda eſt. C. Lev. 2. v. 13.

Mortificatio comparatur cytharis, quas Sancti in cælis in manibus habebant; ſicut ergo chorda in cythara, ſi minus tendatur, non ſonat, ſi nimis tendatur, raucum dat ſonitum, & abſurdam facit conſonantiam; ita mortificatio, ſi levior ſit, vel rigidior juſto, in Dei auribus non bene ſonat, nec ei placet. C. Ap. 5. v. 8.

In vitis Patrum legitur, quod Joannes cognomento Brevis a Magiſtro ſuam petierit licentiam recedendi in interiorem eremum procul ab omni hominum conſortio; jam enim, ajebat, per mortificationem adeo compeſcui naturam, ut vivere ſine cibo & potu poſſim. Riſit ſenex, illamque abire permiſit. Poſt octo dies rediit noctu juvenis, & fores pulſans Magiſtri admitti in cellam petiit. Quis eſt foris? Ego Joannes, eſurio! Eſt falſum, reſpondit ſenex! Joannes factus eſt Angelus, non indiget cibo! ſic illum per aliquot horas ſtare permiſit, & tandem admiſſum objurgavit, docuitque etiam ſub ſanctis mortificationis operibus latere nonnunquam ſuperbiam & obſtinaciam! &c.

### 354. *Utilis, & grata Deo, inſtar martyrii.*

Deus mortificationem accipit, ut parvum Martyrium. *Propter te mortificamur* Pſ. 43.
*tota die:* ad quæ verba Chryſoſt. Quo- S. Chryſ. hom. 15. ad Rom.
niam homines ſumus, atque adeo non datur innumeras ſubire mortes, præſtitit tamen hoc Deus, ut voluntati, ſi placuerit, quotidie mortem pati liceat. S. punct. 112. fol. 340.

Levis mortificatio ſæpe initium fuit magnæ converſionis. S. Theobaldus Abbas adhuc ſæcularis ad haſtiludium properabat: in via audit campanæ ſignum ad Sacrificium, vincit ſeipſum, prius Miſſam

ſam audit, & hæc victoria initum fuit ejus converſionis. *N. 8. Jul.*

Victima eſt mortificatio, quæ crebro & quotidie offerenda Deo, & vino orationis, ac devotionis condienda eſt. C. Prov. 7. v. 2.

Quiſque ſtatus habet ſuam crucem & martyrium; unde S. Bernard. *Martyrium ſine ſanguine triplex eſt, parcitas in ubertate: largitas in paupertate: caſtitas in juventute.* Qua arte autem acquiruntur hæ virtutes, niſi remedio mortificationis? Eandem in ſenſum loquitur S. Chryſoſt. Exercitatio pietatis, quoddam eſt ſine ſanguine Martyrium: Quid enim aliud Martyri proponitur, quam ut abneget Deum? At dum adverſus hanc propoſitionem decertas, manifeſtam accipis coronam martyrii. Et iterum S. Auguſtin. Non martyrium ſola effuſio ſanguinis dat, pervenitur non tantum occaſu, ſed & contemptu carnis ad coronam: libidinem ſuperare, avaritiæ reſiſtere, de mundo triumphare pars magna martyrii eſt. C. Prov. 23. v. 2.

S. Chryſ. in Pſ. 93.

Hunc in finem ait S. Ambr. Mortificatio, *eſt gladius paſſionis, ut exuas corpus, & immolata carne ematur tibi ſacra corona martyrii.* Hunc gladium ſemper habere debes ſuper femur tuum. C. Cant. 3. v. 8.

S. Ambr. l. 10. in Luc. 22.

### 355. *Eſt neceſſaria ad cœlum.*

Moyſes non potuit accedere ad Deum, niſi nudis pedibus, ut ſentiret aculeos ſpinarum. Continuo in Feſt. S. Bened. conſid. 4. n. 4.

Altare holocauſti eſt cor hominis ſe per pœnitentiam macerans, vitiaque ſua mortificans. Altare hoc erat in atrio, & altare thymiamatis erat in Sancto; quia prius exercenda eſt paſſionum compreſſio, quam ad Dei amorem & unionem poſſis accedere. 1. Ignis ad altare thymiamatis debebat ex altari holocauſti transferri: ita fervor orationis ex carnis mortificatione promânat. 2. Factum fuit ex lignis ſetim ære obductis: ita mortificatio non aurea, ſed ænea ac dura eſt. 3. Tres cubiti ſunt fides, ſpes, caritas. 4. Caritas ſignificat cor a terrenis deſideriis debere eſſe vacuum. 5. Victimæ immolandæ ſunt concupiſcentiæ variæ, &c. C. Exod. 27. v. 1.

Quid magis ad ſalutem neceſſarium, quam oratio? Hæc autem manca, & infirma eſt ſine mortificatione. Ignis ex altari holocauſtorum, quod erat in atrio, deferri debebat ad altare thymiamatis, quod erat in Sancto; quia orationis fervor ex perfecta mortificatione oritur, a qua nunquam ceſſandum propter aſſiduos concupiſcentiæ rebellantis motus. *Vadam ad montem myrrhæ, & ad collem thuris*, viſitabo tam mortificationem, quam orationem; quia utraque debet eſſe conjuncta, &c. C. Apoc. 5. v. 8. ad finem. Item Cant. 4. v. 6.

Cant. 4.

## Mortificatio Paſſionum.

### 356. *Docetur exemplo Sanctorum.*

POſt mortem S. Franc. Saleſii loco bilis in illo ſacculo reperiuntur 300. lapilli, ad magnitudinem minimi ciceris, quod medici adſcripſerunt continuæ ſuppreſſioni potentiæ, & affectus iraſcibilis. Ita ab omni vindicta alienus erat, ut diceret, ſi quis ſibi oculos erueret, & ſuccreſcerent ſibi alii; ſe tam amice hoſtem inſenſiſſimum intuiturum, quam benefactorem optimum. Ribad. to. 3. 29. Jan.

Quidam Religioſæ vitæ diſcipulus litteras a parentibus & amicis ſibi e patria miſſas non aperit, & cogitans, quantarum diſtractionum materia hæ litteræ futuræ ſint, ingentem earum faſciculum in ignem projecit, & concremavit. E. Verbo Affectus n. 7.

Adolphus Holſatiæ Comes, in Ordinem Minoritar. concedens, cum aliquando lac mendicans obvios haberet Holſatiæ Principes, & ab erubeſcentia propter nobilitatis excellentiam tangeretur, lac omne in conſpectu Principum ſuper caput ſuum effudit. E. *Mortificatio*.

Quidam Abbas ſtatuam ſæpius per diem lapidibus impetebat, veſpere autem illi blandiebatur: quærentibus cauſam fratribus repoſuit, propter vos hoc feci, ut diſcatis, ſicut ſtatua, nec ad injurias, nec ad blanditias commoveri. C. Num. 11. v. 12.

### 357. *Ligat, non extinguit paſſiones.*

Quidam Monachus gloriatus ſe extinxiſſe omnem carnis rebellionem, ab Abbate Abraham examinatus fuit: ſi in cellulam tuam intrans invenires mulierem, an potes non cogitare, quia mulier eſt? Reſpondit Monachus: Non! ſed repugno cogitationi! Ulterius dixit Abbas: ſi in via inter lapides videas aurum, an potes cogitare, quod illud lapis ſit? Reſpondit, non! ſed reſiſto cogitationi, ne illud colligam! Iterum dixit Abbas: Si videas fratrem qui male de te loquitur, an æque illum diligis, quam eum qui bene loquitur? Reſpondit, Non! ſed extorqueo animum meum, ut æque illi, quam alteri benefaciam. Ecce! igitur, ſubintulit Abbas, vivunt paſſiones, ſed tantummodo a viris ſanctis religantur. E. Verbo Abſtinentia ex. 16.



*Jebuſæum habitatorem Jeruſalem non deleverunt filii Benjamin, habitavitque Jebuſæus cum filiis Benjamin in Jeruſalem uſque in præſentem diem.* Ubi Bernardus: Velis, nolis intra fines tuos habitat Jebuſæus: ſubjugari poteſt, exterminari non poteſt. Jebuſæus eſt innata fomes, unde tot paſſiones & cupiditates pullulant & inſurgunt. Amputari poſſunt, non extirpari. Erras ſi in hac vita vitia putas emortua, & non magis ſuppreſſa. Senex ille, qui jam ſatis emortuum ſe credidit, cadit in peccatum carnis: alius in agone ad feminam ait: Recede mulier, adhuc igniculus vivit, &c. S. p. 108.

S. Ber. Ser. 58. in Cant.

### 358. *Non eſt impoſſibilis aut difficilis, imo neceſſaria.*

Quidam Parochus haud procul Lucerna felem, murem, aviculam, & canem ita cicurat, ut quotidie ad datum ſignum convenientes cibum ex una ſcutella pacifice ſumpſerint. VV. art. diſc. fonr. 24. Ex. 8. Si fieri hoc potuit inter animalia tam inimica, cur non & fieri poſſit inter inimicas virtuti paſſiones? conſuetudo, & ſeria voluntas omnino vincunt.

Juvenis Philoſophus tribus annis mercedem ſolvit iis, a quibus affligitur: dein Athenas ad ſtudium ſapientiæ miſſus, cum ſub ipſam urbis portam, ad convitia & injurias a quodam ſene patiens eſſet, admiſſus eſt in civitatem. E. Verbo Adulterium ex. 3.

Cum Deus legem dedit in monte Sina, Angelus buccina fortiter clangebat: Quare? nonne buccina inſtrumentum eſt, quo milites animantur ad pugnam? Quis ergo hoſtis ibi? Hoſtis eſt quiſque ſuus! igitur buccinæ ſonitu ſignificabatur, quemlibet fidelem debere pro lege Dei pugnare contra ſeipſum, id eſt contra ſuas paſſiones. S. Thom. ait: Homini indicitur bellum contra ſeipſum. C. Exod. 19. v. 13. Certe niſi paſſiones ſupprimantur, dominantur & rebellant: non eſt autem turpior ſervitus, quam hominis ſervientis ſuis paſſionibus. Nulla ſervitus turpior eſt, quam voluntaria. C. Ex. 23. v. 33.

S. Tho. in c. 12. ad Heb. lect. 4.

Senera ep. 47.

*Maledictus, qui prohibet gladium ſuum a ſanguine. Maledictus qui facit opus Dei negligenter!* Ubi Iſidorus Clarius: Opus Dei erat eliminare, & devaſtare Moabitas, & qui hoc negotium neglexerunt, maledicebantur. *Pepercit Saul Amalec*, & ideo a regno ejectus, & reprobatus fuit. S. punct. 108.

Jerem. 48.

Dicis forte arduum eſſe continuum hoc bellum; ſed nota: Non uno anno, verum pluribus annis filii Iſrael gentem Chananæam, Amorrhæam aliaſque deleverunt, & tamen remanſit Jebuſæus! S. punct. 109. Mater cum filiis non immolabatur eadem die, id eſt, cupiditas & delicta cupiditatis non una die extinguuntur. Non tamen ideo ceſſandum a bello! ſucceſſive fit, quod una die fieri non poteſt! S. p. 109.

*Omnes tenentes gladios, & ad bella doctiſſimi, uniuscujuſque enſis ſuper femur ſuum.* Ubi S. Greg. ait: *Quid per enſem niſi rigorem converſationis, & quid per femur, niſi carnis appetitum accipimus? &c.* C. Cant. 3. v. 8.

## Mortificatio Viſus.

### 359. *Eſt neceſſaria ad virtutem.*

SI *oculus tuus ſcandalizat te, erue eum &c.* Ubi S. Thom. Villanova: Claude oculum, & eruiſti. S. p. 114. f. 346.

Claude oculos, & claudes infernum, ait S. Aug. S. punct. 114. f. 347.

Sicut naves bitumine illinuntur, ne aqua rimas pertranſeat: ita oculos illini oportet, ne aqua iniquitatis ſubintret. Diez. conc. 1. n. 1.

Ad ſervandam integritatem mentis obſervanda eſt cuſtodia oculorum; oculi enim ſunt porta, per quam objecta bona & mala in animam ingrediuntur. David per oculos lapſus eſt in adulterium, Salomon in amorem concubinarum: hinc illud: *Oculus meus deprædatus eſt animam meam. Aſcendit mors per feneſtras. Pepigi fœdus cum oculis meis &c.* Quocirca Seneca de remediis fortuitorum in cæcitate conſtituit virginitatem, & innocentiam. Multi Sancti gaviſi ſunt cæcitate, nonnulli eam a Deo poſtularunt, ut S. Audomarus, S. Aquilinus, Marius Chalcedon, & alii. C. Eccli 2. verſ. 10.

Thren. 3.

Eccl. 25.

Ex curioſo aſpectu peccatum protoparentum oritur: S. Bernardus alloquitur Evam: Quid tuam mortem tam attente intueris? &c. C. Gen. 3. verſ. 6.

Eva quia fructum, David quia Betſabæam, Dina quia alienigenas intuetur, miſerabiliter peccant. Sanch. 7. par. c. 10. f. 618.

Si forſan ajas: etſi oculos libere emittas, nil te ſentire nocumenti: Reſpond. volo id tibi tranſmittere: verum quid ſi altera perſona ſentiret nocumentum?

Mai-

*Maidalch. de Natur. Mirab. § 15.*

Maidalchinus teſtatur ſe noviſſe quemdam Calabrum, qui non tantum homines, ſed etiam canem, cum iratus oculos in eum contorſit, aſpectu ſuo interfeciſſe. VV. art. diſc. font. 28. Ex. 3. O quoties fit, innocentem animam uno blandiori aſpectu fuiſſe occiſam ſpiritualiter, &c.

### 360. *Docetur exemplo Sanctorum.*

Quidam Monachus ſorori ægrotanti ſe videndum præbet, ita tamen ut oculos clauderet, ne viciſſim videat ſororem. Virgo illa non patitur ſe videri a Beato Martino. S. punct. 114. fol. 346.

S. Bernardus, quia feminam intuitus eſt, gelido ſtagno ſe immergit. Joannes Berchman mire cuſtodiæ oculorum deditus. S. punct. 114. fol. 347.

S. Bernardus neſciebat, an cubiculum ſuum unam, aut duas feneſtras, ligneum aut ſaxeum tegumentum haberet. S. Ammonius Romæ nihil aliud præter Pontificem & Sanctorum reliquias aſpiciebat. Sanch. 5. part. c. 10. fol. 618.

Sacerdos ex eremo Alexandr. aſcendens & reverſus, interrogatus a fratribus, qualis eſſet civitas? repoſuit, ſe neminem hominum vidiſſe, præter faciem Epiſcopi, cui colloquebatur. E. *Oculi* n. 3.

S. Job ait: *Pepigi fœdus cum oculis meis, ut ne cogitarem quidem de femina.* Religioſus ille in Vitis Patrum ex uno aſpectu feminæ ſenſit rebellionem concupiſcentiæ, hanc ergo ut compeſceret, ivit ad ſepulcrum feminæ (illa enim paulo poſt erat mortua) illud aperuit, & fœtens pus ad cruorem naribus ſuis admovens, ſibi ipſi inſultabat: Age fruere voluptate, quam adeo deperis! C. Prov. 6. v. 25.

*In Vitis PP. l. 5. de forn. n. 21.*

## Mortificatio Odoratus.

### 361. *Docetur exemplo Sanctorum.*

ARſenius ſportas ex palmarum foliis conſuens ſemper aquam fœtidam in pelvi habebat: quæſitus cur ita malo odore cellam repleret, reſpondit: Ut thymiamata, & muſcatas, quibus in ſæculo utebatur, lueret, & ſic liberaretur a fœtore inferni. S. punct. 107. f. 312. in fine.

Veteres gentiles unctionibus & aromatibus erant vehementer dediti, non tamen Chriſtiani, qui ejuſmodi unguentarios, & focarios inter ſe non admittebant: Id quod etiam antiquus Solon approbavit, putans virtutem inter femineas id genus vanitates non inveniri, ſed in auſteritate victus. Sic etiam Minutius Felix laudat Chriſtianos, quod *reſervent unguenta funeribus*, id eſt ad unctionem SS. Martyrum &c. D. 6. 54.

Monachus libidine erga feminam tentatus, dum illa interim fuit mortua, ad ejus ſepulcrum vadens, & illud aperiens, funerale linteum pure & fœtore plenum naribus admovit, ſibi ipſi inſultans: Age, fruere his cupediis, quas adeo tenere affectas. C. Prov. 6. v. 25.

S. Chryſoſtomus ait: *Si vis, ſunt unguenta pretioſa, cæleſtis fragrantiæ plena odoribus, quibus inungere animum poſſis.* Quænam ſunt hæ fragrantiæ? ſunt bona virtutum exempla, quibus ad ædificandum proximum uſi ſunt Sancti. Nempe ut ait S. Bernardus: *Mors habet odores ſuos.* Et S. Apoſtolus Paulus: *Chriſti bonus odor ſumus*, &c.

*S. Chryſ. hom. 2. in 1. Tim.* — *S. Ber. Ser. 71. in Cant.* — *2. Cor. 2.*

### 362. *Quomodo adhibenda contra peccata.*

S. Auguſtinus narrat, Aſtomoros eſſe gentem, quæ ore careat, & ſolo odore vivat. VV. art. diſc. font. 25. Ex. 1.

*S. Aug. l. 16. de Civ. Dei.*

S. Antoninus quinque porticus apud piſcinam probaticam comparat quinque ſenſibus corporis, aitque: *In porticu odoratus multitudo magna jacet infirmantium ſpiritualiter propter diverſa peccata.* Qua ratione ergo odoratus contribuit ad peccata? Sicut fœtulentus odor valetudini, & vitæ nocet; ita amœnus odor florum, aromatum, & balſami hominem infirmum recreat, & ſpiritus vitales revocat. *Unguentis & variis odoribus delectatur cor*, ait Sacer Proverbiaſtes. Fugienda ergo peccata, quæ ſordidum fœtorem coram Deo exhalant, amplectenda virtus, quæ inſtar thymiamatis ſe coram Deo habet.

*S. Anton. p. 1. tit. 2. c. 1. § 4.* — *Prov. 27.*

Multi Sanctorum ab odoramentis ſuavibus ſe continent, tum in pœnam delictorum, tum ut ſenſum odoratus totum retineant ad amœniſſimum cæli odorem, qui quantus ſit, patet ex corporibus Sanctorum, præſertim illibatam caſtitatem colentium, prout patet ex S. Philip. Nerio, Catharina Senenſe & aliis &c.

Rex Aſa in Jeruſalem, ubi mortuus eſt, ejus cadaver conditum fuit, *Aromatibus, & unguentis meretriciis:* Cur iſti odores vocantur, meretricii? Clemens Alexandrinus reſpondet, quia ſunt *Eſca otii, & mollitiei:* quia, ſicut boves funibus, ita etiam intemperans ſuffitibus, & unguentis trahitur, &c.

*2. Paral. 16.* — *Clem. Alex. l. 2. Pedag. c. 8.*

Mor-



## Mortificatio Guſtus.

### 363. *Docetur exemplo Sanctorum.*

EPiſcopus quidam diu deſideratam lampredam, dum cocta apponitur, pauperi largitur. S. punct. 117. fol. 367.

Quidam Abbas olera amara ſibi per errorem appoſita non recuſat, ſed comedit. C. Gen. c. 50. v. 19.

Monachis ſub S. Macario degentibus miſſa eſt uva, quam tamen omnes intactam reliquerunt, & ita uva per totam eremum tranſmiſſa ad primum rediit. E. Verb. *Caritas* n. 6.

S. Jacoponus initio ut gulam domaret, abſynthio quaſi ſale cibos inficiebat, donec eo pervenit, ut ſaporem cibi in unum Deum referret, ac tandem nihil, niſi Deus ipſi ſaperet. Aliquando orexi carnis bubulæ tentatus, eam comparavit, & in cubiculo ſervavit, donec computruit, & totum ambulacrum fœtore complevit. Hanc ille dein olfecit, & quaſi rem amœniſſimam oſculabatur. Ob hunc fœtorem excitatum a Superiore in ſpecu ſordida incarceratus fuit: ibi apparuit illi Chriſtus, conſolans, & offerens, quidquid eſſet petiturus: tum ille: Peto Domine, ut me in locum adhuc fœdiorem conjici facias, ut expiem peccata mea. Mox Chriſtus inſolita eum perfudit conſolatione gratiamque ei dedit, ut omnibus ærumnis hujus vitæ altior, in aſſidua Dei contemplatione defixus hæreret. C. Num. c. 11. v. 20. Vide Tit. Abſtinentia: Jejunium.

## Mortificatio linguæ per ſilentium.

### 364. *Utilis, & neceſſaria ad virtutem & perfectionem.*

QUi in verbo non offendit, perfectus eſt vir: ubi S. Chryſoſt. & S. Thom. ajunt, ex moderamine linguæ ſequi moderamen totius hominis, & omnium vitiorum. Hinc S. David orat: *Pone Domine cuſtodiam ori meo:* ſicut cuſtodes portarum, qui merces invehi, & evehi non ſinunt, niſi examinatas. S. punct. 116. fol. 353.

Sicut calor ex hypocauſto evaporat, ſi non clauduntur portæ: ita ſi non clauditur os, facile ex corde evaporat caritas, & omnes virtutes. S. punct. 116. fol. 353. Ideo monet ſapiens: *Verbis tuis facito ſtateram &c.* S. Ib. fol. 354. & punct. 15. fol. 599.

Fructus ſilentii linguæ ſunt 1. Quod ſilens evitet, & compeſcat tam peccata linguæ, quam mentis tumultus. S. Auguſt. enumeratis linguæ vitiis ſubjungit: *Contra hæc optimum remedium eſt ſilentium.* 2. Quod mentem doceat ſapere, & linguam pie loqui; hinc S. Laurent. Juſtin. ait: *Taciturnitatem eſſe bene loquendi principium.* Et S. Gregor. *Ille loqui veraciter novit, qui prius bene tacere didicerit.* 3. Quod ſilentium ſit mater ſapientiſſimarum cogitationum, faciatque hominem cœleſtem & Divinum. C. Iſa. 30. v. 15.

*S. Auguſt. Pſal. 88.* — *S. Gre. 3. p. Hom. 2. in Ezech.*

Sed quibus remediis addiſcendum ſilentium? Reſp. primum eſt, claudere aures & coercere curioſitatem audiendi nova: hinc Joann. Abbas ait: *Qui continere vult linguam, obſtruat aures, ne multa audiat.* Secundum eſt, per aliquod tempus ſecedere & cavere garrulorum conſortia. *In otio diſcere poteris*, ait S. Baſilius, *quid, quomodo, & quando loqui oporteat.* Tertium, cogitare, quantus ſit fructus ſilentii, juxta illud: *Silentium & preces maxima ſunt arma virtutum &c.* C. Iſa. 30. v. 15. Item Iſa. 58. v. 12.

*Joan. Ab. in Prat. Spir. c. 187.*

### 365. *Denotat ſapientem.*

*Labia ſapientis allegata ſunt intellectu, &c.* S. punct. 116. fol. 353. Econtra *in ore ſtultorum cor eorum.* Quid? in ore cor? omnino ait Hilarius, quia ſine prævia meditatione cordis omnia effutiunt. S. punct. 1116. fol. 352.

Sanctus Bernardus ſuaſit ſorori ſilentium: amnis cito lutum colligit ſi exundat. S. Ib. fol. 353.

In gentili antiquitate Muſa tacita, Dea Angeronia, Harpocrates, aliique pro Divinis habentur, quia tacuerunt. S. punct. 15. fol. 594. Ideo variis encomiis extollitur ab antiquis Philoſophis: Menander ait: *Silentio nihil utilius.* Simonides. *Nulli tacuiſſe nocet, nocet eſſe locutum.* Xenophon: *Sæpe locutum me pœnituit, ſiluiſſe nunquam, &c.* S. punct. 15. fol. 599.

*Stultus quoque, ſi tacuerit, ſapiens reputabitur.* S. Ib. f. 599. Pythagorici per quinquennium tacere debebant. S. Ib. f. 600.

Chriſtus ſiluit, ut nos doceret ſilere, & oſtentationem fugere: fluvii, qui placide & ſilenter fluunt, ſunt profundiſſimi: ita corda ſilentium profunda ſunt ſapientiæ. *Fortiſſimus in ipſo diſcrimine eſt exercitus, qui ante diſcrimen modeſtiſſimus*, ait Tacitus: C. Iſa. 8. v. 6.

*Tacit. l. 1. Hiſt.*

S. Jacobus Apoſtolus requirit velocitatem audiendi, & tarditatem loquendi, id eſt,

eſt, ſilentium; quia auditio eſt ſenſus diſciplinæ, locutio autem eam effundit; ſatius autem eſt, diſcere quam docere &c. C. Jac. c. 1. v. 19. &c.

Silentium eſt ſignum Religionis, ſummæ ſapientiæ; ſicut econtra loquacitas ſignum eſt hominis irreligioſi; quia de loquace dicitur, & cogitatur, quod nullius ſit virtutis. C. in Ep. Jac. c. 1. verſ. 26.

Tacens ſeu pauciloquus eſt prudentiſſimus 1. Quia cavet damna linguæ exuberantis. 2. Quia ſilentium eſt ſignum animi maturi in Deo collecti. 3. Quia loquela ad alios requirit maximam circumſpectionem. C. Prov. 10. v. 19.

*366. Docetur exemplo Sanctorum.*

Chriſtus Dominus ipſemet ſuo exemplo docet ſilentium. S. punct. 15. fol. 594. Item C. Exod. 16. v. 13.

Sub Ammone Abbate erant 1500. Monachi, qui taciturnitate ſolitudinem æquabant. S. Romualdus ſeptem, Theon triginta annis ſilet. S. punct. 15. f. 600. Sanch. 5. part. c. 10. fol. 627.

S. Paulus ſimplex cum in conſeſſu eruditorum inepte quæſiiſſet, num Chriſtus prius fuerit vel Prophetæ? juſſus ab Antonio abire & ſilere. Abiit & ne verbulum amplius locutus eſt, donec Anton. hoc præceptum relaxavit. E. *Obedientia* n. 3.

Rex David perſecutiones Saulis, Semei, & Abſalonis æquiſſime tulit ſine lamentis, ſine querelis &c. C. Exod. 16. verſ. 3.

Chriſtum Dominum, qui in Paſſione inter verbera, injurias, & perſecutiones ſilentium tenuit, imitati ſunt SS. Martyres, nunquam de tormentis, & doloribus conqueſti, ſed ſolum generoſitatem ſpirantes, & ſocios ad patientiam excitantes. Tales fuerunt S. Buſiris, ad tyrannum inquiens: *Non opus eſt liſtoribus, en! ipſis latera mea facibus præbere paratus ſum.* Chriſtiani a Genſerico per ſaxa & ſpinas raptati cum jubilo clamarunt: *Sic pervenitur ad regnum Dei!* Jacob. Eremita dæmoni minanti ajebat: *Percute, ſi tibi a Deo permiſſum eſt.* Irene a regno dejecta repoſuit: *In bonis & malis ſit nomen Domini benedictum!* Alphonſus Aragonum Rex, a quodam, qui in via præcedebat, ramo arboris dimiſſo, graviter in oculo læſus dixit: Nihil doleo, niſi percuſſoris dolorem ac metum, &c. C. Exod. 16. v. 3.

S. Thom. Aquinas a ſilentio dictus eſt bos mutus, & ſilendo, ac meditando omnem ſuam ſcientiam hauſit. S. Romualdus jam ſenex per ſeptennium incluſus ſiluit. Theodoſius triginta quinque annis in ſolitudine egit, ſilentium ſervans. Radulphus tacens Monachus juxta Bruxellas ſedecim annos tacuit: orto incendio cum illud reſtingui non poſſet, ſilentium ſolvit, dixitque: *Sta ignis, & conquieſce!* Mirum dictu! protinus paruit ignis, & extinctus eſt. S. Joannes Silentiarius ex Epiſc. Monachus quadraginta ſeptem annis ſiluit. S. Arſenius audivit ab Angelo: *Fuge, tace, quieſce!* Agatho per triennium lapidem in ore geſtavit. Sic S. Arnulphus, Thalaſſus, Theonas, & alii fuere ſilentiarii. C. Iſa. 30. v. 15.

Præcipue vero ſecreta alicujus momenti ſub ſilentio celanda eſſe, Sancti ſuo exemplo nos docuerunt: S. Petrus Apoſtolus mortem Ananiæ ita in occulto habuit, ut per tres horas uxori Saphyræ non innotuerit. M. conc. 26. §. 1. n. 4. Chriſtus Dominus ſuſcitationem filiæ Archiſynagogi, & transfigurationem in occulto haberi voluit, &c. Ibid. n. 6.

Sana conſilia, præſertim in bello & ſenatu, ſuis effectibus fruſtrantur, niſi ſilentium teneatur. Metellus rogatus, quid poſt devictos Macedones eſſet facturus, repoſuit: *Tunicam meam concremarem, ſi eam conſilii mei conſciam putarem.* Sic & in ſpiritualibus conſilia celanda ſunt ipſi diabolo, ut non machinas in contrarium adhiberet, &c. C. Eccli. 8. v. 21. Item Eccli. 27. v. 17.

Ægyptii linguam abſcindi jubebant illi, qui ſecreta revelaſſet. Romani autem ejuſmodi hominem vivum comburendum, aut furca ſuſpendendum exiſtimabant. C. Eccli. 27. v. 17. Item Prov. 11. verſ. 3.

Mortificatio intellectus per captivationem.

*367. Docetur exemplo Sanctorum.*

SAnctus Greg. in difficultate contextus Sancti Matthæi & Lucæ de nuptiis, alieno ſe intellectui cedere malle ajebat, quam contentionibus deſervire. S. Petrus, dum a certis cibis abſtineret, nec venialiter peccaverat, & tamen a S. Paulo objurgatus nec verbulo reſtitit, ait Gregorius: Tacuit Petrus, ut qui primus erat in Apoſtolatu, primus eſſet in humilitate. S. punct. 121. f. 377.

S. Pacomius in texendo pſittacos a puero erudiri non dedignatur. S. punct. 123. f. 383.

Lanfrancus mundum relicturus pauperrimum cœnobium expetiit, ubi ſupra menſam lecti-



lectitans, cum male correctus fuiſſet, utut certus fuerit ſe pronunciaſſe bene, male pronuntiavit. Spec. Exempl. v. Humilitas Exemplo 21. Sanch. 7. par. c. 2. f. 917.

S. Paulus Evangelium ex revelatione Chriſti Domini accepit, & tamen illud cum Majoribus Eccleſiæ, nempe cum Petro, Jacobo & aliis contulit. S. Ambroſ. in ſcriptis ſuis ſe judicio Sabini Epiſcopi ſubjecit. S. Auguſtinus ait, *Ego judices meos veros, & in veritate ſeveros magis intueor.* Et alibi: *Ego ſenex, & Epiſcopus paratus ſum a puero doceri.* Cardinalis Baronius ſcriptorum ſuorum correctorem Bordinum adhibuit. Et hæc quidem omnia bene, cum teſte S. Bonaventura nihil ſit periculoſius quam ſuo ſenſui fidere. Peſſime agunt, qui in eodem munere anteceſſorum ſuorum acta contemnunt, aut etiam muneri renunciantes ſucceſſorum facta ſuggillant; ſciant enim, ſicut illi deſpiciunt alios, ita & ſe ab aliis deſpici poſſe &c. D. 8. 60.

Præſertim in ſcientiis, & diſceptationibus eruditorum abſurda eſt obſtinatio, quæ nonnunquam uſque ad læſiones fraternæ caritatis excreſcit: hine ſapientiæ
Job. 6. monitum a Jobo datur: *Reſpondetur abſque contentione, & loquentes id, quod juſtum eſt judicate.* In diſputationibus eouſque progrediendum, quouſque veritas emergat, quæ ubi emerſerit, ſtatim quieſcendum eſt. S. punct. 122. f. 278.

Multi Sanctor. cæcitatem oculorum vel ſibi procurarunt, vel læti tolerarunt: Sanctimonialis quædam, cum ob ſpeciem a juvene inſidias pateretur, oculos ſibi eruit, & juveni miſit, qui obſtupefactus, converſuſque vitam mutavit. Idem fecit S. Lucia Virgo, ſed illa prodigioſe oculos recepit. S. Audomarus Epiſc. cæcus exiſtens, cum a S. Vedaſto lumen recepit, id ægro animo tulit, oranſque pro cæcitate eam recuperavit. S. Aquilinus Epiſcopus oravit Deum ut ſibi oculorum lumen clauderet, quo melius, & attentius cæleſtia contemplaretur, &c. Non minoris forſan meriti eſt apud Deum petere intellectum cæcum, id eſt illum in dubiis, in conſiliis, in rebus obviis aut arduis ſubjicere alieno judicio. C. Thren. 3. v. 51.

Mortificatio voluntatis per abnegationem.

*368. Eſt gratiſſimum Deo Sacrificium.*

AIt Ludovicus Bloſius: Nihil Deo gratius offerri poteſt abnegatione propriæ voluntatis, quia homini nihil eſt carius ipſa voluntate, & ideo quando quis propter Deum etiam minimis in rebus ſe mortificat, uti ſi florem non carpat, ſi oculos ad regionem virentem non aperiat, rem Deo magis gratam facit, quam ſi mortuos ad vitam revocaret &c. S. punct. 117. f. 367. Vide Titulum *Voluntas propria.*

Taulerus inquit: *Omnem diem amiſſum credite, quo Dei amore propriam non fregiſtis voluntatem.* A. lect. 6. n. 34. *Taulerus Epiſt. 1.*

B. Daniela de Orviedo Ord. S. Dominici doluit, quod propter infirmitatem corpus haud ſatis auſtere mortificare poſſet. Sed S. Catharina Senenſis illam admonuit: Infelices eſſe, qui vitam indiſcretam ſecundum propriam voluntatem agunt; poſtquam omnia pœnitentiæ opera peregerunt, tam meritis vacui ſunt, quam prima converſionis die. Si vivendi regulæ talibus ad diſciplinam præſcribuntur, adamantes ſunt: ſi modica tentatione, aut verbo injurioſo pulſantur, arundines ſunt. Vitæ ſanctitas non in auſteris operibus, ſed in abnegatione voluntatis propriæ conſiſtit. *Ephem. Dom. 20. Sept.*

Quis gratior Deo Apoſt. Paulo, qui converſus primo ſtatim momento voluntatem ſuam exuit: Domine, *quid me vis facere?* hanc abnegationem adeo perfecit, ut de ſe ipſo dixerit: *Vivo ego, non jam ego, vivit vero in me Chriſtus.* B. ſer. 62. n. 34.

Sic etiam ille juvenis, cui poſt converſionem obvians amaſia dixit: Non noſti me? Ego ſum! ille autem repoſuit: Aſt ego non ſum ego! nempe, antea peccator, nunc pœnitens. B. Ibid.

*369. Quid ſit, & quomodo exercenda.*

S. Chryſoſtomus explicat: Siquis ſervum ſuum abneget, ſi cædi virgis, ſtringi vinculis videt, non flectitur, ſed totus ab illo abalienatus eſt: quemadmodum fuit ille herus, qui juvenem Ægyptium ægrotantem in agro ſine ope reliquit &c. Ita quidquid patitur, aut petit caro noſtra, non audienda eſt. S. punct. 106. f. 308. B. ſerm. 62. n. 34. C. Gen. c. 28. v. 12.

Climacus ait: Ille profecto ſanctus eſt, qui voluntati ſuæ renuntiavit. S. punct. 117. fol. 367.

Ceſarius Arelatenſis: *Tu illum diem vixiſſe te puta, in qua voluntates tuas abnegaſti.* M. conc. 8. §. 1. n. 7.

*Egredere de terra tua, & de cognatione tua:* Ubi Simeon Abbas: terra tua voluntas tua eſt, cognatio tua ſenſus tui, exi de terra voluntatis tuæ. M. conc. 8. §. 1. n. 12.

Vade in officinam figuli: en! artifex glebam manu tenet formaturus vas honoris, vel vas ignominiæ. An lutum ſeſe opponit? an petit, ut potius pro menſa, quam pro culina efformetur? Nullo modo! dependet a voluntate figuli, cui ſe totum relinquit. Parem in modum ſubjicienda eſt propria voluntas voluntati Dei, aut Superiorum cum plena indifferentia: *Cedendum eſt voluntati Dei*, *Juſtin. M. de recta conf.* ait Juſtinus Martyr, *ſicut lutum obſequitur ſuo figulo*. C. Exod. 28. v. 12.

Non dixit Chriſtus, qui vult venire poſt me, abneget ſuas opes, ſed abneget *ſemetipſum*, ita ut deſinat eſſe qui fuit, & incipiat eſſe, qui non erat. *Minus quippe eſt*, ait S. Gregor. *abnegare quod habet, valde* *S. Greg. hom. 32. in Evang.* *autem multum eſt, abnegare, quod eſt. Non ſufficit noſtra relinquere, niſi relinquamus & nos*. C. Matth. 16. v. 24.

### 370. *Perfecta in quo conſiſtat?*

Abbas Paphnutius conſiderando Vocationem, & renuntiationem Abrahæ ait, in tribus conſiſtere perfectam abnegationem: *Prima eſt, qua corporaliter univerſas* *Abbas Paphn. 3.* *divitias mundi, facultateſque contemnimus: Secunda, qua mores, ac vitia, affectuſque priſtinos animi, carniſque reſpuimus: Tertia, qua mentem noſtram de præſentibus univerſis, ac viſibilibus evocantes futura tantummodo contemplamur, & ea quæ ſunt inviſibilia concupiſcimus, &c.* C. Gen. c. 12. verſ. 1.

Hæc abnegatio continet decem gradus: Primo: Abdicare terrena. 2. Eadem oblivisci. 3. Ea odiſſe. 4. Exuere parentum amorem. 5. Odiſſe animam ſuam. 6. Abnegare judicium. 7. Semper mortificare ſuas cupiditates. 8. Sequi Chriſtum. 9. Amare proximum. 10. Adhærere Deo per unionem. C. in Gen. c. 28. v. 12.

Subjicienda eſt voluntas voluntati Dei, aut Superioris, tam perfecte, ut ne quidem cauſa præcepti inquiratur: Adam quia explorare voluit rationem: *Cur præcepit Dominus?* transgreſſor præcepti factus eſt. C. Gen. 3. v. 1.

Voluntas adeo debet eſſe cæca, ut ne quidem, in cauſam, in finem, in modum præcepti indaget: Abraham exiit e cognatione ſua, non deliberans, imo neſciens, quo iturus eſſet. C. Gen. 12. v. 1.

Eſt perfecta abdicatio ſui judicii, & affectus humani, hoc enim in homine vivit, quod homini cariſſimum eſt: jubet ergo Deus, ut quiſque ſuos affectus & amores naturales, ac ſenſuales, Dei legi, & voluntati repugnantes deponat, mortificet & reſecet, & Dei voluntati ſubjiciat. Dicit enim hoc Chriſtus occaſione Petri, qui per affectum naturalem erga Chriſtum volebat ejus mortem impedire: Si vis poſt me venire, abdica, abnega, &c. C. Matth. 16. v. 24. Item ib. c. 10. v. 38. & ſeq.

### 371. *Eſt neceſſaria ad ſalutem.*

Propria voluntas comparatur Scorpioni, quo nihil eſt nocentius & venenoſius, interiorem animæ domum turbat, hominibus, & Deo repugnans, innumerabilibus vitiis mentem intoxicat. S. Bernar. ait: Peccator propriam ſibi legem facit, quando æternæ legi propriam præfert voluntatem, volens imitari ſuum creatorem, ut ſicut ille ſibi lex, & ſui juris eſt, ita is quoque ſeipſum regere velit, &c. Caſſianus ait: Impoſſibile eſt, mortificare voluptates & deſideria concupiſcentiæ, niſi quis prius didicerit mortificare propriam voluntatem, &c. C. Eccli. 26. v. 10.

Voluntas propria eſt cauſa omnis peccati, quia, ut mala mulier eſt ſuperba, garrula, impudens, ebrioſa, rixoſa, laſciva, deſidioſa. Unuſquiſque ergo propriam voluntatem abjiciat, ut Divinæ voluntati copuletur. C. Eccli. 25. v. 17. in fin.

Cum Petrus Apoſtol. Chriſto Domino diſſuadere voluit ſuam paſſionem, faceſſere juſſus eſt verbis illis auſteris: *Vade retro Satana!* cur Satanas vocatus eſt Apoſtolorum Princeps? quia Voluntati Dei ſe opponere voluit. Voluntas ergo propria Satanas eſt, quia ſe voluntati Dei opponit. A. Lect. 5. n. 18. Imo Voluntas propria deterior eſt Satana, quia, ut ait Climacus: Qui ſibi ipſi dux eſſe vult ſpreto duce proprio, non jam indiget dæmone tentante; quia ſibi ipſi dæmon factus eſt. A. lect. 5. n. 19.

Quis cauſa eſt infernalis clibani, in quo tot millenæ animæ ardent? Voluntas propria! dicit enim S. Bernard. Tolle voluntatem propriam, & infernus non erit! S. punct. 117. fol. 358. Et B. ſerm. 69. n. 2. Vide, Voluntas propria Tit. Superbia.

## FORTITUDO.

### 372. *Quid ſit?*

Eſt virtus moralis voluntatem, & appetitum iraſcibilem afficiens, qua homo erga acerba, & terribilia recte ſe habet, ita, ut neque prave timendo in malum cadat, neque temere audendo ab officio



ficio rationi conſentaneo deſciſcat. Vel brevius: Eſt Virtus animi, qua labores, mortiſque pericula conſtanter ſuſcipiuntur, & perferuntur. Duo ſunt ejus officia generalia: *Mala ſuſtinere*, & *Mala aggredi*. Ita Sucquet in via vitæ æternæ. Vide Sanch. 6. par. c. 9. f. 817.

Virtus fortitudinis quid ſit, deſumi poteſt ex pſeudo-fortitudine, ſeu conatibus *Jud. 9.* impiorum. Abimelech filius Jerobaal quantis machinationibus egit, ut ſeptuaginta *2. Reg. 15.* fratres occideret, & ſibi regnum ſtabiliret? Abſalon, ut Patrem ſuum e ſolio *1. Mach. 9.* expelleret? Antiochus, ut cultum Dei in Judæa deſtrueret? Judas, ut, cum alii diſcipuli dormirent, Chriſtum proderet, & ad mortem promoveret? cum igitur filii hujus ſæculi ſint prudentiores ac potentiores ad malum, quam Filii Dei ad bonum, ex eorum conatibus a contrario deſumi poteſt, quanta juſtorum debeat eſſe fortitudo pro Deo, pro Eccleſia, pro virtute, contra hæreſes, contra peccata, contra tentationes, ita, ut nullo labore, nullis adverſis frangatur, parataque ſit, potius mortem appetere, quam a Deo recedere! hæc fuit fortitudo Martyrum, &c.

Adamas duritiæ eſt indomabilis, malleos frangit, incudem findit, ignem ſuperat. Sic inter perſecutiones mundi & diaboli adamantes fuerunt Martyres, ob fidem, & fidei prædicationem in Anglia, Hollandia, Francia ab Hugonottis inaudita ferocitate enecti. C. Ezech. 3. v. 9.

### 373. *Invenitur etiam in ſexu altero.*

Michol, cum David Maritus ſuus ab ex- *1. Reg. 19.* ploratoribus Saul Patris ſui ad mortem quæreretur, virili fortitudine illis reſtitit.

Ruth, poſtquam reliquit patriam & Deos ſuos, malens vivere in paupertate, laudata *Ruth. 3.* fuit a Booz, dicente: Scit omnis populus, qui habitat inter portas urbis meæ, mulierem te eſſe virtutis.

Abigail, cum vidit Virum ſuum Na- *1. Reg. 25.* bal ſtulte reſpondiſſe nunciis David, tulit diverſa donaria & fruges, quibus iram Davidis iterum mitigavit.

Eſther Regina expoſuit ſe periculo mor- *Eſth. 4.* tis pro liberatione populi ſui, quando non vocata, ad Regem introire præſumpſit.

*2. Mac. 7.* Machabæa percuntes ſeptem filios in una die intrepide intuita eſt, bono animo ferens, & femineæ cogitationi maſculinum animum ſuperinducens.

Beatiſſima Virgo Maria ſub cruce dolores Filii invicta fortitudine tulit.

S. Magdalena, inſuper habito Judæorum furore, contemptis etiam perſecutoribus Paſſioni Chriſti interfuit, ad ſepulcrum ejus recedentibus etiam diſcipulis, excurrit: non recedebat, ſed ſtans ibidem flebat, ſedulo etiam interrogabat: Domine, dic mihi, ſi tu ſuſtuliſti, &c.

Sara filia Raguelis gravem contume- *Tob. 3.* liam ab ancilla prolatam generoſe tulit, nec ei quidquam reſpondit, ſed ad orationem ſeſe convertit.

## Actus Heroici.

### 374. *Æquivalent magnæ perfectioni.*

Paphnutius ter rogat Dominum, ut ſibi revelaret gradum illum perfectionis, ad quem diuturna ſua auſteritate aſcendiſſet: Primo æquihabetur tubicini impio quidem, ſed qui aliquando Virginem a prædatorum laſcivientium turma illæſam eripuerat. Altera vice æquiparatur mundano Dynaſtæ, qui cum uxore ſua caſtus vivere, & neminem pauperum ſine ope dimittere ſolebat. Tertia vice comparatur Mercatori, qui fortunas omnes inter egenos diſtribuens voluntarie pauper vivebat, &c. D. 4. 28.

Theodolus Stilita quadraginta octo annis in columna ſtans rogat Dominum Deum, ut ſibi ſignificare dignaretur, quem perfectionis gradum aſſecutus fuerit. Deus revelavit ipſi, quod meritis æqualis eſſet Cornelio, cytharædo in urbe Damaſco. Indagans Theodolus, qui hominum eſſet ille cytharædus, ab eo diſcit, quod depauperatæ feminæ, quæ ex inopia in periculo ſtabat vendendæ pro pretio pudicitiæ, trecentos thaleros donarit ad redimendum e captivitate maritum. R. 1. par. mir. 1. N. 2. *Decemb.*

Honoratus in convivio a parentibus celebrato a carnibus abſtinet, non obſtantibus convivantium irriſionibus. Et ecce! Deus diſpoſuit, ut licet locus eſſet montoſus, in fonte domeſtico piſcis captus ſit, ſufficiens ad diurnam Honorati ſu- *S. Gregor. Dial. l. 1. c. 1.* ſtentationem. Ille dein Monaſterium conſtruxit, tantaque ſanctitate vixit, ut, cum ſaxum e vicino monte abruptum, & per declivia ruens Monaſterio ruinam minitaretur, illud ſigno crucis ſtiterit, ita ut in hodiernam diem quaſi pendere videatur. E. Verb. *Abſtinentia* 1.

Monachus quidam dæmonem expulſurus ab energumena recenti colapho in faciem cæditur. Cumque ille mox alteram maxillam percutiendam præbet, dæmon fugit, clamitans: Violentia mandatorum Chriſti me expellit. D. 10. 7. Item Sanch. p. 6. c. 8.

Vade in officinam figuli: en! artifex glebam manu tenet formaturus vas honoris, vel vas ignominiæ. An lutum ſeſe opponit? an petit, ut potius pro menſa, quam pro culina efformetur? Nullo modo! dependet a voluntate figuli, cui ſe totum relinquit. Parem in modum ſubjicienda eſt propria voluntas voluntati Dei, aut Superiorum cum plena indifferentia: *Cedendum eſt voluntati Dei*, ait Juſtinus Martyr, *ſicut lutum obſequitur ſuo figulo*. C. Exod. 28. v. 12.

Juſtin. M. de recta conf.

Non dixit Chriſtus, qui vult venire poſt me, abneget ſuas opes, ſed abneget *ſemetipſum*, ita ut deſinat eſſe qui fuit, & incipiat eſſe, qui non erat. *Minus quippe eſt*, ait S. Gregor. *abnegare quod habet, valde autem multum eſt, abnegare, quod eſt. Non ſufficit noſtra relinquere, niſi relinquamus & nos*. C. Matth. 16. v. 24.

S. Greg. hom. 32. in Evang.

370. *Perfecta in quo conſiſtat?*

Abbas Paphnutius conſiderando Vocationem, & renuntiationem Abrahæ ait, in tribus conſiſtere perfectam abnegationem: *Prima eſt, qua corporaliter univerſas divitias mundi, facultateſque contemnimus: Secunda, qua mores, ac vitia, affectuſque priſtinos animi, carniſque reſpuimus: Tertia, qua mentem noſtram de præſentibus univerſis, ac viſibilibus evocantes futura tantummodo contemplamur, & ea quæ ſunt inviſibilia concupiſcimus, &c.* C. Gen. c. 12. verſ. 1.

Abbas Paph. i. o.

Hæc abnegatio continet decem gradus: Primo: Abdicare terrena. 2. Eadem oblivifci. 3. Ea odiſſe. 4. Exuere parentum amorem. 5. Odiſſe animam ſuam. 6. Abnegare judicium. 7. Semper mortificare ſuas cupiditates. 8. Sequi Chriſtum. 9. Amare proximum. 10. Adhærere Deo per unionem. C. in Gen. c. 28. v. 12.

Subjicienda eſt voluntas voluntati Dei, aut Superioris, tam perfecte, ut ne quidem cauſa præcepti inquiratur: Adam quia explorare voluit rationem: *Cur præcepit Dominus?* tranſgreſſor præcepti factus eſt. C. Gen. 3. v. 1.

Voluntas adeo debet eſſe cæca, ut ne quidem, in cauſam, in finem, in modum præcepti indaget: Abraham exiit e cognatione ſua, non deliberans, imo neſciens, quo iturus eſſet. C. Gen. 12. v. 1.

Eſt perfecta abdicatio ſui judicii, & affectus humani, hoc enim in homine vivit, quod homini cariſſimum eſt: jubet ergo Deus, ut quiſque ſuos affectus & amores naturales, ac ſenſuales, Dei legi, & voluntati repugnantes deponat, mortificet & reſecet, & Dei voluntati ſubjiciat. Dicit enim hoc Chriſtus occaſione Petri, qui per affectum naturalem erga Chriſtum volebat ejus mortem impedire: Si vis poſt me venire, abdica, abnega &c. C. Matth. 16. v. 24. Item ib. c. 10. v. 38. & ſeq.

371. *Eſt neceſſaria ad ſalutem.*

Propria voluntas comparatur Scorpioni, quo nihil eſt nocentius & venenoſius, interiorem animæ domum turbat, hominibus, & Deo repugnans, innumerabilibus vitiis mentem intoxicat. S. Bernar. ait: Peccator propriam ſibi legem facit, quando æternæ legi propriam præfert voluntatem, volens imitari ſuum creatorem, ut ſicut ille ſibi lex, & ſui juris eſt, ita is quoque ſeipſum regere velit, &c. Caſſianus ait: Impoſſibile eſt, mortificare voluptates & deſideria concupiſcentiæ, niſi quis prius didicerit mortificare propriam voluntatem, &c. C. Eccli. 26. v. 10.

Voluntas propria eſt cauſa omnis peccati, quia, ut mala mulier eſt ſuperba, garrula, impudens, ebrioſa, rixoſa, laſciva, deſidioſa. Unuſquiſque ergo propriam voluntatem abjiciat, ut Divinæ voluntati copuletur. C. Eccli. 25. v. 17. in fin.

Cum Petrus Apoſtol. Chriſto Domino diſſuadere voluit ſuam paſſionem, faceſſere juſſus eſt verbis illis auſteris: *Vade retro Satana!* cur Satanas vocatus eſt Apoſtolorum Princeps? quia Voluntati Dei ſe opponere voluit. Voluntas ergo propria Satanas eſt, quia ſe voluntati Dei opponit. A. Lect. 5. n. 18. Imo Voluntas propria deterior eſt Satana, quia, ut ait Climacus: Qui ſibi ipſi dux eſſe vult ſpreto duce proprio, non jam indiget dæmone tentante; quia ſibi ipſi dæmon factus eſt. A. lect. 5. n. 19.

Quis cauſa eſt infernalis clibani, in quo tot millenæ animæ ardent? Voluntas propria! dicit enim S. Bernard. Tolle voluntatem propriam, & infernus non erit! S. punct. 117. fol. 358. Et B. ſerm. 69. n. 2. Vide, Voluntas propria Tit. Superbia.

## FORTITUDO.

372. *Quid ſit?*

Eſt virtus moralis voluntatem, & appetitum iraſcibilem afficiens, qua homo erga acerba, & terribilia recte ſe habet, ita, ut neque prave timendo in malum cadat, neque temere audendo ab officio rationi conſentaneo deſciſcat. Vel brevius: Eſt Virtus animi, qua labores, mortiſque pericula conſtanter ſuſcipiuntur, & perferuntur. Duo ſunt ejus officia generalia: *Mala ſuſtinere*, & *Mala aggredi*. Ita Sucquet in via vitæ æternæ. Vide Sanch. 6. par. c. 9. f. 817.



Virtus fortitudinis quid ſit, deſumi poteſt ex pſeudo-fortitudine, ſeu conatibus impiorum. Abimelech filius Jerobaal quantis machinationibus egit, ut ſeptuaginta fratres occideret, & ſibi regnum ſtabiliret? Abſalon, ut Patrem ſuum e ſolio expelleret? Antiochus, ut cultum Dei in Judæa deſtrueret? Judas, ut, cum alii diſcipuli dormirent, Chriſtum proderet, & ad mortem promoveret? cum igitur filii hujus ſæculi ſint prudentiores ac potentiores ad malum, quam Filii Dei ad bonum, ex eorum conatibus a contrario deſumi poteſt, quanta juſtorum debeat eſſe fortitudo pro Deo, pro Eccleſia, pro virtute, contra hæreſes, contra peccata, contra tentationes, ita, ut nullo labore, nullis adverſis frangatur, parataque ſit, potius mortem appetere, quam a Deo recedere! hæc fuit fortitudo Martyrum, &c.

Jud. 9. 2. Reg. 15. 1. Mach. 9.

Adamas duritiæ eſt indomabilis, malleos frangit, incudem findit, ignem ſuperat. Sic inter perſecutiones mundi & diaboli adamantes fuerunt Martyres, ob fidem, & fidei prædicationem in Anglia, Hollandia, Francia ab Hugonottis inaudita ferocitate enecti. C. Ezech. 3. v. 9.

373. *Invenitur etiam in ſexu altero.*

1. Reg. 19. Michol, cum David Maritus ſuus ab exploratoribus Saul Patris ſui ad mortem quæreretur, virili fortitudine illis reſtitit.

Ruth. 3. Ruth, poſtquam reliquit patriam & Deos ſuos, malens vivere in paupertate, laudata fuit a Booz, dicente: Scit omnis populus, qui habitat inter portas urbis meæ, mulierem te eſſe virtutis.

1. Reg. 25. Abigail, cum vidit Virum ſuum Nabal ſtulte reſpondiſſe nuntiis David, tulit diverſa donaria & fruges, quibus iram Davidis iterum mitigavit.

Eſth. 4. Eſther Regina expoſuit ſe periculo mortis pro liberatione populi ſui, quando non vocata, ad Regem introire præſumpſit.

2. Mac. 7. Machabæa pereuntes ſeptem filios in una die intrepide intuita eſt, bono animo ferens, & femineæ cogitationi maſculinum animum ſuperinducens.

Beatiſſima Virgo Maria ſub cruce dolores Filii invicta fortitudine tulit.

S. Magdalena, inſuper habito Judæorum furore, contemptis etiam perſecutoribus Paſſioni Chriſti interfuit, ad ſepulcrum ejus recedentibus etiam diſcipulis, excurrit: non recedebat, ſed ſtans ibidem flebat, ſedulo etiam interrogabat: Domine, dic mihi, ſi tu ſuſtuliſti, &c.

Sara filia Raguelis gravem contumeliam ab ancilla prolatam generoſe tulit, nec ei quidquam reſpondit, ſed ad orationem ſeſe convertit. Tob. 3.

### Actus Heroici.

374. *Æquivalent magnæ perfectioni.*

Paphnutius ter rogat Dominum, ut ſibi revelaret gradum illum perfectionis, ad quem diuturna ſua auſteritate aſcendiſſet: Primo æquihabetur tubicini impio quidem, ſed qui aliquando Virginem a prædatorum laſcivientium turma illæſam eripuerat. Altera vice æquiparatur mundano Dynaſtæ, qui cum uxore ſua caſtus vivere, & neminem pauperum ſine ope dimittere ſolebat. Tertia vice comparatur Mercatori, qui fortunas omnes inter egenos diſtribuens voluntarie pauper vivebat, &c. D. 4. 28.

Theodolus Stilita quadraginta octo annis in columna ſtans rogat Dominum Deum, ut ſibi ſignificare dignaretur, quem perfectionis gradum aſſecutus fuerit. Deus revelavit ipſi, quod meritis æqualis eſſet Cornelio, cytharœdo in urbe Damaſco. Indagans Theodolus, qui hominum eſſet ille cytharœdus, ab eo diſcit, quod depauperatæ feminæ, quæ ex inopia in periculo ſtabat vendendæ pro pretio pudicitiæ, trecentos thaleros donarit ad redimendum e captivitate maritum. R. 1. par. mir. 1. N. 2. *Decemb.*

Honoratus in convivio a parentibus celebrato a carnibus abſtinet, non obſtantibus convivantium irriſionibus. Et ecce! Deus diſpoſuit, ut licet locus eſſet montoſus, in fonte domeſtico piſcis captus ſit, ſufficiens ad diurnam Honorati ſuſtentationem. Ille dein Monaſterium conſtruxit, tantaque ſanctitate vixit, ut, cum ſaxum e vicino monte abruptum, & per declivia ruens Monaſterio ruinam minitaretur, illud ſigno crucis ſtiterit, ita ut in hodiernam diem quaſi pendere videatur. E. Verb. *Abſtinentia* 1. S. Gregor. Dial. l. 1. c. 1.

Monachus quidam dæmonem expulſurus ab energumena recenti colapho in faciem cæditur. Cumque ille mox alteram maxillam percutiendam præbet, dæmon fugit, clamitans: Violentia mandatorum Chriſti me expellit. D. 10. 7. Item Sanch. p. 6. c. 8.

S. Franciſcus Seraph. dicere ſolebat: *Perfecta letitia eſt, cum quis libenter amore Chriſti injurias & opprobria ſuſtinet.* Conformiter ad illud D. Pauli: Mihi abſit gloriari niſi in cruce Domini noſtri JESU Chriſti. C. in Eccli. 26. v. 6.

## Conſtantia.

### 375. *Fortis & invicta pro gloria Dei.*

DAniel a perſecutione, qua miſſus fuit in lacum leonum perſeveravit, id eſt, in magno honore fuit, quamdiu regnum Darii, & Cyri duravit. En! quam felices & glorioſos efficiat conſtantia in fide, & cultu Dei! ita enim felix & glorioſus fuit Daniel, tres pueri, Eleazarus, Machabæi & alii. C. Dan. 6. verſ. 28.

S. Baſilius nec minis nec promiſſis Valentis Imperatoris a fide Chriſti avocari poterat. Præfectum mortem minitantem hortatus eſt, ut conſtanter hanc ſententiam exequeretur, inquiens: *Ego hodie & cras idem futurus ſum, utinam tu teipſum non mutares &c.* C. Dan. 6. v. 28.

Oeniandus Epiſc. ab Imperatore Anaſtaſio invitatus, ut ad Dioſcori & Eutychetis partes tranſiret, viciſſim hortatus eſt Imperatorem, ut ad partes Catholicorum rediret, tum chlamydem Imperatoris apprehendens: *Hæc veſtis*, ajebat, *nequaquam te poſt mortem ſequitur, ſed ſola comitabitur pietas.* Ibid.

Publia Præfecta Monialium tranſeunte Juliano Apoſtata, alta voce cum ſuis canebat: *Simulacra gentium argentum & aurum, opera manuum hominum.* Iratus tyrannus illam ad ſe vocatam alapis contundi juſſit. At Publia tanto alacrius proſequi cantilenam, & tyrannum perſtringere perrexit. C. Dan. 6. verſ. 28.

### 376. *Mirabilis in perſecutionibus.*

Nero Imper. anno Chriſti 68. incenſa Roma, & culpam incendii in Chriſtianos detorquens, crudeliſſime in eos ſævit, corio & pellibus ferarum incluſos a canibus laniari fecit, pice & reſina ſuperfuſos noctu inſtar tædarum accendit &c. 2. Domitianus Imp. S. Joann. Evangeliſtam in dolium ferventis olei immerſit & in exilium ejecit. 3. Anno Chriſti 300. Diocletianus in Chriſtianos tam crudeliter ſævit, ut uno menſe ſeptendecim millia variis tormentis excruciarit. 4. Anno Domini 420. Iſdegerdes Perſarum Rex omnes Criſtianorum Eccleſias everti, eoſque in necem dari juſſit, quæ perſecutio triginta omnino annos duravit. 5. Gororanes Regis Iſdegerdis filius excogitavit immaniſſima tormenta: Sanctos cute capitis abſtracta, funibus conſtrictos, in lacu ſoricibus pabulandos projecit. Et tamen SS. Martyres turmatim convolabant mortem acerbiſſimam pro Chriſto oppetituri. Eadem crudelitate in fideles ſævierunt Arriani, Conſtantinus Copronymus, Macedonii, Eutychiſtæ, Calviniani in Anglia, Gallia, Belgio &c. C. Dan. 11. verſ. 35.

Mirabilis fuit Conſtantia Chriſtianorum in perſecutione Genſerici, Hunnerici, regumque Arrianorum; item in Japonia, Anglia, & alibi, ubi in exilium pulſi, & ad martyria rapti, divitias, uxores, filios, honores, omniaque cantantes, & jubilantes reliquerunt, &c. C. in Ep. ad Hebr. c. 10. v. 34. Vide titulum *SS. Martyres: Operantur miracula in morte &c.*

Cato cum perditis jam rebus, eum hortarentur amici, ut ad clementiam Cæſaris confugeret, reſpondit: Victorum eſt, & eorum qui deliquerunt, ſupplicare: Catonem nec victum nec captum eſſe! Mævius Auguſti centurio cum captus ab Antonio interrogaretur: Quid de ſe ſtatui juberet? Repoſuit: Jugulari me jube: quia nec mortis ſupplicio adduci poſſum, ut aut Cæſaris miles eſſe deſinam, aut tuus eſſe incipiam. C. Eccli. 17. v. 11. Vox digna Chriſtiano, ſi pro Deo, aut fide interrogetur, &c.

### 377. *Quibus remediis firmetur.*

Dan. 10.
Angelus monuit Danielem: *Sta in gradu tuo!* tanta enim eſt humana infirmitas, ut homo ſine quotidiana Dei gratia, ac ſtrenua cooperatione diu in bono conſiſtere non poſſit. Quare remedia conſtantiæ conquirenda ſunt. Primum eſt: Humiliter agnoſcere ſuam fragilitatem, & poſtulare a Deo gratiam ad vincendum; Deus enim per eſſentiam eſt ſtabilis. 2. Mortificatio curioſitatis varia videndi, & experiendi, quæ eſt mater inconſtantiæ &c. 3. Proponere ſibi exempla Virorum & Mulierum conſtantiam, v. gr. Machabæorum, Mathathiæ, Eleazari, S. Clementis Ancyrani, cujus martyrium ſub variis Imperatoribus viginti octo annis duravit &c. 4. Non multa amplecti, ſed pauca ſtringere: qui hodie unum exercitium pium inchoat, cras aliud, non niſi priora deſtruit, ſicut una medicina aliam expellit. 5. Diarium ſibi conſcribere, puta temporis diſtributionem, qua ſingulis horis ſingularem occupationem aſſignes. 6. Voluntatem flectere ad amorem determinati exercitii; quod enim cum amore fit, conſtanter fit, qui autem illud averſatur, impoſſibile eſt, ut in eo diu perſiſtat. 7. Cogitare illud: Omnes virtutes certant, ſola perſeverantia coronatur, uti ait S. Bernard. in illud: *Tunc ſtabunt juſti in magna conſtantia adverſus eos, qui ſe anguſtiaverunt.* Et illud S. Hieronymi: *Cæpiſſe multorum eſt, ad culmen perveniſſe paucorum.* C. in Eccli 11. v. 22.

Sap. 7.
S. Hieron. Ep. 28. ad Lucin.



Stimuli ad conſtantiam ſunt. 1. Mentem defigere in Deo. 2. Amare Deum ſuper omnia. 3. Magnum deſiderium proficiendi in virtute. 4. Cogitare, quam magna opera facta ſint, & adhuc fiant per conſtantiam. 5. Conſiderare brevem eſſe omnem laborem, & dolorem. 6. Invocare Angelum conſtantiæ S. Gabrielem, qui interpretatur fortitudo Dei. Exempla hujus rei habentur admiranda tam in Gentilib. quam in Sanctis &c. C. Eccli 27. v. 11. &c.

Specialiter ad firmandam conſtantiam pia devotio, & invocatio Beatiſſim. Virginis, quæ dicitur Mulier amicta ſole, & lunam ſub pedibus habens. Nota! ſol ſemper lucidus, ſemper ſibi ſimilis, eſt amictus Virginis: Lunam autem inconſtantiæ ſymbolum ſub pedibus habet: hanc imitari Chriſtianus, & inconſtantiam proterere debet, &c.

### 378. *Eſt Virtus propria homini juſto.*

Prov. 12.
*Non contriſtabitur Juſtus, quidquid ei acciderit.* Qui Deum amicum habet per gratiam, in caſibus omnibus tam proſperis quam adverſis imperturbabilis eſt: 1. Quia res omnes hujus mundi, quæ turbationem afferre poſſunt, nec amat nec æſtimat. Unde Sixtus Philoſoph. ajebat: *Omnia auferenti a te cede præter libertatem: Sapiens Vir & contemptor pecuniæ ſimilis eſt Deo.* 2. Quia juſtus refrænat ſuas cupiditates, quæ ſunt cauſa peccatorum, & conſequenter perturbationum & tumultuum, juxta illud: *Peccatum peccavit Jeruſalem, propterea inſtabilis facta eſt.* 3. Quia juſtus pacem, ac quietem animi rebus omnibus anteponit. 4. Quia ſcit, ſe ſuaque Deo curæ eſſe, ideo in paterna ejus providentia ſuaviter conquieſcit. 5. Quia mentem habet in Deo fixam, cum eoque ita ſe unit, ut unus cum eo ſpiritus efficiatur: ſicut ergo Deus immutabilis, & imperturbabilis eſt; ita & homo juſtus Deo adhærens. Unde iterum Philoſophus ſupra citatus: *Deum honora, ut ipſe dominetur tui: ſi autem dominatum tui gerit Deus, tu dominaberis omnibus.* C. Prov. 12. v. 21.

Sixt. Philoſ. in ſentent. c. 14.
Thren. 1.
Sixt. ubi ſupra c. 38.

Hæc imperturbati animi quies maxime invenitur in vita Religioſa; Religioſus enim unum Deum reſpicit, & præter Deum nihil curat, nihil timet, nihil amat. C. Ib.

S. Chryſ. Ep. ad Cyriac. to. 5.
Mira fuit magnanimitas S. Chryſoſtomi in perſecutione, de qua ad Cyriacum ita ſcribit: Ego, cum a civitate fugarer, nihil horum curabam, ſed dicebam intra memetipſum: Si vult regina me exulem, agat in exilium, Domini eſt terra, & plenitudo ejus. Et ſi vult ſecare, ſecet, idem paſſus eſt Iſaias! Si vult in pelagus me mittere, Jonæ recordabor. Si vult in caminum injicere, idem paſſi ſunt tres pueri! ſi me feris vult objicere, objiciat, Danielis in lacum leonibus objecti recordabor! ſi me lapidare vult, lapidet me! Stephanum habeo primum Martyrem ſocium! ſi & caput tollere vult, tollat, habeo ſocium Joannem Baptiſtam; ſi & ſubſtantiam auferre, auferat, nudus exivi de utero Matris meæ, nudus etiam abibo! Me admonet Apoſtolus, hominis perſonam Deus non accipit! Armat me & David dicens: Loquebar coram Regibus, & non confundebar! C. Prover. 28. verſ. 1.

## Perſeverantia.

### 379. *Eſt coronis Virtutum omnium.*

QUid prodeſt, ſi verno tempore ſegetes vireſcant, ſed ante meſſem areſcant? ait Cæſarius Arelatenſis. Quid prodeſt, ſi vinea floreat, ſed a grandine devaſtetur? Quid prodeſt, ait Chryſoſt. ſi nauta feliciter vela dat, ſed ante portum naufragetur? Quid prodeſt, ait Gregorius, ſi viator multum ſpatii pergat, ſed a patria aberret? quid prodeſt, veſtes abluere, & denuo in ſordes projicere? ait S. Cyrillus. B. Serm. 62. n. 1.

Gladius, quo cæſus eſt Goliath in tabernaculum repoſitus eſt: Cur non etiam funda, & lapis? Reſpondet P. Faber: Quia lapis tantum inchoavit, gladius autem complevit victoriam. B. Serm. 62. n. 3. S. punct. 17. fol. 59.

S. Ber. 1. de Paſſ. c. 14.
S. Bernardus monet: In omnibus adverſitatibus ita perſiſtendum, ut cum Chriſto dicere poſſimus: *Conſummatum eſt.* S. punct. 35. fol. 763.

In baculo meo tranſivi Jordanem, ajebat

Jacob. Jordanes idem ſua interpretatione ſonat ac *judicium*, per baculum autem intelligitur perſeverantia, dixit enim Petrus Aldobrandinus Cardin. ſapientiſſimus: *Perſeverantia eſt virtutum baculus,* *Larnes. in Apo-pot.* *cui niſi innitantur, omnes corruunt*. In judicio ergo vel maxime requiretur perſeverantia, &c.

Agricola, dum ſeminat, non eſt certus de fructibus colligendis in meſſe, quia interim ſegetes per feras, per grandinem, aliaque infortunia poſſunt deſtrui, quibus ille reſiſtere non poteſt. At homo Chriſtianus, dum agendo, & patiendo opera bona facit, Deo promittente certus eſt, quod ſi perſeveraverit, centuplum ſit recepturus. Hinc S. Pachomius dicere ſolebat: *Seminemus cum lacrymis, ut cum gaudio metamus*. C. Eccli. c. 2. ver. 6.

380. *Conſtat ſedulo labore.*

*His qui ex Deo nati ſunt,... dedit poteſtatem filios Dei fieri*. An ergo non jam ſunt filii Dei, qui ex Deo nati ſunt? S. Chryſoſt. ait: *Ut oſtenderet, multa nobis opus eſſe diligentia, ut impreſſam imaginem puram ſervemus*. B. Serm. 34. n. 4.

Recte Chilon aiebat: Res magnas tarde eſſe aggrediendas, ſed conſtantiſſime in agendo perſeverandum eſſe. Nihil eſſe tam arduum, quod non evincit perſeverantia, &c. Turpe eſt, ait Seneca, cadere oneri, & luctari cum officio, quod ſemel recepiſti: non eſt Vir fortis, qui laborem fugit, nec creſcit illi animus ipſa rerum difficultate. Et iterum: In excelſo eſt vita beata, ſed perſeverantia penetrabilis. C. Lev. 22. v. 23.

Hic labor perſeverantiæ conſiſtit in vincendis difficultatibus, & obſtaculis. Moyſes a Rege Pharaone minis & promiſſis *Exod. 3.* detentus, rogatuſque ut una cum populo remaneret, ſacrificaretque in Ægypto, adeo non conſenſit, ut elementa prodigiis turbare, ipſaſque rubri maris fauces cum populo ſubire maluerit. Sic reſiſtendum obſtaculis, malis ſociis, irriſionibus, ſiniſtris conſiliis, blanditiis & minis. Tu ne cede malis, ſed contra audentior ito!

Juvenis David concepit animum pu- *1. Reg. 17.* gnandi contra Goliath: fratres, & amici diſſuaſerunt illi audax facinus: ille autem non ceſſit precibus & monitis. Pugnavit, ſtravit, vicit gigantem!

381. *Acquiritur per certas vivendi regulas.*

Si æger convaluit, a medico recipit certam vivendi normam, qua conſervare poſſit ſanitatem, ait Chryſoſt. ita peccatori converſo, ut in bono perſeveret, certæ præſervativæ præſcribi debent. Sic Apoſtolus Corinthiis ejuſmodi regulas reliquit: *Volo quinque verba ſenſu meo loqui, ut & alios inſtruam*. Quænam ſunt hæc quinque verba? Reſpondet S. Thomas: *Doctor debet quinque docere: ſcilicet credenda, agenda, vitanda, ſperanda, timenda*. B. Serm. 62. n. 8. 9.

S. Anſelmus ait: Quadratus lapis ſex æqualia habet latera, in quod horum ceciderit firmiter ſtabit: ſic vir juſtus in ſuo conſiſtit propoſito, ſive incidat in proſperitatem, ſive in adverſitatem. C. Exod. 27. v. 11. fol. 536. col. 2.

Adminicula perſeverantiæ, & ſtimuli proficiendi in virtute, ſunt 1. Mentem defigere in Deo; hic enim eſt primus conſtantiæ actus, ex quo cætera bona ſequuntur. 2. Amor ingens Dei, hic enim excitat amantem ad laborandum, & patiendum pro Dei obſequio: ſic caritate obarmatus Paulus fidenter exclamabat: *Qui nos ſeparabit a caritate Dei?* 3. Magnum deſiderium proficiendi in virtute. 4. Cogitare quam magna opera facta jam ſint per conſtantiam ſeu perſeverantiam; Sic S. Paulus labore & conſtantia convertit omnes gentes, &c. 5. Cogitare brevem eſſe laborem & dolorem hujus vitæ. 6. Invocare Angelum conſtantiæ, puta S. Gabrielem, qui interpretatur fortitudo Dei. Exempla conſtantiæ tam in Gentilibus, quam Chriſtianis ſunt admiranda. C. Eccli. 27. ver. 12.

382. *Debet ſe abnegare a priſtinis conſuetudinibus.*

Prudens ille juvenis poſt converſionem ſuam ſimulavit ſe amicam non amplius noſſe: tum illa: Ego ſum. At ille: Ego vero non ſum ego. Et hoc eſt quod Chriſtus requirit: *Qui vult venire poſt me, abneget ſemetipſum*. Sic S. Paulus fecit: *Vivo ego, non jam ego*: Siquis veniat ad te, qui tibi horas utiles vult furari: dici illi jubes, te non eſſe domi: idem ſonat effatum S. Pauli: *Vivo ego, jam non ego, &c.* B. Serm. 62. n. 34.

Quidam Vir luxurioſiſſimus, Dei Miſeratione compunctus e domo receſſit, & in ſepulcro ſe concludens pœnitentiam



tiam cum multis lacrymis egit. Apparuerunt illi dæmones & ad priſtinas voluptates invitarunt, nolentem & repugnantem verberibus crudeliter cæciderunt. Ille tamen conſtans perſeveravit, itaut ab omnibus pro Sancto haberetur, & tandem dæmones clamarint: Viciſti nos, viciſti! E. *Deſperatio n. 1.*

*Gen. 19.* Uxor Loth verſa eſt in Statuam ſalis quia reſpexit: ita poſt egreſſum e ſocietate mala non eſt reſpiciendum retro. Caſtiſſimo Joſeph quotidie moleſta erat *Gen. 39.* impudens Domina, ille autem adeo fortiter reſtitit impudicæ invitationi, ut etiam pallium in manu illius fugiens reliquerit. Quod ſi ex curioſitate aut amicitia iterum, iterumque regreſſus fuiſſet ad Dominam, quid futurum fuiſſe putas? Metuo, ne Joſeph, qui nunc eſt exemplar caſtitatis, factus fuiſſet ſpectaculum miſeræ fragilitatis. Idipſum metuere debent multi, qui poſt pœnitentiam occaſiones non reformidant.

Noemus centenis omnino annis ædificavit arcam, o quot ſannis, opprobriis, & illuſionibus pro fatuo habitus fuit, & tamen ab opere non ceſſavit. Ita qui ſerio aſpirat ad vitæ emendationem & ſalutem, malevoli mundi irriſiones curare non debet. Dicat generoſe propter vos non cæpi, propter vos non deſinam!

Danielis ſocii dixerunt Regi Babylonis: *Dan. 3.* Notum ſit tibi Rex, quod Deos tuos non colimus, & ſtatuam tuam non adoramus! Daniel etiam propter crudele decretum *Dan. 6.* Darii non deſiit quotidie adorare Dominum ſicut ante conſueverat. Sic ſic contrariis conatibus, tentationibus, & amicitiis reſiſtendum eſt!

383. *Apud multos deficit.*

*Caput ejus aureum*, pedes ſuper *baſes aureas*. En! ut initium reſpondet fini. *Cant. 5.* Secus ac in illa Statua ubi caput aureum pedes lutei erant. O quot cum ſpiritu incipiunt, & cum carne conſummant. S. punct. 35. fol. 763.

In Statua Nabuchodonoſoris caput erat aureum, & pedes lutei: econtra Sponſus in Canticis deſcribitur ut totus aureus. Ita homo ſalutis ſtudioſus non tantum debet bene incipere, ſed continuare. Simia quędam belle veſtita tam artificioſe ſaltavit, ut ab homine non dignoſceretur, cum autem amygdala, & nuces illi projiciebantur, ſtatim omiſſo ſaltu ad hoc pabulum ſe contulit, unde cognoſcebatur eſſe beſtia. Ita multi quidem virtuoſe vivunt, ſed cum illis terrenæ cupediæ, lucrum injuſtum, aut mundana voluptas offertur, bene vivere deſinunt. D. 5. 19.

Sapricius Sacerdos jam ad martyrium pro fide rapiebatur, ſed quoniam Nicephoro fratri injuriæ veniam dare non vult, perdit coronam gloriæ, a fide deficit, & in vicem illius Nicephorus Martyr fit. D. 5. 76.

Hibernia eſt fœcundiſſima regio, incolæ tamen non ſunt ditiores, quam aliarum regionum, quia autumnus ordinarie eſt valde pluvioſus, & colligi non permittit, quod ver & æſtas procreavit. Vv. ar. diſc. ſont. 48. ex. 10. Sic nihil prodeſt virtutum fœcunditas, ſi in fine corrumpatur.

O quam triſtia habentur ſpectacula eorum, qui cœperunt ædificare, & noluerunt conſummare! quam luctuoſi in Eccleſia caſus ſunt Origenis, Tertulliani, Luciferi Calaritani, & aliorum! Timeamus, opem Dei humiliter imploremus; quia in Chriſtianis non coronantur initia, ſed fines! &c.

384. *Docetur a Chriſto patiente, & moriente.*

*Jota unum non præteribit a lege*. Si jota hoc omiſſum fuiſſet, opus Redemptionis quoad præcipuam partem fuiſſet omiſſum. Jota hoc crux eſt, nempe lignum rectum, & ſupra tranſverſum, &c. S. pun. 35. fol. 763.

Judæi clamabant: deſcendat de cruce: & Bernardus reſpondet, ideo non deſcendit, ut doceat perſeverantiam. S. punct. 35. fol. 763.

Si Chriſtus deſcendiſſet de cruce, fruſtraneæ eſſent exhortationes Prædicatorum conſolantium puſillanimes, & dicentium, tu locum tuum ne deſeras! *Quod ſine dubio ſequeretur, ſi reſpondere poſſent: Quia Chriſtus ſuum deſeruit*. Ita S. Bernardus C. in Matth. 27. v. 41.

Diuturnitate paſſionis, dolorum acerbitas aggravatur. Multi Martyres igne cremati, vel aqua ſubmerſi martyrium ſuum celeriter compleverunt: Chriſtus autem ab illa hora poſt cœnam, uſque ad ſextæ feriæ horam nonam tormenta paſſus eſt, imo ut non potuerit non pati, clavis cruci affixus docuit perſeverantiam.

Tu igitur, Chriſtiane, ut diſcas perſeverantiam, exemplum Crucifixi tibi ante oculos pone, & ad vulnus Divini Pectoris tamquam aſylum confuge. Chriſtus recepturus incredulum Thomam juſſit eum digitos inferere in vulnus cordis ſui. Cur non in vulnus manuum? Quia manus erant penitus perforatæ, adeo ut per-

tranſire aut excidere potuiſſet Thomas. Sed Cor Chriſti tantum apertum, non perforatum fuit: hic non poterat pertranſire. B. Serm. 85. n. 18.

385. *Eſt neceſſaria ad coronam gloriæ.*

Euſebius Emiſſenus ait: Spes noſtræ omnes in conſummatione. S. Hieronymus: Non quæruntur in Chriſtianis initia, ſed fines. Gregorius: Incaſſum bonum agitur, ſi ante vitæ terminum deſeratur. S. punct. 33. f. 763. S. Auguſtinus: Non eſt præmium in inchoatione, ſed in conſummatione: non datur denarius incipientibus, ſed finientibus, & corona non currentibus, ſed pervenientibus. S. punct. 35. fol. 763.

Fatuæ Virgines excluduntur, non quia oleum non habuerunt, ſed quia oleum earum non duravit uſque in finem, ait Salvianus. M. conc. 36. aſſ. 2. n. 11.

Dæmon vocatur Lucifer, quia ſicut Lucifer mane oritur, & ſtatim diſparet, ita dæmon in gratia quidem creatus eſt, ſed non duravit, & ideo periit. M. conc. 36. aſſ. 2. num. 15.

David gladium in templo ſuſpendit, non lapidem, quia gladio victoriam conſummavit, lapide tantum incæpit. M. conc. 36. aſſ. 2. n. 14.

S. Bernardus ait: *Abſque perſeverantia neque pugnator victoriam, neque pallium victor conſequetur*. M. conc. 44. aſſ. 1. n. 7. ad finem.

In tabernaculi atrio columnæ erant ſexaginta: Columna eſt figura conſtantiæ, hæc neceſſaria eſt ad cæli tabernaculum. 1. Ut vincatur animi mollities. 2. Ut ſuperentur difficultates & tentationes. 3. Ut firmetur perſeverantia; multi enim bene incipiunt, ſed ſenſim langueſcunt. C. Exod. 25. v. 11. fol. 536. Ubi exempla Sanctorum &c.

Amicus noctu importunus laudatur a Chriſto, dignuſque cenſetur, cui porrigantur tres panes propter perſeverantiam. Tres panes ſunt pœnitentia, emendatio, & perſeverantia. Hos petere debet pœnitens a Deo; quia ſine perſeverantia non ſalvabitur.

## Patientia.

386. *Meretur cæli mercedem.*

SAlomon in baſibus columnarum ſculpi juſſit facies bovis, & Cherubin. Quomodo congruunt bos, & Cherub? Beda ait: Juxta Cherubim ſit bos laboris, & patientiæ, ſi onus æquo animo feratur. S. punct. 148. f. 459.

Patientia eſt ſchola virtutum omnium; Docet enim caritatem, pacem, & reconciliationem cum proximo, docet pietatis exercitia, mortificationem carnis, jejunia, preces, continentiam &c. Exempla ſunt, Iſaias, S. Stephanus, Job, & alii. C. Exod. 2. v. 25.

Arbor hyemali tempore ſine foliis exſucca, & non niſi ad ignem apta videtur, ſed adveniente vere pulcherrime refloreſcit, & tandem fructus parit. Sic ſe habet Patientia! in hoc mundo, quaſi in hyeme, tribulationibus oppreſſa, & ſepulta videtur; cum tempore autem flante Deo, ac bene proſperante, ingentibus meritis repullulabit, uti contigit S. Job. Idipſum Urban. IV. Pont. Max. illuſtrat exemplo apum, conformiter ad mentem S. Davidis, qui de perſecutionibus ſuis dicit: *Circumdederunt me ſicut apes*. Hæ enim licet ſuis aculeis, & punctionibus dolorem afferat, amantur tamen, qui dulciſſimum mellis favum conficiunt: ita patiens contribulato corde toleret adverſa; quia certus eſt, melleam jucunditatem ſubſecuturam. C. Eccli. 1. v. 29.

*Seminemus in lacrymis*, ajebat S. Pacomius, *ut cum gaudio metamus! &c.* C. Eccli. c. 2. v. 6.

Gloriam cæleſtem per patientiam obtineri docent exempla Sanctorum: S. Athanaſius quadraginta ſex annis perſecutiones Arianorum paſſus, totum fere orbem exul circuivit. S. Baſilius præfecto Valentis Imperatoris mortem minitanti reſpondit: utinam mihi quidquam digni muneris eſſet, quod illi offerrem, qui Baſilium citius ad Deum tranſmittit. Conſtantius Imp. minitabatur Euſebio amputationem manus, & ecce! Euſebius ſine mora utramque manum porrexit amputandam. S. Lucius ob fidem ad mortem damnatus, cum ad ſupplicium duceretur, ajebat: Gratias ago, quod me ad ſummum cæli regem mittas. Simeon Stylita in columna per multos annos inter pluvias, ventos, & nives ſtetit, continuo cælum ſpectans, &c. C. in Ep. Jac. 1. v. 11.

387. *Eſt virtus prorſus Divina, & Deo beneplacens.*

Tertullianus exprobrat Phariſæis, quod ex patientia Chriſti ejus Divinitatem non agnoverint; quia ille ad omnes accuſationes tacebat: *In hominis figura propoſuerat la-*



*tere: nihil de impatientia hominis imitatus eſt*. S. punct. 15. fol. 593. & 594. Ad alapam ſervi percutientis Chriſtus non tantum admirandam exhibet patientiam, ſed etiam percutienti beneficium facit. B. Serm. 1. n. 14.

*Prov. 16.* *Melior eſt patiens Viro forti*: Fortis eſt qui vim facit, patiens, qui vim patitur: amplectendo igitur occaſiones patiendi plus places Deo, quam vigiliis, jejuniis, ciliciis ultro ſuſceptis; & ideo Sancti gloriati ſunt de ſuis adverſitatibus magis, quam de ſuis operibus: *Placeo mihi in infirmitatibus meis, in contumeliis, in neceſſitatibus, &c.* Segn. Manna 5. Junii n. 1. & ſeq.

B. Martina de Angelis Ord. S. Dominici ægra rogavit Dominum ſanitatem, ut poſſet ordinem diurnum ſervare, & laborare: reſpondit Dominus: Magis mihi placet tuum pati, quam agere. *Ephem. Dom. 29. Jan.*

Cur autem patientiæ opera Deo ſint adeo grata, ratio eſt, 1. Quia ſunt actus excellentiſſimi Chriſtianæ fortitudinis & caritatis. 2. Quia ſunt veſtes quaſi regales, & inſignia animæ coram Deo. 3. Quia Chriſtus crucem, & paſſiones quaſi deificavit. 4. Quia tota SS. Trinitas patientiæ actibus, quaſi ſacrificio honoratur. 5. Quia patientiæ, quaſi laureola Martyrii in cælis promiſſa eſt, &c. C. 1. Pet. 4. v. 14.

Fortia agere Romanum eſt, fortia pati Chriſtianum: Ibant Apoſtoli gaudentes, quod digni habiti ſint pro Chriſto pati. C. Apoc. 7. v. 14.

388. *Amanti Deum dulcis & amœna.*

Animæ generoſæ, Deum amanti, nihil eſt optabilius, nihil jucundius, quam multa pro Deo pati. 1. Quia amorem in nulla re magis oſtendere poſſunt, quam ſi pro Deo dura patiantur, aut agant. Ruſum dum vident Chriſtum Dei Filium tanta pro ſe paſſum eſſe, ut amorem amori rependant, vicem ei reddere, & cruces ac dolores viciſſim pro eo pati deſiderant, dicentes cum S. Ignatio: *Amor meus crucifixus eſt*! item cum S. Franc. Xaverio: *Amplius Domine, amplius!* 2. Quia Deus eos, qui amore ſui patiuntur, viciſſim ſoletur, & fel paſſionis melle conſolationis dulcoret. Id experti ſunt SS. Martyres, qui in equuleis & tormentis lætitia geſtiebant, hymnos & laudes Deo canebant. Id experiuntur, qui libenter adverſa pro Deo ſuſtinent: ita Pſaltes: *Se-*
*Pſal. 93.* *cundum multitudinem dolorum meorum conſolationes tuæ lætificaverunt animam meam.* B. Campianus S. J. in Anglia Martyr, cum mors ei denuntiabatur, præ lætitia Hymnum Ambroſianum: *Te Deum laudamus*, cantare incipiebat. SS. Martyres Marcus & Marcellianus in tormentis ajebant: Nunquam tam jucunde epulati ſumus, quam libenter hæc pro Chriſto patimur! Menſura ergo paſſionis eſt menſura conſolationis: Hujus rei typo Deus Moyſi in Mara dedit lignum, quod aquas amaras dulcorabat: lignum hoc eſt crux Chriſti, quæ omnes adverſitatum amaritudines dulces reddit. 3. Quia afflicti cogitant, paſſionem eſſe brevem ac modicam, pro qua mox recepturi eſſent immenſam, & æternam cæli gloriam, dicentes: *Non ſunt condignæ paſſiones hujus temporis ad futuram gloriam, quæ revelabitur in nobis*. Ita S. Stephano videnti cælos apertos lapides dulces fuerunt. Ita S. Franciſcus ajebat: Tanta eſt gloria, quam exſpecto, ut me omnis morbus, omnis mortificatio, omnis humiliatio, omnis pœna delectet. Felix, cui omnis tribulatio dulceſcit, qui cum S. Catharina Senenſi amara præ dulcibus accipit, & in amplexu crucis ait: *Dulce lignum, dulces clavos, dulcia ferens pondera!* In cruce enim eſt vera conſolatio, verum gaudium. C. Jac. 1. v. 2.

389. *Quomodo perfecta eſſe debeat.*

*Hæc mihi ſit conſolatio, ut affligens me* *Job. 6.*
*dolore non parcat*. Rarum hoc genus eſt conſolationis, qua S. Job expreſſe petit majorem afflictionem præterita. In Hebræo Textu dicitur, *ut urens me dolore &c.* vult igitur, ut Deus ſecum agat velut chirurgus, qui ubi ferrum non ſufficit, ignem adhibet: metuebat ne Deus utpote bonus commiſerationem ſecum haberet, ideo quaſi animat ad rigorem, dicens: *Non parcat* humanitati meæ, *non parcat* gemitibus, *non parcat* clamoribus, *non parcat* ſenſibus naturæ &c. Segn. Manna 25. Maji 2.

*Patientia opus perfectum habet*. Hæc per- *Jac. 1.*
fectio conſiſtit in eo, ut patiens nihil excipiat: Nihil in adverſis, quæ patitur, Volo pati hunc morbum ſed non illum, &c. Nihil in perſonis: Volo pati ab inimico, ſed non a cliente, aut cognato. Nihil in tempore: Volo pati unum vel alterum diem, ſed non menſem, aut annum. C. in Ep. S. Jac. c. 1. v. 4. Explicatio fuſiſſima.

Tripliciter poteſt eſſe perfecta: 1. In ſe: ideſt in fortitudine & continuatione crucis uſque ad finem, ut non deficiamus. 2. In fine, ſeu objecto, ut patiamur pro Chriſti fide, juſtitia, aut virtute. 3. In ſubjecto,

ſcto, ideſt, ut patiens ſit purus & innocens ab aliis peccatis: quid enim prodeſt pati injuriam, & committere luxuriam, aut avaritiam? S. Lydvvina vidit in cælis coronam ſibi præparatam, ſed adhuc imperfectam. Rogavit Dominum, ut ſibi præberet occaſionem perficiendi coronam. Et ecce! Deus miſit milites truculentos, a quibus conviciis, & verberibus fuit mulſtata. Tunc Angelus illi apparuit, nuntiavitque, perfectam eſſe coronam. C. Jac. 1. verſ. 4. Vide Tit. Patientia Sanctorum.

### 390. *Roboratur ſanctis principiis.*

Tertullianus ſcripſit Librum de Patientia, in quo contra quaſcumque adverſitates dat remedia, ſeu antidota. Exempli cauſa:

*Contra jacturam bonorum*: 1. Quia tota Scriptura admonemur contemnere mundana. 2. Quia Dominus ſemper pauperes juſtificat. 3. Quia nihil eſt noſtrum, ſed primario Dei, &c.

*Contra contumelioſa verba & verbera*. 1. Quia Dominus monet, percutienti te præbe & alteram maxillam. 2. Quia Deus injuriam ſuam faciet, & vindicabit. 3. Quia Deus monet: Gaudete, cum maledixerint vobis homines, &c.

*Contra luctum in morte carorum*. 1. Quia Apoſtolus inquit, de dormientibus non contriſtemini. 2. Quia credimus reſurrectionem mortuorum. 3. Quia non mors, ſed profectio eſt ad beatam vitam, &c.

*Contra ulciſcendi pruritum*: 1. Quia malitiam duplicat, quæ jam ſemel commiſſa eſt. 2. Quia uterque Dominum lædit, præcipientem, malum malo non eſſe rependendum. 3. Quia qui ſibi defenſionis arbitrium arrogat, in Domini officium involat.

*Contra cruces a Deo immiſſas*: 1. Quia dignus eſt Deus, ut illi patientiam exhibeamus. 2. Quia gratulari nobis debemus de caſtigatione paterna. 3. Quia Deus patientes, felices pronuntiat: Merces veſtra multa eſt in cælo, &c. C. Exod. 2. v. 25.

Meritum ad conſequendam ſalutem conſiſtit in *agendo*, & *patiendo*. O quam negligens ac tepidus fuiſti hactenus in agendo! Vult ergo Deus fidem tuam probare in patiendo; ideo tibi mittit morbos, adverſitates, perſecutiones, &c.

### 391. *Commendatur variis motivis.*

Filiatio Dei & jus ad cæli hereditatem ſtabiliendum eſt bonis operibus, præſertim patientia. 1. Quia Chriſtus Dux noſter præit in cruce. 2. Quia ſi compatimur & conglorificabimur, ipſa Chriſti gloria. 3. Quia non ſunt condignæ paſſiones hujus ſæculi ad futuram gloriam. 4. Quia paſſiones hujus temporis ſunt breves & momentaneæ. 5. Quia Sancti ſuo exemplo nos animant. 6. Quia corpus hoc miſerum & ærumnoſum per patientiam fiet impaſſibile, & glorioſum. 7. Quia patientia ſpem certam parit, ſpes autem confortat ad quævis ardua toleranda. 8. Quia diligentibus Deum omnia, conſequenter vel maxime adverſa, cooperantur in bonum. 9. Quia patientia eſt certiſſimum ſignum prædeſtinationis; Deus enim quos amat, vult conformes fieri imaginii Filii ſui. C. in Ep. Rom. c. 8. v. 17.

*Melior eſt patiens Viro forti*; quia difficilius eſt dura ſuſtinere patiendo, quam eadem aggrediendo aliis inferre, & fortior eſt, qui ſe, quam qui fortiſſima vincit mœnia. Præterea patientia præſtat fortitudine, quia eſt univerſalis medicina contra omnia vitia, juxta illud Salomonis: Manſuetus Vir cordis eſt medicus, ut non ſolum iræ, triſtitiæ, acediæ, & ſuperbiæ, ſed etiam libidinis, omniumque vitiorum fomitem extirpet. C. Prov. 16. v. 32.

Patientia extinguit reatum pœnæ promeritæ. Cum populus murmuravit contra Moyſen, ille manſuetiſſime tulit injuriam. Cumque Deus iratus vellet punire populum, præcepit ille Aaroni, ut Num. 16. cito conſurgeret ad preces. Et ſequitur, quod plaga ceſſarit.

Non eſt Virtus, quæ magis aſſimilat Chriſto, quam patientia: ille tulit manſuetiſſime injurias, verbis & factis ſibi illatas: *Verbis quidem* detractoriis, contumelioſis ac deriſoriis, cum dixerunt Judæi: Hic ſi eſſet Propheta, ſciret qualis eſſet hæc mulier! Hic blaſphemat! Quare cum publicanis & peccatoribus manducat? In Beelzebub ejicit dæmonia! Non eſt hic homo a Deo, qui Sabbatum non cuſtodit! Nos ſcimus, quia hic homo peccator eſt! Dæmonium habet, &c. Factis autem injurias tulit, dum Judæi illum ejicere voluerunt extra civitatem, dum voluerunt eum lapidare! Et quid non crudelitatis in eum exercuerunt in paſſione? Vide Peraldum in Exempl. Virt. & vit. c. 80.

Patientia eſt lapis Lydius, qui tribulationes omnes convertit in aurum cæleſte. C. Dan. 11. v. 35.

Comparatur martyrio, juxta illud S. Gregorii: *Sine ferro poſſumus eſſe martyres*,



*martyres, ſi patientiam veraciter in animo cuſtodimus*. C. Eccli. 2. v. 1.

Olim Deus tempore diluvii abſtulit peccata mundi ut leo, qui aqua omnes obruit: at per Chriſtum ea abſtulit, ut agnus: ibi necavit peccatores non peccata, hic peccata delevit non peccatores: Quiſquis igitur patitur cum Chriſto, erit Agnus Dei, qui in cælis ſequetur Chriſtum. C. Iſa. 53. v. 7.

## Adverſitates. Materia patientiæ.

### 392. *Ducunt ad Deum.*

M*ultiplicatæ ſunt infirmitates eorum, poſtea acceleraverunt*: Ubi Titlmannus: *Eu! ait, adverſitates cogunt, ut Deum quæramus*. B. Serm. 9. n. 10. Serm. 21. §. 4. C. Gen. 33. in fine.

S. David ait: *Tribulatio, & anguſtia invenerunt me &c.* ſuper quod Ambroſius: *A tribulatione inventus eſt*. B. Serm. 33. n. 36. Serm. 48. §. 7. Serm. 56. n. 17. 18. &c. Serm. 72. n. 3. Quamdiu Rex David in proſperitate vixit, quamdiu leones vicit, gigantes ſtravit, ſubditorum favores, & populorum applauſus retulit, bono genio volupe vixit, imo etiam oculos, animumque ad Betſabæas extendens, præcepta Domini parum curæ habuit. At ubi Saulem, Abſalonem, Semei, alioſque adverſarios ſenſit, roburque exercitus, quo ſuperbiebat, peſte extenuatum perdidit, tunc mandata Dei reſpicere, eorumque tranſgreſſiones, tanquam malorum ſuorum cauſas deplorare cœpit, prout ipſe faſſus eſt: *Tribulatio, & anguſtia invenerunt me*! Quid evenit? *Mandata tua meditatio mea eſt*. En, quanta ſit utilitas tribulationis! aurem nobis vellicat, ut recordemur mandatorum Dei? Id quod affirmat S. Greg. inquiens: *Mala, quæ nos hic premunt, ad Deum ire compellunt &c.*

Regulus ad Chriſtum venit, dum filius infirmatur: in felicitate non veniſſet. S. p. 43. fol. 175. M. conc. 29. aſſ. 2. n. 11.

*Dicam Aquiloni: Affer mihi filios*: Æ- Iſa. 41. rumnarum Aquilo de longinquo reduxit filium prodigum: Sic ait Gregor. *Mala quæ nos hic premunt, ad Deum ire compellunt*. Si filius amat perniticioſam libertatem, & fugit e patria domo, quid amans pater? ſcribit ad amicos, ne illum recipiant: *O tormenta miſericordiæ*! exclamat Greg. *Cruciat, & amat*! ſic Jonam fugitivum nec mare, nec navis, nec cetus tolerare voluit. S. p. 43. fol. 175.

Sicut debitor fugit creditorem, & per ſatellites ad judicem citatur: ita Deus per tribulationes trahit hominem, ægritudines, afflictiones ſunt Dei ſatellites. Auguſtinus per dolores ſtomachi trahitur ad baptiſmum &c. S. p. 43. fol. 175.

Crucifixus haberi non poteſt ſine cruce: ita ad Chriſtum veniri non poteſt ſine cruce. S. punct. 48. fol. 186.

Sicut tempeſtas navigantes ad portum feſtinare facit: ita tribulatio hominem ad Chriſtum. M. conc. 12. aſſ. 3. n. 4.

Abſalon ter vocavit Joabum, ut eum interceſſorem pro ſe apud offenſum patrem conſtitueret. Nunquam apparuit Joab: cum autem Abſalon illi per famulos ſegetem exuſſit, ſtatim apud citantem apparuit: Ita ſæpe fit, vocat iterato Deus, non comparemus, niſi per adverſitatem citet. D. 7. 77.

### 393. *Non ſunt dicendæ malum.*

Solum peccatum vere malum eſt, cætera omnia, quæ affligunt, mala vere non ſunt: quia ad æternam felicitatem conducere poſſunt. Mundus malum vocat paupertatem: verum Apoſtolis, & Religioſis amœna eſt. Mundus malum vocat morbos: verum morbi pauperem Lazarum promoverunt in ſinum Abrahæ &c. B. Ser. 5. n. 7. Ser. 78. n. 9.

Attende, quomodo Deus Amicos & Sanctos ſuos in hac vita tractet. Joannes, ille Magnus coram Domino; ille Elias in ſpiritu & veritate; ille Angelus; ille neque manducans, neque bibens; ille, quo inter natos mulierem non ſurrexit major; ille, qui primus cælum vim pati docuit; ille Propheta Altiſſimi, Præcurſor Domini, Vox Verbi, Sponſus Amici, & Baptizator Chriſti &c. in carcere, in vinculis eſt. Itane nimis ſic honorati ſunt amici tui Deus, ut poſt omnes honores, ad catenas, ad pœnas, ad mortem perveniant? Hoc utique non honorari, ſed onerari eſt? Verum hæc eſt nota ex Chriſti forma deſumpta! Bona agere, mala pati; bonum eſſe, malum reputari! Quid tu, Sanctus eſſe vis, ſine tribulatione? ſed præter doctrinam & exemplum Chriſti, præter morem Sanctorum, quin & præter fructum, commodumque ſanctificandorum? Non expedit Sanctis, non pati, etiamſi poſſent non pati; tum quia forma vitæ Chriſti id exigit, tum quia in ſanctitate creſcere eſt, in patientia creſcere & proficere. Obfirma igitur animum non ad fugiendam, ſed potius ad proſequendam, quærendamque patiendi materiam! &c.

Adverſitates ſunt ſpecialis favor Dei benefici. S. punct. 50. fol. 189.

Medicus dum affligit, non hoſtis, ſed amicus eſt. M. conc. 27. aſſ. 1. n. 8.

Quod adverſitates habeantur pro malo, ſolum ex noſtra apprehenſione venit; poſſumus enim illas vel alleviare, vel aggravare ſecundum noſtram imaginationem. Chriſtus Dominus paſſionem ſuam vocat calicem, *Calicem, quem dedit mi-* Jo. 18. *hi Pater, non bibam illum?* Cur tantum calicem nuncupat, cum tamen omnes Prophetæ illam comparent mari, inundationi, abyſſo? nempe ut nos doceat de adverſitatibus benigne ſentire. Tu mi Chriſtiane, cum adverſi quid in te incurrit, ſemper excogitas rationes, quibus malum illud aggravas, quid mirum, quod tibi intolerabile videatur? puta eſse calicem, quod mare eſt! Segn. Manna 22. Apr. n. 2.

Ingens ſæpe bonum poſt ſe trahunt adverſitates: vulneratus quidam in ſiniſtro Plin. l. 23. c. 3. latere ob putridum ulcus jam morti iminebat. Procubuit ergo penes truncum ſucciſæ arboris, nudato pectore, ut erumpenti faniei commodior pateret exitus. Obdormiit, & ecce! prodit anguis, quis non perditum exiſtimaret hominem? Anguis autem exſuxit faniem, & æger non tantum ſanatus eſt, ſed ſerpentem obſequioſiſſimum ſemper aſseclam habuit. Vv. Art. diſc. ſont. 27. Ex. 4. Sic ſæpe putatur adverſitatem eſse venenoſum ſerpentem, & Medicus eſt.

Jac. 1. v. 2. *Omne gaudium exiſtimate fratres, cum in varias tentationes incideritis*; pati enim pro Deo glorioſum, & dulce eſt, exemplo Chriſti, & Sanctorum. C. Jac. 1. v. 2.

### 394. *Sunt neceſſariæ ad cælum.*

Dum ædificabatur templum Salomonis non auditus eſt mallei ſtrepitus: Quare? quia lapides foris in campo dolabantur: ſic nos foris, id eſt in hac vita debemus tundi, ut lapides fiamus cæleſtis Solymæ. *Hic tundimur, ut illuc ſine reprehenſione veniamus*, ait Greg. B. Serm. 3. n. 37.

Civitas illa ſuperna dicitur aurum mundum; ſicut ergo aurum per ignem probari, ita nos per adverſitates debemus. S. punct. 148. fol. 459.

In die judicii, ait S. Hieronymus, pavebit terra cum populis, tu vero afflicte, & tribulate gaudebis, ridebis, & dices: Ecce crucifixus Deus meus &c. S. punct. 137. fol. 432.

Sap. 10. *Juſtum deduxit Dominus per vias rectas*: Via recta eſt, ſi medium correſpondet extremis: extrema autem ſunt luctus, lacrymæ, & nuditas: igitur in medio non eſt vacandum riſui, & ſic per viam rectam, id eſt per tribulationes eundum eſt ad cælum. S. punct. 48. fol. 186. Nazianzenus ait: Tribulationes ſunt regia in cælum via. S. punct. 53. fol. 194.

Sicut filius caſtigatur a patre, ut heres ſit paternæ hereditatis: ita Deus nobiſcum agit. S. punct. 19. fol. 617.

B. Margarita Sabauda Ord. S. Dom. abjecta ſæculi pompa humilem vitam elegit. Rogans Dominum, ut ſe in librum vitæ inſcriberet, Chriſtum apparentem habuit, cum tribus ſagittis, quibus inſcripta erant: *Calumniæ, morbi, perſecutiones*. Data eſt illi optio, ut eligeret, illa autem Divinæ voluntati ſe reſignavit. *N.* 23. *Nov.*

Anima a Deo dilecta comparatur lilio inter ſpinas: ubi Gregorius Nyſsenus: Sicut lilium inter ſpinas efflorescit; ſic anima ſancta inter tribulationes in virtute creſcit. C. Cant. 2. v. 2.

### 395. *Inſliguntur juſtis, & cur?*

Primo: ut augeant meritum. 2. Ut quotidianos defectus emendent. 3. Ut malos emendare ſatagant. 4. Ut peccatores ſuo exemplo terreant: ſi enim cicuratur leo, cæditur canis in illius conſpectu. Sic Moyſes, Aaron, Loth, Ananias, & Saphyra puniti ſunt, & tamen non peccarunt graviter juxta SS. Patres: Quare? ut peccatoribus eſsent exemplo. B. Serm. 32. n. 44. Ser. 13. §. 8. & ſeq. Serm. 21. §. 4. Serm. 32. §. 4. Ser. 32. n. 30. Quinto ut fiduciam non ponant in auxilio humano: Joſephus duobus adhuc annis remanſit in carcere, quia ſuam ſpem in pincerna collocaverat. B. Serm. 32. n. 31. Sexto: quia ſunt commixti peccatoribus B. Serm. 38. n. 12. Septimo, quia peccatores non convertunt. B. Serm. 65. n. 15. Octavo ut ad orationem confugiant. S. punct. 1. fol. 3. Vide Tit. *Homo Juſtus*.

Dominus Deus affligit juſtos, ut peccatores emendet: vult enim agere more Patris, qui cum videt filiolum minorem abhorrere a correptione, quid agit ad hunc inſtruendum? corripit in ejus præſentia majorem natu filium, licet inſontem, ut ab ejus modeſtia, qua ſtatim oculos demittit, & tacet, & verecunde ſe inclinat iræ paternæ, audaculus ille diſcat non iraſci. Segn. Manna 22. n. 3. in fine.

Febris concutit artus corporis, & ſolus ſtomachus amariſſimis medicinis cruciatur, ut cæteros artus ſanet. Ita juſtus tribulatur, ut impios emendet.

He-



Hebræi per nonaginta annos affliguntur in ſervitute Ægyptiaca 1. Propter peccatum idololatriæ. 2. Ut odiſſe diſcant Ægyptum, & aſpirare in patriam. 3. Ut manifeſtetur potentia Dei in decem plagis &c. C. Ex. 1. v. 10. fol. 340. Item in Prov. 3. v. 12.

### 396. *Docent contemnere mundana.*

Adverſitates ſunt ſuccus Aloe, quem mater illinit mammis, ut infantem a lacte deſuefaciat: ſunt vermiculus Jonæ hederam excedens &c. *Miſcentur amaritudines vitæ temporali, ut æterna deſiderentur.* B. ſerm. 3. 28. 29.

Ut Iſraelitæ non colerent Deos Ægyptios, diſpoſuit Deus, ut ab Ægyptiis multa paterentur: ait Theodoretus: ita homo juſtus amare mundum non poteſt, a quo multa patitur. B. ſerm. 32. n. 29. ſerm. 33. n. 37.

Iſraelitis Ægyptus amareſcit, quia multa ab Ægyptiis adverſa patiebantur. S. punct. 40. fol. 168.

S. Greg. ait: *Idcirco frequenti tentatio-* S. Greg. l. 23. Mor. c. 15. *ne conterimur, ne viam præ patria diligamus*. Et S. Auguſtinus: Amarus eſt mun- S. Aug. Ser. 111. de temp. dus, & diligitur: putas ſi dulcis eſſet quomodo amaretur? B. ſerm. 33. n. 16.

Thren. 3. *Ædificavit in gyro meo, & circumdedit me felle, & labore.* Nempe optabat S. Auguſtinus: Peto Domine, ut omnia mihi amareſcant, ut tu ſolus mihi dulcis ſis. Vult Deus ab his mundi rebus avocare animum, ne via præ patria diligatur &c. S. punct. 40. fol. 168.

De filio prodigo, ait Chryſoſtomus: fames revocat, quem ſaturitas expulerat. S. punct. 41. fol. 171. 172. & ſeq.

Sunt plurimi e Chriſtianis, qui ſicut Iſraelitæ opimis paſcuis circa Jordanem ſtatim eſſent contenti, & æternum cælo renunciarent, ſi ſemper in hac terra degere poſſent: Deus ergo, ut eos a lacte mundi abſtrahat, mamillis amaritudinem aſpergit. P. p. 2. diſ. 14. n. 18.

### 397. *Facile tolerantur intuitu beatitudinis.*

Joſephus Prorex primogenitum ſuum vocat Manaſſen, quod interpretatur oblivio: nimirum exaltatio docet obliviſci omnium laborum. S. Petrus de Alcantara poſt mortem apparens S. Thereſiæ, felicem dicit ſuam pœnitentiam &c. B. ſerm. 18. n. 14. Vide titulum *Beatitudo*. S. punct. 148. fol. 459. & ſeq.

Sicut tempeſtas, qua jactabantur diſcipuli, in tranquillitatem: ſicut lacrymæ in uniones.

Sicut facies bovis in Cherubinum mutabantur: ita adverſitates in gloriam. S. punct. 49. fol. 187.

Lazarus ab Angelis in cælum portatur. S. Ib. fol. 187.

*Non ſunt condignæ paſſiones* hujus temporis ad futuram gloriam: in quæ verba Auguſtinus: Sæviat mundus, fremat mundus, increpet linguis coruſcet armis: quidquid vult, quidquid poteſt, faciat: quid faciet tandem ad id, quod accepturi ſumus? &c. S. punct. 49. fol. 188.

Pſalmi fere omnes a triſtitia ordiuntur & in lætitiam deſinunt. S. Ib. f. 188.

Sicut Adamus collocatus eſt in Paradiſo, ut illum operaretur: ita Deus in te collocat adverſitatem, ut illa te elaboret ad cælum; quemadmodum ergo terra male accuſaret agricolam, quod ſarculis, & ligonibus eam proſcindat; ita homo male conqueritur contra adverſitatem. Segn. Manna 13. Martii n. 4.

Scriptura expreſſe meminit, caſtiſſimum Joſeph fuiſſe triginta annorum cum regnare cæpit, quare? ut exprimeret ejus triennales in carcere ærumnas fuiſſe abunde compenſatas dum octoginta annis regnavit. C. Gen. 41. v. 46. Item 1. Pet. 1. v. 6.

### 398. *Facile tolerantur intuitu inferni.*

Patriarchæ Loth difficilis videbatur aſcenſus montis, in quo ſalvare ſe juſſus eſt: at cum vidit ardentem urbem, aſcendere feſtinavit: ita quidquid difficile eſt in mundo, intuitu ignis infernalis leve fit &c. B. ſerm. 29. n. 3. n. 18. &c.

Juvenis Monachus graviſſime tentatus ultima nocte, qua redire ad ſæculum decreverat, ſomniat, ſe ad portam ſtare & videre duas vias in proximam ſylvam. Pone ſtabat ſenex, qui interrogatus reſpoſuit, viam dexteram eſſe quidem aſperam, ſed ducere ad campum lætiſſimum. Viam ſiniſtram eſſe quidem amænam, ſed ducere ad deformem & terribilem abyſſum. Sic evigilans perſeverabat. E. Verbo *Apoſtata* n. 5.

Modicum hoc paſſionum, quas in vita toleramus, excitare nos debet, ad omnem animi alacritatem, & fortitudinem. S. Auguſt. ait: Etſi mille annos duraret, S. Aug. in Pſ. 36. quod pateris, quid ſunt mille anni ad æternitatem? Paucorum dierum eſt vita hominis! Eſto igitur quod per omnem vitam, in laboribus, in carcere, & tormentis viveres, labore brevi tranſacto mercedem accipies! Impii autem uno momen-

mento lætantur, & dein æternum ejulant &c. Et S. Chryſoſt. Siquis per unam noctem (S. Chryſ. hom. de Lazaro.) ſuave ſomnium vidiſſet, & dein centum annis cruciaretur tormentis, an vellet denuo ſuaviter ſomniare? Abſit! Quod eſt ſomnium unum ad centum annos, hoc eſt vita præſens ad æternitatem! &c. C. 1. Pet. 1. v. 6.

Innocens Joſeph perſecutione & venditione fratrum erutus fuit e ciſterna, in qua forſan fame & ſiti perire debuiſſet. Ita multi per tribulationes eruuntur e ſcrobe inferni, & exaltantur ad cœli ſolium, qui alias forte periiſſent æternum.

Daniel e lacu leonum erutus, & tres pueri in fornace Babylonica incolumes, cum viderunt alios a leonibus diſcerptos, & a flammis exuſtos, mirum quantum confortati ſunt in ſua conſtantia, parati pro Deo adverſa omnia ſuſtinere. Sic juſtus roboratur, videns damnatos inter leones & flammas infernales &c.

### 399. *Expiant reatum pœnæ.*

Non fruſtra Chriſtus quæſivit paralyticum: *Vis ſanus fieri?* Quia dubium eſt, utrum melius bonum fuerit miſero ſanum eſſe, aut ægrotum: ægritudine enim poterat expiare peccata. B. ſerm. 45. n. 24.

Petrus Bleſſenſis ait: Flagello Dei pulvis excutitur: per pulverem intelligit reatum pœnæ. S. punct. 41. fol. 170.

S. Gregor. ait: Uva calcibus tunditur, (S. Gregor. hom. 32. in Ev.) & in vini ſaporem liquatur: Oliva contunſionibus expreſſa amurcam deſerit, & in olei liquorem pingueſcit: per trituram areæ grana a paleis ſeparantur: ſic quiſque ſtudeat humiliter purgationis ſuæ flagella tolerare. Dein ſubdit exemplum Beati Servuli &c. S. punct. 53. fol. 193.

Mauritius Imp. omittit captivos Chriſtianos e manu Regis Avarorum redimere, propterea illi omnes crudeliter trucidantur. Quid fit? Imperator in ſomnio citatur ad tribunal Dei, quæritur a Judice ubi delictum expiare velit hic, aut ibi. Mauritius eligit hic in vita puniri. Mox exercitus contra ipſum rebellat, Phocas in Imperatorem proclamatur, Mauritius in carcerem datur, ad necem rapitur, in ejus oculis quinque illius filii obtruncantur & denique etiam ipſe interficitur. In his ærumnis omnibus lætatus, eſt quia meruit ſcelerum ſuorum reatum in hac vita expiare. D. 2. 90. E. *Tribulatio* 1.

Nonne gauderet lapis, ſi poſſet, quod ſcalpello poliatur, fiatque ſtatua elegans Regis? nonne gauderet lignum, quod lævigetur, & fiat thronus principis? nonne gauderet pannus, ſi lixivio perfricetur, & emundetur? ſic gaudendum de tribulatione, quod enim eſt ignis, auro, lima ferro, ſcalprum lapidi, runcina ligno, hoc juſto eſt tribulatio. C. Jac. 1. v. 2.

### 400. *Sunt remedium ad correctionem peccatorum.*

Eliſeus confregit ſerpentem a Moyſe olim erectum: Quare? quia incæpit eſſe occaſio idololatriæ: Ecce! hanc ob cauſam deſtruit tibi Deus bona tua, fortunas, ſanitatem quia fiunt tibi occaſio peccati. B. ſer. 52. n. 11. & Ib. §. 3. ſer. 67. n. 2.

Etiam Pharao humiliatur per ſupplicia Dei. B. ſerm. 67. n. 4. S. punct. 41. fol. 170. punct. 19. fol. 617.

Sicut cera liquefit, ut aliam formam recipiat: ita Deus febrim mittit, affligit &c. M. conc. 12. aſſ. 3. n. 5. 6.

B. Joannes Vincentius ex habitis concionibus fatigatus rogat a Parocho ſibi commodari equum ad iter faciendum. Excuſans Parochus ait equum ſuum eſſe nimis ſternacem, ac impetuoſum non ſine periculo equitis. S. Vir non obſtante hoc petit ſibi adduci equum, cui crucem in fronte ſignabat, dicens; *Mitiget te Chriſtus Princeps pacis*, Et ecce! equus factus eſt manſuetiſſimus, ac ſemper in genua procumbens Sanctum tergo excepit. Tu mi peccator eras ſternax & inobediens: Deus tibi dedit crucem, ut manſueſcere diſcas. R. cent. 2. p. 2. mir. 49.

Serpentes & alia venenata, fulmine afflata, venenum amittunt, juxta Senecam. Vv. Art. diſc. Font. 12. Ex. 2. Ita peccatores puniente Dei manu percuſſi peccati venenum exſpuunt.

Fratres Joſeph in Ægypto durius habiti agnoſcunt ſuum delictum, item Manaſſes, Nabuchodonoſor, filius prodigus & alii; hinc Pſalmiſta rogat: *Imple facies eorum ignominia, & quærent nomen tuum Domine*. (Pſ. 82.) C. Gen. 42. v. 21.

Tobias metuebat piſcem, & tamen ab Angelo juſſus eſt, ut eum fortiter apprehenderet; eſſe enim utilem ad medicinam: & revera felle piſcis ſanavit cæcitatem patris. Sic multi exhorreſcunt adverſitatem, quæ tamen medicina eſt.

### 401. *Sunt ſingulari favor Dei.*

Adverſitates ſunt teſſera amicitiæ Dei: Amici Chriſti, Beatiſſima Virgo & Joannes dilectus Diſcipulus nunquam abfuerunt



runt a cruce. Quid majus eſt dare aſpectum crucis, an crucem? utique hoc poſterius: quia primum datur & amicis & inimicis Chriſti: poſterius autem tantum amicis, ait Haymo. S. punct. 50. fol. 189. C. Gen. 33. in fine.

S. Jacobus Apoſtolus hortatur fideles, ut gaudeant, cum in varias tentationes inciderint; tribulatio enim eſt ſummum bonum, ideo non dolendo, ſed gaudendo excipi debet. Atque hæc eſt nova ſapientia hactenus mundo incognita, quam Chriſtus velut arcanam e ſinu Patris ſecum in mundum detulit, dicens: *Beati qui perſecutionem patiuntur*. Tota vita Chriſti fuit continua afflictio, mors & martyrium. Paradoxum hoc a Chriſto & Apoſtolis prædicatum, ignorarunt priſci Sapientes, neſcivit hoc Ariſtoteles, non intellexit Plato, falſum cenſuit Anaxagoras, ſtultum Epicurus. Anteſignanus ergo hujus gaudii fuit Chriſtus Dominus, anhelans Crucem, & dicens: *Baptiſmo habeo baptizari &c.* Secutus eſt S. Petrus inquiens: *Communicantes Chriſti paſſionibus gaudete*. Secutus S. Paulus: *Gloriamur in tribulationibus*. Secuti omnes Apoſtoli: *Ibant gaudentes a conſpectu Concilii, quoniam digni habiti ſunt pro nomine Jeſu contumeliam pati*. C. Jac. 1. v. 1. Item Philip. 4. 4.

Tribulatio igitur ſeu adverſitas eſt ſummum bonum: 1. Quia nos ab amore ſæculi avellit. 2. Quia ſignum eſt filiationis ſeu electionis Divinæ. 3. Quia nos aſſimilat Chriſto &c. &c. C. Jac. 1. v. 1.

Adverſitates ſingulariter erudiunt animam, & imbuunt cæleſti ſapientia. S. punct. 50. fol. 189.

Mala omnia a Chriſto fuerunt deificata, hinc Sancti Martyres gaudebant de tormentis: cur ergo homines ita horrent cruces? Reſpondeo, palato ægro panis eſt pœna, & lux ægris oculis odioſa. S. punct. 50. fol. 189.

*Quis filius, quem non corripiat pater?* Ubi Auguſtinus: Si exceptus eſſes a paſſione flagellorum, exceptus eſſes a numero filiorum. S. punct. 19. fol. 617.

Errant, qui adverſitates putant venire a Deo irato: veniunt a Deo amico: *Delebo hominem, quem creavi* non ſimpliciter, ſed ſecundum quid: ſi hortulanus vineas, & arbores putet, an iraſcitur? minime: ſed prodeſſe cupit: Sic *Deus minatur ſupplicium, ſed non permittit excidium*, ait Ambroſius. M. conc. 27. aſs. 1. n. 4. 5. & ſeq.

Joſephus ſoli Benjamin calicem in ſaccum inſeruit, quia hunc præ cæteris diligebat. M. conc. 29. aſſ. 2. n. 1. & ſeq.

Tiberius ſub lapide, cui forma crucis inſculpta erat, pretioſum theſaurum invenit; O quoties ſub cruce invenitur theſaurus, nempe Dei gratia, ſalus. D. 2. 95.

Adverſitates ſunt magna felicitas; quia quia hic laborat, ibi quieſcit, & qui in hac vita ridet, in altera flebit. Paoletti Fer. 5. poſt Dom. 2. Quadr.

Puer Jeſus in altari apparens inter tres Virgines illam alapis & calcibus percutit, quam præ cæteris amabat. Reliquis duabus minus amatis blandiebatur. E. *Tribulatio* n. 6.

### 402. *Sunt probationes virtutis.*

*Ducam per ignem, & uram, ſicut uritur argentum*. Tertullian. ait: Per martyria fidei examinatoria, velut in Job factum eſt. S. punct. 40. fol. 168.

Sunt lapis Lydius, *ut probatio veſtræ fidei multo pretioſior auro, quod per ignem probatur, inveniatur*. S. Greg. ait: Nemo quantum profecerit, niſi inter adverſa cognoſcit: ſic probatus fuit Abraham, *tolle filium tuum unigenitum, quem diligis Iſaac &c.* Singula verba ſunt ſingulares probationes. S. punct. 41. fol. 173.

Lapis Amianthus ardet quidem, ſed ab igne pulchrior fit. S. punct. 16. fol. 601.

*Tentat vos Dominus Deus veſter, ut palam fiat, utrum diligatis eum, an non.* (Deut. 13.) Quis explicet, quam diverſus appareat homo in tribulatione a ſe ipſo, qui apparebat in proſperitate? & ideo Deus probat hominem. Donec iſta tribulatione probatus ſis, noli tibi adulari, aut boni quidquam de te credere, quia falleris. Id quod monſtrare debet, quis ſis, eſt illa perſecutio, illa ignominia, illa infirmitas, illa interna deſolatio. Si tunc ſtas inconcuſſus, venies in cenſum eorum, de quibus dicitur: *Deus tentavit eos, & invenit illos dignos ſe.* (Sap. 3.) Si ceſſeris autem murmurando, querendo, blaſphemando, conſueta pietatis exercitia abrumpendo, indignus eris Deo. *Qui non tollit crucem ſuam & ſequitur me, non eſt me dignus.* (Matth. 10.) Cætera propoſita, quantumcunque ſancta, nihil ſunt ſine hac probatione. Segn. Manna 20. April. n. 4.

Sint duæ candelæ in altari: una pacifice omnino ac tranquille flammam nutrit, altera fumat, perſtrepit, effluit, & altare aſpergine fœdat; ſignum eſt, primam eſſe de cera bona & incorrupta; alteram e cera amurcata & adulterata. Ita a pari, ſi patienter feras adverſa, ſignum eſt

te

te habere virtutem genuinam: ſi obluctere, & totam viciniam luctu compleas, virtus tua ſpuria eſt &c.

### 403. *In adverſis non conquerendum contra Deum.*

Nos ipſi durius agimus cum Deo, ait Salvianus, quam ipſe nobiſcum agat: Quid ergo conquerimur? B. ſerm. 76. n. 11. S. punct. 6. fol. 37.

Clamat forte aliquis: Eheu! quamdiu adhuc debebo pati: Audi S. Auguſtinum: Per totam vitam Chriſtianus debet pendere in cruce, in hac vita enim non eſt tempus evellendi clavos. S. Job quindecim annis affligitur, & quidem omnibus morbis (enumerantur) nec tamen conqueritur. S. punct. 52. fol. 191.

Ille æger ad piſcinam triginta octo annis jacuit: Tu ſtatim impatiens es. *Fuge in Ægyptum & eſto ibi, uſque dum dicam tibi.* Clamat quis: Domine quamdiu adhuc patiar? uſque dum dicam tibi. S. punct. 52. fol. 192. ad finem.

*Letamini in Domino, & exultate & gloriamini omnes recti cordi.* Quinam ſunt recti corde? inter cor rectum, & Pſ. 31. diſtortum hæc differentia eſt: homo qui afflictionibus premitur, ſoli voluntati Dei omnia adſcribit, perverſi cordis homo ſe injuſte pati vociferatur, voluntatem Dei calumniatur &c. A. lect. 5. n. 14.

Nihil Deo acceptius, quam laudare ipſius regimen tanquam ſupremi Domini, quia ab impiis & blaſphemis nullum aliud attributum magis allatratur, quam ejus providentia: igitur ea laus erit Deo gratiſſima, quam ejus inimici maxime impugnant; hinc eſt quod hæc laus in cythara Sanctorum maxime reſonet. *Vera & juſta ſunt judicia tua.* Conſidera proinde, quantum Deo placeat in adverſis non tantum non conqueri, ſed ejus ordinationem laudare &c. Segn. Manna 26. Jul. n. 2.

Deus juvenili & inculto animo immittit adverſitates, ut ille 1. Puerilem levitatem, & vitia naturæ ingenita exuat. 2. Ut indureſcat ad fortia facienda & patienda, velut ſtomachus crudis dapibus enutritus. 3. Ut præparetur ac cruces ferendas pro gloria Dei, & animæ ſalute. C. Prov. 3. v. 12.

### 404. *Sunt ſtimuli Virtutis & devotionis.*

*Oculi noſtri ſemper ad Dominum, donec miſereatur.* Cur dicit *donec* miſereatur? nempe loqui videtur in perſona eorum, qui Deo ſerviunt ex timore flagellorum; ut mancipia; ſi ceſsat adverſitas, ceſsant etiam ipſi ſervire Deo. B. ſer. 85. n. 19.

Sicut cicada, dum non ardet, ſilet: ita multi quamprimum ab adverſitate liberi ſunt, tepeſcere incipiunt. S. punct. 28. fol. 163. & punct. 45. fol. 178.

Navis in medio mari jactabatur fluctibus, & tamen Chriſtus voluit præterire: Quare? S. Auguſtinus reſpondet, ſi ſtatim ſuccurriſset, diſcipuli non oraſsent: *Ut clamorem eliceret, cui ſubvenire oporteret.* S. punct. 1. fol. 3.

*Simulabat ſe longius ire*: Cur? S. Bernardus ait: ut audiret illud: *Mane nobiſcum Domine.* S. punct. 2.

Sicut cera non recipit figuram ſigilli, niſi prius præmolliatur: ita anima non recipit virtutem & gratiam, niſi prius tribuletur. C. Gen. 33. in fine &c.

Pretioſus lapis Heliotropia viridis coloris, & ſanguineis maculis conſperſus, ſi in aqua ponatur, ſole deſuper ſplendente, aquam ebullire facit. Sic adverſitas animum devotione & amore Dei accendit.

Candelabrum cum ſeptem lucernis ontra aquilonem poni debebat: an non ventus extinxit lucernas? Non! quia ventus tribulationum magis inflammat. S. punct. 28. fol. 125.

Fabri ferrarii ignem aqua conſpergunt, ut intendatur calor: ita adverſitas inflammat caritatem. S. punct. 41. fol. 172.

Palma ex ictu proficit: ita anima ex ictu adverſitatis. S. punct. 148. Huc facit illud: *Omnes qui placuerunt Deo, per multas tribulationes tranſierunt fideles &c.* Judith 8.

### 405. *A nobis ipſis ortum habent.*

Arbores inierunt conſilium, quomodo a ſtrage immunes eſse poſſint? Cedrus reſpondit: Nos ipſæ lignum damus ad manubria aſciarum, quibus ſternimur: ita nos peccatis noſtris cauſa ſumus noſtrarum afflictionum. B. ſerm. 68. n. 16. & ſeq. ſerm. 76. n. 11. Vide Titulum *Juſtitia Dei.*

Examinet quilibet ſuam conſcientiam, & facile deprehendet cauſam, cur arcano Dei conſilio adverſitatibus affligatur. S. Ephrem adhuc juvenis vaccam occidit ex petulantia: poſtea tanquam complex prædatorum in carcerem rapitur, ibi ab Angelo & a concaptivis edocetur, quam mirabiliter Deus peccata occulta puniat. Quamquam enim & ipſe & alii captivi non erant rei impacti criminis, tamen unus ob miſericordiam proximo denegatam, alter ob falſum teſtimonium, ille autem ob vaccam petulanter occiſam ſe ſentiebant puniri. D. 1. 83.



S. Athanaſ. ſer. de Paſſ. Dom. Sicut, ſiquis ignem manu jacere vult in hoſtem; prius ſuam ipſe manum adurit, ait S. Athanaſius: ita qui injuriam in proximum machinatur, aut Deum offendere cogitat, ſæpe malum ſibi ipſi irrogat. Exploret quilibet ſuam conſcientiam, deprehendet verum eſſe pronunciatum S. Auguſt. *Malorum omnium noſtrorum cauſa peccatum eſt.* C. in Habac. c. 1. v. 4. S. Aug. ſer. 175. de temp.

Regius Pſaltes ait: *Tribulatio & anguſtia invenerunt me, mandata tua meditatio mea eſt.* Qualis hæc connexio, a tribulatione ad mandata? Nimirum, quando ſe affligi a Deo ſentiebat, ſtatim ſe examinando meditatus eſt mandata, an non hujus vel illius tranſgreſſione hanc pœnam tribulationis a Deo commeruerit: propoſitum etiam adjunxit ſervandi deinceps præcepta, ut hanc tribulationem a ſe amoliretur &c.

### 406. *In adverſis fiducia ponenda in Deo.*

Chriſtus in cruce mori noluit, donec conſummaretur Scriptura ad ultimum apicem: Quid igitur dubitas de auxilio toties promiſſo? S. p. 22. f. 91. 92. p. 28. f. 124.

David circumdatus ab hoſtibus elabi non poſſe credebatur, niſi tanquam paſſer in montem evolaret, & ecce! nuntius venit, Regem Saul obſeſſum ab hoſtibus indigere opera eorum, qui cuſtodiebant Davidem. Alia vice a tela araneæ tegitur. S. punct. 28. fol. 124.

Deus ſtatim in auxilium venit, dum nos viderit in afflictione ejus auxilium implorare. S. punct. 38. fol. 163.

Ex. 14. *Dominus pugnabit pro vobis, & vos tacebitis.* Sic in arduis & arctis ſpes contra ſpem ponenda in Deo cum Abrahamo, dicendumque cum Pſalte: *Si conſiſtant adverſum me caſtra, non timebit cor meum.* Pſ. 26.

Multi in afflictionibus ad humana auxilia confugiunt. Sed male! ſperent potius in Deo. S. Petrus bis ſuper aquas ambulat, ut nudus mergitur, ut veſtitus non mergitur: mirum! potius debuiſſet contingere contrarium? Ratio eſt: quo magis nos ſecuros facimus, minus ſecuri ſumus. Deo ſoli competit auxiliari, non humanis conſiliis. S. p. 28. f. 125.

Gedeon dimittit milites, & tunc victoriam obtinet. S. Ib. Vide Tit. *Spes.*

Mons Moria, in quo Abraham filium ſuum Iſaac immolaturus erat, uſque hodie, dicit Moyſes, vocatur Mons, *Dominus videbit.* Ad hunc montem aſcendant omnes Chriſtiani in tribulatione afflicti, id eſt, in montem templi, in montem ſpei, in montem orationis, & Dominus providebit. C. Gen. 22. v. 14.

### 407. *Libenter pati Chriſtianum eſt.*

In cruce per totam vitam debet pendere Chriſtianus, ait S. Auguſtinus, non enim in hac vita eſt tempus evellendi clavos. S. punct. 52. fol. 191. & punct. 51. per totum.

S. Thomas Villanova ait, dulce eſt pati crucem, nempe ad conformitatem Chriſti. S. punct. 26. fol. 659.

*Accipe puerum, & fuge in Ægyptum.* Ubi Maldonatus: Videtur Ægyptus eſſe ſchola filiorum Dei, quia adoleſcere non poſſunt, niſi vexentur. S. punct. 50. fol. 190. & punct. 51. per totum.

Cum in monte Oliveti Petrus ſtricto gladio reſiſteret turbæ apparitorum, dixit Chriſtus: *Calicem quem dedit mihi Pater, non bibam illum?* Jo. 18. Mi Chriſtiane, cum ab aliqua adverſitate invaderis, appetitus ſenſualis ſtatim vices Petri agit, reſiſtit, reluctatur, mille rationes ſuggerit repugnantes: ſed tu noli altercari, dic tantum, calicem quem dedit mihi Pater, non bibam illum? & hoc gnome ſufficiet ad firmandum animum, ut ad exemplum Chriſti generoſe patiaris. Segn. Manna 21. April. num. 1.

Multi admirantur, cur Chriſtiani magis, quam infideles adverſitatibus premantur? Ratio eſt, quia pati Chriſtiana dos eſt. Neo-converſus Japonenſis multis tribulationibus preſſus ad gentiliſmum revertitur, & crucifixum cultro vulnerat. Sed ſuo malo; quia comperit, quod prolem ſibi natam eo vulnere occiderit. R. cent. 3. p. 2. mir. 13. Debuiſſet infelix ſcire, quod cruces & adverſitates ſint teſſera, & ſignum characteriſticum Chriſtianorum. Id poſtea didicit: hinc ad fidem, quam deſeruerat, reverſus eſt.

S. Jacobus Apoſtolus hortatur omnes Chriſtianos: *Omne gaudium exiſtimate fratres, cum in tentationes varias incideritis.* Jac. 1. Tentationes autem hic intelliguntur triplicis generis: 1. Tribulatio ſeu afflictio v. g. paupertas, fames, morbi &c. 2. Perſecutiones, quas fideles patiebantur a Judæis. 3. Incitatio ad peccatum, ſeu externa a dæmone, ſeu interna a concupiſcentia &c. C. Jac. 1. v. 1.

### 408. *Aperiunt oculos ad agnoſcendas veritates æternas.*

Proſpera mundi excæcant, ſicut nimia humorum copia, nimia pinguedo, nimius fulgor. Novit id optime David: *Ab altitudine diei timebo*, id eſt dum proſpere omnia ſuccedunt, *lumen oculorum meorum non eſt mecum*. Hic fulgor Salomonem excæcavit, ait Bern. Sed hanc cæcitatem corrigit adverſitas: filium prodigum fames revocat, quem ſaturitas expulerat, ait Chryſoſt. S. punct. 41. fol. 171.

O quot hominibus adverſitas fuit collyrium Apocalypſis, fel Tobiæ, & ſquammæ oculorum Pauli. S. p. 40. f. 170.

David ſuas illuminationes, quas in Pſalmis habet, fere omnes acquiſivit occaſione tribulationum. S. punct. 41. fol. 171. punct. 49. fol. 188.

*Pædagogus noſter tribulatio eſt*, ait Chryſ. *Bonum mihi, quia humiliaſti me, ut diſcam juſtificationes tuas*: O quot remanerent in cæcitate, niſi Deus ipſis oculos aperiret per aliquem caſum honoris, aut rerum jacturam. S. punct. 41. f. 172.

Regulus ad Chriſtum venit, dum filius infirmatur, in felicitate non veniſſet. S. p. 42. fol. 175. M. conc. 29. aſſ. 2. n. 11.

Qui tranquillo mari navigant, oculos ad cælum raro extollunt: at ſi tempeſtas ingruat, tunc clamant: *Domine ſalva nos*. Tribulatio eſt optimum remedium, ad ingerendam Dei cognitionem.

Quanto tempore Deus cor illius puellæ alloquitur, ut eam a perículoſo conſortio avertat, ab aſpectibus, riſu, & immodeſto veſtitu coerceat: fruſtra omnia! Quid facit? in lectum eam conjicit, tunc diſcet humiliari &c. Accipiter ſatur ad Dominum clamantem non redit, ſed famelicus &c. P. p. 2. diſc. 14. n. 19.

### 409. *Juſti ex adverſitate proficiunt, improbi depravantur.*

Rom. 5. S. Paulus de juſtis: *Tribulatio patientiam operatur, patientia probationem, probatio ſpem, ſpes autem non confundit*. E contra S. Bernardus de improbis: tribulatio parit puſillanimitatem, puſillanimitas perturbationem, perturbatio deſperationem, deſperatio interimit. S. punct. 46. fol. 179. (S. Bern. ep. 31.)

Ab Aquilone venire dicitur *malum*, & *aurum*: nimirum mali ex tribulatione malum, probi aurum colligunt, exemplum eſt S. Job & ejus uxor. S. Ib. f. 179.

In Jordane aquæ ſuperiores dicuntur intumuiſſe in montem, inferiores vero deſcendiſſe in mare mortuum: Aquæ ſunt tribulationes, quæ apud juſtos in montem meritorum excreſcunt, apud impios in mare mortuum fluunt: Quidquid in mare fluit, amareſcit. S. p. 46. f. 180.

Quæ diverſitas inter infernum & purgatorium? Reſpondeo in purgatorio eſt conformitas cum voluntate Dei, in inferno difformitas: ita quiſquis illibenter ſuſtinet tribulationes in hac vita, infernum habet: patienter autem ſuſtinentes habent purgatorium, quia purgantur a peccatis. S. punct. 117. fol. 359.

Deus permittit juſtos ab impiis affligi, ex variis rationibus: 1. Ut oſtendat ſuam celſitudinem, ſcilicet ſe his ſceleribus non pungi, nec turbari; ſicut ſol cloacas illuminans earum ſordibus non fœdatur: ita Deus ſceleribus impiorum non tangitur. 2. Ut piis det materiam patientiæ & virtutis; hinc S. Auguſt. *Juſtis, quidquid malorum ab iniquis illis irrogatur, non eſt pœna criminis, ſed examen virtutis*. 3. Ut oſtendat ſuam longanimitatem, qua impiorum longanimitatem exſpectat. 4. Ut demonſtret omnem mundi pompam & opes eſſe rem contemptibilem, etiam ſuis hoſtibus communem &c. C. Habac. c. 1. v. 4. (S. Aug. l. 4. de Civ. Dei c. 3.)

### 410. *Adverſitas maxima eſt ab adverſitate non emendari.*

*Aſa nec in infirmitate ſua quæſivit Dominum*, cum tamen infirmitas ei data ſit, ut quæreret Dominum. *Curavimus Babylonem, & non eſt ſanata*: Pharao induratus eſt, quia per plagas non emendatus. S. punct. 46. fol. 181.

Vis noſſe nulla pœna quanta ſit pœna, Davidem interroga: Is exclamat: *Irritavit Dominum peccator*: Quare? quia ſecundum multitudinem iræ ſuæ non quæret. S. punct. 46. fol. 181.

*Ne declines in ira a ſervo tuo*, clamat David: quaſi dicat: ne cæleſtis Medice tranſi domum meam. S. p. 50. fol. 190.

Si Medicina, prævalente vi morbi, ſuo effectu fruſtretur, ſignum eſt mortis. Si urbi obſeſſæ ſuppetiæ nullæ mittantur, aut ipſi milites præſidiarii cum obſidentibus clam conſpirent, actum eſt de urbe, certe paulo poſt in manus hoſtium deveniet. Ita parem in modum fit, ſi tribulatio, quam Deus in correctionem peccatoris mittit, ſine emendatione toleretur. Hinc S. Aug. ait: *Nemo gratuletur homini in proſperitate, cujus peccatis deeſt ultor, & adeſt laudator. Major hæc ira Domini eſt; irritavit enim Dominum peccator, ut correctionis flagella non patiatur*. C. in Habac. 1. v. 4.



### 411. *Permittuntur ad gloriam Dei.*

De illo cæco nato quærebant Apoſtoli: An ille, vel parentes peccarint? Reſpondit Chriſtus, neutrum: ſed ut gloria Dei manifeſtetur in illius ſanatione. Brev. Fer. 4. infra Dom. 4. Quadrag.

Lazarum non præſervavit Chriſtus a morte, ſed mori permiſit: Quare? S. Auguſtinus reſpondet: Diſtulit ſanare, ut poſſit reſuſcitare. Brev. Fer. 6. infra Dom. 4. Quadrag.

*Tritura mea, & filii areæ meæ*. Frumentum & grana trituratione excutiuntur, ſic Judæi ab Aſſyriis & Chaldæis fuerunt triturati, & excuſſi. Tribulatio eſt tritura, quæ nos filios areæ Dei, a paleis purgatos facit, ita ut dicere cum S. Ignatio Martyre poſſimus, *Frumentum Dei ſum, dentibus beſtiarum molar*. Per hanc trituram Deus ſibi comparat ſervos ſuos, juxta illud S. Auguſtini: *Nullus ſervus Chriſti ſine tribulatione eſt, ſi putas te non habere perſecutiones, nondum cæpiſti eſſe Chriſtianus*. C. Iſa. 21. v. 10. (Iſa. 21. — S. Aug. in Pſ. [illegible])

Sicut Mater filiolum in Eccleſia irreverenter circumſpicientem levi verbere admonet, ut oculos ad Altare convertat; ita Deus tribulatione monet Chriſtianum, ut in creaturis circumvagari deſinat, & animum in Deum erigat. Sic fatetur David: Tribulatio & anguſtia invenerunt me, mandata tua meditatio mea eſt.

Hebræi in Ægypto nonaginta annis duriſſima ſervitute affliguntur, cur? ut Potentia Dei in decem plagis manifeſtetur. C. Exod. 1. v. 10.

Innocens Joſeph a fratribus odio habitus, in ciſternam miſſus, & venditus eſt, ut hac occaſione veniret in Ægyptum, & ibi genti idololatræ prædicaret magnalia Dei. Omnia prodigia Moyſis ex hac perſecutione ortum traxerunt.

Filii Iſrael quanto magis ab Ægyptiis opprimebantur, tanto magis creſcebant, & multiplicabantur. Multi peccatores tribulationibus affliguntur, ut agnoſcentes culpæ ſuæ reatum, tanto ardentius pœnitentiam agerent. Filius prodigus forſan non rediiſſet ad patrem, niſi fame & inopia ad ſaniorem mentem fuiſſet reductus &c.

### 412. *Cauſantur a peccatis.*

Nautæ exonerant merces, ut alleviaretur navis, ait Hieronymus, & non cognoverunt onus eſſe fugitivi Prophetæ. Paralyticus ad Chriſtum ducitur, ut ſanaretur corporetenus, & Chriſtus ſanavit eum anima: S. Thomas ait: Removebat ægritudinis cauſam, ut poſt induceret ſanitatem. S. p. 44. fol. 176. Achab vulneratus eſt, non caſu, ſed Domino dirigente ſagittam. S. Ib. fol. 176. Fratres Joſeph furti accuſati ſtatim recordantur, ſe meritos fuiſſe hoc malum propter venditionem Joſeph. S. p. 160. fol. 517.

S. Ephrem innocenter incarceratus agnoſcit hoc ſupplicium ſibi provenire a Deo, quia in juventute tanquam petulans puer pauperis viri vaccam lapidibus ad mortem uſque perſecutus fuerat. D. 1. 83.

Nos ſæpe cauſam adverſitatum in conſanguineos, in dæmonem, in iniquam ſortem rejicimus; ſed revera peccatum earum fons eſt; *Juſtitia elevat gentes, miſeros autem populos facit peccatum*. Imperator Phocas palatium ſuum velut caſtrum obmunivit, ſed vocem audiit: *Si vel ad cælos muros educas, intus cum ſit malum, urbs captu facilis eſt*. P. p. 2. diſc. 12. n. 4. & 5. (Prov. 14.)

Quando Rex Antiochus infelici bello premebatur, & tota ejus fortuna retro cedebat, contriſtatus valde recogitavit priſtina peccata, inquiens: Nunc recordor malorum, quæ feci in Jeruſalem. Ita ſi te afflictio feriat, recordare peccatorum olim commiſſorum, quæ nunc Deus punit. (1. Mach. c. 6.)

Eccleſiaſticus ingentem malorum catalogum recenſet, quibus orbis vexatur: *Mors, ſanguis, contentio, romphæa, oppreſſiones, fames &c.* Quibus addit Cardinalis Hugo, hæc omnia veniunt ſuper homines, *propter iniquitates eorum*. B. ſerm. 38. n. 9. & ſerm. 65. (Eccl. 40. — Cardin. Hug. ibi.)

### 413. *Pati eſt glorioſum.*

Dies decima menſis ſeptimi, ut legit Origenes, erit vobis dies propiciationis. En! afflictio appellatur dies feſtus animæ. S. punct. 47. fol. 182.

Sancti glorioſum ſibi duxerunt pati, uti S. Joſeph, Apoſtolus Paulus &c. S. Ib. fol. 183.

Paulus in vinculis glorioſior videtur Chryſ. quam raptus in cælis. S. Ib. f. 183.

S. Apoſtolus Paulus de paſſionibus ſuis & ærumnis gloriatur: Ego vinctus in Domino &c. M. conc. 29. aſſ. 2. n. 12.

S. Chryſoſtomus mallet eſſe Petrus catenatus, quam Angelus ille, qui excitavit Petrum. M. conc. 29. n. 13.

S. Franciſcus cum fratre Leone tempore hyemali Aſſiſio ibat ad S. Mariam de Angelis, & in via hunc diſcurſum formabat: Frater Leo, licet fratres Minores dent ſanctitatis exempla, in hoc non eſt perfecta lætitia: Etiamſi illuminarent cæcos, & miracula facerent: etiamſi ſcirent omnes linguas & ſcientias: etiamſi noſcerent curſus ſtellarum, & virtutes herbarum: etiamſi omnes infideles converterent &c. in hoc non eſt perfecta lætitia. Quærente Leone in quo ergo ſit perfecta lætitia? Repoſuit: Si nunc in Monaſterio, quo pergimus, portarius nos excluderet, pro deceptoribus haberet, in brumali frigore per totam noctem relinqueret, portam non aperiret, injuriis oneraret, baculis abigeret, & omne malum nobis infligeret, nos autem hæc omnia mala patienter pro Deo toleraremus, hæc eſſet vera lætitia, nimirum pati propter Chriſtum & ejus caritatem; quia illa ſupra dicta non ſunt noſtra, ſed Dei: pati autem propter Chriſtum noſtrum eſt. E. *Lætitia* n. 1.

Chriſtus Dominus ſuo ſanguine & morte, imo ſua præſentia carceres & tormenta SS. Martyrum dulcoravit, uti S. Catharinæ, & aliorum &c.

*414. Non plures dantur quam homo ferre queat.*

Jeremias vidit *virgam vigilantem*, quia Deus non cæco modo, ſed *maximo cum judicio ferit, ut magnitudo pœnæ magnitudinem culpæ non ſuperet, nec adæquet*, ait Corn. a Lapide. B. ſer. 33. nu. 25. S. punct. 39. f. 167. *Corn. a Lap. in Jerem.*

Si virga tapetem percutias, pulverem dabit: An virga pulverem facit? Non: ſed tantum prodit latentem: ſic ſi adverſitas impatientiam tibi cauſat, non adverſitas hunc pulverem excitat, ſed prodit: B. ſer. 33. n. 25. S. p. 36. fol. 158. punct. 39. f. 167.

*Ligat aquas in nubibus*, ne ſimul omnes erumpant: Angeli tenebant, & moderabantur ventos: Deus ipſe tenet calicem, quem cuique propinat, non ſinit ipſi in manus bibenti, ne plus, aut minus bibat. Deus comparatur unicornio, hoc enim animal cornu, & oculos ſimul conjunctos habet, & dum ferit ſanat &c. S. punct. 39. fol. 167.

Quid conquereris? non ſolus fers crucem, ſed gratia Dei tecum: farinula Eliſei totam colocynthidæ ollam dulcorat: ſic gratia Dei dulcorat amaritudinem adverſitatis. S. punct. 27. fol. 660. M. conc. 27. aſſ. 1. n. 3.

*Fidelis Deus, qui non patietur vos tentari ſupra id quod poteſtis*: S. Ephrem ait: *Si enim homines ſuis jumentis non plus oneris imponunt, quam ferre queant, multo minus hominibus plus tentationum imponet Deus, quam ferre queant.* *1. Cor. 10.* *S. Ephr. ap. Corn. hic.*

Multi conqueruntur ſe ab adverſitate opprimi: Scis qua ratione alleviare poſſis tuam crucem? S. Bern. ait: *Reſpice ad culpam, quæ dimittitur, ad gratiam quæ immittitur, ad gloriam, quæ promittitur.* Segn. Manna 22. April. n. 2.

*Calicem quem dedit mihi Pater, non bibam illum?* En dicit, *Pater* non *Deus* dedit calicem: Quare? Ut diſcamus non turbari in afflictionibus, quia Deus caſtigando agit officium Patris &c. Segn. Manna 22. April. n. 3.

*415. Libenter pati eſt ſignum prædeſtinationis.*

Angeli Lothum ex incendio educentes apprehenderunt manum ejus: Abulenſis ait: *violenter*! ecce! quem manus Domini violenter apprehendit, ex incendio gehennæ evadit. B. ſer. 48. n. 30. & Ib. §. 7.

Sicut impatientia in adverſis eſt ſignum reprobationis: ita &c. B. ſerm. 3. n. 33. ſerm. 45. n. 26. S. p. 46. fol. 181.

Nihil eſt communius afflictis quam optare aliam, non hanc afflictionem. Chriſtus dixit *Calicem, quem dedit mihi Pater*, non dicit quem *dat* mihi Pater: ut indicaret hanc paſſionem jam ab æterno eſſe illi præparatam. Tu etiam mi Chriſtiane crede adverſitatem, quam pateris, eſſe a Deo præparatam jam ab ipſo electionis tuæ principio: Ratio eſt, quia jam tunc, cum te elegit ad gloriam, etiam media deſignavit, quibus eo te proveheret, & inter ea hanc moleſtiam quam pateris: ſi hanc excutias, forſan turbas totam ſeriem tuæ prædeſtinationis, & conſequenter te exponis periculo ſalutis amittendæ. Cur dicis malle te aliam afflictionem pati, quam iſtam? Erras: Hanc Deus præparavit ut medium tuæ ſalvationis, ipſe cognovit neceſſitatem tuam, menſus eſt fervorem, ponderavit vires, & his omnibus ſpectatis diſpoſuit ſuper te hanc crucem: *Potum nobis dabis in lacrymis in menſura.* Segn. Manna 22. Apr. n. 4. *Jo. 18.* *Pſ. 79.*

Deus hominibus juſtis adverſitates infligit, ut eos tam corpore quam anima ad ſubeundos labores & agones tanquam athletas induret; unde Seneca: *Deus bonos ut ſeverus Pater durius educat, vultque eos doloribus ac damnis robur colligere.* *Seneca l. de Prov.*



Veriſſimum eſt illud Gloſſæ: Tanto minus de flagello Dei murmurare debemus, quanto certius in eo pignus paternæ dilectionis tenemus. C. Prov. 3. v. 12. *Gloſſa in Prov. 3.*

Sancti Martyres quaſi privilegium habent ad cælum: adverſitates autem patienter toleratæ æquivalent Martyrio; nam ut ait S. Auguſt. *Carnem afflixiſſe, libidinem ſuperaſſe, avaritiæ reſtitiſſe, de mundo triumphaſſe, pars magna martyrii eſt.* *In anno Sacro 15. Nov. n. 3.*

*416. Præſervant a peccatis.*

Samſoni obviabat Leo in via prope vineas: Quare ibi? ne ad vinum vetitum (Nazaræus enim erat) manum extenderet, ait Villaregius. B. ſerm. 33. n. 34. *Jud. 14.* *Villareg. hic.*

Saul a Philiſtæis irruentibus impeditur a cæde Davidis. B. ſerm. 45. n. 23. ſer. 52. n. 11. ſerm. 78. n. 10. S. p. 42. f. 173.

Ille cæcus natus eſt non quia peccavit, ſed ne peccaret, melius erat illi eſſe cæcum ad ſalutem, quam incolumen ad damnationem. S. punct. 42. fol. 173.

Abimelech Saram non violavit impeditus morbo: hinc Deus ſæpe permittit fractionem cruris, aut brachii, ſicut permiſit Balaamo ex lapſu aſinæ, ut homo revertatur &c. S. p. 42. fol. 173. 174.

*Propter hoc, ecce ſepiam viam tuam ſpinis*: Deus ſepit & obſtruit vias peccatorum, cum eos a peccato, morbis, ærumnis, odiis, & perſecutionibus cohibet, vel ipſas occaſiones aufert. Sic Adamo ſuperbienti, ne ad lignum paradiſi revertatur, Cherubinum cum gladio oppoſuit. Libidinoſos coercet, dum occulta eorum delicta cum infamia prodit. Sic Iſraelitas fornicantes cum filiabus Moab per viginti quatuor millium internecionem compeſcuit. Sic guloſos ab ingluvie cohibet per paupertatem, aut morbos, ambitioſos per jacturam patronorum &c. C. in Oſee 2. v. 6. *Oſee 2.*

Sicut ſal præſervat carnes a putredine: ita tribulatio conſervat corpus & animam a concupiſcentia & peccato: imo tribulatio eſt diſciplina humani generis, ſine qua Deus nullam dat hominibus gratiam. C. Jac. 1. v. 1.

*417. Facile tolerantur exemplo Sanctorum, & Chriſti Domini.*

Job, & Lazarus erant miſerabiliter ægroti. Iſaac, Jacob, Samſon, Tobias erant cæci. Petronilla, Gregorius, Paula, Hildegardis, aliique ſemper erant afflictæ valetudinis &c. B. ſerm. 45. §. 7.

*Tranſivimus per ignem & aquam*, poſſunt omnes Sancti dicere in cælo. S. p. 148. fol. 460.

De Chriſto patiente ait Laurentius Juſtinianus: Quis pati renuat patiente Domino? Paſſio Paſſione vincitur: Dolorem ſervi dolor lenit Domini. S. p. 37. f. 774.

Moyſes itineranti populo ſæpe prælegi jubet vitam Jobi, ut ejus auditu ad ferenda adverſa animarentur. Joannes Rex Luſitaniæ ægrotum aulicum inviſens, cum cerneret eum ad ſumendam amaram potionem perſuaderi non poſſe, partem potionis bibit, & ſic ſuo exemplo ægrotum animavit &c. D. 5. 84.

Aquæ in mara amaræ dulcorantur per lignum a Moyſe injectum: ſic adverſitates dulcorantur per lignum crucis Chriſti. C. Exod. 15. v. 25.

*Ibant Apoſtoli gaudentes &c.* Ubi S. Chryſ. Eſt fortitudinis excellentiſſimus gradus, non tantum patienter, ſed lætanter quoque adverſitates ferre. Additque, hanc lætitiam eſſe omnibus ſignis & miraculis mirabiliorem. Chriſtianus a Gentilibus divexatus, cum interrogaretur, *quid Miraculi Chriſtus veſter, quem colitis, fecit?* Repoſuit: *Quod his, & majoribus, ſi intuleritis, non movear, nec injuriis offendar*! C. in Act. Ap. c. 5. v. 41.

S. Paulus exultat in vinculis, S. Laurentius in craticula. S. Vincentius in tormentis, S. Tiburtius in prunis, S. Theodorus toto corpore dilaceratus canebat: Benedicam Dominum in omni tempore. Sic Joannes Fiſcherus Epiſcopus Roffenſis ab Henrico VIII. ad mortem damnatus canebat Hymnum: Te Deum laudamus! &c. C. in Act. Ap. c. 5. v. 41. &c.

*418. Animæ ferunt varias utilitates.*

Primo: Faciunt, ut homo mundum contemnere diſcat. S. Laurentius Juſtinianus ait: *Mundus dum tot amaritudinibus cruciat, quid aliud, niſi ut non ametur clamat?*

Secundo: Avocant a periculis, quæ latent in proſperitate: ſicut hiems, ait Leſſius, in plantis conſervat calorem: ita adverſitas in anima devotionem.

Tertio: Expungunt peccata: hinc David: *Virga tua, & baculus tuus ipſa me conſolata ſunt.* Per Virgam & baculum intelligit adverſitatem. Domitianus Imperator inter ſpectacula baculos pro-

projicit in populum, in quibus latebat ſcheda magnæ ſummæ pecuniariæ: ita in adverſitate latet ſcheda æternæ retributionis. B. ſerm. 33. n. 38.

Quarto: Adverſitates ſunt medicina, qua Deus animam ſanat. B. ſerm. 63. n. 18. S. punct. 41. fol. 170.

Quinto: Adverſitates aperiunt oculos, quos ſæpe mundana proſperitas claudit. S. punct. 41. fol. 171.

Sexto: Adverſitates purgant, illuminant, perficiunt. S. punct. 41.

Septimo: Indurant, & confortant animum ad perferenda adverſa, & cruces quaſcunque. Sic Angelus luctatus cum Jacobo, & ab eo ſuperatus, ſpem illi fecit, quod fratrem Eſau inſidiantem pariformiter eſſet victurus; hinc dixit Angelus: *Si contra Deum fortis fuiſti, quanto magis contra homines prævalebis?* C. Gen. 32. v. 24.

Octavo: Sicut tribulationes ſunt teſtimonium, quod Deus recordetur mei; ita & in me continuo conſervant memoriam Dei. *Providebam Dominum in conſpectu*

Pſal. 15. Pſal. 24. 15. 78. *meo ſemper! Oculi mei ſemper ad Dominum, quoniam ipſe evellet de laqueo pedes meos!* C. in Thren. c. 3. v. 20.

### 419. *Adverſitas maxima eſt nullam habere adverſitatem.*

S. Hieronymus ait: *Magna ira eſt, quando peccantibus non iraſcitur Deus:* Quia nimirum pœnas in alteram vitam differt. B. ſerm. 68. n. 11. & ſeq. ſerm. 61. n. 21. 22.

Quos Deus amat, illos caſtigat: Ubi igitur caſtigatio deeſt, etiam amor deeſſe metuendus eſt. B. ſer. 76. n. 16. 27. ſeq.

Deſperata vita eſt, ſi medicus ægroto non amplius præſcribit medicinam. B. ſerm. 48. n. 16. 17. 21.

Vis noſſe, nulla pœna, quanta ſit pœna, ait S. Auguſtinus, Davidem interroga, qui ait: *Irritavit Dominum peccator:* Quare? quia *ſecundum magnitudinem iræ ſuæ non quæret.* S. punct. 46. fol. 181.

S. David rogat: *Ne declines in ira a ſervo tuo.* Quid rogas David? utique melius eſt, ſi Deus iratus declinet? nullo modo: ſi enim medicus prætergreditur domum ægroti, malum omen eſt: ita rogat David, O cæleſtis Medice, ne prætergredere. S. punct. 50. fol. 190.

Cauponem ſemper proſperum ubi S. Ambr. diverſabatur, terra una cum domo abſorbet. S. Ib. E. *Proſperitas* n. 1.

Deus minatur: *Ira magna iraſcar.* Ubi Hieronymus: Magna ira eſt, quando peccantibus non iraſcitur Deus: nunquam magis iratus fuit urbi Jeruſalem, quam cum dixit, jam non iraſcar tibi. Medicus cum curare deſinit, deſperat. S. p. 50. fol. 190.

Bene Seneca ait: Nihil infelicius eo, cui nihil accidit adverſi ... quia nimia felicitate torpeſcit, quem tranquillitas, velut in mari lento detinet: Et Epictetus Stultus, ſi proſperitatis voluptate nimium fruitur, ſtultior efficitur. C. in Habac. c. 1. v. 4. Senecæ lib. de Provid. Epict. in Enchir.

## Morbi

### 420. *Animæ multum proſunt ad Virtutem.*

SUnt officina virtutis: de S. Job ait Auguſtinus: *O quam ſuavem ſonum dedit*, dum a Deo erat percuſſus. Campana ab artifice fuſa non ſtatim in turri ſuſpenditur, ſed prius exploratur ſonitus: ita Job ait: *Manus Domini tetigit me*, &c. B. ſerm. 33. num. 40. ſerm. 21. §. 4. ſerm. 78. n. 10.

Regulum traxit Deus per infirmitatem filii, qui in felicitate non venerat. S. punct. 43. fol. 175.

Sicut ſi fur delictum negat, judex afferri curat tormenta, ut confeſſionem extorqueat: ita Deus infirmitatem, febrim mittit: O quam multi tunc clamant: cito veniat Confeſſarius &c. S. p. 43. fol. 176. S. Greg. ait: foris verbera admovet, ut intus vulnera ſanet. S. Ib. f. 176.

Beatus Benjamin, a Deo habuit gratiam ſanandi infirmitates: quamvis ergo graviſſima hydrope laboraret, ita ut propter tumorem corporis per octo menſes ſemper latior ſella illi deberet ſupponi, noluit tamen prodigioſum oleum ſibi ipſi applicare, ut non perderet meritum patientiæ. Cum mortuus fuit, janua debuit dilatari ob tumorem corporis, ut poſſet efferri. E. *Tentatio* n. 5.

Bleſilla febri tacta didicit ſæculum, ejuſque pompas faſtidire, ait S. Hieronymus: Antea moroſius ornabatur, & tota die, quid ſibi deeſſet, ad ſpeculum explorabat: nunc ad orandum feſtina conſurgit, & Deum laudat. Flectuntur genua ſuper nudam humum! pulla tunica minus, cum humi jacuerit, ſordidatur, &c. C. Iſa. 38. n. 3. S. Hier. ad Marc. ep. 19.

*Anima morbo affecta Deo propinquior eſt*, ait S. Greg. Nazianz. Ita Senex diſcipulum infirmum hortatus eſt: ſi ferrum es, per ignem æruginem amittis! ſi aurum es, per ignem probatus ad majora procedis. Suſtine & roga Deum, ut quæ ipſe vult, illa concedat. C. 2. Cor. cap. 12. v. 9. Item Eccli. 38. v. 9.



### 421. *Sunt medicina Dei ad purgandas animas.*

In infirmitate avarus evomit divitias, quas devoravit: quando alias reſtituiſſet? Auguſt. ait de morbo: videtur pœna, &

Job 33. ruina, & eſt medicina. S. p. 41. f. 170.

*Increpat per dolorem in lectulo.* Hic per ignem febrilem extinguitur ignis concupiſcentiæ: ante ſtomachus nauſeabat Sacramenta, verbum Dei: nunc nauſeat recreationes, & carnalia: diſcit orare, cum Deo loqui, & ſæpe redit ad primam innocentiam. S. punct. 41. fol. 172.

Bos ille laſſus in Cherubin mutatus eſt: ita multi ex laſſitudine mutantur in Angelos. S. Ib. fol. 172.

Sicut Medicus corporalis, ita Deus agit: *Medicus calores caloribus onerando compeſcit, & ardores ſitis macerando reſtringit*, ait Tertull. M. conc. 27. aſſ. 1. n. 8.

Angelus deturbavit Balaamum aſina, & per aſinam erudivit: Aſina corpus eſt, quod dum febre cadit, ſpiritum erudit.

Pſal. 21. S. punct. 98. fol. 297. & ſeq.

*Factum eſt cor meum tanquam cera liqueſcens:* Cera liqueſcit, ut aliam formam recipiat: ita Deus febrim mittit &c. M. conc. 12. aſſ. 3. n. 5. conc. 23. aſſ. 3. C. Eccli. 38. v. 9.

Converſus quidam inconſtans trinis omnino vicibus e Monaſterio Clarevalle profugit: tandem vero contrito corde & quotidianis planctibus pœnitentiam agens, ſe Divinæ Juſtitiæ ad quæcunque ſupplicia obtulit. Percuſſus ergo ulcere peſſimo, apoſtemate canceroſo, per aliquot annos decumbens acutiſſimos dolores paſſus, tandem ita purgatus eſt, ut in articulo mortis prægustata cæli dulcedine ſuaviter cantare cæperit. E. *Inconſtantia* 2.

Nobilis quidam ſceleſtiſſimus, infirmitate correptus, iniqua bona reſtituit, & jugibus lacrymis peccata deflens, corpus mortificavit. Qua pœnitentia adeo placuit Deo, ut etiam prophetiæ donum adeptus, mala impendentia Thuringiæ prædixerit. E. *Mors* n. 17.

### 422. *Non conquerendum de diuturnitate aut gravitate.*

S. Job quindecim annis patitur, & quidem omnes morbos: ille æger triginta octo annis jacuit ad piſcinam: Lazarus miſerrime affligitur: Tu ſtatim conquereris: Domine, quamdiu adhuc patiar? *Fuge in Ægyptum, & eſto ibi, donec dicam tibi.* Noli quærere quamdiu? *Donec dicam tibi.* S. punct. 52. fol. 192.

Deus in arca Noe clauſit oſtium foris, ut egredi non poſſint, donec Deus volet. S. Ib. fol. 193.

Sponſæ terrenæ, ne ſponſum contriſtent, o quot dolores perferunt: Tu vero, inquit S. Thereſia, ut cæleſti ſponſo placeas, non fers patienter &c. S. p. 126. f. 397.

Vir fidelis & prudens per integrum annum doloroſiſſime decumbens rogavit a Deo mortem. Angelus autem dedit illi optionem, an adhuc integro anno infirmari, aut tribus diebus in purgatorio pati malit. Æger elegit ultimum: verum poſt unam diem, putans ſe jam ſæculo ardere indoluit errori, & Deo permittente ad corpus reverſus anno integro lætanter decubuit. E. *Infirmitas*, n. 7.

Dominæ cuidam, olim pulcherrimæ, nunc autem lepra deformatæ, compatiebatur Epiſcopus, illa autem cum riſu repoſuit: Domine, ſi captivus ſciret, brevi muros ſui carceris collapſuros, nonne gauderet? Ecce! anima mea captiva eſt in hoc corpore, quidni ergo gaudeam, dum illud corruit, ut anima ad Creatorem ſuum abeat. E. *Infirmitas* n. 18.

### 423. *Expeditius ſanatur a Deo, quam a Medicis.*

Illa cæca, dum ad S. Hilarionem ducitur & conqueritur, ſe omnem ſubſtantiam in Medicos expendiſſe, a Sancto reſponſionem recipit: ſi quæ in Medicis perdidiſti, dediſſes pauperibus, curaſſet te verus Medicus Jeſus. S. punct. 126. fol. 397. D. 4. 54.

Hæmorrhoiſſa omnia ſua in Medicos expendit fruſtra: dein in fimbria Chriſti ſanatur. S. punct. 29. fol. 126.

Ægyptios nulla herba ſanavit contra morſus muſcarum: *Sed tuus Domine ſermo.* Quid igitur confidis in unctionibus, balſamis, & eſſentiis? Aſa mortuus eſt, quia potius in Medicorum arte, quam in Deo confidit. O quam multis dicitur: ſuper lectulum, quem aſcendiſti, non deſcendes, quia ad Ariolos, Pythoniſſas, & ad Deum Accaron confugiunt, &c. S. punct. 29. fol. 127.

Hinc univerſim ſuadetur ægrotis, ut quantumvis patiatur corpus, animam in ſublime tollant, & cogitationibus converſentur cum Deo. S. Paula in morbis & infirmitatibus unita cum Deo frequen-

ter dicere ſolebat: *Sicut ſuperabundant in nobis Paſſiones Chriſti, ita & per Chriſtum abundat conſolatio noſtra &c.* Eccl. 38. v. 9.

Multi adhibent remedia ſuperſtitioſa: ſed male! quis enim bonum aliquod ſperet a dæmone: ſanat quidem corpus, ſed ut animam auferat. *Porrigit pomum, & ſurripit Paradiſum.* Si peccatum in orbem invexit omne malum, & dæmon fuit peccati occaſio, quis nunc ſperet quod peccatum dæmoni junctum in ædes inferat aliquid boni? Ne ſpera hoc, ſed potius illud monitum attende: *Fili in infirmitate tua … ora Dominum, & ipſe curabit te &c.* P. p. 1. diſc. 4. n. 21. C. Eccli. 38. v. 9.

Quidam Droſſartus pauperum oppreſſor infirmatus vocavit Medicum: iſte cum eſſet Vir timoratus, agnoſcens morbi gravitatem, ſuaſit infirmo, ut prius animæ quam corporis curam haberet, ut ſi forſan peccatum cauſa eſſet ægritudinis, ſublata radice tanto facilius valetudo corporis rediret. Verum æger inſolenter Medico exprobrare cæpit: Medicum te vocavi, non Confeſſorem. Ex eo autem tempore cum Droſſartus ad agonem vergeret, tota arx contremuit, auditusque eſt armorum ſtrepitus & pugnantium clamor, ut paſtores, ea hora ad arcem venire ſoliti contremiſcerent: edocti autem ſunt a quibuſdam arcem ingredientibus, ſtrepitum a dæmonibus excitatum fuiſſe, qui infelicem morientis animam ad infernum deduxerunt. E. *Mors* n. 26.

Princeps ille Synagogæ redivivam petens filiam in ſolo Deo confidit. S. Ib. f. 127.

S. Auguſtinus laudat Chriſtianos, quod in capitis doloribus adhibeant Evangelium S. Joannis, & non ad ligaturas, & ſuperſtitiones recurrant. D. 9. 31.

424. *Cauſantur a peccatis.*

Nautæ merces exonerabant, ut alleviaretur navis, & non cognoverunt, ait Hieronymus, eſſe onus fugitivi Prophetæ: multi exacuant per Medicos malos humores, & cauſa infirmitatis eſt fugitiva voluntas. Paralyticus ad Chriſtum ducitur, ut corpore tenus curetur, & Chriſtus curavit animam. S. Thomas ait: Removebat ægritudinis cauſam, ut poſt induceret ſanitatem. S. punct. 44. fol. 176.

Achab vulneratus eſt non caſu, ſed Domino dirigente ſagittam. S. Ib. f. 176.

Antiochus tam purulenta contagione conſumptus eſt, ut ejus fœtorem ſufferre non potuerit exercitus. Quare? Punitus eſt ob graviſſima ſcelera: ipſum illius corpus debebat eſſe carnifex ſceleratiſ. Pari modum luctuoſiſſima mors Herodem infanticidam, & Diocletianum tyrannum abſtulit, ac lento martyrio confecit. A. lect. 10. §. 10.

S. Simeon ſalus agricolæ oculorum doloribus ægro ſinapium in oculos inſperſit, cum augeretur dolor juſſit ut oculos aceto lavaret: lavit ille, & omni oculorum malo liberatus eſt: ecce! ajebat tunc Sanctus: jam ſanus factus es, deinceps deſine vicino tuo oves prædari. Nempe hoc furtum ovium erat cauſa ophtalmiæ. D. 1. 69.

Deus Oziam Regem Sacerdotium invadentem lepra percuſſit: Æque ac Mariam ſororem Moyſis ob murmur. Jeroboam Regem idololatrantem, & manum extendentem in Prophetam ariditate mulctavit. C. Eccli. 38. v. 10. 2. Paral. 26. Num. 12. 3. Reg. 13.

425. *Patienter tolerantur a Sanctis.*

Quædam pulcherrima Virgo lepra percuſſa, cum Epiſcopo lacrymas exprimeret, cum riſu reſpondit: Domine, ſiquis incarceratus eſſet eo pacto, ut non ſit exiturus, donec muri collaberentur: nonne rideret, ſi muros videret corruere? S. punct. 47. fol. 184. 185.

S. Job plenus erat ulceribus, ſolatii & auxilii expers, omnes illum illudebant, conſpuebant: nil præter teſtam habuit, qua ſaniem radebat. Alii dicunt, quod in teſtulis ſe volutarit ad augendum dolorem. Vermes e putredine excidentes repoſuit in ulcera: vermes autem erant dæmones, ait Origenes &c. S. p. 106. f. 308. & ſeq. p. 139. fol. 439. in fine.

S. Bona vermes ex ulcere ſcaturientes reponit, cum unus eorum in manû S. Dominici in unionem vertitur, triſtatur, & ecce dum eum in ulcus reſtituit, in vermem iterum migrat. Sanch. 6. p. c. 8. fol. 803. Vide etiam Titulum *Patientia Sanctorum.*

B. Fina Virgo Florentina doloroſiſſima paralyſi occupata immobilis jacet, non in lecto, ſed in nudo aſſere. Quinque integris annis in dextra parte jacuit, non potuit unicum membrum movere, ob defluens tabum etiam aſſeris lignum putrefactum, & putrida caro ligno agglutinata eſt. Præterea vermes uſque ad inteſtina ſerpebant, & mures jacentis carnes arrodebant: non habebat unicam perſonam, quæ hæc animalcula abigeret, &c. Et tamen ſereno ſemper vultu nec unicum fundebat gemitum, cum eleemoſynæ illi mitterentur, ajebat ſe nimis laute haberi, & quod



quod illa in ſuos uſus non habebat neceſſarium, pauperibus dari volebat, &c. R. 1. cent. 2. par. mir. 26.

Leproſus inventus in ſilva dulciter cantabat: Quæſitus quare? Repoſuit: Quia video parietem lutoſum, qui inter me & Deum eſt, nempe corpus meum confringi, ut anima mea libere ad Deum evolet. E. *Infirmitas* n. 21.

S. Franciſcus in infirmitate orabat ad Deum: Gratias tibi ago Domine de omnibus infirmitatibus meis, tua ſancta voluntas eſt mihi conſolatio ſuperflua, &c. C. Eccli. 38. v. 9.

426. *Adducunt ad pœnitentiam.*

Pſal. 37. *Sagittæ tuæ infixæ ſunt mihi, & confirmaſti ſuper me manum tuam.* Hæc verba loquitur David in Pſalmo, qui unus de pœnitentialibus eſt: vult dicere: ſicut venator cervam, aut capream ſagitta ſiſtit: ita cum ego peccator a te Deo meo fugitivus recederem, tu ſagittis ſtitiſti fugam, & *confirmaſti ſuper me manum tuam.* Hoc itaque Deus facit, peccatores ſagittis ſauciat: hunc ferit in renibus ſuſcitando atroces calculi dolores, illum in oculis afferendo cæcitatem, alium in auribus efficiendo ſurdum, alium in manibus condemnando ad chiragræ moleſtias: & ſic obtinet, ut horum quilibet ſe Deo ſubjiciat. Segn. Mann. 18. Maji n. 1.

Dioſcorus pantomimus pro ſanitate ægrotantis filiæ vovet ſuſceptionem baptiſmi: filia ſanatur, at ille deficit promiſſo: percutitur ergo cæcitate, & ecce iterum renovato voto oculorum uſum recipit, ac baptiſmum ſuſcipit. At quoniam in addiſcendis fidei rudimentis deſes erat ac negligens, paralyſi punitur, ſicque a Deo per morbos quaſi vi compellitur ad vitam pie Chriſtianam. Ita hodiedum interdum fit: vexatio dat intellectum, &c. D. 7. 77.

Quatuor ſunt officia ægrotantis: 1. Ut clamet ad Deum, & ejus voluntati ſe totum reſignet. 2. Ut conſcientiam purget per pœnitentiam. 3. Ut peracta pœnitentia offerat Deo Sacrificium pro ſalute ſua, id quod in nova Lege maxime fit per SS. Euchariſtiam. 4. Denique, ut locum det Medico; Deus enim homini non vult largiri ſua beneficia, niſi homine cooperante. C. Eccli. 38. v. 9. & ſeqq.

Præpoſitus quidam luxurioſe vivebat: habuit autem pientiſſimam Matrem, quæ ſine fine Deum pro illo rogabat. Et ecce! percuſſus lepra, in ea infirmitate mirabilem pœnitentiam egit, & pie mortuus eſt. E. *Infirmitas* n. 17.

Miles in via a ruſtico luto conſperſus eidem ruſtico pedem amputavit. Factus dein Monachus quotidie peccata ſua, præſertim hanc ruſtici mutilationem planxit, dicens: niſi in me ſigna Jobi videro, non poſſum concipere ſpem ſalutis. Exaudivit illum Deus; quippe pes illi computruit, eum in modum, quo ruſticum mutilavit. E. *Tentatio* n. 9.

Chriſtus ipſe ad ægrotum dixit: Ecce ſanus factus es, jam noli peccare. Et S. Baſilius ait: *Morbi ſunt flagella peccatorum, ut vitam noſtram in melius commutemus.* C. Eccli. 38. v. 9.

427. *Patienter ferendi exemplo Chriſti & Sanctorum.*

Moyſes itineranti populo prælegi ſæpe jubet vitam Jobi, ut ejus auditu ad patientiam animarentur. Juſtus Lipſius letaliter ægrotus, cum amici illi loquerentur de patientia Stoicorum, de qua prius ille librum ſcripſerat, digito intendens in Crucifixum, ajebat: Hæc eſt patientia Chriſtiana. Joann. Rex Luſitaniæ, cum cerneret aulicum ægrotum ad ſumendam amaram potionem perſuaderi non poſſe, partem potionis ſumpſit, & ſic ægrum animavit.

Quidam amicus, ut amico fractionem vitioſi dentis perſuaderet, dentem ſanum ſibi effringi permiſit. Ita in morbis debemus animari exemplo Chriſti, & Sanctorum. D. 5. 84.

S. Paulus Eremita alios ſanabat oleo, non autem ſeipſum, ne meritum patientiæ perderet. Quidam æger convaleſcens flevit, dixitque ad Deum, an ergo non amplius dignus ſum pati pro te, &c. Sanch. 6. par. c. 8. f. 803. & ſeq. Vide etiam Titulum *Patientia Sanctorum.*

Ven. Magdalena de Urſinis continuis doloribus afflicta conqueſta eſt erga Crucifixum. Somno deinde correptam Crucifixus apparens hortatus eſt ad Crucem ferendam. Dicente autem illa: Domine tu tantum per tres horas in Cruce pependiſti, ego jam tanto ac tanto tempore! Repoſuit Chriſtus: Ingrata! a primo vitæ momento Crucem ſuſtinui! qua correctione animata illa optavit cruces & dolores. T. n. 207.

428. *Præſervant a peccatis.*

Rex Abimelech rapuit Saram Abrahæ uxorem, & tamen non violavit: Cur? Joſephus ait, impediebatur morbo gravi, & Medicis ignoto. S. punct. 42. f. 173.

Deus

Deus ſæpe permittit infortunium, fractionem cruris, dolorem ſtomachi, uti Auguſtino contigit, ut ad baptiſmum properaret. S. punct. 42. fol. 174. M. conc. 23. aſſ. 3. C. Eccli. 38. v. 10.

Elias timet, dum Jezabel mortem minatur: Ecce! timor Domini in cor venit, dum Deus mortem minatur per morbum, &c. M. Ib. n. 6. 7.

Ruffin. in Vit. PP. l. 3. Pacomius cum a diſcipulo pro impetranda ſanitate rogaretur, repoſuit: *Rem tibi neceſſariam cupis abjicere: Ut enim corpora nitro abluuntur ſordibus, ita animæ languoribus aliiſque caſtigationibus purificantur.* D. 4. 54. Et 5. 63.

Quædam Deo devota Virgo inſidiis impuri lenonis peſſime depravatur, ita, ut ex Monaſterio fugere decreverit. Dum fugit, a Beata Virgine admonetur, ut reverteretur, & cum admonitioni non paret, ecce! Chriſtus crucifixus e cruce deſcendens fugientem inſectatur, eique clavum in faciem projicit, ut ægra in terram procumbens gradum ſiſtere debuerit: reſipuit, & pœnitentiam egit. R. 1. par. mir. 6.

Infirmus moriturus, omnibus membris ſuis, oculis, auribus, ori, cordi, aliſque grates rependit, quod mundi vanitatibus non inhiarint, ſed morbum patienter toleraverint, ſicque immunes vixerint a peccatis propter Deum, & animæ ſalutem. E. *Infirmitas* n. 19.

Sigiſmundus Cæſar interrogavit Theodoricum Archiep. Colonienſ. prudentia & ſanctitate illuſtrem, quæ via recta ad cælum duceret? Reſpondit ille: *Si vitam tuam ita inſtitueris, uti propoſuiſti, dum calculus, aut podagra, aut alius gravis morbus te oppreſſit.* Morbus adducit ad meliorem vitam. C. Iſa. 38. v. 3.

### 429. *Compeſcunt audaciam peccatoris.*

David foribundo Sauli ſcyphum, & haſtam abſtulit, cum vitam potuiſſet adimere: unde ille expergefactus agnovit beneficium, & reconciliatus eſt Davidi: O quoties, dum Deum offendimus, ille unico ictu potuiſſet nos mittere in gehennam? ſed tantum ſcyphum voluptatum abſtulit. S. punct. 42. f. 174.

Morbus etiam potentes & reges humiliat: hinc enigma illud de tribus fortiſſimis, ferro, fabro, & febre: ferrum forte eſt, quia omnia diſcindit: faber fortior eſt, quia ferrum cudit: febris fortiſſima eſt, quia etiam fabrum ſternit. Antigonius a morbo convaleſcens ajebat: Hic morbus admonuit nos, ne animo efferamur, cum ſimus mortales. C. Iſa. 38. v. 3.

Alex. Magnus ita ſuperbiit, ut ſe ipſum Deum faceret: cum autem in morbum incidit, & Medicus illi ſorbitionem imperaret, ridens Philoſoph. Anaxarch. ajebat: *En, Deo noſtro omnis ſpes in ſorbillatione patellæ poſita eſt!* Nempe morbus docuit ſuperbientem, ſe eſſe mortalem. C. Iſ. 38. v. 3.

Si filius familias pecuniis abutitur ad luſus & petulantias, Parens illi denegat, & ſubtrahit nummos: ita ſi homo a Deo creatus valetudine corporis abutitur ad ignominiam creatoris, Deus illi adimit ſanitatem, & illum in lectum conjicit. O quoties petulans peccator contra Dei & Eccleſiæ præcepta cervicem erigit, cum autem Deus per ægritudinem illum humi proſternit, clamat cum Saulo humiliato: *Domine, quid me vis facere? &c.*

Præclare Plinius Secundus ad Maximum: *Nuper me cujuſdam amici languor admonuit, optimos nos eſſe, dum infirmi ſumus. Quem enim infirmum aut avaritia, aut honor ſollicitat? non amoribus ſervit, non appetit honores, opes negligit, & hominem ſe eſſe meminit, &c.* C. Eccli. 38. v. 10.

## Mors amicorum, filiorum &c.

### 430. *Temporalis non deflenda, ſed æterna.*

David ſobolem ex adulterio natam non deflevit, ſed Abſalonem, ait S. Hieronym. *David juſte flevit filium parricidam, qui alium parvulum, quem ſciebat non peccaſſe, non flevit.* B. ſer. 5. n. 9. S. Hier. ep. 25. ad Paul.

Chriſtus Viduæ in Naim dixit: *Noli flere*, ubi S. Auguſt. *Si filius cujuſquam moriatur, plangit illum, ſi peccet, non plangit.* B. ſerm. 24. n. 33. S. Aug. Pſalm.

Elias poſtquam filium Viduæ Sareptæ excitavit, *depoſuit* eum in cœnaculum: Ecce! filii ſunt tantum *depoſitum*, quod utique a Domino repeti poteſt quando vult. B. ſerm. 35. n. 16.

S. Athanaſia mortem duorum filiorum in templo S. Juliani amare deflebat, apparuit autem illi S. Julianus dixitque: Cur defles id, quod Deus ſecum in cælo habet? funde potius lacrymas ſuper peccata tua, &c. Sanch. 5. par. c. 10. f. 621.

S. Lydvvina inter orandum cæleſtibus viſionibus frequenter recreari ſolebat; cum autem mortem fratris immoderate defleret, his gratiis deſtituta fuit. Sanc. 7. par. c. 3. f. 958.

Mater quædam Diuvenſis in India mortem utriusque filii, qui urbem contra Solimanni, ac Turcarum inſultus generoſe defenderant, heroico animo perfert. R. cent. 3. p. 2. mir. 11.



Quis indignatur commodanti equum, dum illum veſperi repetit? ita quis Deo ægre feret, ſi ſua repetat, &c. P. p. 2. diſ. 14. n. 9.

Magna eſt differentia inter calicem argenteum, & vitreum confractum: de primo fruſta argentea facile in aliud vas pretioſum conflari poſſunt, fruſta autem vitrea in plateam ejecta pedibus conculcantur. Ita ſi amicus aut filius candore & innocentia fuit argentum, deplorandus non eſt: verum ſi fuit vile, & fragile vitrum, tunc lacrymis dignus eſt, &c.

### 431. *Cur in tenera ætate a Deo inſligatur.*

Moriuntur præmature liberi 1. Ut Deus puniat culpas parentum: Davidis *parvulus juſte patiebatur, quia pater ejus, cujus erat pars, juſte puniebatur*, ait Abulenſis.

2. Quia Deus ſæpe abrumpit nimium amorem parentum: Cur Abrahamo Iſaacum ſacrificaturo obſtat Angelus, non vero Jephte ſacrificanti filiam? quia primus liberrime Deo obtulit filium, alter coacte &c. B. ſer. 32. n. 39. & ſeq.

3. Ait S. Chryſoſtomus, ad bonum filiorum, quia Deus prævidet eos perverſos fore; infantes ab Herode occiſi ſunt permittente Deo, alias enim tempore Dominicæ Paſſionis in ætate adulta citra dubium conſenſiſſent in necem Chriſti. B. ſerm. 32. n. 40. 41.

4. Quia filii ſunt merum *depoſitum* Dei: Elias reſuſcitatum puerum *depoſuit* in cœnaculum. Depoſitum repeti omni tempore poteſt. B. ſer. 35. n. 16.

5. Ut parentes liberentur ab inordinato affectu: ita Melania perditis marito & filiis ad Chriſtum cucurrit, dicens: nunc expeditior tibi ſervitura ſum. S. punct. 41. f. 270.

6. Ut tentetur virtus parentum: Cur Rachel inducitur plorans & non Lia, cujus filii fuerunt occiſi? Reſpond. quia ſorori invidit ſuam felicitatem, intelligens quam glorioſum ſit in cæde filior. tentari. S. punct. 47. fol. 183.

In primo vere arantur agri, non ut jam nunc, ſed pro autumno ad ſemen recipiendum diſponantur. Cur tam mature? ut lolium & urticæ dum adhuc teneræ ſunt, eradicentur, & non nimis invaleſcant. Sic Deus ſæpe juvenes abripit in tenera ætate; quia prævidet, ſi adoleſcerent, agro Eccleſiæ nimis eſſent nocituri, &c.

### 432. *Non immoderate deploranda eſt.*

In Epiſcopatu Leodienſi eruuntur e terra lapides ad ignem idonei, qui vocantur carbones Leodienſes. Carbones illi, ſi ſemel ignem concipiant, oleo quidem extinguuntur, ſed aqua vires recuperant. VV. art. diſc. font. 48. ex. 10. Sic tu defunctorum animabus, ſi forte in purgatorio ardeant, non aqua lacrymarum debes ſuccurrere, quæ nihil prodeſt, ſed oleo caritatis: hoc extinguitur ignis.

Mater Machabæorum: S. Felicitas: S. Symphoroſa, & aliæ Matres intrepide aſpexerunt martyria filiorum. S. Melania, ubi Maritum & duos filios una die perdidit, ad Crucifixum accurrens dixit: Jam expeditius tibi ſervitura ſum Domine; quia tanto onere me liberaſti. Taceo exempla Gentilium, Anaxagoræ & Telamonis ſemper laudata fuit ſententia: ſciebam me genuiſſe mortalem, &c. C. Lev. 21. v. 5.

Pia Matrona Sancto Varo Martyri ædificavit templum, rogavitque, ut ſibi a Deo illud beneficium impetraret, quod ſibi eſſet utiliſſimum. Paulo poſt mortuus eſt unicus illius filius. Cumque illa inconſolabiliter fleret, apparuit illi S. Varus, & dixit, hoc eſſe illud beneficium illi utiliſſimum. N. 19. Oct.

Anaxagoras audita filii morte apud Trojam, repoſuit: *Sciebam me mortalem genuiſſe, & eum ad mortiferum bellum, non ad epulas miſiſſe.* Admiranda ſunt, hac in re, tam Gentilium, quam Fidelium exempla: Lacæna cum filium interfectum bello audiiſſet, dixit: Idcirco eum genui, ut eſſet, qui pro patria non dubitaret mori, &c. S. Job filiis orbatus, reſpondit: Dominus dedit, Dominus abſtulit! Mater Machabæorum, S. Symphoroſa, S. Felicitas, S. Sophia & aliæ Matres, quanta generoſitate Martyria filiorum aſpexerunt, imo ipſæ promoverunt, &c. C. Ezech. 24. v. 18.

S. Paulinus ſolatur Pammachium lugentem ob mortem uxoris ſuæ Paulinæ, quæ erat filia S. Paulæ. S. Hieronymus conſolatur Theodoram lugentem propter obitum mariti ſui Lupicini. Moderandus igitur luctus ad exemplum S. Auguſtini deflentis mortem Matris ſuæ, & aliorum Sanctorum. C. in Eccli. c. 38. v. 28.

Pau-

## Paupertas.

### 433. *Eſt beneficium Dei, prodeſſe volentis.*

DEus te privat divitiis, quia forte prævidet te ſceleratum futurum: Rebecca omnem movit lapidem, ut filium Eſau hereditate paterna excluderet: Quare? quia vidit hominem eſſe peſſimi genii, qui divitiis in ſuam perniciem eſſet abuſurus. B. ſer. 33. n. 39. Ser. 21. §. 7.

Deus tanquam Medicus hirundinem admovet, ut vitioſus ſanguis exſugatur. B. ſer. 64. n. 16.

De filio prodigo inquit Chryſoſtom. fames revocat, quem ſaturitas expulerat. S. punct. 41. fol. 171.

Eulogius lapicida in tenui fortuna eſt patronus pauperum, cum autem invento theſauro ad magnam fortunam pervenit, factus eſt tenaciſſimus & rapaciſſimus: permiſit igitur Deus ut cum aliis conſpirationis reis in crimen vocaretur, quo ille profugus factus ad tenuem ſuam fortunam rediit, & denuo viſcera miſericordiæ induit. P. p. 2. diſ. 14. n. 12.

Accipiter ſatur ad Dominum clamantem non redit, ſed famelicus: ita multi, quamdiu in abundantia vivunt, inſpirationes Dei non audiunt, libere cadaveribus inhiant: at ſi egeſtas premat, tunc ad Deum revertuntur. P. p. 2. diſc. 14. n. 19.

Pia Mater imprudenti filiolo cultrum e manu extorquet, et amſi lamentetur & ploret, ne ſibi noceat. Ita Providentia Dei tibi opes adimit, aut negat, quia prævidet illos tibi omni cultro fore nocentiores. Putamus infortunium eſſe, quod ingens felicitas eſt.

Sicut paupertas voluntaria eſt via ad perfectionem; ita & paupertas neceſſaria talis via eſſe poteſt, ſi patienter feratur; nam æque ac illa tollit materiam vitiorum, parit humilitatem, applicat totum animum ad ſtudium virtutis, inflammat cor ad caritatem Dei & proximi, &c. C. Matth. 19. v. 21.

### 434. *A Deo provenit, non ab inimico homine.*

Bona a Deo data ſunt tanquam *depoſitum*: jam ſiquis depoſitor mitteret alium hominem, ut repetat depoſitum, an conquereteris? omnino non: cur ergo quereris, ſi proximus tibi damnum inferat, Deus miſit. B. ſer. 59. n. 21.

S. Job clamat, *Dominus dedit, Dominus abſtulit*: Quid? nonne diabolus te percuſſit? *Non dixit Dominus dedit, & diabolus abſtulit*, ait Auguſt. quia diabolum intuitus eſt tanquam inſtrumentum Dei. B. ſer. 59. n. 22. P. p. 2. diſc. 14. n. 13. Vide Titulum *Impatientia*.

Eapropter dicit S. Chryſoſtomus: Si patienter feras jacturam bonorum, idem eſt meritum, ac ſi in pauperes expendiſſes. S. punct. 20. fol. 717.

Qui montem ſurſum ſcandit, ab omni ſarcina ſe liberare ſtudet. Deus ſurſum ad cælum nos vocat, ideo ut expeditiores ſimus, ſarcinas & impedimenta terrena nobis adimit; regnum enim cælorum vim patitur.

Sed dices: Injuſtiſſimus ille Nebulo iniquam litem mihi movit, ille domum meam incendit, inſtar latronis hereditatem expilavit, &c. Erras. Deus hæc omnia fecit, qui in manu habet bona & mala, proximus autem tibi nocivus habet ſe inſtar baculi, quo Deus te percutit. *Diſciplinam Domini, fili mi, ne abjicias*, monet Sacer Proverbiaſtes. Prov. 3. Nota! Piſces olim excludebantur ab holocauſto, non autem aves! Qua de cauſa? cum lapis projicitur in ſtagnum, piſces in profundum recedunt. Aves autem ad jactum lapidis ſurſum avolant. Ita ſi ad modicam jacturam in juramenta & execrationes erumpis, locum in altari Dei non habes. B. ſerm. 3. n. 32. &c.

### 435. *Curæ habetur a Deo, & Sanctis.*

Chriſtus Dominus adeo commendat curam pauperum, ut ajat Nazianzenus, nullum cultum Deo perinde gratum eſſe, ut miſericordiam erga pauperes. Sancti etiam hanc curam pauperum vel maxime ſibi commendatam habuere: S. Auguſt. etiam vaſa Dominica ob captivos & alios egentes frangi juſſit. Placilla Theodoſii Imp. Uxor manu propria fovebat pauperes & infirmos. Accacius Amidæ Epiſc. ut pauperes Perſas ad ſeptem millia captivos redimeret, vaſa ſacra vendit, inquiens: Deus non lancibus, aut poculis eget; quare convenit hæc in ejus milites diſpertiri. C. Deut. 15. v. 10.

S. Exuperius Toloſ. Epiſc. eſuriem paſſus, non ſe, ſed famelicos pavit. S. Dominicus libros vendidit, & pretium in pauperes diſtribuit. Ecditius Senator quatuor pauperum millia aluit. Mira ſunt, quæ hac de re leguntur, de Jodoco Britonum Rege, Leone I. Imp. S. Heimeramo Epiſc. S. VVilibrordo, Puella Alexandrina, Carol. Comite Flandr. & aliis. C. Ez. 18. v. 7.

Deus immenſa liberalitate, qua ſua dona in nos effundit, nos exſtimulat, qua ratione in pauperes liberales eſſe poſſimus, & debeamus; hinc S. Nazianz. *Nihil tam Divinum homo habet, quam de aliis bene mereri.* S. Greg. Naz. ora. de Am. paup. Hanc liberalitatem Dei imitati ſunt Sancti, uti S. Joann. Patriarcha Alexandrin. S. Paulinus Epiſcop. Adrianus Summus Pontifex, & alii. C. Jac. 1. v. 5. Jam ſi Deus tam in ſe, quam in ſuis Sanctis adeo ſollicitus eſt pro pauperibus, quis diffidat ejus Providentiæ?



### 436. *Magni æſtimatur apud Deum, & homines.*

Paupertas, ſi bene uti illa calleas, tantam complectitur felicitatem, ut primi Chriſtiani, item Reges, Principes, & homines ditiſſimi illam voluntarie abjectis opibus elegerint. Cur autem paupertatem amplexati ſunt? 1. Quia audierunt a Chriſto & Apoſtolis, illam eſſe primam, & ſummam beatitudinem: *Beati pauperes ſpiritu, quoniam ipſorum eſt regnum cælorum.* 2. Quia e diametro opponitur, & evertit cupiditatem, quæ eſt radix omnis peccati; nam ex divitiis oriuntur vitia omnia, uti ſuperbia, gula, libido. 3. Quia paupertas liberat hominem a mille diſtractionibus & curis, facitque ut ſit liber & expeditus ad vacandum ſapientiæ, & rebus Divinis. 4. Quia paupertatis merces ſunt opes cæleſtes. 5. Quia facit, ut homo totus Deo adhæreat, quapropter viciſſim Deus pro illo curam habet, ut neceſſaria ad vitam illi non deſint. 6. Quia Chriſtus Verbum & Sapientia Patris, e cælis in terram venit, ut paupertatis pretium & dignitatem ſuo exemplo firmaret. *Ego*, inquit, *mendicus ſum & pauper &c.* Hoc Chriſti exemplum ſecuti ſunt omnes Sancti Apoſtoli, item omnes Chriſtiani primis temporib. Monachi, Eremitæ, Sancti Sacror. Ordinum Fundatores, S. Benedictus, S. Bernard. S. Dominicus, S. Franciſc. cum innumeris diſcipulis, etiam ex ſexu ſequiore. S. Clara adeo amavit paupertatem, ut etiam diſpenſationem Pontificiam in ea non admiſerit. C. in Act. Ap. c. 4. v. 32. Item Matth. 19. v. 21.

### 437. *Patienter ferenda propter Chriſtum.*

S. Paulinus ait: *In Chriſto triumphat, qui tunicam auferenti remittit & pallium.* S. punct. 15. f. 595.

S. Libertino aliqui fures abigebant ſuos equos, ille currens poſt equos monuit, ut & ferulam ſecum ſumerent; ego enim, ajebat, jam ſine equis non illa indigeo. Sanc. 6. par. c. 8. f. 805. Vide etiam f. 795.

S. Illidius Avernienſis Epiſcopus, filiam Maximi Imperatoris a dæmone liberans reſpuit ingentia dona, & ſolum pro urbe Avernenſi moderationem præſtationum rogat. *Leucht. 7. Julii.*

Chriſtus Dominus non regalem ac commodam, ſed pauperem vitam elegit, inſuper curam, ac opem pauperum impenſe commendavit, pauperes ad convivia vocari præcepit, bona illis collata, tanquam ſibi data ſe accepturum promiſit, pauperes ſpiritu beatos pronuntiavit: *Nullus cultus*, ait Nazianz. *Deo perinde gratus eſt, ut miſericordia erga pauperes.* Naz. de am. paup. orat. 16. Hinc omnes Apoſtoli Chriſtum in paupertate ſecuti ſunt. C. Deut. 15. v. 10.

Abbati Anaſtaſio fur quidam codicem abſtulit, eumque in urbe cuidam vendidit. Emens igitur Codicem prius exhibuit Abbati Anaſtaſio pro conſilio, an tanti valeret? Repoſuit Abbas, eum tanti valere! Emens igitur id furi aperuit, qui pœnitentia ductus reſtituit Codicem Abbati admiratus ejus patientiam. E. Verb. Furtum n. 7.

Senex quidam furibus cellam ejus deprædantibus, dum abirent, revocatis, indicavit, quod ſacculum in ſua cella ſecum ſumere obliti eſſent. E. *Furtum* num. 8. Vide Tit. Paupertas Religioſa, Lib. 5.

### 438. *Felicior eſt divitiis omnibus.*

† Chriſtus Dominus in mundum veniens veritatis, & virtutis Magiſter, non divitem, ſed pauperem vitam elegit, a ſtabulo uſque ad crucem pauperrimus. Divitias autem deſpexit, cum a Judæis in Regem eligi vellet, in montem aufugit.

Progenitores elegit pauperes; inter veteres Patriarchas Jacob ad Laban fratrem Matris ſuæ abiens in baculo tranſivit Jordanem, ad Pharaonem loquens peregrinum ſe æſtimavit ſuper terram. David inter fratres minimus & opilio fuit. Ipſa Sanctiſſima Dei Mater non Dominam, ſed ancillam ſe nuncupavit.

Aſſeclas & Apoſtolos de ſtatu paupertatis piſcatores aſſumpſit, cum cæcis, claudis, & pauperibus converſatus eſt. Econtra divitias Herodis & aulæ ejus nec verbo dignatus eſt, quia contempſit faſtum eorum. Divitias nunquam commendavit, juveni autem interroganti, quomodo vitam æternam conſequi poſſet, ſuaſit: Vade, vende omnia. Divites nunquam beatos dixit, ſed pau-

pauperes primo loco: *Beati pauperes ſpiritu, quoniam ipſorum eſt regnum cælor.* Et revera, res ſe ita habuit? quis enim felicior, Dives Epulo, an pauper Lazarus? certe iſte, non ille! Lazarus enim poſt mortem ab Angelis translatus eſt in ſinum Abrahæ, Epulo damnatus ad flammas: ille omnigena felicitate fruitus eſt, iſte ne guttulam aquæ habuit ad aridam linguam refocillandam. Sed numquid etiam Reges & divites ſalvati ſunt? Omnino! verum iſti *pauperes ſpiritu* facti, omnem affectum divitiarum perfecte abjicere debuerunt, &c. &c.

### Deſolatio animi.

#### 439. *Quomodo excipienda.*

IMprimis homo Chriſtianus in deſolatione animi aut ariditate ſpiritus, Dei præſentiam ſemper ante oculos habeat, certuſque ſit, quod ſicut Chriſtus ultra lapidis jactum a diſcipulis non abiit; ita Deum, dum maxime abeſſe creditur, e propinquo eſſe. B. ſerm. 49. n. 21.

Deinde nullum pietatis exercitium, alias conſuetum, omittat. Bananias Heros laudatur, quod etiam gelido, ſeu hyemali tempore, dum manus gelu rigebant, leonem vicerit. S. punct. 33. f. 747.

Puſillanimitatem, aut tepiditatem in animum nullam admittat, bene gnarus, & ſecum cogitans, conſolationes ſupernas eſſe donum Dei gratuitum, & nemini debitum: *Qui eſtis vos*, ajebat generoſa Judith, *qui eſtis vos, qui tentatis Dominum, ſi intra quinque dies non venerit auxilium?* Hi ſunt, qui moram faciente Domino patientiam nullam tenent, ad conſolatiunculas mundi recurrunt, &c. S. p. 33. f. 746.

A recreationibus mundi, ab eſu & potu delicatiore, aliiſque diſtractionibus magis, quam alias abſtineat, & ſic Deus benignior redibit. Deus Moyſi exulanti, & oves paſcenti apparuit, quod non accidit ei, quamdiu nutriebatur in aula Pharaonis &c.

Plena liberalitate ſe in Divinam voluntatem reſignet, memor, Chriſtum in horto Getſemani ad mortem uſque triſtem, & in Calvario monte a Patre derelictum fuiſſe. Hujus derelictionis compaſſione ſæpius dicat: Domine fiat voluntas tua, &c.

#### 440. *Permittitur a Deo ad merita augenda.*

S. Bernard. ait: Duæ lectiones amoris ſunt, dulcoris, & doloris. O *adeſſe, & abeſſe! primum ad majus ſolatium, ſecundum ad majus meritum: præſentia jucundior, abſentia utilior. In præſentia delectatur anima cum Deo: In abſentia delectatur Deus in anima.* Lohner titulo Caritas Dei, fol. 240.

Paulus, Job, Sponſa in Canticis derelictionem magnam experti ſunt ad augmentum meriti. S. punct. 33. f. 745.

Joann. de Alvernia miris conſolationibus a Deo confortatus dein triennio areſcere cœpit. Verum apparuit illi Chriſtus, & quamvis ter illum in ſilva tranſierit, tandem tamen ſacratiſſimum pectus illi exoſculandum dedit, & obſtupeſcendam Divinor. ſcientiam infudit. E. *Tribulatio* n. 3.

Quando populus Iſrael maxima afflictione affligebatur in captivitate Babylonica, plures habuit Prophetas, quam tempore Salomonis, quando floruit in maxima proſperitate; nam Jeremias fuit in Judæa, Ezechiel & Dan. in Chaldæa. Ita Deus pro homine conſtituto in deſolatione & afflictione, videtur magis eſſe ſolicitus, quam cum vivit in conſolatione, & deliciis animi.

S. Job poſt afflictiones, perſecutiones, ægritudines, & jacturam bonorum omnium, poſtea a Deo magis ditatus eſt, quam unquam antea. Ita multi deſolati & ærumnoſi videbunt cum tempore, quod in afflictione majora collegerint merita, quam in proſperitate. Hinc S. Catharina Senenſis elegit ſpineam coronam præ aurea, & omnibus Sanctis minus ſuſpecta fuit afflictio, quam proſperitas &c.

#### 441. *Non debet poſt ſe trahere triſtitiam.*

Viri ſapientes & Divini non debent immoderate lugere de ærumnis hujus vitæ, quia mens ſapientis in cælo & Deo defixa eſt, & nihil curat reſpectu cæleſtium & inferorum, præſertim cum hæc triſtitia nec ſibi nec aliis ſit utilis, ſed potius damnoſa, & noxia, quia auget & duplicat calamitatem. *Triſtitiam longe repelle a te*, ait Eccleſiaſticus, *multos enim occidit triſtitia, & non eſt utilitas in illa.* Et Caſſianus: *Omnis triſtitia, præter illam, quæ eſt de pœnitentia, æqualiter repellenda eſt, ac ſpiritus fornicationis &c.* C. Ezech. 24. v. 18. *Eccli. 30.* *Caſſian. l. 9. de Inſt. renunt. c. 11.*

S. Hermeti Epiſcopo apparuit Angelus, dicens: Triſtitia eſt omnium ſpirituum nequiſſimus: ſicut acetum & vinum, ita triſtitia & Spiritus Sanctus non conveniunt. C. Ezech. 24. v. 18.

Triſtitia eſt carnificina; *multos enim occidit*; cum ergo nolis eſſe carnifex alio-



*B. Antioc. hom. 25.* liorum, cur tuus ipſe vis eſſe? B. Antiochus ait: *Triſtitia vermis eſt cordis, ſuammet exedens matrem inſtar viperæ.* Et S. Chryſoſtom. Triſtitiam Deus nobis indidit propter ſolum peccatum. C. Eccli. 30. v. 25.

Quæres quæ ſint remedia triſtitiæ? Primum eſt, communio & ſocietas luctus. Secundum, mens & ratio ſapientis. Tertium, tempus, quia diuturnitate decreſcit. Quartum, Patientia, & oratio. C. Eccli. 30. v. 25.

Triſtitia tineæ & vermi comparatur; ſicut enim tinea veſtem, & vermis lignum corrodit; ita triſtitia cor, & ſpiritum abſumit, &c. C. Prov. 25. v. 20.

#### 442. *Prodeſt homini variis ex cauſis.*

*S. Bonav. de proceſſ. Relig. proc. 7. c. 21.* S. Bonavent. ait, deſolationes prodeſſe 1. Ut homo diſcat etiam de minimis beneficiis gratias agere, minimas culpas cavere, & adverſa quæque patienter ferre. S. p. 33. f. 747. 2. Ut homo humilietur. 3. Ut a peccato purgetur. 4. Ut in gratia eruditior fiat. 5. Ut Deus ſtudioſius quæratur. 6. Ut meritum augeatur. S. p. 33. f. 748.

*Gerſon de Myſt. Theol. pract. conſ. 6.* Gerſon complures hujus ſubtractionis cauſas aſſignat. 1. Ad ſuperbiam retundendam, vel cavendam. 2. Ad deſiderium vehementius inflammandum. 3. Ad cognitionem propriæ fragilitatis. 4. Ut induat viſcera pietatis ſuper aliorum deſolatione. 5. Ad ſatisfactionem per dolorem illum ſenſibilem. 6. Ut poſſit alios juvare. 7. Ut experientia edoctus virtutes cæteras melius diſcat, & doceat. 8. Ne deſerat pro hac dulcedine Dei juſſa. 9. Ad punitionem venialium. 10. Ut intelligat non haberi hæc propria induſtria, ſed Dei miſeratione. 11. Ad purgationem, & exercitationem. 12. Ut paratus ſit abſque ſtipendio conſolationum Deo ſervire. 13. Ne incipiat dona Dei pro Deo diligere. 14. Interdum ad conſervationem corporis, ne in gemitibus & dulcedine ſenſibili deficiat, &c. &c. S. p. 33. f. 749.

In deſolatione hoc ſolatium capiat Chriſtianus, quod Providentiæ quaſi dextera a Deo, juxta voluntatem ejus deducatur, ſicut electus olim populus, etiam neceſſario pane & aqua deſtitutus, aliiſque, quæ ſolatio & oblectamento eſſe poterant, in deſerto Deum ſecutus eſt. S. Franciſc. Sales. Direct. p. 3. c. 7. §. 7.

### Tentationes.

#### 443. *Præveniendæ, antequam invaleſcant.*

DAvid cum gigante pugnaturus feſtinavit: Cur? ne nimis propinquus accederet Goliath: Lyranus: *Feſtinavit David projicere lapidem antequam Philiſtæus eſſet ſibi nimis propinquus, quia talis iſtus fortior eſt aliquantulum a longe.* B. Ser. 9. n. 22. Serm. 36. n. 24.

Incendio ſtatim ſuccurritur: Gangræna ſtatim abſcinditur: rima muri ſtatim reficitur &c. B. ſerm. 42. n. 1.

Pharao pueros Hebræor. ſtatim ſuffocari juſſit, ut nati ſunt, ne in viros bellicoſos excreſcant. S. p. 11. f. 50. ſeq.

Caput Serpentis conterendum eſt, id eſt initium tentationis. C. Gen. c. 3. v. 15.

Omnes gentes & Reſpublicæ bene ordinatæ juventutem ſuam in armis exercere, & ad bella inſtruere ſatagebant: Ita Plutarchus præcepit: Exercitandi ſunt liberi ad certamina militaria, jaculandi, *Plutarc. l. 3. de leg.* arcum tractandi, & venandi peritia inter ſe certantes. Parem in modum in bello ſpirituali prævia exercitatio neceſſaria eſt, &c. D. 11. 39.

*Nolite locum dare diabolo.* Locum dant, *Eph. 4.* qui rimam aperiunt, qua ſe inſinuet, qui dant acceſſum per auditum, per viſum prout Eva fecit. Non ſolet quidem diabolus totum cor petere, ſolum petit locum, ſed væ ſi dederis; quia nunquam acquieſcit modico, mox a modico ad multum procedit, primo vult ſcire prohibitionem a Deo factam, dein ſuſpectam facit, tum damnat, denique perſuadet, *in noviſſimo mordebit ut coluber.* Segn. Manna 21. Jul. 2.

*Sobrii eſtote & vigilate*, ſicut ille, qui inſidias metuit, cautus & attentus eſt; ſic Chriſtianus contra inſidias diaboli vigilare & ſobrius eſſe debet: *Vigilare* pertinet ad animum, *ſobrium eſſe* ad corpus; quia ſobrietas promovet vigilantiam: duplicata igitur induſtria præveniendæ ſunt tentationes, corpore, & animo. Segn. Manna an. 5. Sept. n. 1.

#### 444. *Etiam leves repellendæ, ne creſcant.*

Pompejus expugnaturus urbem Tucenſem petiit, ut infirmi milites in urbem reciperentur: recepti viam fecerunt aliis, & urbs expugnata eſt: ita dæmon, dum aperta vi ſervos Dei ſuperare non audet, quaſi languentes cogitationes mittit. S. punct. 11. fol. 49.

Va-

Mich. 2. *Væ qui cogitatis inutile!* Cur væ intentatur propter inutilem cogitationem? an non enim illud væ infernum denotat? Reſpondeo ab inutili cogitatione paulatim venitur ad iniquam &c. S. punct. 11. f. 49. & ſeq.

Eph. 4. *Nolite locum dare diabolo.* Quomodo locus ille non datur? ſi mentem teneat ſanctis cogitationibus occupatam: cum ſentis tentationem non reſponde, ſed cogita feretrum in quo aliquando jacebis, cogita futurum judicium, cogita pœnam, & dic: *Fiat Domine cor meum & corpus meum immaculatum, ut non confundar, &c.* Segn. Manna 21. Jul. n. 3.

Diabolus non ſtatim incitat ad peccatum, ſed graditur per ambages: Evam interrogavit: *Cur præcepit Dominus*, ut deliberantem faceret, imo credibile eſt, quod alios diſcurſus indifferentes præmiſerit. Debuiſſet Eva omnino non colloqui cum dæmone, vel ſaltem præceptum nunquam examinare. C. Gen. 3. v. 1. Vide Tit. *Cura minimorum.* Lib. 6. Tit. *Virtus.*

Non ſemper pugnæ cruentæ dantur in bello, ſed etiam quotidianæ velitationes, quibus ſæpe magis debilitatur, & atteritur exercitus, quam integra ſtrage. Neceſſe igitur eſt, animum ſemper eſſe paratum tam ad velitationes quotidianas, quam ad prælium internecinum, & hinc ſemper principia fidei defenſiva in animo ferenda: *Cui reſiſtite fortes in fide.* Talia principia ſunt: Veram ſapientiam eſſe, placere Deo! unum eſſe negotium in terra, ſervare animam ſuam, Chriſtum adeſſe ſpectatorem certaminis, & quæ ſunt ſimilia. Segneri Manna 5. Sept. n. 4.

445. *Vincuntur per orationem, & merita Chriſti.*

David ſemper fuit victor in bello, quia ſemper præmiſit orationem. S. p. 31. f. 135.

Jacob oratione contra Amorrhæos præ-
Num. 22. valet: David contra Goliath, Ezechias contra Perſas. Rex Balac Moabitarum, cum populum Iſrael contra ſe venire audiret, avocare ad ſe ſtuduit Prophetam Balaam: Cur? ut Iſraelitæ non haberent, qui pro ipſis oraret: ita dæmon ſtudet impedire orationem. S. punct. 31. f. 135. 136. punct. 37. f. 161.

Chriſtus Dominus ipſe tentari voluit, & quidem ſtatim poſt Baptiſmum 1. Ut doceret, neminem intentatum, regnum Dei conſecuturum. 2. Ut oſtenderet nullam tentationem eſſe inſuperabilem, ſed omnes vinci gratia Dei a ſe aſpirata. 3. Ut doceret, ſuos ſequaces tentationibus probari, & oratione firmari oportere. 4. Ut ſuo exemplo noſtras tentationes vinceret, & confidentiam in nobis excitaret, in tentationibus ad ipſum confugiendi. C. in Matth. 4. v. 1.

Sicut viator videns feras in arborem aſcendit, ut eas evadat, ita homo videns tentationes irruentes confugiat per orationem ad Deum, & ſalvabitur, ſicut enim aqua extinguit ignem, ita oratio extinguit tentationem, &c. C. Eccli. 2. v. 3.

Poſt manna Hebræi pugnarunt contra Amalec, & vicerunt, cum antea ſolus Deus pro eis pugnaſſet contra Ægyptios: ſic vitæ cæleſtis impedimenta, & tentationes, quas non niſi ſolidioribus objici patitur Deus, Euchariſtiæ virtute ſuperantur. C. 1. Cor. c. 10. v. 3.

446. *Non omnes vincuntur æqualiter.*

*Benedictus Deus meus, qui docet manus meas ad prælium.* Eſt enim magna ars, pugnare contra tentatorem. Aliter pugnandum cum Goliath, aliter cum Berſabæa. Hinc toties vincit dæmon, quia artem recte pugnandi ignoramus. S. p. 32. f. 137.

Artem pugnandi bene calluit Job: contra dæmonem ſtetit infractus, quia de patientia erat tentatio: contra Virginem autem pepigit fœdus cum oculis, ut ne cogitarent quidem. S. p. 32. f. 138.

Elias Achabum non fugit, ſed Jezabelem. S. p. 38. f. 140.

Præſertim autem cavendum, ne cum tentatione diſputemus: ita enim decepit dæmon protoparentes: *Cur præcepit vobis Dominus?* Ecce! ab interrogatione incipit, ut mentem mulieris exploret. Quæ reſpondit: *Ne forte moriamur.* Dein ſerpens: *Nequaquam moriemini*: Deus affirmat: mulier dubitat: dæmon negat, &c. S. p. 37. f. 162.

Omnes autem tentationes indiſcriminatim vincuntur, cum Patri ſpirituali aperiuntur; tentator enim totam vim tentandi collocat in arte, quæ ubi detecta fuerit, nulla eſt: *Capite nobis vulpes parvulas*, ubi Bernard. Jubet deprehendi, vinci, prodi, &c. S. p. 35. f. 154.

Climacus dicere ſolebat, qui tentationes ſuas occultat, dæmonis ova fovet, & parit Baſiliſcos. Et Abbas Moyſes: Qui Serpentem e tenebris educit, vincit. Ideo Paulus miſſus eſt ad Ananiam, ut illi animum aperiret. Sanchez 4. pa. c. 7. fol. 328.





447. *Magis moleſtant fideles, quam infideles.*

Eccl. 2. *Fili accedens ad ſervitutem Dei præpara animam tuam ad tentationem:* Ubi Cardinalis Hugo: tanto acrius inſurgit diabolus contra eum. S. punct. 34. fol. 148.

Jeſus tunc tentatus eſt cum ſeceſſit in eremum: ita Chriſtianus cum ſecedit ad bona opera. S. Ib. fol. 149.

Dæmon comparatur bovi, non equo: Cur? quia boves non comedunt fœnum immundum, ſicut equi: ita dæmon mundas animas devorare vult. Iſraelitæ in Maſphat (id eſt *Judicium*, locus pœnitentiæ) Philiſtæos & Tyrios hoſtes experti ſunt. S. punct. 34. fol. 149. & ſeq.

Præſertim in principio converſionis fideles acrius tentantur ex variis rationibus. 1. Quia talis recedit a ſervitute diaboli, indignantis, ſe ſuo jure herili privari, adeoque eum, ut ſervum fugitivum perſequitur, tentatque ut ad ſua caſtra eum reducat. 2. Quia vitia cuncta eum impugnant, adeoque cum concupiſcentiis omnibus ſibi innatis, & indulgentia prioris vitæ adauctis, ei dimicandum eſt: *Er-*
S. Hier. ep. 1. *ras frater*, ait S. Hieronymus, *ſi putas nunquam Chriſtianum perſecutionem non pati.* C. Eccli. 2. v. 1. &c. 3. Quia ſocii, & amici videntes ſe ab eo, qui pie ſtatuit vivere, deſeri, in eum inſurgunt, ſicut Iſmael inſurrexit in Iſaacum, Eſau in Jacob, fratres in Joſephum, &c. C. Eccli. Ibidem.

Certum eſt illud: *Omnes, qui pie volunt vivere, perſecutionem patientur*, ſive a cognatis & amicis, ſive ab infidelibus & hæreticis, ſive a dæmone per varias tentationes. C. 2. Tim. v. 12.

Sed quæres cur Dominus Deus fideles plus patiatur tentari, quam infideles? Inter alias rationes ea eſt, ut diſcant tentatis, qui ſimiles animi vexationes patiuntur, auxilio, & conſilio adeſſe. Sicut illi, qui ſæpius interfuerunt præliis, optime norunt eorum pericula, ac remedia, atque proinde optimi ſunt Duces; ita qui ſæpius cum dæmonibus colluctati, tentationes ſuperarunt, optime norunt, poſſuntque alios modum confligendi, & ſuperandi edocere, uti fecerunt S. Antonius, S. Hilarion, S. Macarius, Arſenius & alii. C. Eccli. 34. v. 9.

448. *Quomodo dignoſcendæ ſint.*

S. Bernardus præſcribit quaſdam regulas dignoſcendi tentationes. Si mollia tibi proponuntur, ait, ſpiritus carnis eſt: ſi vana: ſpiritus mundi eſt: ſi amara, ſpiritus nequitiæ eſt. S. punct. 35. fol. 153.

Richardus a S. Victore ait, quod ſeptemplex ſit tentatio: Importuna, dubia, ſubita, occulta, violenta, fraudulenta, perplexa &c. S. punct. 35. fol. 153. Idem habet S. Bernardus apud C. in Gen. c. 3. v. 1.

Interdum proponuntur a dæmone ſub ſpecie neceſſitatis: O quot ſenſualitates putantur eſſe neceſſariæ! Quæſo, ait tentator, ne tam auſtere vivas, noces ſanitati, & ſic non poteris porro ſervire Deo! ſic deceptus eſt Propheta a Pſeudopropheta, ut famem ſedaret. S. punct. 35. fol. 151.

Similiter dæmon ſæpe decipit ſub ſpecie pietatis: Sic Saul Regem deluſit ſub ſpecie Religionis, ut reſervaret pecora neceſſaria ad holocauſtum, quod revera fuit avaritia. Protoparentibus ſub ſpe & deſiderio divinitatis perſuaſit, ut comederent fructum vetitum. Quid agendum? Patri ſpirituali hæ omnes illuſiones ſincere ſunt aperiendæ. S. punct. 35. fol. 151.

*Tentavit Deus Abraham*, ut ejus virtutem, & obedientiam acueret, perficeret, & coronaret: Econtra dæmon tentat objiciendo illecebras, ut pertrahat hominem in peccata, & gehennam. C. Gen. 22. v. 1.

449. *Generoſe vincuntur a Sanctis.*

Ille juvenis, dum aliter non poteſt, linguam præmordet, & in vultum procacis feminæ exſpuit. S. Vincentius Ferrerius dæmones expellit, quia puellæ turpiter ſe nudanti reſtitit. S. Philippus Nerius ſcamno vapulat, quia feminæ pellicienti non conſentit. S. punct. 36. fol. 157.

Sanctus Job, Tobias, Monica acerrime tentantur, & tamen glorioſe vincunt. S. punct. 36. fol. 158.

B. Eliſabetha Ord. S. Dominici cum vellet ingredi Monaſterium, minatus eſt illi diabolus: Iret! auderet ingredi! ſe mille moleſtias illi cauſaturum. Ad quod Eliſabetha! Evax! videamus, an ſis prævaliturus. Nec defuit ſuis minis dæmon; in anno probationis illam culicibus, & pediculis, poſt profeſſionem morbis & infirmitatibus vexavit, ita ut ab omnibus deſpicatui haberetur. Sæpe illa in lectulo viperas, & bufones invenit, ſæpe a dæmone flagellata fuit. Sed tandem a malis omnibus liberata in agone jubilare cœpit. *Ephemer. Dom. 14. Jan.*

S. Maria Ægyptia ſeptendecim annis impura, dein ſeptendecim annis in eremo tentationum victrix fuit, quod eo mirabilius

eſt, quo certius, quod homo in eo genere peccati, in quo aliquando cecidit, ſit fragilior, & dæmon tentans fortior. C. Eccli. c. 2. v. 1.

S. Paula in tentatione generoſa, & hilaris cantabat: Quare triſtis es anima mea, & quare conturbas me? &c. C. Eccli. c. 2. v. 3.

Cur autem permittit Deus Sanctos tentari? Cauſa exprimitur in Tobia, de quo *Tob. 2.* dicitur, quod Deus illius tentationem permiſerit, ut poſteris daretur exemplum patientiæ ejus.

### 450. *Non nocent, niſi volenti.*

Dæmon tentans Chriſtum ſuadere potuit, impellere non potuit. Goliath Davidem dilacerare non potuit: ſic alligatus canis eſt dæmon. S. punct. 36. fol. 156.

Dæmon omnino imbecillis eſt, debilis, enervatus, & confractus: ſicut Dagon de columna lapſus confractus eſt, ita dæmon lapſus de cælo, &c. S. punct. 36. fol. 159. & ſeq. Vide etiam Tit. *Dæmon.*

Multi conqueruntur contra tentationes, & tamen ipſi eas accerſunt. Monachus graviſſime conqueritur apud Abbatem Apollo de tentationibus: Abbas dum pro eo Deum rogat, jubetur explorare, quid Monachus in ſua cella agat: videt ergo Dæmonem illi adſtare in forma mulieris, quam Monachus continuo conſiderabat. Monetur ergo Monachus per Angelum, hunc non eſſe modum vincendi tentationes: legeret in libro, flagellaret ſe, non conſideraret formam mulieris &c. Petr. Sanchez 2. p. c. 1. fol. 62.

Tentationes ex ſe malæ non ſunt, ut bonæ vel malæ ſint pendet ex arbitrio tentati. Lapis in igne albeſcit, ut videre eſt in calce; quia ſua duritie igni reſiſtit: econtra lignum denigratur, quia igni cedit: Ita qui tentationi reſiſtit coram Deo dealbatur, & purificatur. Qui vero tentationi cedit, niger & peccatis ſordidus efficitur.

Imo tentationes, & tribulationes non tantum non nocent, ſed inſuper proſunt, quia æternæ gloriæ pondus operantur in cælis, juxta illud: Per multas tribulationes oportet intrare in regnum Dei. Chri- *Act. 4.* ſtus ipſe in mortem iturus Apoſtolis edixit: *Luc. 22.* Vos eſtis, qui permanſiſtis mecum in tentationibus, & ego diſpono vobis regnum, ut edatis, & bibatis ſuper menſam meam in regno meo. C. Eccli. c. 2. v. 1.

Multi Sancti non erant triſtes, ſed lætabantur de tentatione: ſic quidam Senex, cum vidit diſcipulum graviter tentari de fornicatione, dixit: Si vis O fili, deprecor Dominum, ut auferat a te iſtam impugnationem! iſte autem reluctatus eſt, reponens: Abſit hoc! ſentio ex tentatione in me fructum, quia amplius jejuno, & amplius vigilo! ſic S. Ephrem in pace & tranquillitate rogavit Dominum, ut ſibi reſtitueret priſtinas tentationes, ut non perderet materiam merendi, & augendi coronam ſuam. En! qui ſancte novit tractare tentationes, non metuit nocumentum, ſed ſperat meritum! &c.

Tentationes ex ſe non nocent, ſed magna commoda ferunt: 1. Quia Deus per tentationem explorat virtutem tentati: *Vaſa figuli probat fornax, & homines ju-* *Eccleſ. 2.* *ſtos tentatio*: ſicut ergo vaſa figuli, ſi ſenſum & intelligentiam haberent, appeterent, igne excoqui: ita juſtus, gratia Dei ſuffultus poteſt tentationem cupere. 2. Tentatio eſt cos virtutis, ardorem Dei exacuens. 3. Hominem in humilitate, & timore Dei continet, ne ſuperbire incipiat in ſecuritate. 4. Eſt ſtimulus ſpei, & orationis; cogit enim hominem periclitantem, ad Dei gratiam implorandam confugere. 5. Deum quaſi cogit, ut præſens adſtet tentato, & eum protegat, ac confirmet. 6. Tentatio ampliſſima præmia vincenti affert: *Qui vicerit, faciam* *Apoc. 3.* *eum columnam in templo Dei mei*. 7. Mentem mire illuminat, nam, *qui non eſt* *Eccli. 34* *tentatus quid ſcit?* Sic S. Antonius, S. Hilarion, S. Ephrem, & plures alii per tentationum victoriam magni coram Deo effecti ſunt. C. Jac. 1. v. 1.

### 451. *Non ſunt formidandæ.*

Sanctus Paulus conqueritur de ſtimulis carnis, ſed audit: ſufficit tibi gratia mea. S. punct. 36. fol. 157.

*Fidelis Deus, qui non patietur vos ten-* *1. Cor. 10.* *tari ſupra id, quod poteſtis*. En! fidelitas Dei, quam promiſit nobis in baptiſmo, dum in ſuos milites inauthoravit, exigit, ut ſuccurrat. Hinc ſtatim occurrit, ſi nos a tentatione opprimi cernat. S. punct. 36. fol. 158. punct. 39. fol. 167.

De quibuſdam in Apocalypſi narratur, quod viſa beſtia ſtatim illam adorarint, dicentes: *Quis poterit pugnare cum ea?* Qui- *Apoc. 13.* nam erant illi? Reſpondeo quorum nomina non erant in libro vitæ. Sic multi hodiedum ſe excuſant. Ille impotens iræ, alius aſſuetus impudicitiæ, dicunt: Non potui reſiſtere. S. punct. 36. fol. 158.

Quidam timent, cum venit tentatio, ſe jam proximos eſſe lapſui, ſed errant; ſi bene uti poſſent tentatione, hæc illis cederet in præſervationem a peccato. Loquente Moyſe cum Deo, audiit populus terribiles *Exod. 20.* voces ac ſonitus, viditque montem fumigantem, & timuit: Moyſes autem dixit illis: Nolite timere! venit Deus, ut terror illius eſſet in vobis, & non peccaretis.

*Pſ. 25.* S. David adeo non formidavit tentationes, ut illas ipſemet a Deo peteret: *Proba me Deus, & tenta me!* Idem ex- *Jac. 1.* primitur per illud Jacobi: *Omne gaudium exiſtimate fratres, cum in varias tentationes incideritis.*

In tentatione Dominus Deus paratus eſt nobis venire in auxilium: ita Chriſtus dixit ad Petrum: Ecce Satanas expetivit vos, ego autem rogavi pro te!

*Gaudete cum in tentationes varias incideritis!* Sed Quæres, quomodo liceat gaudere in tentatione v. g. concupiſcentiæ, cum Chriſtus jubeat eam deprecari, *Et ne nos inducas in tentationem*. Reſpondeo: Chriſtus id jubet orare, ut non conſentiamus in tentationem: de cetero ait S. Bernardus: *Moleſta quidem eſt lucta, ſed fructuoſa, quia ſi habet pœnam, habebit & coronam: non nocet ſenſus, ubi non eſt conſenſus, &c.* Deinde licet oporteat fugere, & deprecari tentationem ob periculum lapſus, ex humili agnitione noſtræ fragilitatis, tamen poſito, quod Deus eam velit nos pati, ſubeunda eſt cum gaudio, ut voluntati Divinæ nos conformemus, & ut dæmonem, qui eam ſuſcitat, fortius profligamus; nulla enim re ita vincitur Deus, quam lætitia ſpirituali. Denique etſi tentatio, quatenus ſolicitat ad peccatum, appetibilis non ſit: eſt tamen quatenus eſt materia luctæ & victoriæ: hinc Deus, *Proba me Deus & tenta me!* Tentatio enim *Pſ. 25.* grandia bona confert. C. Jac. 1. v. 1.

### 452. *Afferunt animæ varias utilitates.*

*Jac. 1.* *Omne gaudium exiſtimate fratres, ſi in varias tentationes incideritis*. Eſt communis ſenſus Sanctorum, nihil eſſe pretioſius quam pati, & tamen, ubi invenitur quis, qui votivam tabulam appendat, quia viſum, auditum perdidit? Quis eſt, qui peregrinationem inſtituat, quia lite cecidit, aut munere exutus eſt? Id tamen deberet fieri, quia ejuſmodi tentationes multa bona afferunt animæ, & quidem bonum honeſtum, utile, ac delectabile, &c. Segn. Manna 28. Febr. n. 1. & ſeq.

Tentationes quodammodo ſunt neceſſariæ, ad varias utilitates. Paoletti Dom. 1. Quadrageſ.

Diabolus per ſuas tentationes nos vult perdere, & Deo diſponente iiſdem nobis prodeſt ad ſalutem. Paoletti Dom. 1. Quadr.

Juvenis tentatus cogitationibus impuris ſemauget jejunia, preces, aliaque bona opera. Cum ergo ſenex peteret, an pro eo a tentationibus liberando orare deberet, noluit juvenis; quia, ut ajebat, ſentio me ex tentationibus proficere. E. *Tentatio* nu. 4.

P. Antonius a Monte Sicardo Capuccinus a Chriſto accipit pignus ſalutis, inſcriptus in librum vitæ: paulo poſt, ne ſuperbiret, ille jam ſenex acerrimis carnis tentationibus oppugnatur, ita ut tentatio videretur intolerabilis. Paucis poſt diebus purgatus in cælum abiit. T. num. 208.

S. Chryſoſtomus ait: *Pro Chriſto pati* *S. Chryſ. Hom. 4. in Epiſt. ad Philipp.* *munus eſt majoris admirationis, quam mortuos excitare, & ſigna miranda patrare; nam illic Chriſto debitor ſum, hic vero debitorem habeo Chriſtum*. C. Eccli. c. 2. v. 3.

Omnes homines triplici ratione tentantur, ait Caſſianus, plerumque ob tentatio- *Caſſ. coll. 6. c. 11.* nem, nonnunquam ob emundationem, interdum ob merita delictorum. C. Eccli. 2. v. 5.

### 453. *Quomodo accipiendæ ſint, & ſuperandæ.*

Tentationes conſiderari poſſunt ut meræ *probationes*, & ut *ſeductiones*. Primo modo Deus virtutem noſtram periclitatur, & ſic nihil continent mali, quia Deus dat quidem cani facultatem latrandi, non vero mordendi. Secundo modo etiam patienter tolerandæ ſunt, non quatenus inſtigant ad malum, ſed quatenus ſunt materia certaminis &c. Segn. Manna 28. Febr. num. 4. 5.

Cum Imperator Caligula in templo ſuam Statuam collocare vellet, Jeroſolymitani, flendo, clamando ejulando tantæ impietati reſtiterunt: ita cum diabolus in corde erigere vult idolum, flendum, ad Deum clamandum, contra nitendum eſt. P. p. 2. diſ. 4. n. 9.

Frater quidam in meſſe & laboribus dure habitus, nec cibum nec potum a fratribus recepit; ſemper tamen Deo gratias egit. Et ecce! quidam oſtium pulſans adduxit Camelum panibus onuſtum: quod videntes fratres illum amare & æſtimare cæperunt. Non eſt expeditior modus vincendi tentationes, quam gratias agendo Deo pro illis. C. Exod. 14. v. 14.

In tentatione dirige recta cor tuum ad Dei legem & voluntatem, nec illud permitte ad dexteram aut ſiniſtram flecti. Remedium ad hoc eſt 1. animi ad tentationem præparatio. 2. Animi depreſſio & humilitas; hac enim ſub potenti manu

Dei, homo profitetur ſuam infirmitatem ad reſiſtendum, adeoque tacite poſtulat opem & gratiam Dei. 3. Eſt ſuſtinentia & patientia, quia, ut ait Seneca, *cuivis dolori remedium eſt patientia*. 4. Eſt audire conſilia, & conſolationes tum ex Scriptura, tum a Viris ſpiritualibus, quomodo tentatus in tentatione ſe gerere debeat, &c. C. Eccli. 2. v. 2.

Ad omnes tentationes vincendas ſufficiat Chriſtiano hæc una recordatio, quid ſit filius Dei per gratiam. Alexander Magnus utile ſibi fuiſſe teſtatur, quod habitus fuerit Jovis Ammonis filius, non enim repugnare illi quiſquam audebat, quem crederent eſſe Deum. Sic homo Chriſtianus meminerit ſe eſſe Filium Dei, prout vere eſt, ideoque, quo verior, eo acrior eis debet eſſe ſtimulus ad omnem virtutem, & ad heroica, imo Divina opera.
S.Cypr. l. de Spectac. Audi S. Cyprianum: *Nunquam humana opera mirabitur, quiſquis ſe cognoverit filium Dei*. Cum ergo ſollicitat te caro, reſponde: *Filius Dei ſum! ad majora natus ſum, quam ut me ventris mancipium efficiam*. Cum te tentat Mundus aurum & opes oſtendendo, reſponde, *Filius Dei ſum, cæleſtibus opibus deſtinatus, indignum ergo eſt, ut terræ albæ, aut rubræ punctum conſectar*. Cum te invadit dæmon honores, & pompas promittendo, reſponde: *Vade Satanas! abſit, ut me efficiam filium diaboli, qui filius & heres ſum Dei! &c.* Sic diſces ardua & Divina opera operari, qualia Chriſtus, qualia Sancti peregerunt. C. in Ep. Joann. c. 3. v. 1.

### 454. *Sunt probationes hominis.*

Nocturni fures ut ſciant inter medias tenebras, quid rerum in hypocauſto ſit ſuis furtis conveniens, ſolent arenam circa circum jacere, & ex pulſu ac ſono, qui ex arenæ illiſu reſultat, facile agnoſcunt, ubi ſit lignum, metallum, vitrum &c. ita ex tentatione facile dignoſcitur, quem tonum animus referat, an ſit durus inſtar metalli, aut fragilis inſtar vitri, &c. D. 6. 25.

Abrahæ fides, ſeu fidelitas erga Deum fuit decies tentata. 1. Cum juſſus eſt relicta patria ire peregrinus in alienam terram. 2. Cum ob famem juſſus eſt exul ire in Ægyptum. 3. Cum ei ablata eſt uxor a Pharaone. 4. Cum ob jurgia famulorum coactus eſt divertere a Lot, quem quaſi filium amabat. 5. Cum quatuor Reges debellavit. 6. Cum Agar, quam uxorem duxerat, impulſu Saræ e domo ejecit. 7. Cum Senex juſſus eſt, circumcidi. 8. Cum per Regem Abimelech ablata illi eſt uxor? 9. Cum rurſum Agar cum Iſmaele e domo expulit. 10. Cum juſſus eſt immolare filium Iſaac. Cumque in his omnibus tentationibus inventus eſt fidelis, conſtitutus eſt Pater credentium. C. Gen. 22. v. 1.

Abbas Orſiſius ait: ſicut later crudus ſtatim aqua diſſolvitur, igne vero coctus duratur, ut lapis; ſic qui non eſt igne tentationum decoctus, ut Joſeph, mox aqua tribulationis enervatur, & liqueſcit. C. Eccli. c. 2. v. 2. Orſis. in Vit. Patr. l. 5. n. 51.

S. Antonius acriter a dæmonibus tentatus, poſt ſuſtinentiam videns JESUM, ubi eras, inquit, O Bone JESU, ubi eras? Quare non adfuiſti, ut ſanares vulnera mea? Et vox ad eum facta eſt, Antoni, hic eram, & exſpectabam videre certamen tuum! Nunc autem, quia viriliter pugnaſti, ſemper auxiliabor tibi, & faciam te in omni orbe nominari. C. Eccli. 2. v. 3.

## Perſecutiones.

### 455. *Sunt beneficium Dei, ad virtutem promovendam.*

ALios tibi homines Deus ad latus poſuit, ut ſint ſculptores, qui in te efforment imaginem Chriſti. Sunt virga, qua Deus te percutit, ſi pulverem iræ excuſſas, tibi imputa, non virgæ. Siquis te moneret, baculum, cui inniteris eſſe fractum, nonne beneficium tibi præſtaret? En! aliorum hominum inhumanitas, & ingratitudo monet te, ut humanis auxiliis non innitaris. B. Ser. 33. n. 25. & ſeq. Serm. 59. n. 20.

*Servate mihi puerum Abſalon*, ait David, quare? quia eum intuetur ut inſtrumentum, quo ſua patientia expolitur. B. Serm. 59. num. 20.

Job in fimeto ab omnibus illuditur, & conſpuitur, & tamen tanto glorioſior eſt. S. punct. 106. fol. 308.

Chriſtus Dominus in hac terra ambulans tenerrime amabat peccatores: his converſabatur, hos ſecum circumduxit, Petrum Joanni in Primatu Eccleſiæ prætulit, mille beneficia in infirmitatibus illis præſtitit, &c. Et cur? quia erant cauſa ſuæ Paſſionis ac mortis, per quam gloriam ſuam meruit. Voluit ipſis quaſi compenſare beneficium; & tu extreme odiſti perſequentes te?

Flores odoriferi, & præſertim roſa, ſi juxta fœtentes capas, & graveolentia alia inhumentur, teſte Theophraſto odoratiores evadunt. VV. Art. diſc. Font. 11. Ex. 34. Ita Chriſtianus, ſi vicinum habeat malitioſum, & ab eo perſecutiones patitur, debet tanto intenſiorem virtutum odorem ſpirare.



Secta Mahumetana per bella & ſanguinem: Arriana per fallacias & impoſturas; Lutherana per voluptates, & infrunitam libertatem: at fides Catholica & ſalvifica per perſecutiones & martyria crevit; hinc antiquum illud axioma: ſanguis martyrum ſemen eſt Chriſtianorum.

Perſecutio, & tribulatio avellit nos ab hoc ſæculo, eſt ſignum filiationis Dei, aſſimilat nos Chriſto &c. C. in Ep. Jac. c. 1. v. 2.

### 456. *Sunt accipiendæ tanquam venientes a Deo, non ab homine.*

Job 1. Sanctus Job in adverſis ajebat: *Dominus dedit, Dominus abſtulit*: Ubi S. Auguſtinus: Non dixit Dominus dedit, diabolus abſtulit, aut Sabæi abſtulerunt, &c. *Aſſur virga furoris mei*: Homines igitur perſecutores ſunt virga Dei; canum eſt virgam mordere, qua cæduntur, aut lapides, quibus petuntur. S. punct. 117. fol. 359. M. conc. 27. aſſ. 1. n. 3.

Sanctus Rex David maledictiones Semei adſcribit voluntati Dei. C. Gen. c. 50. v. 19.

Arnoldus ait: Triplex bonum latere ſub perſecutionibus: expunguntur peccata, humilitas promovetur, augentur merita. Cur Joſeph juſſit fratribus pecunias reddi? Philo ait, ut eis compenſaret beneficium perſecutionis. Cur Stephanus pro perſecutoribus oravit? ut compenſaret beneficium perſecutionis. B. Serm. 33. nu. 33. P. p. 2. diſc. 14. n. 14.

*Bonum mihi, quia humiliaſti me*. Ait David. B. Serm. 59. n. 19.

Euſebius Emiſſenus de Sancto Stephano ait: *Nec mirum ſi eis neſcit iraſci, per quos ſibi videt aulam regni cæleſtis aperiri*. Quis enim iraſcitur introductori ad regem? S. punct. 47. fol. 182.

Chriſtus patitur alapam, qua dentes illi excutiuntur, ut diſcamus aculeata verba ferre. S. punct. 8. fol. 565. Chriſtus ad omnes accuſationes tacet: nos ut dracones invehimur contra loquentes in nos. S. Ib. fol. 567. & punct. 15. fol. 593.

Quomodo feres vulnera, ſi ferre nequis injuriam, ait Chryſoſtomus. S. pun. 13. fol. 587.

B. Sanctulus, cum a Longobardis crudeliſſimam perſecutionem pateretur, ſemper repetiit: *In manu Dei ſum, tantum in me poſſunt facere, quantum ipſe permiſerit*. A. lect. 6. n. 34.

Dominus Deus ſceleratis Judæis iratus minatur: *Ecce ego mittam, & aſſumam Nabuchodonoſor Regem Babylonis ſervum meum, &c.* Quæritur hic qua ratione Nabuchodonoſor tam decoro titulo potuerit honorari? nonne ethnicus erat? nonne faſtuoſus thraſo, qui pro Deo adorari voluit? quomodo ergo vocatur *Servus Dei*? S. Hieronymus reſpondet, *quod in everſione Jeruſalem ſerviat voluntati Dei*; ille enim a Deo erat electus ad puniendum populum Iſrael. Simili ſenſu Attila vocatur *flagellum Dei &c.* A. lect. 10. §. 4.

Chriſtus Dominus dicit de Paſſione ſua: *Calicem, quem dedit mihi Pater, non bibam illum!* Ecce non dicit, quem dedit mihi Judas, Scribæ, Sacerdotes, Phariſæi: ut nos doceat in adverſitatibus ſpectandam eſſe cauſam primam, non ſecundam, cogitando omnes adverſarios non habere vim aliam, niſi quam Deus dedit. Qui igitur fit, quod tu indigneris inimico? hoc eſt agere inſtar canis, qui ſaxum projectum mordet, non manum projicientem attendit. Segn. Manna 22. April. n. 3.

S. Lupus Trecenſis Epiſcopus occurrens Attilæ e pugna Catalaunica reduci eum interrogavit, quis eſſet? Cui Attila: Ego ſum Rex Hunnorum, flagellum Dei! Subintulit Epiſcopus: Veni Dei mei flagellum, omnia tibi ut Dei Miniſtro, me non repugnante patebunt. Dein portas urbis aperiri juſſit, & apprehendens frenum equi Attilam introduxit, qui cum omnibus ſuis copiis per urbem ſine ullius cæde & detrimento tranſivit. C. Gen. 49. v. 27.

Dices: Ille homo, qui me perſequitur, eſt peſſimus nebulo! Quid tum? Avarus non curat ex qua fodina erutum ſit aurum, aut argentum, quod ipſi ſolvitur: Ita tu attendere non debes, quis hominum tibi occaſionem merendi, & merita tua augendi præbeat?

### 457. *Irriſiones malevolorum deſpiciendæ.*

Chriſtus in loco publico, non in clauſo carcere paſſus eſt, ut tanto major eſſet ſuæ paſſionis ignominia. *Exeamus igitur ad eum extra caſtra improperium ejus ferentes*. Improperium hoc erat, nomen Chriſtiani, quod eo tempore erat probroſum, & hoc nomen portandum erat extra caſtra humanorum reſpectuum, etiam per tribunalia, per Synagogas, per curias. Hoc improperium noſtra ætate non eſt amplius timendum, ſed irriſio virtutis, juxta illud: *Deridetur juſti ſimplicitas*: Et hæc irriſio cuilibet toleranda eſt, qui vult ſequi Chriſtum: ille crucem per urbem bajulans audire debuit inſultationes, & petulantias linguarum, dicebatur falſus Propheta, dæmoniacus, hypocrita &c

Hebr. 13. — Job 12.

tu ergo ad exemplum Chriſti patienter ſuſtine improperia hominum. Segn. Manna 30. Aug. n.2.

Quiſquis connititur ad Deum confitendum, colendum & glorificandum, portare debebit improperia hominum: ſi mundum deſeras, dicent te ſtultum, quia amores hominum, & ætatis florem cum detrimento familiæ ſepelis: dicent te non habere vires, te eſſe ineptum, bardum in concionando: dicent te perdere terrena, & non adipiſci lucra ſpiritualia: dicent te in prolixis precibus, in Sacramentorum frequentia capeſſere vanam gloriam, &c. En, ſi non potes effugere improperia mundi, quidquid agas, præſtat illa generoſe portare. Segn. Manna 30. Aug. n.3.

Quidquid facies, non effugies hominum cavillos & judicia. Pater & filius itinerabant, nunc iſte nunc ille, nunc uterque in aſino ſedebant, nunc aſinum portabant, & ſemper a populo cavillabantur: demum dixerunt, faciamus quod nobis placet, & non curemus alios. E. *Judicium tem.* nu. 1.

Inſin. Divin. Piet. l.4. c.60. S. Gertrudem animavit Chriſtus, ut contradictiones & convitia hominum patienter perferret, ex hoc enim, ajebat, eris ſimillima mei, quia in omnibus operibus meis habui perverſores. N.15. *Dec.*

### 458. *Permittuntur a Deo in emolumentum hominis.*

Deus diſpoſuit, ut inter Ægyptios, & Iſraelitas male conveniret, non alium in finem, niſi ut hi libertatem conſequerentur. S. Anaſt. ex Chryſ. in Pſ. 3. S. Anaſtaſius inquit: *Quibus amicitia erat exitium, iis odium erat occaſio virtutis.* Quid autem agit dæmon? Theophylactus ait: ſtudet componere amiciciam, ſicut inter Herodem & Pilatum, ut Chriſtus necaretur. B. Serm. 36. n.17.

Moyſes & Aaron tunc viderunt gloriam Dei in tabernaculo, cum a populo ſaxis impetebatur. M. conc. 29. aſſ. 2. n. 2.

Sicut ille homo, qui te moneret de macula in vultu, aut in veſte, gratiam tibi faceret; ita Deus gratiam tibi facit, cum per dicteria, & perſecutiones hominum te tuorum errorum commonefacit. D.8.72.

Et ideo Deus permittit, ut homines juſti ab impiis ordinarie perſecutionem patiantur. Paoletti Fer. 4. poſt Dom. 3. Quadr.

Juvenis importunis concupiſcentiæ tentationibus ad nefas ſtimulatus, cum ſubornatis quibuſdam Viris juberetur perſecutionibus vexari, a tentationibus carnis liberatur. E. Verbo, *Amor illicitus*, nu. 3.

Mater S. Auguſtini in potu nonnihil intemperans fuit: permiſit ergo Deus, ut ab ancilla, cum qua litigabat, meribibula vocaretur; ex eo enim tempore ſerio ſuum errorem correxit. E. Verb. *Conſuetudo* num. 2.

Quidam vitam pecudum vivens, permittente Deo in officii ſui ratiociniis fefellit, & a Principe exauctoratus, atque quatuor aureorum millibus punitus eſt. Ex eo tempore reſipuit, hoc infortunium tanquam ad ſalutem ſuam ſibi miſſum accipiens, dicenſque, *Virga tua & baculus tuus ipſa me conſolata ſunt.* J.56.

### 459. *Patienter, & cum gaudio ferendæ.*

Chriſtus Dominus ad Judam: *Amice ad quid veniſti?* Ubi Tertullianus: *Neſcit Chriſtianus inimicum, per quem ad gloriam aſcendit.* S. punct. 148. fol. 461.

S. Chryſoſtomus ait: Nequis mihi dicat: Inimicum habeo ſceleſtum, improbum, corruptum, incorrigibilem &c. quidquid dixeris, non eſt tamen Saule deterior: & tamen David manſuete ignovit. S. punct. 30. fol. 716. fuſe. Vide Titulum: *Dilectio inimicorum.*

De perſecutionibus, præſertim illis, quæ feruntur pro Deo, fide, & juſtitia, gaudendum potius quam lugendum: 1. Quia Chriſtus talibus promiſit: *Beati, qui perſecutionem patiuntur propter juſtitiam.* Glorioſius eſt pro Eccleſia, quam pro patria dimicare, & occumbere: *Martyres*, ait Sanctus Auguſtinus, *in Eccleſiis ſummum locum tenent, atque apice ſanctæ dignitatis excellunt.* (S. Aug. in Pſ. 63.) 2. Quia talis patitur pro Deo, ejuſque lege, honore, & amore; unde ſe victimam, & holocauſtum Deo facit: *Triumphus Dei eſt paſſio Martyrum*, ait S. Hieronymus. (S. Hier. ad Helidiam. ep. 12.) 3. Quia talis Chriſto vicem amoris reddit, dando corpus pro corpore; ſanguinem pro ſanguine: hinc Sanctus Chryſoſtomus: (S. Chryſ. hom.4. in Epiſt. ad Phil.) *Pro Chriſto pati munus eſt majoris admirationis, quam ſit revera, mortuos ſuſcitare, & ſigna miranda patrare, &c.* C. Jac. 1. v. 2.

Maledicentibus viciſſim oportet benedicere, quia, ut ait S. Baſilius, ſunt nobis occaſio & cauſæ heroicæ patientiæ, ideoque faciunt nos beatos: *Beati cum maledixerint vobis homines.* Ita fecerunt Sancti. C. 1. Petri 3. v. 9.

Ipſi gentiles mira patientia ferunt perſecutiones: Ariſtides innocenter ex Urbe Athenis in exilium erat relegandus, cum a Viro litterarum ignaro rogabatur, ut



ut ſuffragium relegationis ſibi ſcriberet, ipſe imperturbato animo contra ſeipſum ſuffragium exilii ſcripſit. D.8. 64.

Juvenis peccandi pericula in mundo fugiturus e ſæcularium contubernio ad piam familiam tranſiit. Sed a parentibus perſecutionem paſſus, inedia & inopia ad mortem afflictus eſt. Non receſſit a propoſito juvenis, tantaque a Deo conſolatione repletus fuit, ut moriens cantaret: Pater meus & Mater mea dereliquerunt me, Dominus autem aſſumpſit me. E. *Mors.* nu. 25.

B. Bernardus ex Ordine Seraphico, cum ludibria puerorum & populi lætus ſuſtineret, a quodam Judice pro ſancto habitus, & Bononiæ fundo ad novum Monaſterium donatus fuit. E. *Patientia* num. 7.

Joſephus Ægyptius calumnioſe accuſatus triennio conjicitur in carcerem, & dein octoginta annis regnat; hinc Scriptura expreſſe meminit ejus ætatem: Triginta annorum erat, quando ſtetit in conſpectu Regis. C. Gen. 41. v. 46.

### 460. *Convicia hominum ferre quanti ſit meriti.*

S. Chryſoſtomus ait: Vel vera tibi objiciuntur? vel falſa? ſi vera: corrige. Si falſa: deſpue: plus proſunt hoſtium inſultationes, quam blandimenta amicorum. S. punct. 30. fol. 717. in fine.

Cur Publicanus juſtificatus eſt? quia convicia Phariſæi deſpicientis patienter tulit. S. Ib. fol. 718. M. conc. 3. aſſ. 1. nu. 10.

Num. 12. Deus nunquam magis laudavit Moyſen, quam cum ſoror ejus male de eo loquebatur. S. punct. 115. fol. 350.

Si patienter ferimus detractiones hominum, Deus cauſam noſtram defendet, & conviciatores puniet: ita punivit populum murmurantem contra Moyſen. S. punct. 115. fol. 351.

*Beati eſtis cum maledixerint vobis homines*: Ecce! inquit Chryſoſtomus: *Pro maledictis retributionem maximam pollicetur.* S. punct. 15. fol. 595. C. 1. Petr. 3. v. 9.

Cum Carolus V. Imperator Regno ſe abdicaverat, indicibile per quot cryſes fuerit ſugillatus: aliqui putabant id fieri ex impatientia morborum: alii ex metu creſcentis fortunæ in Henrico Galliarum Rege: alii ex faſtidio non expugnatæ urbis Divoduri. Alii ex ambitione, alii ex remorſu conſcientiæ ob expugnatam Romam, &c. Ille tamen in ſancta ſua ſolitudine vacabat quietus ſalutis negotio. D.3. 36.

Dicit aliquis: id quod de me dicitur aut falſum eſt, aut narratur cum auxeſi! Quid tum? ſcis utique moris eſſe in mundo omnia exaggerare: cum Abſalon occidit fratrem Amnon, ſtatim nuncium venit ad Davidem, omnes Principes Regios fuiſſe interfectos. Exploratores terræ Chanaan retulerunt, terram illam devorare habitatores ſuos. Ita exaugetur fama in omnibus, &c. D.8. 59.

Theodoſius legem tulit, ut illi, qui male de Imperatore loquuntur, non puniantur, quia ordinarie, ajebat, id fit vel ex levitate, vel imprudentia; levitas autem diſſimulationem, imprudentia compaſſionem meretur. D.9. 36.

### 461. *Non ſunt excuſatio ſufficiens peccati.*

Quidam rancorem ac malitiam ſuam excuſare volunt aliorum hominum inhumanitate ac perſecutionibus, ſed male; quia perſecutiones nemini nocent, niſi malo: qui mare pernavigant nauſea correpti vomitum patiuntur, tum e triremi exeunt, & cimbula vehuntur quia culpam vomitus refundunt in mare: ſed decipiuntur! cauſa vomitus eſt bilis, quæ intra illos eſt, hæc mutari deberet, non locus. Ita multi ſunt qui cauſam ſuæ malitiæ imputant alterius inhumanitati, verum cauſa illa intra illoſmet eſt, &c. D.5. 64.

Quam ineptum eſt, perſecutiones & tribulationes velle obtendere ut excuſationes peccati, cum tamen homines ſancti nihil jucundius, dulciuſque habuerint, quam pati pro Chriſto: 1. Quia amorem ſuum erga Deum nulla re luculentius poterant oſtendere, quam multa patiendo; amor enim imitatur & amat amatum, illique aſſimilari cupit. 2. Quia Deus illos, qui amore ſui patiuntur, viciſſim diligit, & paſſionem eorum cæleſti conſolatione dulcorat, uti experti ſunt omnes S. Martyres. 3. Quia cogitant paſſionem eſſe modicam & brevem, gloriam autem eſſe æternam. C. in Ep. Jac. c. 1. v. 2.

In perſecutionibus gaudendum; quia 1. talis patitur ob fidem & juſticiam. 2. Patitur pro Deo, ejuſque lege, honore & amore. 3. Chriſto vicem amoris reddit, reponendo corpus pro corpore, ſanguinem pro ſanguine. 4. Subit martyrium, quod eſt nobiliſſimus actus fidei, caritatis, & fortitudinis, &c. C. in Ep. Jac. c. 1. v. 2.

Chriſtus Dominus perſecutiones, & carceres SS. Martyrum dulcoravit ſua præſentia & multi SS. Martyrum remunerati ſunt ſuos perſecutores, &c.

### 462. *Detractiones generoſe contemnendæ.*

Ordinarie in convicia ſolvuntur, qui alio tibi modo nocere non poſſunt, deſpice. Seneca ait, quot convicia tolerare debet cælum? Agricolæ conqueruntur, ſi tempeſtas non faveat, nautæ conqueruntur, ſi venti ſint contrarii: Quodſi Jupiter omnes hos interficere deberet, quibus poſſet porro imperia dare, cum omnes ſint culpabiles? ſapiens tranſit ſicut leo, qui imbellium catellorum latratus non curat. Qui in hoc mundo verſatur, eſt velut in nundinis ubi inter populi multitudinem impoſſibile eſt aliquem, non trudi & impelli: quemadmodum igitur imprudens foret ille, qui deſuper conquereretur; ita convicia populi curari non debent, *ut enim quiſque eſt contemptiſſimus, ita ſolutiſſimæ eſt linguæ*. D. 10. 23.

S. Henricus Suſo a femina, quam pie nutrivit, ſtupri accuſatur, infans ad illum tanquam genitorem defertur: ille infantem educat, calumnias omnes fortiter ſuſtinet, ac demum mirabiliter a Deo ejus innocentia manifeſtatur. R. 1. par. mir. 20.

Cuidam vitæ Chriſtianæ regulam petenti præcipit S. Macarius, ut iret ad oſſa mortuorum, & ea vituperaret. Ivit, & Sancto retulit, oſſa ad omnia improperia tacuiſſe. Nunc eas, ajebat Macarius, & oſſa laudes, ivit, & redux itidem retulit, oſſa ad omnes laudes ſiluiſſe. Sic tu facere debes, ſubintulit Sanctus, omnia hominum dicteria ne cures. R. 1. part. mir. 22.

Iſa. 51. *Nolite timere opprobrium hominum, & blaſphemias eorum ne metuatis; ſicut enim veſtimentum, ſic comedet eos vermis, & ſicut lanam, ſic devorabit eos tinea; ſalus autem mea in ſempiternum.* En pulcherrimæ rationes, cur dicteria hominum contemnenda ſint: 1. quia homines ſunt mortales, & brevi diſpărituri. 2. Quia mali ſunt, & verme, ac tinea in inferno corrodentur. 3. Quia malum hoc pure in opinione conſiſtit. 4. Quia opus bonum oppoſitum duplici merito coronatur, illique ſalus ſempiterna appromittitur. Segn. Manna 25. Aug.

### 463. *Calumniæ Deum defenſorem habent.*

Mulier quædam perperam amabat S. Vincentium Ferrerium, ſimulato igitur morbo vocat eum ad confeſſionem excipiendam, ſicque ad nefas allicit. Reluctante illo incipit horrendum vociferari, eumque accuſare, quaſi vim ſibi inferri voluiſſet, ſed ſtatim a dæmone occupata fuit; nec potuit ab alio, quam ab ipſo S. Vincentio liberari. Sanchez 5. par. c. 8. fol. 561.

S. Chryſoſtomus fuit denigratus quaſi partibus Neſtorianorum contra honorem B. V. acceſſiſſet, & ecce! Beatiſſima apparuit S. Cyrillo & Chryſoſtomum defendit. Sanchez 6. par. c. 5. fol. 740. Vide etiam Tit. *Detractio*. Confutatur mirabiliter a Deo.

Juvenis cum ſuis parentibus Compoſtellam peregrinationem faciens, & turpiſſimi ſceleris innocenter accuſatus, atque in furcam actus, mirabiliter in ipſo patibulo vivens conſervatur. R. 1. part. mir. 2.

S. Magdalena de Pazzis mirabilis erat in auſteritate jejunii: Diabolus ergo, ut eam de hypocriſi redderet ſuſpectam, aliquando aſſumpta ejus ſpecie clam in culinam irrepſit, & carnem ex olla ſurripuit. Difficile eſt dictu quam illis exinde facta ſit exoſa. Verum Deus ad ejus innocentiam comprobandam excitavit monialem ſacriſtiæ officiis addictam, quæ teſtata eſt, quod Magdalenam toto mane uſque ad meridiem viderit ea die coram Venerabili orare. Ea res tantam illi æſtimationem parturiit, *ut jam ipſi moleſtiora eſſent obſequia ſororum, quam dæmonum perſecutiones*. R. cent. 2. part. 2. mir. 36.

Dæmon libros furatur, & in cubiculum B. Bonaventuræ Tolomæi defert. Inventis ibi libris Sanctus Vir graviter diffamatur, ſed dæmon cogitur libros coram omnibus fratribus deferre, & innocentiam diffamati fateri. R. cent. 2. p. 2. mir. 44.

S. Hadeloga Regia Virgo peſſime accuſata digna fuit, cujus illibatæ Virginitati Clericus jam vita functus, coram Patre teſtimonium diceret. *N.* 3. *Feb.*

S. Hildegardis Carinthiæ Palatina a Mariti ſui fratre ad pudendum nefas ſollicitata, conſtanter reſtitit. Ab eodem proco impudicitiæ accuſata fuit, & inventa etiam impudens ancilla, quæ accuſationem firmaret juramento. Quare Hildegardis e faſtigio arcis præcipitata, ſed angelicis manibus excepta fuit, roſis etiam & liliis repente enatis, innocentiam ejus teſtantibus: Ancilla in ſaxum mutata, conjux iniquus cæcitate percuſſus fuit. *Nadaſi* 5. *Feb.*

S. Petrus M. ex Ord. S. Dominici ſæpe a Sanctis Virginibus Agnete, Catharina, Cæcilia in ſua cellula viſitatus, & cæleſti colloquio recreatus fuit. Id advertens, & per rimam januæ introſpiciens frater ad Superiorem detulit, atque Superior putans eſſe feminas terreſtres, indiſcrete exardeſcens, Petrum e Monaſterio ejecit. Humillimus Vir ſine contradictione obediens





in ultimo Provinciæ angulo inter perſecutiones diu delituit. Aliquando ad Crucifixi imaginem accedens conqueſtus eſt: En JESU Redemptor, quæ patior pro te! Res mira! Chriſtus in cruce articulatis verbis repoſuit: En Petre, quæ paſſus ſum pro te! ſic confortatus adverſa omnia pertulit, mirabiliter Deo protegente, & innocentiam ejus detegente ad priſtinos honores revocatus, tandem pro fide Martyr factus eſt. *N.* 29. *April.*

S. Priſcus Epiſc. multorum ſcelerum accuſatus, dum ſacrum coram Pontifice faceret, Angeli cæleſti muſica accinuerunt, ex quo Pontifex ejus innocentiam edoctus, magni eum habuit. *Roz.* *N.* 8. *Maji.*

Sergius Rom. Pontifex pudendi criminis accuſatus, ab Anthelmo Epiſcopo Salisburgenſi defenſus fuit. Hic Anthelmus infantem, novem dies natum, publice interrogavit, an Sergius parens illius eſſet? Repoſuit infans articulata voce: Non eſt ille parens meus! Innocens eſt! Leucht. 25. Maji.

S. Juſtus Epiſcopus vix in orbem natus parentem de adulterio ſuſpectam prodigioſe loquendo defendit. *N.* 8. *Septembr.*

S. Lioba Abbatiſſa ſanctiſſime rexit ſubditas. Id indigne ferens dæmon per vetulam impiam, infantulum recens natum, in vivarium Monaſterio proximum injici jubet. Indicibile eſt, quam atrocibus calumniis Monaſterium vapularit. Sed Vetula a malo dæmone tamdiu obſeſſa, donec crimen faſſa eſt. *Leucht.* 28. *Septembr.*

### 464. *Patienter perferuntur a Sanctis.*

S. Juniperus erat maſtix & terror dæmonum, quos ſola ſua præſentia ex energumenis ejecit. Igitur diabolus hanc ei ſtropham luſit: Inter urbem Viterbienſem & Nicolaum Comitem de Caſtelfermo erant gravia diſſidia, cum ergo aliquando Juniperus illud caſtellum adiret ſtipem collecturus, dæmon aſſumpto tabellarii habitu præcucurrit, nuntiavitque Comiti, eſſe in via aſſaſſinum a Viterbienſibus miſſum, qui eum interficere cogitaret; ſignum ejus fore, ſi in ejus reculis ſubula, & fomes inveniretur, ſubula quidem, qua ille Comitem confodere, fomes autem quo Caſtellum incendere vellet. Adveniens Juniperus ſtatim ab apparitoribus occupatus, ad Comitem adductus, quæſituſque fuit, an latro ille eſſet; cumque reponeret, ex humilitate, ſe eſſe hominem peſſimum, abſque ulteriore probatione confeſtim ad funem condemnatus fuit. Interim Juniperus hilaris eſt animi, gaudetque de omnibus iis, quæ Divinæ Providentiæ circa ſe diſponere placeret, cum ecce! currit e militibus unus in proximum Monaſterium, nuntiat Guardiano, eſſe furem patibulo proximum, qui nollet pœnitentiam agere, ſed cum riſu mortem acciperet, iret ergo & moriturum pie ad æternitatem diſponeret. Currit Guardianus, invenit ſuum Juniperum, indicat Comiti, & vinctum e vinculis redimit, &c. R. cent. 2. part. 2. mir. 23.

S. Macarius a puella imprægnata criminis accuſatus, licet a populo ludibriis & verberibus male haberetur, injuriam tamen ſuſtinet & imprægnatæ alimenta ſubmittit. Verum Deus prodidit illius innocentiam, quia puella parere non potuit, donec accuſationem revocavit. E. *Diffamatio*. n. 2.

Caſtiſſimus Joſeph ad thronum evectus nullam vindictam ſumit de Domina calumnioſe accuſante. C. Gen. 40.

Ipſa obedientiæ perfectio conſiſtit in patientia, ſi videlicet patiatur humiliter, & hilariter aſperitatem Superiorum. Quidam Religioſus in Conventu fratrum publice ab Abbate Paulo palma percuſſus, nullum ſignum dedit commotionis, ſed tacuit, & ne colorem quidem mutans, modeſtiam & tranquillitatem oſtendit. S. Stephanus ad tantam patientiam excrevit, ut eum amicum diceret, qui ſibi aliquid moleſtiæ irrogaſſet. Piiſſimus Libertinus, qui ab Abbate irato, ſcabello in vultum impacto offenſus fuit, dicebat, id ſuæ eſſe culpæ, non illius ſævitiæ. Quo dicto Abbatem ad magnam manſuetudinem perduxit, & *humilitas diſcipuli facta eſt Magiſtra Magiſtri*. S. Joannes Damaſcenus ob carmen compoſitum juſſus a ſeniore cloacas purgare, id hilariter præſtitit. S. Monica ab Ancilla vocata Meribibula, omni ſe vino interdixit. Catharina Arragonia ab Henrico VIII. Rege Anglorum repudiata, repoſuit, malle ſe fortunam iniquam, quam faventem. Captivus Hero gentili dixit, Ego ſtigmata Chriſti in corde porto: Occiſus fuit ab hero, & in corde ejus Chriſti ſtigmata ſunt inventa: C. in Ep. 1. Petr. c. 2. verſ. 18.

*Caſſian. collat. 19. c. 1.*

*S. Greg. Hom. 35. in Evang.*

S. Gregorius enarrat de quodam Stephano, quod admirabiliter fuerit patiens: Patientia in eo ita excreverat, ut eum ſibi amicum crederet, qui ſibi moleſtiæ aliquid irrogaſſet: Reddebat contumeliis gratias, &c. C. Eccli. 2. v. 1. Item Iſa. 53. v. 7.

S. Barbara, Chriſtina, Paulus Eremita, Rex VVenceslaus, Flavia Domitilla, & alii plures ab ipſis parentibus, fratribus, filiis, & cognatis perſecutionem uſque ad mortem paſſi ſunt. C. in Matth. 10. v. 21. Item C. Exod. 16. v. 3.

# LIBER SEPTIMUS

## *PARS PRIMA*

## DE PECCATIS IN GENERE.

PECCATUM IN GENERE.
*Peccator.*
*Peccator inveteratus, obſtinatus, &c.*
*Peccatum originale.*
*Peccatum veniale.*
*Peccatum jam ſemel remiſſum.*
*Peccatum omiſſionis.*
*Peccati effectus.*
*Mala conſcientia.*
*Mala conſuetudo.*
*Relapſus in priſtina peccata.*
*Excuſationes peccati.*
*Concupiſcentia.*
*Tentationes dæmonis.*
*Naturæ fragilitas.*
*Malum exemplum.*
*Aliorum hominum inhumanitas.*
*Status & officium.*
*Vitia.*
*Choreæ.*
*Pericula ſeu incitamenta peccati.*
*Mala occaſio.*
*Mala Societas.*
*Conſortium cum muliere.*
*Concupiſcentia.*
*Curioſitas vitioſa.*
*Malum exemplum.*
*Reſpectus humanus.*
*Securitas & impunitas.*
*Egeſtas & abundantia opum.*

*Pars II.*

PECCATA CONTRA VIRTUTES THEOLOGICAS, & CARDINALES.

PECCATA CONTRA FIDEM.
*Apoſtaſia.*
*Blaſphemia.*
*Dubitationes in fide.*
*Hæreſis, Hæretici.*
*Idololatria.*
*Ignorantia Myſteriorum fidei.*
*Judaiſmus, Judæi.*
*Juramenta.*
*Perjurium.*
*Perfidia contra pacta.*
*Irreverentia in templo.*
*Mala obſervatio Feſtorum.*
*Superſtitiones.*
*Veneſicia.*

PECCATA CONTRA SPEM.
*Præſumptio de Miſericordia Dei.*
*Deſperatio.*
*Præſumptio de ſuis viribus.*
*Procraſtinatio pœnitentiæ.*

PECCATA CONTRA CARITATEM.
*Adulatio.*
*Judicium temerarium.*
*Scandalum.*

PECCATA CONTRA VIRTUTES CARDINALES.
*Furtum.*
*Detentio rei alienæ.*
*Falſum teſtimonium.*
*Mendacium.* *Inconſtantia.*
*Ingratitudo.*

*Pars III.*

PECCATA ALIENA.

SUADERE PECCATUM.
DERIDERE VIRTUTEM.
MANDARE PECCATUM.
LAUDARE PECCATUM.
DEFENDERE PECCATUM.
GLORIARI DE PECCATO.
CONNIVERE PECCATUM.
IRRITARE AD PECCATUM.
TACERE PECCATUM.
CONSENTIRE SEU PARTICIPARE DE PECCATO.

*Pars IV.*

PECCATA CAPITALIA CUM SUIS FILIABUS.

SUPERBIA.
*Ambitio.*
*Amor proprius.*
*Obſtinatio Judicii.*
*Voluntas propria.*
*Hypocriſis.* *Vana gloria.*

AVARITIA.
*Divitiæ.* *Pecunia.*
*Immiſericordia in pauperes.*
*Fraudulentiæ in contractibus, officio &c.*
*Defraudatio Decimarum.*
*Defraudatio Mercenariorum.*
*Luſus.*

LUXU-



LUXURIA.
*Adulterium.*
*Cogitationes impuræ.*
*Familiaritas utriuſque ſexus.*
*Laſciva colloquia.*
*Cantus laſcivus.* *Libri laſcivi.*
*Laſcivus habitus.*
*Laſcivæ Picturæ.*
*Comœdiæ obſcenæ.*

INVIDIA.
*Detractio, diffamatio.*
*Suſurratio.*

GULA.
*Ebrietas.*
*Convivia.*
*Garrulitas, Multiloquium.*
*Vinum.*

IRA.
*Inimicitia, Vindictæ cupiditas.*
*Rixæ, diſcordiæ.*
*Homicidium.*

ACEDIA.
*Otium.*
*Tepiditas.*

## *PARS PRIMA.*

# DE PECCATIS.

### PECCATUM IN GENERE.

*1. Quid ſit? per definitiones conglobatas.*

PEccatum eſt ſumma inhumanitas erga Deum, qua homo creaturę faciem, tergum creatori obvertit: qua creaturam præhabet creatori: qua contemnit ſummum Bonum intuitu vilis rei: qua ſeditioſe ſe opponit omnipotenti, eumque cæleſti corona ſpoliare contendit. Peccatum eſt intolerabilis temeritas, qua homo ſe extollit contra Divinum Legislatorem, ejuſque legem pedibus calcat: imaginem Dei ex anima eliminat, ſanguinem Chriſti vilipendit, minas, pœnaſque Divini Judicis non curat, &c. B. Serm. 29. num. 22.

Peccatum, ajebat B. Jordanus ex Ordine Sancti Dominici, eſt porta inferni: ſicut igitur facile fit, ut ille, qui frequenter ad portam domus conſidet, demum ipſam domum ingrediatur: ita qui frequenter peccatum committit, demum ipſum infernum intrabit. D. 3. 52.

Peccatum eſt injuria, quæ a creatura altiſſimæ Dei Majeſtati infertur: eſt abyſſus deformitatis ſine fundo, eſt pelagus iniquitatis ſine littore, &c. P. p. 3. diſ. 1. n. 4.

Peccatum eſt averſio a Deo, & converſio ad creaturas, *duo mala fecit populus, me dereliquerunt fontem aquæ vivæ, & foderunt ſibi ciſternas diſſipatas, &c.* Jer. 2. Segn. Manna 9. Aug. n. 1.

Peccatum dicitur nihilum, quia peccator lætatur in re nihili, id eſt, in creatura, quam creatori anteponit, & animam privat Deo, qui eſt omnia, &c. C. Amos c. 6. v. 14.

Ortum ſuum trahit ex variis cauſis: nimirum cauſas intrinſecas habet Voluntatem, Intellectum, Paſſionem, Imaginationem, habitum pravum, ignorantiam, & actum alterius peccati; ſic ex ſuperbia rixæ, ex avaritia furta generantur, &c. C. in Jac. 1. v. 14.

*2. Solum vere malum eſt; quia offenſa Dei.*

Mundus paupertatem, morbos, perſecutiones malum vocat: ſed errat; quia hæc omnia poſſunt eſſe promotio ad æternam felicitatem. Solum peccatum me privat vero bono, nimirum Deo. B. Ser. 5. num. 7. 8. ſeq.

Cetera mala omnia ſunt mala creaturarum, ſed peccatum eſt vere malum Dei, quia eſt contemptus Dei. Quæres forte, quid ergo noceat Deo? Quæro ego viciſſim, quid ergo potes amplius nocumenti afferre Deo, quam illum contemnere? Non potes turbare ejus pacem, qua fruitur, non potes tollere ejus potentiam, minuere providentiam, aut thronum ejus evertere: *Si peccaveris quid ei nocebis?* Job. 35. Quidquid facere ei potes mali, conſiſtit in contemptu. Et hoc eſt, quod in peccato maxime prohibet Deus, &c. Segn. Manna 7. April. num. 5.

Nemo dicat: non cupio offendere Deum peccato, ſed tantum ſatisfacere voluptati: nam offenſa & contemptus alius eſt directus, alius indirectus. Qui feminam proſtituti pudoris ducit, injuriam infert familiæ, etſi injuriam illi inferre non velit, ſed tantum uxorem ducere, ita in peccato inſeparabilia ſunt, Deum offendere,

ALERE FLAMMAM VERITATIS
UNIVERSIDAD AUTÓNOMA
DIRECCIÓN GENERAL DE

dere, & ſuam voluptatem implere. Segn. Hom. Chr. p. 2. diſc. 1. §. 3. n. 20.

Atque hoc revera unicum ſit noſtrum motivum fugiendi peccata: aliqui fugiunt ob damnum temporale tantum. Non ita! peccatum fugiendum eſt, quia malum infinitum; ideo Deus Adamo levem rem prohibuit, ut non fugeret peccatum propter gravitatem materiæ, ſed propter offenſam Dei. P. p. 2. diſ. 1. n. 18. & 19.

Solum peccatum excludit nos e cælo: non ibi excludit natalium ignobilitas, quia etiam Ruſtici recipiuntur; non excludit miſeria; quia etiam claudis, luſcis, leproſis cælum patet, &c. Solum peccatum excludit. P. p. 2. diſc. 19. n. 14. in fine.

*3. Publicum cauſat publicas calamitates.*

*Publicum peccatum publicæ calamitatis eſt cauſa*, ait Sanchez.

David adulter miſericordiam conſequitur, Abſalon vero ingreſſus ad concubinas Patris ſui punitur: Quare? quia *ingreſſus eſt ad concubinas Patris ſui coram universo Iſrael, &c.* B. Serm. 63. n. 12.

Ratio autem eſt; quia peccatum publicum provocat peccantium audaciam, eoſque in malo facit effrontes: multi ſunt peccatores, qui certe propter motiva ſupernaturalia non abſtinent a peccato, ſed pure propter naturalia, uti infamiam & amorem honeſtatis: Quid autem agit peccatum publicum? tollit hoc repagulum infamiæ, quia quod publice fit, vix amplius turpe eſſe cenſetur, & ſic propagatur malitia, & juſtitia Divina irritatur ad ultionem, & ingerenda ſupplicia.

Multæ civitates, & reſpublicæ perierunt, ſed perierunt tunc, cum malitia tranſiit in mores populi. D. 20. 59.

S. Greg. in Pſalm. 1. Panit. S. Gregorius ait: *Illud verum eſt apertæ deſperationis indicium, ſi verecundia non ſequitur peccatum.* Si verecundia peccato auferatur, ſuccedit impudentia, & quidlibet audiendi libido, quæ eſt proximus gradus ad interitum. C. Jerem. 3. verſ. 3.

Job 34. Job ait de Deo, *qui regnare facit hominem hypocritam propter peccata populi.*
Iſa. c. 3. Et Iſaias: *Dabo pueros principes eorum, & effeminati dominabuntur eis.* Exemplum eſt Phocas Imperator, de quo Deus ſancto Monacho dixit: *Dedi illum populo, quia non inveni pejorem.* Item Angelus dixit hypocritæ Epiſcopo: Non ideo factus es Epiſcopus, quia dignus eras ſacerdotio, ſed quia civitas tali dignus erat Epiſcopo! C. Jerem. 25. v. 9. &c. Hæc eadem forſan cauſa eſt, quod mali Principes diu vivant, boni autem & utiles rectores præmatura morte abripiantur.

*4. Peccatum continet multiplicem malitiam.*

Primo: Amat creaturas præ creatore. B. Serm. 3. n. 26.

2. Abutitur creaturis ad ſuam perniciem, quæ deberent eſſe ad ſalutem. B. Serm. 3. n. 40. ſeq.

3. Calcat pedibus legem Chriſti. B. Serm. 4. n. 8. 30. & 32.

4. Invehit mala maxima, & plagas univerſales in mundum. B. Serm. 38. n. 2. 3. Serm. 45. n. 15. 16.

5. Armatur contra Deum ſummum ſuum benefactorem. B. Serm. 4. n. 11. 12.

6. Deum perimit, quantum eſt in ſe. B. Serm. 4. n. 13. 20.

7. Abutitur beneficiis Dei contra Deum. B. Serm. 4. n. 15. 16. Serm. 22. n. 16. Serm. 85. n. 12. S. punct. 156. fol. 506.

8. Abutitur ipſo Deo contra Deum. B. Serm. 4. n. 18. 28.

9. Renuntiat cæleſtibus bonis, ac ipſi Deo. B. Serm. 5. n. 49. 50. Serm. 19. n. 12.

10. Animam involvit tenebris, illique adimit lumen gratiæ, quam extinguit. C. 1. Joan. c. 1. v. 6.

11. Maxime ſunt quinque malitiæ peccati. 1. Quod ſit contra rectam rationem, ſeu naturam rationalem. 2. Quod ſit contra hanc vel illam virtutem in particulari v. g. ſuperbia contra humilitatem. 3. Quod afficiat peccatorem damnis temporalibus v. g. infamia, morbo, &c. 4. Quod ſit malum Dei, contrarium ejus honori. 5. Quod privet vita æterna, & addicat illum pœnis ſempiternis. C. in Jerem. 2. initio capitis.

12. Peccatum eſt fons omnium malorum. 2. Eſt majus malum, quam omnia alia mala. 3. Eſt Deicidium, quia unicus pugio, quo Deus occideretur, ſi mori poſſet. 4. Eſt Chriſticidium; oportuit magis Dei Filium tam indigna pati, quam peccatum manere inultum. 5. Peccatum nullo bono creato compenſari poteſt, &c. C. in Jerem. 2. ubi ſuprà.

*5. Poſt Paſſionem Chriſti gravius.*

S. Paulus ait, Chriſtum mortuum eſſe Rom. 3.
pro præcedentibus peccatis: quia impoſſibile judicavit hominem peccaturum poſt mortem Chriſti: *Quis poſt tale ſpectaculum peccare non formidet?* Ait S. Thomas Villanova. B. Serm. 4. n. 28. Thom. de Villan. Serm. 2. Advent.

Ec-



Eccleſia lanceam vocat, *diram*, clavos *dulces*, quia lancea mortuum, clavi vivum ſauciarunt. B. Serm. 4. n. 31. S. punct. 161.

S. Auguſtinus ait: *Poſtquam me intellexi tam pretioſo ſanguine redemptum, nolui me amplius exhibere venalem.* S. punct. 1. fol. 533. Vide Titulum *Paſſio Chriſti* & S. punct. 153. punct. 161. per totum. Item Tit. *Luxuria.* Devitari debet ex motivo Paſſionis Chriſti.

Quæſo ſi unus unicus homo à Chriſto redemptus eſſet, & ille dein peccaminoſe viveret, quid dicerent ceteri homines! an minus putatis vos Deo obſtrictos, cum ille una cum vobis etiam alios redemit, &c. P. p. 2. diſ. 2. n. 17.

Dicite, ſiquis vobis auferre vellet, quod paullo ante emiſtis, nonne de hac injuria ad judicem eſſetis appellaturi? quanta ergo injuria eſt, qua homo ſe Deo, a quo redemptus eſt, per peccatum vult
Cor. 6. ſubtrahere? *An neſcitis, quia non eſtis veſtri? &c.* P. p. 2. diſ. 2. n. 19.

Sanctus Paulus ait, Chriſtum fuiſſe mortuum pro præcedentibus peccatis, quia non judicabat fieri poſſe, ut poſt crudele crucifixionis ſpectaculum adhuc aliquis peccaret. B. Serm. 4. n. 28.

Sanguis Chriſti quaſi conqueritur: *Velut aqua effuſus ſum*, nimirum propter contemptum. S. punct. 27. fol. 693.

Joſeph carius venditur, quam Chriſtus, & tamen puer erat, non Vir, nec ad mortem, ſed ad ſervitutem, ille petitus ab emptoribus, hic ultro a Juda exclamatur, ille pro certo pretio taxatur, hic pro nullo: *Quid vultis mihi dare?* Sanctus Proſper ait: *Venditur Chriſtus in Joſeph ante legem, in Samſone ſub lege, a Juda ſub gratia.* S. punct. 1. fol. 531.

Non tantum contemnit paſſionem, ſed de novo crucifigit Chriſtum, teſte Apo-
Hebr. 6. ſtolo: *Rurſus crucifigentes Filium Dei.* Chriſtus plus per peccatum, quam per crucifixionem occiſus eſt; qui ergo de novo conſentit in peccatum, de novo conſentit in crucifixionem Chriſti. Si præſens fuiſſes, dum Pilatus interrogabat, quid faciendum de Chriſto? Nonne Barrabam condemnaſſes? Quid autem loquuntur tua opera? Quid aliud eſt tua voluptas, quam Barrabas? Quid aliud lex Dei quam Chriſtus? eligendo ergo voluptatem clamas crucifige! B. Serm. 4. n. 33. 34.

*6. Si vere cognoſcitur, non committitur.*

Qui peccatum agnoverunt, impoſſibile judicarunt illud committere: qui vero poſt peccatum illud cognoverunt, ſine mora pœnituerunt: primi generis ſunt Joſephus, Suſanna, Machabæi, S. Paulus, primi Chriſtiani, Sanctus Anſelmus, qui maluit ſine peccato damnari, quam cum peccato ſalvari. Secundi generis ſunt David, Magdalena, Maria Ægyptiaca, Thais, &c. B. Serm. 5. n. 1. 2.

Hunc in finem Deus cum peccatoribus agit per meras interrogationes: *Adam ubi es?* Cain *ubi eſt frater tuus?* B. Serm. 5. n. 4. Serm. 22. §. 3. Serm. 58. n. 1. M. conc. 19. aſſ. 1. n. 13.

S. Catharina Genuenſis dicere ſolebat, ſi poſſet toti mundo deformitatem peccati monſtrare ea ratione, qua ipſa eandem cognoſceret, velle ſe omnia ſubire ſupplicia. Indubitanter enim tenebat, tunc fieri non amplius poſſe peccatum. P. p. 2. diſ. 1. n. 17.

Rudis quidam paſtorculus, dum in ſabulo jacere videt ova Baſiliſci, induci non poteſt, ut ea diffringat, imo potaminum albedine delectatur: dum econtra in ſchola naturæ peritus non ſemel, ſed ſæpius pedibus proterit, ita ut comminuendo videatur ſatiari non poſſe. Ita peccator ignorans peccata ſua non aliter quam in cortice intuens perſuaderi non poteſt, ut ea abominetur, imo in iis ſibi complacet, dum econtra alius in Schola Chriſti ſancte eruditus illud extreme odit, & perſequitur. P. part. 2. diſ. 16. num. 22.

S. Maria Ogniacenſis ſemper erat hilaris, ſed cum Deum peccato aliquo offenſum fuiſſe audiret, uſque ad mortem contriſtata tam uberes lacrymas fudit, ut excitatis periculum ſubiret. Aliquando Urbem Navellenſem tranſiens, & aliqua ſcandala videns talem ſenſit afflictionem, ut parum abfuerit cor illius diſrumpi; quare ut internum dolorem externo ſuperaret accepta novacula plantas pedum, quibus infectam illam terram attigerat, exſcidit, ſoloque dein pedes pelle nudatos alliſit. P. p. 2. diſ. 21. num. 9.

*Nullus eſt, qui agat pœnitentiam ſuper* Jerem. 8.
*peccata ſua, dicens quid feci?* Si homo rite perpenderet deformitatem, & atrocitatem peccati, dicendo *quid feci?* certe non tam facile tantum malum committeret. Princeps otioſus & deliciis aſſuetus non curat rebelles in regno ſuo: at qui re- Simile.
gendis populis intentus eſt, dux ipſe cum exercitu prodit, & nec ſumptibus, nec ſanguini parcit, donec rebelles compeſcat. Ita ſi Chriſtiani deliciis vacantes, non curant gravitatem peccati. At ſi reverà attendant damna peccati, illud opprimere & delere ſatagunt. P. p. 3. diſ. 19. n. 15.

Tria

Tria ſunt, quibus licentia peccandi coercetur. 1. Reverentia Dei præſentis, & omnia cernentis. 2. Memoria beneficiorum Dei. 3. Timor judicii Divini. Intuitu horum Sancti parati fuerunt potius mori, quam peccare, uti S. Paulus, S. Ambroſius, S. Chryſoſtomus, S. Ludovicus, Tobias, Edmundus, Anſelmus, & alii. Rufinus dixit Theodoſio Imp. ſe curaturum, ut Ambroſius vincula injecta laxaret: cui Theodoſius: *Novi ego conſtantiam Ambroſii, & quod nullo regiæ Majeſtatis terrore Dei legem tranſgreditur.* Eodem modo dictum Eudoxiæ de S. Chryſ. *Fruſtra illum hominem terres, nihil ille, niſi peccatum timet.* C. Gen. 39. v. 9.

*7. Graviſſimum, quia fit in conſpectu Dei.*

Differentia inter furem & latronem hæc eſt, quod ille adhuc aliqualem reverentiam Domini habeat, iſte autem ſine omni reſpectu aperte in faciem ſpoliet: ita peccatem inſtar latronis impudens eſt, Deum ſub ejus oculis offendit. Et hoc eſt, quod deplorabat David: *Tibi ſoli peccavi, & malum coram te feci.* P. p. 2. diſc. 1. n. 10.

Et quidem peccatum fit ante conſpectum judicis, quanta protervia! Antigonus Rex monuit milites contra ſe loquentes: Recedite, Rex audit! Ita admonendi eſſent peccatores: Recedite in angulum, aut ſpecum, qui Divinis oculis non eſt pervius, &c. P. p. 2. diſc. 1. num. 11.

Quædam belluæ ſciunt ſe aſtute abſcondere: Leo veſtigia ſua in arena delet: Urſus retrogradus in ſpeluncam intrat, ne a venatoribus inveniatur. Solus peccator ita obbruteſcit, ut oculos Dei fugere non diſcat. P. ibid. num. 12.

Certe hæc injuria tam ægre dolet Deo, ut vellet, ſi poſſet, cedere ſuam immenſitatem, ne omnia peccata intueri cogeretur. P. Ibid. n. 14.

Omnes rebelliones, utut occultæ, graviſſimis ſuppliciis punitæ ſunt, quid ergo pœnarum mereretur, qui ſub conſpectu Regis rebellionem adornaret? &c.

*8. Eſt ponderoſum graviſſime &c. præſertim Chriſtianorum.*

Peccatum per undecim cælos depreſſit Luciferum cum ſociis in infernum. Navem Jonæ ita demerſit, ut *nautæ miſerunt vaſa in mare*, ubi Hieronymus: Non intelligitis *eſſe pondus fugitivi Prophetæ*? Ægyptii deſcenderunt in profundum quaſi lapis, ſuffocati vero iterum ſupernatarunt aquis: quia tunc *a mortuis aberat onus peccati, quod vivos depreſſerat*. Ait S. Hieronymus. B. Serm. 1. n. 30. Serm. 18. §. 5. S. punct. 159. 160.

*Grave & onerosum eſt peccatum, & omni plumbo ponderoſius*, ait Chryſoſtomus. S. punct. 159. ſeq.

Jonas in infimam navem deſcendit, quia omne grave tendit deorſum. S. punct. 159. fol. 514.

Chriſtus in agonia corruit propter pondus peccati, quod in ſe ſuſcepit. S. pun. 3. fol. 543.

Petrus in mari mergitur &c. M. conc. 31. aſſ. 1. n. 5. 6. 7.

Peccatum adeo ponderoſum eſt, ut nos pertrahat uſque ad infernum. Paoletti Fer. 2. poſt Dom. 2. Quadr.

Quamquam autem peccatum in ſe grave ſit, eſt tamen peccatum Chriſtianorum ſeu Fidelium adhuc gravius, quam Infidelium & hæreticorum: Ad Ægyptios, & Aſſyrios puniendos unicus mittitur Angelus, ad Iſraelitas puniendos ſex mittuntur Angeli. B. Serm. 61. num. 26.

Aſſyrii in terra Iſrael idololatrantes puniuntur, qui non fuerunt puniti in Babylon. B. Serm. 72. n. 20.

Si ruſticus in platea offendat nobilem, & quæſitus noſti me? Reſpondeat, novi: merito vapulat. Si neget, impunitus dimittitur: ſic cum ſatellites ab impio Rege miſſi Eliam capere volentes eum vocarent, *Homo Dei*, Elias ſtatim fulmina evocavit, & eos peremit, S. punct. 19. fol. 70.

S. Macarius in eremo ambulans incidit in Calvariam, interrogans eam quis eſſet aut fuiſſet? repoſuit Calvaria, ſe fuiſſe gentilem ſacrificulum in hoc loco. Ubi de facto eſſet ipſius anima? in inferno. An ibi etiam inveniantur Chriſtiani? Inveniri, ſed illos longe profundius in infernalibus prunis eſſe demerſos. E. *Infernus* nu. 3.

Cum navis Chriſtiana in terra ſancta appelleret, Aulicus Nuradini Principis narravit peregrino, Chriſtianos in hac terra viventes adeo fuiſſe ſuperbos, luxurioſos, & ſceleratos, ut Deus illos ex hac regione ejicere debuerit. E. *Veſtimentum* nu. 4.

Creſcit inſuper hæc gravitas delicti ex eo, quod Infideles viſa hac Chriſtianorum impietate non convertantur: ſi poſt frequentata Sacramenta nos non emendari cernunt, credunt hæc ſancta remedia eſſe inefficaces cæremonias. S. punct. 103. B. Serm. 37. §. 8. Hinc omnes SS. Patres docent, peccatores Chriſtianos profundius in infernum demergi.

9. Ex-

*9. Extinguit in anima imaginem, & gratiam Dei.*

*Sicut fluit cera a facie ignis, ſic pereant peccatores.* Agnus cerei liqueſcit ad ignem: ita imago Dei in anima diſparet apud peccatum. B. Serm. 2. num. 30.

S. Aug. l. 1. Conf. c. 13. S. Auguſtinus narrat de ſeipſo, quod in Virgilio legens mortem Didonis amare fleverit, & ſuam ipſius animam peccato mortuam non defleverit. Hæc inſania eſt multorum peccatorum, &c. D. 7. 23. in fine.

*Inſignis in arte non debet mori*, adagium eſt: igitur gratia Dei nobiliſſimarum operationum principium per peccatum non deberet extingui. P. p. 2. diſ. 11. n. 6. ſeq.

Deus Creator omnes creaturas ex nihilo productas laudavit: *Et vidit quod eſſet bonum.* Hoc autem laudis epiphonema omiſit apud hominem: Quare? quia prævidit illum futurum eſſe malum per culpam, & perditurum ſuam pulchritudinem. C. Gen. 1. 29.

Sæpe Dominus Deus in pœnam peccati deformitatem animæ peccaminoſæ ſignis externis prodidit ad horrorem aliorum: Vir quidam poſt commiſſum adulterium, ubi domum rediit, facie in formam dæmonis mutata punitus eſt: ubi fores pulſavit, uxor, liberi, domeſtici, imo etiam bruta & canes illo viſo exhorruere: omnes timere, vociferari, & diffugere cœperunt! Ecce! peccatum non tantum gratiam Dei, & imaginem Creatoris in anima peccatrice extinguit, ſed inſuper formam diabolicam inducit. E. Verbo *Adulterium* Ex. 5.

*10. Turpiſſime deformat animam coram Deo.*

*Sepulcrum patens eſt guttur eorum*: Ubi S. Chryſoſtomus: *Peccator ipſis cloacis ſpurcitiæ intolerabilem ex anima ſpirat fœtorem.* M. conc. 31. aſſ. 2. nu. 7. S. Chryſ. Hom. 11. in Matt.

Angelus & Anachoreta tranſibant cadaver: Anachoreta nares obſtraxit: cum autem tranſiret juvenem laſcivum obſtruxit Angelus. M. conc. 31. aſſ. 2. n. 8. Auguſtinus ait: *Tolerabilius caro putrida fœtet hominibus, quam anima peccatrix Deo.* Ib. S. Aug. de contrit. cord.

Sicut corpus abeunte anima fit deforme, putridum, tabe plenum, & proin neceſſe eſt illud inferri tumulo: ita anima, cum ſeparatur a Deo & ejus gratia, tam fit terribilis, ut eam abominetur Deus, & proin projiciat in ſepulcrum illi debitum, quod eſt infernus, &c. Segn. Manna 23. Maji. 4.

De quibuſdam populis in Africa dicitur, quod ſint ſine capite, atque oculos & os in pectore gerant, de aliis dictis Cynocephalis eo quod caput caninum habeant, item de aliis, qui unicum oculum in media fronte, aut unicum pedem habebant. Quamquam hæc monſtra ſint, turpior eſt peccator coram Deo. D. 10. 5.

Cum S. Dominicus prædicaret ad populum, templum ingreſſus eſt Petrus Nobilis ſed ſceleratus toparcha: omnes mirabantur ejus pompam, ſed Sanctus Vir oravit Dominum, ut omnes præſentes hunc peccatorem intueri poſſint, qualis animatenus erat: Et ecce! Petrus repente mutatus eſt in monſtrum infernale mille dæmonibus ſtipatum, &c. R. cent. 2. part. 1. mir. 34. E. Verb. Adulterium ex. 5.

Puer quidam Hibernus habebat duplex pectus, geminum caput, manus & digitos anſerinos: comedebat gramen & caules, atque vocem habebat inſtar balatus. In Inſulis Scythicis gens erat, quæ tam grandes habebat aures, ut tota ipſorum corpora iis contegantur. VV. Art. diſc. font. 25. Ex. 1. Sed deformior eſt peccator ante Deum.

*11. Eſt malum omnium graviſſimum.*

Inter afflictiones temporales fere nulla eſt, quam Sancti non elegerunt, ut ſe a peccatis præſervarent. Quidam Dei famulus potens erat in expellendis dæmonibus ex obſeſſorum corporibus: cumque ſuper hoc dono in periculum ſuperbiæ incideret, rogavit, impetravitque a Deo, ut omnes dæmones, quos hactenus ejecerat, ipſum obſiderent. Sex menſibus inſtar amentis erat catenis alligatus. Sanchez 7. part. c. 2. fol. 919.

Si diabolus poteſtatem haberet omnes Sanctos e cælis detrahendi, minus malum committeret, quam fit unico peccato; quia malum illud eſſet malum creaturarum, ſed peccatum eſt malum ipſius Dei. Segn. Hom. Chr. p. 2. diſc. 1. §. 3. n. 21.

Peccatum eſt gravius malum ipſo inferno; quia hic tantum eſt malum pœnæ, peccatum eſt malum culpæ. *Non eſt malum puniri*, ait S. Dionyſius, *ſed fieri pœna dignum*; hinc Sancti maluiſſent in infernum inſilire, quam peccare, &c. P. p. 2. diſ. 11. n. 10. 11. ſeq.

Peccatum habet quamdam infinitatem malitiæ ex infinitate Divinæ Majeſtatis, cujus offenſa eſt; unde omnia SS. Apoſtolorum, Prophetarum, Martyrum, Virginum, Confeſſorum, & ipſius Beatiſſimæ

Vir-

Virginis merita ſimul ſumpta, non ſunt ſufficiens pretium ad expungendum unicum peccatum, &c. P. p. 1. diſ. 23. n. 2.

Eſt gravius malum, quam ipſe dæmon. S. Dominicus mulierem a malo dæmone liberavit, ſed cum illa in tepiditatem, tentationes & vitam voluptuoſam incideret, ſuaſit illi Dominicus ut denuo præeligeret a dæmone occupari, quod & factum eſt. E. *Infirmitas* num. 13.

Peccatum eſt quaſi Deicidium, imo veriſſime Chriſticidium, quia expiari non potuit, niſi ſanguine & morte Chriſti. C. Mich. 7. v. 20. Et Act. 3. v. 26.

### 12. *Serio fugiendum, & quomodo?*

Miles ad bellum iturus, armis non *Defenſivis*, uti ſcuto, lorica & galea, quam *Offenſivis*, uti lancea, gladio, ſclopeto, contra hoſtes ſeſe obmunit. Parem in modum Homo Chriſtianus, præſertim pœnitens ſanctis principiis, uti memoria præſentiæ Dei, Paſſionis Chriſti, Patrocinii Beatiſſimæ, mortis, judicii, inferni, aliiſque, tanquam armis ſeſe obmunire debet, quæ ſtatim tentationi ſubeunti opponere poſſit. Sic fecit pœnitens David, inquiens: *In corde meo abſcondi eloquia tua, ut non peccem tibi!* Nota! hæc eloquia, ſeu ſalutaria principia *abſcondit*, quod enim ſolicite aſſervatur, abſcondi ſolet! *In corde*, non in manu, non in pede, non in ſola memoria, aut intellectu, ſed *in corde*, id eſt, in voluntate, per quam ceteræ omnes potentiæ diriguntur, & coercentur. Quænam autem ſunt hæc *eloquia ſeu* principia? ſunt veritates æternæ, quarum aliquæ ſe tenent ex parte Dei, aliquæ ex parte peccatoris, aliquæ ex parte ipſius peccati. *Ex parte Dei* certum eſt, quod Deus graviſſime offenditur, Paſſio Chriſti contemnatur, & renovetur, &c. *Ex parte peccatoris* certum eſt, quod jus ad cæleſtem patriam perdat, in ſervitutem dæmonis tranſeat, caduca æternis præferat, in plura ac plura peccata incidat, ſemperque magis inferno appropinquet. *Ex parte denique ipſius peccati* certum eſt, quod ſit rebellio contra Deum eum in morem, quo Lucifer cum rebellibus Angelis ſe Deo oppoſuit, quod creaturam præferat creatori, quod legem Chriſti contemnat, & quaſi pedibus conculcet, quod ipſo facto renunciet cæleſtibus bonis, & inferno ſe addicat, quod beneficiis Dei abutatur contra Deum, quod merita omnia hactenus collecta amittat, & quæ ſunt ſimilia. Hæc principia Homo Chriſtianus, dum tentatio ingruit, in promptu habeat, & tentatori opponat: ſic fiet, quod ſperavit David: *Ut non peccem tibi! &c.*

### 13. *Elongat peccatorem a Deo, & eum contemnit.*

*Adam ubi es?* S. Ambroſius: *quo te perduxerunt peccata tua?* B. Serm. 3. n. 8. Vide Titulum: *Finis hominis*. Serm. 11. n. 4. 5. C. Geneſ. cap. 3. verſ. 8.

Gen. 3. S. Ambr. lib. de Paradiſ. c. 14.

Sine Deo eſſe maximum malum eſt: S. Catharina Genuenſis aiebat: ſi in Oriente eſſet, & animam ſine Deo in Occidente ſibi appropinquare ſciret, jam ſe incapturam timere. S. punct. fol. 521.

Herodes fugitur a Chriſto abeunte in Ægyptum. M. conc. 13. aſſ. 1. n. 3.

Peccator dum fugit a Deo ad creaturam revera contemnit Deum: *In manus ejus ſtateræ doloſa*, quia judicat putidam creaturam majus eſſe bonum quam Deum. Quantus contemptus! P. p. 2. diſ. 1. n. 6. Siquis bene meritus indigno poſtponatur, quantum luget! quam ægre ergo feret Deus ſe creaturæ poſthaberi. *Obſtupeſcite cæli ſuper hoc!* Quare? quia *duo mala fecit populus: me dereliquerunt fontem aquæ vivæ, & foderunt ſibi ciſternas &c.* Hinc Deus conqueritur: *Cui aſſimilaſti me? &c.* Ibid. n. 7. Segn. Manna 9. Aug. n. 1.

Magni Principes nil magis zelant, quam ſuum honorem, & nihil ægrius ferunt, quam ſe aliis poſtponi. Carolus Borbonius ob demandatam primæ aciei curam Alenzonio: & Andreas Doria maris præfectus ob prælatum ſibi Barbigium ad Carolum V. Imperatorem defecerunt. Cum Maximilianus II. Legatum Regis Hiſpaniarum Legato Galliæ in aula Cæſarea prætulit, hanc injuriam Galli exiſtimarunt ſufficere ad bellum Hiſpano movendum. VV. art. diſc. font. 72. ex. 1. Quantum igitur Deus erit honoris ſui zelotes, nec patietur ſe creaturæ poſtponi.

### 14. *Abſque ulla ratione committitur.*

Popule mi, *quid feci tibi?* an me perſequeris, quia creavi, redemi, conſervavi, non damnavi te? Pilatus non invenit in me cauſam, & tu invenis? Judæ ſuccenſes, & tu deterior es in me? &c. B. Serm. 4. n. 37.

S. Polycarpus, cum a tyranno juberetur negare Chriſtum, repoſuit, octoginta annis Chriſto ſervio, & nullum unquam malum ab eo recepi, cur ergo vis ut offendam ac deſeram illum? Sanchez 4. part. c. 6. fol. 311.





Diabolus promiſit protoparentibus Divinitatem per eſum pomi. Fefellit miſeros! ſed ſi verum promiſiſſet, non debuiſſent conſentire in peccatum; quanto ſtultius eſt conſentire ob nihilum? Segn. Hom. Chr. p. 2. diſc. 1. §. 3.

Si Beatiſs. Virgo non aliter potuiſſet Maternitatem Dei impetrare niſi per peccatum, illa non conſenſiſſet: hinc *turbata eſt in ſermone* Angeli. Et homo ob rem nihili Deum offendit, &c. Ib. n. 15. & 16.

Qui peccat, forſan in peccato immenſam ſibi felicitatem, delectationemque imaginatur, ſed poſt momentaneam guttulam mellis, experietur torrentem fellis: *Dies vertetur in tenebras, &c.* M. conc. 29. §. 1. n. 14. B. ſerm. 18. n. 27.

S. Bernard. ait: *In peccato tranſit jucunditas non reditura, manet anxietas non relictura.* C. Gen. c. 3. v. 8.

Qua de cauſa offendis Deum? quid mali tibi fecit? An quia creavit, redemit, conſervavit, & necdum te damnavit? An quia in cruce pendet, & tormenta tibi debita amore tui ſuſtinet, &c. &c.

### 15. *Poſt viſa aliorum ſupplicia gravius.*

Deus regiones Orientales fide privavit, quia viſo Judæorum exterminio non reſipuerant. Judæi per orbem diffuſi ad aliorum terrorem ſunt, ſicut furum cadavera in furcis.

Balthaſar punitur, quia viſo Patris Nabuchodonoſor ſupplicio etiam ille ſacra vaſa profanavit. B. ſer. 40. n. 18.

Sæpe delinquentes per exempla aliorum deliquentium indirecte corriguntur. Sic Chriſtus Dominus ex urbe Hieruſalem ad crucis mortem ductus mulieribus dixit: deſinerent flere, venturum eſſe tempus, quo beatæ futuræ ſint ſteriles, tunc multos dicturos eſſe montibus, cadite ſuper nos &c. Quare tam terribilia locutus eſt ad mulieres? ideo, ut audirent lictores, carnifices, & Judæi, qui ipſum ad mortem ducebant. Sicque ipſi argumentarentur: ſi tam terribilia metuere debent mulieres, minus nocentes, quid nobis eveniet? Coſter. de Paſſ. Dom. med. 22. §. 2.

Terribilis eſt pœna ſpiritualis peccati, uti privatio gratiæ, & reatus æternæ damnationis; verum præter hanc Deus punit etiam pœnis externis & temporalibus, quæ ſub oculos cadunt: Quare? ut deterreat a peccato! ſic per pœnam Adami & Evæ, Sodomorum, & Iſraelitarum multoties, idem vult nobis inculcare, quod Joann. 5. dixit: Jam noli amplius peccare, ne deterius tibi aliquid contingat. Hinc etiam ſecundum, & tertium peccatum ſemper eſt gravius cæteris paribus; quia peccator, jugum diaboli, carnificinam conſcientiæ, aliaque peccati ſupplicia jam ſemel expertus eſt. Vide ſupra: *Poſt Paſſionem Chriſti gravius.*

### 16. *Eſt in certa menſura præfixum a Deo.*

De iis, qui diluvio perierunt, enuntiat Origenes eos periiſſe propter impletam menſuram peccatorum. B. ſer. 12. n. 30. & Ib. per totum.

Iſaias de Jeruſalem dicit: *Extendetur ſuper eam menſura, ut redigatur ad nihilum.* Artifices menſura utuntur, dum ædificant, Deus cum deſtruit: S. Bonav. ait: *Per funiculum juſtitiæ rectitudo intelligitur.* B. Ser. 40. n. 14. B. ſer. 74. §. 1. S. p. 27. ſ. 123.

Abrahamo promiſit Deus terram Chanaan: cur autem non ſtatim traderet, rationem addit: quia necdum completæ ſunt iniquitates Amorrhæorum: hac expleta hujus gentis excidium ſecutum eſt. C. Gen. 15. v. 16. D. 5. 45.

*Clamor Sodomorum & Gomorrhæorum completus eſt, & peccata eorum magna vehementer completa ſunt.* Ita legit S. Auguſtinus. Et Chriſtus ad Judæos: *Implete* Matt. 23.
*menſuram patrum veſtrorum.* Sicut igitur carcinoma, cum maturuit, rumpitur; ita completa menſura deſinit tempus miſericordiæ, & ſequitur ſupplicium. Hæc menſura arcana & diſſimilis eſt, apud Angelos modica, apud Iſraelitas magna: *Super quartum non convertam. Tentave-* Amos 1.
*runt me jam decem vicibus, &c.*

Semei ob perſecutionem Davidis non Num. 14.
punitur, ſed dum contra mandatum Regis extra urbem exſpatiatur, ad ſupplicium rapitur. D. 5. 46.

Templum Salomonis bis reparatum nempe a Zorobabel, & Herode Aſcalonita, non poteſt tertio reparari a Juliano Apoſtata. Ita ſi menſura peccatorum impleta eſt, fruſtra eſt reparatio.

S. Germanus Epiſcop. cum Ercaricus tyrannus Angliam vaſtare vellet, obviam progreditur hoſtibus, equum Ercarici fræno tenet, atque: *Uſque huc venies, & non procedes amplius.* Tyrannus reverſus eſt. Ita Deus dicit: uſque huc venies, &c. R. 1. par. mir. 34.

S. Franciſc. Solanus arcana conſcientiarum prophetico ſpiritu vi e[illegible] monuit

hominem, ut abſtineret ab illo peccato, quod hac nocte committere cogitaret. Peccator monitus pœnitentiam & confeſſioně peregit, & poſtliminio experitur, ſuum rivalem armatum exſpectaſſe ejus adventum in illa domo, &c. R. cent. 3. mir. 7.

Deus non ſemper numerata pecunia ſolvit, ſed multa in librum creditorum refert, & quidem diſpari ratione, quia numerus peccator. non eſt æqualis: aliquando ſtatim in principio, aliquando in medio curſu punit. Et hoc ipſum de pœnis publicis dicendum eſt, aliquando flagellum ſupra civitatem aut provinciam ſtatim, aliquando tarde arripit. Non ſtatim poſtquă perforata eſt navis, mergitur, ſed ut aqua repletur, fundum petit. P. p. 2. diſ. 12. n. 6.

Deus decernens internecionem Iſraelitarum allegat cauſam: *Tentaverunt me jam per decem vices*. Ecce! decima vice menſura erat completa. C. Num. 14. v. 22. Num. 14. v. 22.

*17. Deo conatur auferre Divinitatem. Quanta malitia.*

Deus in ſe eſt uniciſſimus, & ſimpliciſſimus. P. p. 2. diſc. 4. n. 3. Peccator autem contra hanc prærogativam inſurgit; dum enim creaturam, plus quam Deum æſtimat, quaſi novam ſibi Divinitatem fingit. Ib. n. 4.

Olim dæmon facile perſuaſit hominibus plures eſſe Deos, unde obtinuit tot fere altaria erigi, quot erant creaturæ: ſicut ille Rex Euphratem fluvium in plurimos rivos dividit, ut tranſvadare poſſet; ita dæmon divinitatem, & debitam illi ſubmiſſionem in tot diviſit partes, quot adorabantur idola. Poſtquam vero iſte error per Redemptorem ſublatus eſt, jam dæmon non amplius propagat idololatriam intellectus, ſed cordis, quæ Deo unicæ eſſentiæ gloriam ſuffuratur. Quæ eſt iſta idololatria? peccatum. Nam inter idololatriam & peccatum non alia eſt differentia, quam quæ inter latronem, & furem. Ib. n. 5. & ſeq. Item p. 3. diſ. 19. n. 5.

Verum eſt, peccator non vult, dum peccat, Divinitatem Deo auferre, ſed ſolum tanquam collegam imperii admittere. Sed hoc ipſum impoſſibile eſt; hanc enim diviſionem facere, eſt velle Deum non eſſe ſolum. Si Deus non habet totum, neque partem deſiderat. Ib. n. 7.

Cum Caligula Imper. Statuam ſuam in templo collocari voluit, reſtitere Jeroſolymit. Ita debet homo reſiſtere cum diabolus in corde vult erigere idolum. Ib. n. 9.

Cum impius agnoſcens reatum culpæ & pœnæ nihilominus Deum offendit, tunc vult, ſaltem virtualiter, ut Deus ſuum peccatum vel non agnoſcat, vel punire non poſſit, vel non velit. Si Deus non agnoſcit peccatum, non eſt omniſcius; ſi punire non poſſit, non eſt omnipotens, ſi non punire velit, non eſt Sanctus, conſequenter nec Deus. Ecce, quod peccare idem ſit ac velle, Deum non eſſe Deum.

*18. Peſſimos effectus poſt ſe trahit,*

Novem ſunt infirmitates ortæ ex peccato: 1. Sunt morbi, ærumnæ, & mala quævis illata corpori. 2. Eſt ignorantia intellectus, quid hic & nunc agere, aut fugere oporteat, & improvidentia, quid in futurum eligendum ſit. 3. Eſt infirmitas in voluntate ad amandum bona ſolida, & æterna, quæ nobis ſunt abſcondita, & ad contemnendum bona præſentia & caduca. 4. Eſt infirmitas in memoria, ut recordemur beneficiorum Dei, & judiciorum Dei. 5. Eſt infirmitas in appetitu concupiſcibili. 6. Infirmitas in appetitu iraſcibili, ut iram, & odium compeſcamus. 7. Eſt infirmitas ad aggrediendum opera ardua & heroica. 8. Infirmitas ad perſeverandum in obſequio Dei, & primo fervore. 9. Infirmitas ad orandum Deum ſicut oportet, &c. C. in Ep. ad Rom. c. 8. v. 26.

Peccatum comparatur uvæ acerbæ ſeu nondum maturæ, quia ſicut illa dentes obſtupeſcere facit: ſic peccatum animum affligit; tempus enim vitæ præſentis nondum eſt tempus voluptatis, ſed futura vita. Item comparatur fumo 1. quia excæcat judicium rationis, ut malum judicet bonum. 2. Sicut fumus ciet lacrymas; ſic & iniquitas multos dolores, & lacrymas concitat. 3. Sicut fumus mox evaneſcit, ſic voluptas peccati cito tranſit. 4. Sicut flamma fumo proxima eſt, oritur enim ex igne, & rurſum tranſit in ignem: ita iniquitas oritur ex concupiſcentia, & viciſſim concupiſcentiam magis inflammat. 5. Sicut fumus apes fugat; ita peccatum Angelum cuſtodem expellit. 6. Sicut in fumo lux cum tenebris miſcetur; ita in peccato vera falſis, & falſa veris commiſcentur, &c. C. Prov. 10. v. 26.

*Qui ſeminat iniquitatem, metet mala*: id eſt, Prov. 22. qui ſeminat culpam, metet pœnam, & ſæpe etiam novam culpam. C. Prov. 22. v. 8.

*19. Perdit gratiam, & dona Sancti Spiritus.*

Ante exciſionem urbis Jeruſalem noctu in templo audita eſt vox: *Migremus hinc*. Et David ab Abſalone oppugnatus ad proceres: *Surgite, fugiamus*. Quam triſtis fuit hic abitus, tam triſtis eſt in anima fuga gratiæ, & donorum, quæ per peccatum expelluntur, ait S. Franciſc. Saleſius. B. ſerm. 5. nu. 32. ſeq. M. conc. 13. aſſ. 1. n. 8. B. ſerm. 5. n. 12. Ser. 29. n. 23.

Judæis teſte S. Hieron. poſt jacturam templi & urbis ſingulis annis ſemel licitum erat redire in Jeruſalem, & ibi a militibus pecunia emebant licentiam flendi: tum incondito ejulatu deplorabant jacturam templi, crines laxabant, ſeipſos unguibus laniabant, aliaque immenſi doloris ſigna edebant. O quanto magis deplorare deberet peccator amiſſionem gratiæ. D. 9. 30.

Cum Henric. IV. Rex Galliar. a ſicario interfectus fuit, non eſt explicabile, quanto tumultu ac luctu tota Pariſiorum urbs fuerit completa: præſertim in palatio Regio non erat habitaculum, quod non ejulatu replebatur. Principes, Nobiles & famuli fere contabeſcebant præ luctu ac fletibus, &c. Theat. Trag. hiſt. 7. nu. 22. Si tanta eſt conſternatio pro perdito Rege heu! quanta debet eſſe pro perdito Deo!

Laban fugientem Jacob inſecutus plo-
Gen. 31. v. 20. rando allocutus eſt, *cur furatus es Deos meos?* imo Hebraice cur furatus es cor meum? adeo Deos ſuos cordi habuit: Et Chriſtianus non ploret jacturam Dei ſui per peccatum? C. Gen. 31. v. 20.

Ponamus hominem, qui Apoſtolor. labores, Martyrum tormenta, Confeſſor. auſteritates, Virginum victorias omnes collegit. Cum peccat, perdit omnia merita, & Deus ſtatim dicit, velut ad fatuas Virgines. *Neſcio vos!* B. ſer. 2. n. 24. 25. ſeq. S. p. 163. P. p. 2. diſc. 13. n. 5. & ſeq.

*20. Non poteſt abſcondi.*

Peccatum omnes celare ſtudent, Rex nemini ſubditus celat, & tamen ſe prodit, &c. S. punct. 159. f. 515.

Joſeph noluit peccare, quia non fuiſſet auſurus oculos levare in herum, & ſic nemine prodente reus fuiſſet viſus. S. punct. 160. f. 517.

Herodes homicidium Joannis ipſemet prodit. M. conc. 9. aſſ. 2. n. 1.

Jonæ in vultu videtur, quod fugiat contra Deum. M. conc. 9. aſſ. 2. n. 2.

Cain aperte haberi poterat pro reo, quia facies ejus concidit, & peccatum in foribus aderat. M. conc. 9 aſſ. 2. n. 4.

Impietas, quæ in amphora Zachariæ occluſa erat, a duabus mulieribus in medio aere detecta fuit. Nonnunquam ipſa media occultandi peccatum ſunt proditores: Duo Senes Suſannæ proci confidebant in umbra arborum, & hæ arbores dein crimen detexerunt: Nam Daniel dum unum quærit ſub qua arbore adulterium viderit, reſponſum ab uno accipit, ſub pino, ab altero ſub pruno &c. M. conc. 9. aſſ. 2. n. 5. 6. ſeq.

Peregrinus quidam hypocrita ſub larva pietatis grandia committebat ſcelera, ita Cæſarius l. 10. mir. cap. 36. ut hoſpiti ſuo Viro benefico gemina vice domum ſubditis flammis exuſſerit. Hoſpes duos alios in ſuſpicionem criminis adduxit, qui autem innocentiam ſuam pro more illorum temporum ferro candente probarunt. Poſt aliquot dies redit nequam ille peregrinus, & viſa illa ferrea lamina penes murum inclinata, quæſiturus erat, quid hoc ferro ageretur? vix autem illud tetigit, cum illi manus vehementer a ferro tanquam adhuc canderet, aduſta fuit. Habitus ergo pro incendiario carnifici traditus fuit. D. 1. 53. Vide etiam Lucianum Dom. 8. poſt Pent.

*21. Cur a Deo permittatur?*

Primo: Ut e peccato eruat bonum: Joſeph venditur, ut pereat, & per ipſam hanc venditionem elevatur. M. conc. 8. aſſ. 1. n. 6. & aſſ. 3. per totum. C. Gen. 50. v. 19.

Ex peccato originali Deus eruit ſeptem bona, quæ in ſtatu innocentiæ non habuiſſemus. 1. eſt Virginitas. 2. Patientia. 3. Pœnitentia. 4. Martyrium. 5. Jejunium, & mortificatio. 6. Paupertas & obedientia Religioſa. 7. Miſericordia, & eleemoſyna. C. Gen. 2. v. 25. f. 77. 2. D. 5. 22.

Deus in electis & prædeſtinatis permittit peccatum, ut illi deinceps majori fervore, ac devotione inflammentur: hinc ex ipſo etiam peccato deſumi poteſt prædeſtinatio, ſi videlicet ſpecialis quædam emendatio ſubſequatur, &c. P. p. 1. diſc. 5. n. 23.

Sors & fortuitus caſus ſæpe malum converterunt in bonum: ſic ſcimus quod multi ex vulnere, ex lapſu, ex hauſto veneno &c. ſanitatem alias deſperatam recuperarint. VV. art. diſc. font. 63. ex. 1. Quod ſors & caſus ortuitus potuerunt, longe melius facere novit Dei Providentia, ex peccato faciens bonum.

Sicut terra in agris & pratis, ſi ſordenti fimo conſpergatur, uberius fructificat: ita nonnunquam homo Chriſtianus, ſi peccati ſordibus fuit conſperſus, tanto ferventius ad pœnitentiam redit. Ludov. Bloſ. f. 517.

Permittitur a Deo, ut homo humilietur: Fratres Joſeph dum putant ſe a furto ſcyphi eſſe innoxios, animoſe reſpondent œconomo: dum autem illum repercrant in ſacco Benjamin, humiliati ſunt nimis. C. Gen. 44.

Cum Deus præviderit ex peccato Adami innumerabilia mala corporis & animæ, imo damnationem & æterna multorum millium conſecutura, quæritur, quomodo infinita ejus ſapientia permittere potuerit peccatum? Reſpond. Permiſit peccatum, quia longe majora bona ex peccato educere novit, quam mala ex illo conſequantur, uti merita infinita Divini Redemptoris, juſtificationem, & æternam beatitudinem ſalvandorum, fortitudinem Martyrum, victorias Confeſſorum, & Virginum, aliaque bona opera Juſtorum. Dices: Hæc omnia bona opera utut innumerabilia necdum ſunt bonum infinitum, ſicut peccatum eſt malum infinitum. Reſpondetur: ſunt bonum infinitum, ſi ſumantur una cum complacentia Dei infinita. Vide Lib. 1. Tit. *Providentia Dei: Cur permittat peccatum.*

Deus permiſit injuſtitiam Pilati, invidiam Judæorum, perfidiam Judæ, & crudelitatem carnificum, ut perficeret Paſſio Chriſti, & myſterium Redemptionis humanæ. Permiſit perſecutiones tyrannorum, ut eſſent quaſi fabricatores perficientes coronas Apoſtolorum, Martyrum, & Sanctorum, atque ita exaltaretur Eccleſia tam militans, quam triumphans. C. in Acta Ap. c. 4. v. 28.

*Diligentibus Deum omnia cooperantur in bonum.* Sic Valerian. ignea craticula non nocuit S. Laurentio, ſed profuit. Omnia mala irruentia in Job non illi nocuerunt, ſed robur animi oſtenderunt. Perſecutiones Arianorum S. Athanaſii virtutem auxerunt. Decii, Aureliani, Nerones, Diocleriani, S. Vincentium, Sebaſtianum, Mauritium, alioſque Martyres glorioſos fecerunt, &c. C. 1. Petr. 3. v. 13.

22. *Unum poſt ſe trahit plura alia.*

Semiramis unica die petiit regni imperium & dein Regem Ninum occidi juſſit. Sic peccatum facit, cum in animam venit, dominari incipit, eumque dominatum per pravas affectiones, quas ſecum ducit, prorogare contendit. R. *hodiſte Sefabr* c. 1.

Poſtquam Pilatus Judæis conſenſit in necem Chriſti, etiam poſtea conſenſit, ut ponerentur cuſtodes milites ad ſepulcrum ad impediendam gloriam reſurrectionis; quiſquis enim ſemel conſentit voluntati malorum, facile ſe ab eorum imperio ulterius abripi ſinit, quod experiuntur illi, qui illicitis amoribus ſunt impliciti. Coſterus Med. 50. §. penult.

Peccata ſunt funes, quia ad invicem connexa & implicata ſunt, ita ut unum trahat alterum. Hoc expertus eſt Samſon, qui Dalilæ revelans ſecretum ſui roboris, ab ea tonſus, dein funibus vinctus, & a Philiſtæis excæcatus eſt. Dalila eſt concupiſcentia, Philiſtæi ſunt impetus animæ, his ſi colludas, & familiariter cum illis agas, vinculis peccatorum te magis ac magis adſtringent. C. Iſa. 5. v. 18.

*Iniquitates ſuæ capiunt impium, & funibus peccatorum ſuorum conſtringitur.* Prov. 5. Ipſa ſervitus diaboli, a quo peccator captivus tenetur, funis eſt: Unde Dionyſ. Peccator eſt equus diaboli; ſicut eques agit equum, ſic & diabolus agit peccatorem, eumque morti & inferno adducit. Funes peccatorum, ſunt connexio, & colligatio peccatorum, unum enim trahit ad aliud, uti gula trahit ad libidinem, libido ad furtum, furtum ad homicidium: quibus omnibus fit funis tam implexus, ut rudentibus nauticis æquari poſſit. Beda ait: *Qui funem facit, torquendo ſemper & involvendo filis fila adauget. Talis eſt fortitudo malorum operum.* C. Prov. 6. verſ. 22.

Ne dicas, peccavi, quid accidit mihi triſte: nam, ut ait S. Thomas, voluntas induratur, ratio hebetatur, difficultas bene agendi creſcit, concupiſcentia exardeſcit &c. B. ſer. 43. n. 8. 9. ſeq. Ser. 52. n. 25. S. punct. 11. punct. 158. Jacobus poſt luctam enervis claudicat.

*Peccatum quod per pœnitentiam non deletur, ſuo pondere in aliud trahit*, ait Gregorius. S. p. 158. f. 513.

Cain poſtquam viliora Deo obtulit, ſeptemplex peccatum commiſit, &c. C. c. 4. v. 24. in Gen.

S. Gregor. ait: *Juſtus, & Omnipotens Deus permittit, ut cæcata mens etiam in alia delabatur.* C. Gen. 15. v. 15.

Sicut Reſtiarius plures funiculos prius texit, & dein illos in craſſiſſimum rudentem connectit; ita ex uno peccato plura alia, & demum ſceleratiſſima perverſitas conſurgit. Hinc Propheta: *Væ qui trahitis iniquitatem in funiculo vanitatis, & quaſi vinculum plauſtri peccatum.* Iſa. 5. Achab inique petiit vineam Naboth, ex hac iniqua petitione Jezabel ſumpſit occaſionem ſubornandi falſa teſtimonia, & necem Nabothi: ita fit, unum peccatum poſt ſe trahit centena alia. Fit peccatum, dein



dein pœnitentiæ Sacramentum ſuſcipitur ſine dolore, ſine propoſito, ſine ſatisfactione: pergitur in occaſionibus, ſumitur ſacra Synaxis inſtar Judæ, & ſic ſemper de malo in pejus fit progreſſus, &c. Gula invitat ſenſus rebellionem, hæc impudicitiam, iſta peccati deſiderium, dein media, mox zelotypias, timores, odia, inimicitias, & homicidia ſuſcitat. Sic Avaritia provocat contractus injuſtos, uſuras, mendacia, dolos, furta, perjuria &c. Ut primum quis incipit peccare, ad ruinam properat. A. lect. 9. §. 5. Vide Titulum: Luxuria *Difficulter corrigitur.*

23. *Punitur pœna talionis.*

Cur prima plaga Ægypti fuit in Nilo, ubi aqua converſa eſt in ſanguinem? Reſpondeo quia Ægyptii etiam primo peccarunt in Nilo cum habendo pro Deo ſuo. M. conc. 8. aſſ. 2. n. 1.

Et quia per Nilum Pharao peccavit ſuffocando infantes: Tu injuſte Judex inopia punieris, quia inopes premis. Tu Sacerdotem in morte non habebis, quia Sacerdotes inhonoras. Tu detractor infamiam incurres, &c. M. conc. 8. aſſ. 2. n. 2.

Pharao in aquis perit, quia infantes Hebræorum aquis peremit. Cor Pharaonis induratur, ut lutum ad ſolem, quia Hebræos luto affligit. M. conc. 8. aſſ. 2. n. 3. 4.

Judas per gutturis eliſionem perit, quia gutturis vocem ad proditionis crimen uſurpavit. M. conc. 8. aſſ. 2. n. 5.

Cur Abſalon comis perit? quia comis deliciabatur; cur tribus lanceis confoditur? quia tria corda furatus eſt Regis, Senatorum, & totius Iſraelis. Cur a decem armigeris occiditur? quia decem concubinas Patris conſtupravit. M. conc. 8. aſſ. 2. n. 8. 9. 10.

Alexand. Severus Imp. Turrium, qui pro conciliando Imperatoris favore pecunias collegit, fumo enecari juſſit cum edicto: *Fumo punitur, qui fumos vendidit.*

Gallienus Imp. Mangonem, qui vitreos globulos pro gemmis vendidit, ad beſtias condemnavit, ſed cum ab omnibus ſpectatoribus leo aliquis aut ferox animal exſpectaretur, gallus gallinaceus e cavea erupit, & omnibus in riſum effuſis proclamatum eſt: *Impoſturam fecit, impoſturam paſſus eſt.* Epidorp. f. 15. & 16.

Judæi, quia Chriſtum crucifixerunt, in obſidione Jeruſalem tanto numero a Romanis crucifiguntur, *ut ſpatium crucibus defuerit, & corporibus cruces*, ait Joſephus. D. 4. 81. in fine.

*Incidit in foveam, quam fecit.* Pſal. 7. Amman in furca ſuſpenditur, quam ſtruxerat Mardochæo. Apparitores, qui tres pueros in fornacem injecerant, his illæſis igne abſumuntur. Accuſatores Danielis ad lacum Leonum condemnantur, e quo Daniel ſalvus exiit. Duo Senes calumniam Suſannæ impactam morte luunt. Eutropius diſſuadet Arcadio Imperatori immunitatem Eccleſiarum, dein ille ad mortem quæſitus, & ad Eccleſiam confugiens ægre ferocienti populo eripitur. Euthymius quidam inſtinctu Imperatricis Juſtinæ curru venit ad ædes S. Ambroſii, eum in exilium avecturus: ſed deluſus ille poſt annum eadem die, eodem curru in exilium evectus eſt. Quidam Indus S. Xaverium occluſis foribus non admittit in ædes, dein cum inſequentibus hoſtibus fugere vellet ad Eccleſiam, janua illi præcluſa, ille autem inimicis præda factus eſt. D. 5. 81.

Herodes Agrippa in urbe Alexandria turpiſſime ludibrio habetur in perſona alicujus Carabbæ: aliqui putant hunc fuiſſe Barrabam, cui Chriſtus fuit poſthabitus; hunc jocularem Regem faciebant, & mille ſannis in opprobrium Herodis onerabant. D. 7. 39.

Joanna Regina Neapol. nupſit Andreæ Ludovici Regis Hungariæ fratri, ſed quoniam male illi convenerat cum Marito, illum fune ſoffocari præcepit. Poſtliminio bellis petita & oppugnata, imo & captivata fuit a Carolo Durazzo, atque ab illo ſuaſu Regis Hungariæ eodem modo, & loco fune ſtrangulata fuit. D. 9. 51.

Quidam in martyr. S. Euphem. crudelem rotam invenit: ingreſſus rotam dixit confodalibus, cum ſtrepitum ediderit, illi circumagerent rotam. Interim permittente Deo factum eſt, ut illi malleus e manu excideret, confodales putantes hoc eſſe ſignaculum circumrotant, & miſere laniant infelicem. Sanch. 6. par. c. 7. f. 782.

Jacobus poſtquam ſeptem annis ſervіit, turpiter a Labano deceptus Liam pro Rachele recepit. Cur Deus permiſit deceptionem? ſit venia opinioni! Jacobus etiam quodammodo decepit fratrem Eſau, eique primogenituram eripuit, an aſtu omnino laudabili, dubium eſt. Igitur decipiens deceptus eſt.

Aetius Comitem Bonifac. apud Valentinian. Imper. rebellionis ſuſpectum reddit, & dein ex eadem cauſa a Theodoſ. Imperat. ad mortem damnatur, periturus citius, niſi pientiſſimæ uxoris precibus fuiſſet ſervatus. Lohner v. Invidia §. 4. n. 10.

Senex quidam, qui juvenem propter tentationes impudicas contempſit, ipſe in graviſſimas tentationes incidit, deſerturus vitam ſpiritualem & in mundum reverſurus, niſi ab Abbate Apolline fuiſſet in ſpem erectus. E. Verb. *Confeſſio* n. 2.

Monachus ambitioſus affectans Abbatiam dedit puero, quem Abbas corrigere ſolebat, venenoſum pulverem dicens: ſi hunc pulverem ſparſeris ſuper pultes Abbatis ſemper te diliget. Puer dimidiam partem pulveris pro alio tempore reſervans, dimidiam ſparſit ſuper cibos Abbatis & hic mortuus eſt. Cum autem occiſor in ejus vicem fuit electus, innocens puer, ut etiam hujus amorem ſibi conciliaret, reſervatam partem pulveris in ejus cibos injecit, & ipſum occidit. E. *Malitia* n. 1.

Filius ſæviente hyeme roganti genitori non dedit niſi duas ulnas gauſapis pro tegumento. Filiolus hujus filii id videns duas ſuperſtites ulnas petiit pro ſe. Quærenti parenti quid vellet cum iis facere, repoſuit, ſervabo illas donec tu ſis qualis eſt modo genitor tuus, avus meus, nec tibi plus dabo, quam modo des patri tuo. E. *Parentes* n. 9.

Fratres Joſeph in Ægypto carcere & captivitate puniuntur. Quia ipſi antea fratrem Joſeph inſontem eadem pœna affixerant.

S. Ephr. jumentum pauperis ad mortem agitans, in carcerem conjectus agnoſcit Dei punientis judicium. C. Gen. 42. v. 21.

Ægyptii filios Iſrael in obſcuris carceribus concludunt, dein terribilibus tenebris puniuntur. C. Exod. c. 10. v. 21.

Monachus Abbatis dignitatem ambiens illum veneno per famulum enecat, & dein ipſe Abbas electus per eundem puerum veneno occiditur. T. n. 168.

Calvinian. cantum funebrem Catholicor. ruditum aſinorum vocare ſolitus, ubi mortuus eſt, adfuit ingens aſinus, qui funus inceſſante ruditu proſequebatur. T. n. 174.

Roſimunda Alboini Regis Longobardorum conjux ſubornavit Hermigium, ut Regem maritum ſuum in ſomno occideret. Dein cum occiſore, cui ſe deſponſaverat, Ravennam profugit. Ibi ut Longini Gubernatoris nuptiis potiretur, Hermigio venenum propinavit. Sed Hermigius advertens vim veneni, ſtricto gladio eam coegit, ut reſiduum exhauriret. Sic ambo exſpirarunt. T. n. 242.

*Qui alteri foveam fodit, incidet in eam, & qui ſtatuit lapidem proximo, offendet in eo*, id quod plurimis confirmatur exemplis. C. Eccli. 27. verſ. &c.

*24. Contra ſe armat omnes creaturas.*

S. Macarius ad ſua obſequia ſemper habuit duos Leones, cum autem in impuram cogitationem conſenſit, Leones ab ipſo aufugerunt. R. cent. 2. p. 2. mir. 50.

Creaturæ omnes obediunt Deo: ſtellæ incomprehenſibili velocitate jam a geneſi ſua rotantur ad imperium creatoris, *ſpiritus oris ejus omnis virtus eorum*. P. p. 2. diſ. 3. n. 5. Ad unicum verbulum Deo parent: *Stellæ vocatæ ſunt, & dixerunt, adſumus*. Ib. n. 7. Cæli ad Verbum Dei in continuo ſuo motu perſeverant. Ibid. nu. 8. Omnia inſenſibilia audiunt vocem ejus: Canutus agnoſcit infirmitatem ſuam eo quod mari quietem præcipere non poſſet: id poteſt Deus, habet ignem, aquam, aerem, & terram ad obſequia. Ib. n. 9. Solus peccator non obedit Deo, & ideo omnes creaturæ vindicarent hanc injuriam, ſi a Deo permitterentur, &c. Ibid. n. 10.

Juvenis innocens ferrum ignitum ſine læſione manus tractat: Poſtquam autem fuit a femina ſeductus, volens iterum ferrum candens palpare, miſerabiliter aduritur. E. Verbo *Caſtitas* n. 11.

Homo impurus viridia prata tranſibat, & ecce! gramen ſub ſingulis ejus veſtigiis aruit. E. *Sodomia* n. 4.

Putant aliqui in ſtatu naturæ innocentis roſam non habuiſſe ſpinas, nec extitiſſe herbas venenoſas, non tribulos, non arbores ſteriles; ſed hæc omnia, una cum animalibus nocivis primum poſt peccatum fuiſſe producta. C. Gen. 1. verſ. 12.

Peccatum omnes creaturas, & elementa turbat: Omnia creata puniuntur, quia homini ad peccandum ſerviunt: vel potius homo in omnibus punitur, quia omnibus abuſus eſt. C. Ezech. 6. v. 2.

Abſalon, utut patrem ſemper benignum habuerit, tamen a Joabo confoſſus, arborem, mulum, lanceas, cælum & terram contra ſe habuit. Quare? Reſpondet Chryſoſtom. *Non eſt ulla creatura, quæ non mota fuerit, cum ipſum ſenſerit moveri in patrem*. B. ſerm. 31. n. 29. Ser. 5. n. 46. Ser. 38. n. 2.

*Pugnabit pro eo orbis terrarum*: ubi Gregorius: Offenſo creatore omnis creatura offenditur. S. punct. 132. fol. 418. punct. 157. fol. 509.

Ipſa veſtimenta peccatoris averſantur eum. S. punct. 157. fol. 510.

Creaturæ omnes ex ſe bonæ ſunt, ſed malæ fiunt ex noſtra culpa; ſicut catulus omnibus domeſticis blanditur, ſed cum illi alienis formis ſe oblarvant, eos allatrat, & mordet; ita cum homo per peccatum perdidit formam imaginis Dei, omnes creaturæ contra illum rebellarunt. Leo prophetam, qui contra præceptum Dei in via comederat, occidit, ſed mortuum non devoravit; quia nocere tantum poterat peccatori, non autem juſtificato, per mortem enim luit peccatum. Ita S. Gregor. In Inſula Melitenſi S. Paulus a vipera ictus nihil nocumenti ſenſit; quia a peccato immunis erat. Certe, ajebat ille Monachus, ſi peccatum non faceremus, animalia, quantumcunque nociva, nunquam nos læderent. A. lect. 10. §. 7. & ſeq.



Deus eſt inſtar potentiſſimi Monarchæ, qui non ſolum habet aulicos & optimates; ſed etiam milites & apparitores, non ſolum gazophylacia ad præmiandos bonos, ſed etiam armamentaria ad puniendos malos. *Peccatori omnis creatura hoſtis eſt: juſto ſerviunt omnia*, ait Cardin. Hugo. A. lect. 10. n. 15.

Leones Danieli parcunt, Satrapas Regis autem devorant, &c. A. lect. 10. §. 9. Vide Titul. *Plagæ univerſales* apud Juſtitiam Dei. Et R. 1. par. mir. 16.

*25. Eſt martyrium diaboli.*

Pacatus inquit: habet occultos conſcientia carnifices, quia magis torquent vitia, quam cruces, verbera, & tormenta. S. p. 160. f. 516.

Peccator continuo ſtat coram ſua conſcientia, ſicut reus coram judice, & accuſatoribus. S. Ib. f. 518.

Dæmon varie torquet ſuos peccatores: ſuperbos ſuſpendit: quoſdam per incendium avaritiæ perdit: invidos gladio necat, luxurioſos veneno, ait Idiota. M. conc. 31. aſſ. 2. n. 10. ſeq.

Peccatum tot ærumnis affligit peccatorem, ut nec martyres pro Deo graviores patiantur. Nam 1. Peccator obtegitur caligine, & excæcatur. 2. De cælo in terram, imo in infernum projicitur. 3. Ex templo Dei fit ſcabellum diaboli. 4. Omnes ejus virtutes & gratiæ diripiuntur. 5. Omnes munitiones ejus deſtruuntur. 6. Polluitur ejus regnum ſanctum & caſtum. 7. Cornu & robur ejus confringitur. 8. Gratia Dei deſtitutus corruit coram inimicis. 9. Succenditur in eo flamma concupiſcentiæ, quæ omnia animæ bona depaſcit, &c. C. Thren. 2. v. 3. ad finem.

Peccator impœnitens nunc jovialibus diebus, & mundi gaudiis exultat, in hora mortis autem triſtitia obruetur immenſa: nunc monita & pia conſilia ſpernit, ibi autem conſcientiæ aculeis horrendis affligetur: nunc cervicem ſupra cæteros erigere, & ſuperbiendo adorari amat, ibi autem dæmonum pedibus conculcabitur. Nunc delicato eſu, & potu cuticulam nutrit, ibi famem patietur ut canis. Nunc tripudiat, cantillat, cachinnat, ibi æternum flebit, & ejulabit, &c. En! hoc eſt martyrium diaboli, &c.

*26. Eſt cauſa calamitatum temporalium.*

Cum Holofernes Judaicum populum exſcindere vellet, ſuaſit illi Dux Achior, ut prius exploraret, qua ratione Iſraelitæ ſe cum Deo ſuo habeant; quia, ut ajebat, habeo ab experientia, ſi pie vivunt, nemo inimicorum eos ſuperabit; ſi vero impie vivant, Deus facile eos tradit inimicis in prædam & ludibrium, &c. Si Judith. 5.
ergo nunc in ſceleribus degant, *Aſcendamus ad illos, quoniam tradens tradet illos Deus eorum tibi*. Quamvis ergo homo ſit de ſe creatura Deo dilecta, nihilominus ob peccatum a Deo peſſumdatur, ſicut vas veneno, aut veſtis peſte infecta in ignem conjicitur. A. lect. 10. §. 2. & 9.

Peccatum eſt vena fœcundiſſima, e qua tota hominum infelicitas & omnia mala profluunt. Paoletti Dom. 4. poſt Epiphan. Et P. p. 2. diſt. 12. n. 8.

Magna eſt inſania eorum, qui putant ſe felicitatem ſuam per peccata promovere poſſe, ſimiles Adamo, qui dæmonis mendacio deceptus ſperavit ſe abſque Deo futurum ſicut Deos. Ex hac farina ſunt Mercatores, qui per dolos lucra capeſſunt: Litigantes qui alios ad perjuria inducunt: Notarii qui ſyngraphas corrumpunt. Puellæ quæ per laſcivias matrimonia quærunt, &c. Verum iſti omnes decipiuntur: Tabernaculum impiorum non ſubſiſtet, &c. P. p. 1. diſc. 4. n. 18.

Deus populo Iſrael inhabitandam promiſit terram Chanaan, & tamen per aliquot centenos annos gentiles ac barbari populi perſeverarunt inhabitare terram promiſſam. Conquerebantur ſuper hac mora Judæi, & reſponſum acceperunt a Deo: Necdum completæ ſunt iniquitates Amorrhæorum! quaſi diceret Deus: Quamprimum Amorrhæi ultimum peccatum, quod eis indulgere decrevi, commiſerint, tunc bello, ſtragibus, & ruina illos exſcindam, & eorum regionem vobis inhabitandam dabo. En! peccatum cauſa eſt ex-

excidii, & omnium malorum. C. Gen. 15. v. 16. Vid. ſup. *Publicum cauſat pub. Calam.*

### 27. *Unicum cur puniatur æternum.*

Quia Deus habet innumeros titulos, quibus amari debeat ab homine, & hos omnes titulos, ac jura peccator violat. P. p. 2. diſ. 3. n. 20. Vid. Tit. *Infernus*: Cur propter unicum peccatum ſit æternus.

Etiam apud terrenos Principes unicum grave delictum extinguit omnium meritorum memoriam. Marechallus Galliæ, dictus de Biron, fuit generoſiſſimus Dux ſui temporis, victorias ex urbium obſidionibus ac præliis retulit plurimas, triginta quinque vulnerationes pro regno excepit: & tamen quia poſtea cum hoſtibus regni, id eſt Rege Hiſpanor. & Sabaudo Duce colluſit de proditione ſui Regis, decapitatus eſt. Theatr. Trag. hiſt. 4.

Henric. Dux Montmorancius, quia Gaſtoni Duci Aurelianenſi contra fratrem Regem Ludovic. adhæſit, læſæ Majeſtatis reus habitus, non obſtante interceſſione Summor. Galliæ Principum, Toloſæ decapitatus eſt, Vir alias ingentium meritorum, & talentorum. Theatr. Trag. hiſt. 36.

Peccatum infinitam quaſi habet malitiam, quia vilem creaturam præfert Deo: & in hoc ſenſu ait S. Hieronym. *Quæcunque habemus vitia, & quæcunque peccata, tot recentes habemus Deos: Iratus ſum? ira mihi Deus eſt! Vidi mulierem, & concupivi? libido mihi Deus eſt! unuſquiſque enim, quod cupit, & veneratur, hoc illi Deus eſt!* Sicut ergo idololatria grande peccatum, & æterno dignum eſt ſupplicio: ita quodlibet peccatum grave; quia quodammodo idololatria eſt, præferens creaturam Deo, & contemnens Dei voluntatem &c. *S. Hier. in Pſ. 80.*

## Peccator.

### 28. *Obſurdeſcit Dei monitis.*

N*Oluit intelligere, ut bene ageret.* Quia ſtridore, & tumultu malarum affectionum non audit, prout S. Auguſtinus fatetur de ſeipſo: *Obſurdueram ſtridore catenæ meæ.* B. ſer. 1. n. 11. ſerm. 11. n. 4. Serm. 65. n. 64.

Sicut aſpis ſurda non ſinit ſe e tenebris educi in lucem ab incantante, ait Auguſtin. ita peccator. S. punct. 98. f. 296. punct. 161. fol. 159.

Propheta miſſus ad Regem Jeroboam, in templo clamavit: *Altare, Altare hæc dicit Dominus.* Cur Altare alloquitur? ideo, ait S. Chryſoſtom. quia *lapide inſenſibilior factus eſt homo rationalis, &c.* M. conc. 19. aſſ. 3. n. 6.

Veſuvius in Regno Neapolitano ordinarie vehementiores flammas eructat, cum grandis peccator eſt moriturus: ſcivit hoc Guaimarius Princeps Salernitanus, cumque aliquando Veſuvium plus ſolito ardere cerneret, cum riſu dixit quis jam ſceleratorum ad infernum proximus ibit. Sequenti nocte turpis ſcortator, dum Dei monita non curat, repente perit. D. 6. 43.

Chriſtus Dominus comparat Phariſæos pueris ludentibus: erat autem ludus iſtius modi: duæ ſeries puerorum in platea hinc & inde cantabant, iſti cantilenam jucundam, hi triſtem, uterque invitabat alterum ad ſua ſtudia triſtandi vel lætandi, nullus tamen cedebat alteri. Ita inquit Chriſtus, conſtituti ſunt Phariſæi; audiunt Joannem clamantem in deſerto, & hunc contemnunt, dicentes eum vitam ducere more brutorum. Audiunt Dei Filium concionantem, & huic detrahunt, dicentes eſſe hominem perverſum, diabolicum, converſari cum publicanis, & quæ ſunt ſimilia. Ita hodiedum faciunt peccatores. D. 9. 50. *Matth. 11.*

Nunc dicit peccator *Recede a nobis*, at in illa die viciſſim audiet: *Diſcedite a me.* Lucian. Mont. T. 4. conc. 64. n. 4.

### 29. *Laborat graviſſime in ſervitute dæmonis.*

Merito conqueruntur peccatores, *Laſſati ſumus in via iniquitatis*, quia ut ait Simon de Caſſia, *ſunt labores in iniquitate*, & ſub dæmonis jugo fatigantur ut Samſon in mola aſinaria. *In labore hominum non ſunt.* Homo enim laborat ad aliquem finem, brutum ſine ſua utilitate, ſed ſuperbus, avarus, luxurioſus tantum ad mœrorem ſuum, & afflictionem laborat. B. ſer. 1. n. 26.

Merito poteſt dæmon gloriari, quod fideliores habeat famulos, qui impenſius laborant pro ſe, quam pro Chriſto. B. ſer. 19. n. 12.

Peccator vivus circumfert infernum, & eſt ſervus emptitius diaboli. S. punct. 157. f. 509. 510.

*Qui facit peccatum, ſervus eſt peccati.* *Joann. 8.* Quæ mala autem evenient, cum regnat peccatum? dicit Sapiens, univerſam terram perturbatum iri *per ſervum, cum regnaverit.* *Prov. 30.* Quanta autem infelicitas hominis, qui ad ſervitutem peccati, imo ad mancipatum devenit? 1. quia ſervus eſt tanto vilior, quo vilior eſt Dominus nempe concupiſcentia. 2. Servus ſua fidelitate poteſt ſperare libertatem, prout Joſepho, Eſdræ, Danieli contigit: at peccator, quanto fidelius ſuæ ſervit concupiſcentiæ, tanto magis aggravat ſuas catenas, 3. Servus alius cum patitur corpore, poteſt auxilio virtutis gaudere animo: at peccator longe plus animo, quam corpore patitur, propter flagellum malæ conſcientiæ &c. Segn. Manna 16. Junii.



Tyrannus quidam nomine Trizzo ſubditis ſuis prohibet colloquia, nutus, & lacrymas. Ita dæmon agit cum peccatoribus: ſtringit linguam ne loquantur in confeſſione, obſtruit pectus, ne conterantur, occupat oculos, ne peccata fleant, &c. D. 9. 30.

Abbas Pæmen videns evanidam mulierem flere cæpit dicens: Væ mihi, quia pro Deo non tanta facio, ac patior quanta hæc mulier pro mundo. Sanch. 4. p. c. 6. fol. 311.

Herodes diligentiſſime exquirit tempus a Magis, ut Chriſtum perimat. Saul omnem operam adhibet, ut Davidem occidat. Judæi nihil omiſerunt in cuſtodiendo ſepulcro, ne Chriſtus reſurgat. Sanch. 5. p. c. 6. fol. 495.

Apoſt. monet Epheſ. *Nolite locum dare diabolo.* Quæſo ſiquis te moneret, ut in domum non admitteres venenoſiſſimum draconem, indignareris monitori utpote ſupervacaneo. Et tamen in eo res ſita eſt peccatoris, ut moneri indigeat, ut non locum det belluæ infernali crudeliſſimæ. Segn. Manna 21. Jul. n. 1.

Via ad cælum eſt facilis, difficilis ad infernum. Paoletti Fer. 4. poſt Dom. Paſs.

Peccatores omnes laborant, & onerantur, quia dum honoribus, divitiis, & voluptatibus inhiant, illas quærunt, ubi non inveniunt: bona illa ſunt ſimilia aquis ſalſis, quæ ſitim non extinguunt, ſed inflammant; hinc quanto magis ſuo corpori ſatisfaciunt, tanto magis quærunt novos modos ſatisfaciendi: quo ſunt majores, eo amplius eminere ſtudent: quo plus gloriæ conſecuti ſunt, eo magis cupiunt eminere: quo majores opes poſſident, eo plures cumulare ſatagunt &c. Segn. Manna 16. Aug. n. 1.

Pharao præpoſuit Iſraelitis Magiſtros operum, a quibus graviſſimis laboribus premebantur. Tales Magiſtro operum, qui peccatores premunt, ait S. Bern. eſt ſuperbia, avaritia, luxuria. C. Ex. 1. v. 11. *S. Bern. in Litt.*

Quin imo peccator animam ſuam non tantum in ſervitutem, ſed & in victimam tradit animam ſuam, ſicut gentiles olim infantes ſuos idolo Moloch in brachia tradiderunt comburendos. C. Lev. 18. v. 21.

### 30. *Plus curat temporalia quam æterna.*

Diviti Epuloni exprobratum fuit: *Quæ paraſti, cujus erunt?* Cur non denuntiatæ illi ſunt pœnæ inferni? Nempe conſideranda illi propoſita ſunt, quæ illum poterant magis conſternare; quia peccatores non ita affliguntur cum audiunt, ſe ad infernum ituros; audies aliquando reſpondentes: Faciat, ut vult Deus! tunc dolent, cum audiunt eorum opes male perituras: *Quæ paraſti, cujus erunt.* Segn. Manna 16. Mart. n. 3. *Luc. 12.*

Deus conqueritur de peccatore: *Comparatus eſt jumentis inſipientibus*: in quo? quia jumentum ſolum attendit ad præſentia, non ad futura. Segn. Manna 14. Maii 3. *Pſ. 48.*

Vultures tam acutos habent oculos, quam aquilæ, ea tamen differentia, quod illi ſemper terram, iſtæ cælum contueantur. Ita multi ſunt quidem perſpicaces, ſed tantum ad terrena, non ad cæleſtia. P. p. 2. diſ. 9. n. 6.

Domitianus regni negotia negligit, & muſcas capit. Sic multi Chriſtiani, qui æternam ſalutem quærere omni modo deberent, ambiunt opes, ſponſas, honores, voluptates &c. C. Lev. 11. v. 30. f. 667. D. 2.

Eo ipſo tempore, quo Chriſtus in monte Oliveti diſcipulos ad vigilantiam adhortatus eſt, Judas conſilia cum Phariſæis agitabat de capiendo Chriſto: non ille indigebat adhortatione ad nefas ſicut diſcipuli ad bonum. Coſterus de Paſſ. Dom. Med. 7.

### 31. *Per peccatum fit bellua.*

Protoparentes poſt peccatum induuntur pellibus, ait Greg. Nyſſenus, ut foris pelli belluina uterentur, qui intus belluina cupiditate animum deformarunt. M. conc. 19. aſſ. 2. num. 4. ſeq.

Origenes ait: *Non omnes homines, homines ſunt*, quia nimirum per peccatum deformantur. M. conc. 19. aſſ. 2. n. 9. 10.

Homo a Deo creatus Dominus erat animalium: poſt peccatum autem ſimilis factus eſt animalibus, ita ut qui in ſtatu innocentiæ ea habuiſſet obſequentia, jam poſt peccatum cum eis habeat continuam luctam. Vultis ſcire quomodo? homo dominatur piſcibus, quando dominatur gulæ & libidini, avibus cum dominatur ambitioni: reptilibus, cum dominatur avaritiæ, feris cum dominatur iræ. C. Gen. 1. v. 26. fol. 58. 2.

Deus conqueritur de peccatore: *Comparatur eſt jumentis, & ſimilis factus eſt illis.* In quo eſt ſimilis factus? non naturæ ſed voluntate: obſtinate vultum in terram dejicit, qui ad intuendum cælum factus eſt. Igitur hæc ſimilitudo in eo conſiſtit, quod impetum ſequatur omnis cupiditatis effrænis more brutorum. Hinc quidam ſunt furioſi inſtar ſerpentum, alii audaces inſtar leonum, alii avidi inſtar luporum, alii ſordidi inſtar porcorum. Quin imo ſæpe unus peccator multorum brutorum qualitates induit. Segn. Manna 14. Maji 4.

Peccator variis beſtiis comparatur, ut indicetur, eum eſſe compoſitum ex multis beſtialitatibus: ſic vocatur vipera, equus & mulus, ſcorpio, vulpes &c. P. p. 2. diſ. 12. n. 14. ſeq.

Rex Tridates S. Virginem Ripſimem, quæ impudicitiæ illius conſentire noluit, trucidat, Gregorium aulicum ob fidei conſtantiam in ſpecu ſerpentum concludit, & Dei ſupplicio in porcum mutatur. Sed cum facti pœnitens Gregorium liberat, & S. Ripſimi templum ædificat, ad hominis formam redit. P. p. 2. diſ. 12. n. 16.

Boet. l. 4. proſa 3. Boetius ait: Qui avaritia fervet, ſimilis eſt lupo, litigioſus ſimilis eſt cani: fraudulentus ſimilis eſt vulpi: iracundus eſt ſimilis leoni: ſegnis & ſtupidus ſimilis eſt aſino: libidinoſus ſimilis eſt ſui ſordidæ. *Ita homo probitate deſerta vertitur in belluam.* C. Lev. 11. v. 30. ad finem.

### 32. *Si non reſipiſcit dum poteſt, non poterit, dum volet.*

Qui non comparuerunt in convivio, per hoc ipſum puniti ſunt: *Nemo Virorum illorum guſtabit cœnam meam:* Quia non comparuerunt, dum poterant, in æternum excluſi ſunt. S. Gregorius ita explicat: Deus nunc invitat per Angelos, per Concionatores, per proſpera, & adverſa, nemo contemnat, ne, dum vocatus ſe excuſat, cum voluerit intrare, non valeat. A. 1. lect. 3. n. 11. ſeq. — Luc. 14.

Prov. 1. *Vocavi, & renuiſtis, extendi manum meam, & non fuit, qui reſpiceret ... ego quoque in interitu veſtro ridebo &c.* Hujus Scripturæ veritatem comprobatam agnoſcimus in Eſau, Pharaone, Saul, Antiocho, & aliis. A. 1. lect. 3. n. 12. 13. &c.

Radbodus a S. Vvolffranno jamjam baptizandus ſubſtitit, & quærens ubi ergo ſui progenitores Friſonum Principes eſſent? reſpondente S. Vvolfranno, eſſe in gehenna, ille pedem retrahens repoſuit, ſe ſine ſuis proavis eſſe non poſſe. Dein miſere periit. A. 1. lect. 3. n. 13.

Uſurarius terque quaterque monitus, ut pœnitentiam ageret, continuo reſpondit: ſupereſſe ſat temporis. Denique ſubitaneo morbo correptus voluit quidem pœnitentiam agere, ſed non potuit; hinc terribiliter ejulans clamavit: *O pœnitentia ubi es, quod te invenire non poſſim,* & ſic infelicem animam efflavit. B. ſer. 11. n. 36.

Inſcrutabile Divinæ Providentiæ mare ſimile eſt Oceano Meſſanenſi, qui fluxibus & refluxibus continuo agitatur: dum quis in portum appellere cogitat, niſi accurate obſervet fluxum maris, ſubito in altum repellitur. Sic fit cum peccatore, dum non obſervat tempus gratiæ, illud non amplius invenit: *Nullus difficilius evadit, quam qui evaſurum ſe præſumpſerit.* Et S. Auguſtinus: *Negligenter deſerere conſuevit &c.* — Salv. l. 4. de Eccl. Cath. S. Aug. in Pſ. 118.

### 33. *Semper in deterius vergit.*

Juvenis itinerans dum in officina ferraria equum ungulari facit, ſine nocumento ferrum candens manibus tractat, omnibus ejus innocentiam mirantibus, verum poſtquam domum intravit, & ab uxore fabri fuit ſeductus, exiens, iterum volens ferrum ignitum manibus tractare, miſerabiliter uſtus eſt. Sic fit, gratiæ Dei ſemper magis per peccatum perduntur. E. Verbo *Caſtitas* n. 11.

Pilato interroganti ab initio reſpondit Chriſtus, non autem altera vice ad interrogationem: *Quis es tu?* Quare non? quia interim Pilatus ſe reum fecit ſceleratiſſimæ flagellationis, cum tamen ipſe publice faſſus ſit, ſe non invenire in eo cauſam. Sic fit, quo ſæpius homo peccat, eo indignor fit, cui Deus loquatur. *Coſterus* Med. 28. de Paſſ. Dom. — Jo. 19.

Peccati tres ſunt differentiæ, ait S. Auguſtinus, in corde, in facto, & in conſuetudine, tanquam tres mortes: una quaſi in domo, cum corde conſentitur libidini: altera quaſi prolata jam extra portam, cum in factum procedit conſenſio: tertia cum in conſuetudinis malæ tanquam mole terrena premitur animus, quaſi in ſepulcro jam putreſcens, quæ tria genera mortuorum Dominum ſuſcitaſſe teſtatur Evangelium. Per filiam Archi-Synagogi, quam Dominus quaſi de ſomno excitavit, intelligitur peccatum cogitationis: Per filium in Naim peccatum operis, ubi Dominus jam majorem oſtendit difficultatem. Per Lazarum peccatum conſuetudinis, ubi Dominus conturbavit ſe ipſum, infremuit ſpiritu, & ad Patrem rogans clamavit &c. — S. Aug. l. de ſer. Dom. in monte.



### 34. *Infelix, utut proſpere vivat.*

Sordida lacuna, cum a ſolaribus radiis illuminatur, mirum quantum ſplendeſcit, & tamen manet ſordida lacuna: ita licet homo ſcientiis, & nobilitate fulgeat, miſerrimus tamen eſt, ſi fœditate peccati inquinatur.

In mari prope Inſulas Heſperidum invenitur piſcis, qui inter continuas inſidias vivit: habet virtutem volandi ſupra aquas, volatumque tamdiu producendi, donec alæ per aerem ſiccantur, ſed tunc inter volandum ordinarie a vulturibus abripitur. Si relabitur in aquas, hoſtilis piſcis, qui interim nunquam ex oculis eum dimittit, illum devorat. Interdum ad navigia refugium quærit, ſed ſic fit præda hominum. P. Carli in ſuo Æthiope c. 4. Idem contingit peccatoribus, ſive ſe vertant ad cælum, ſive ad terram, Deum & creaturas omnes inimicos habent.

Sicut milites in bello captivi, ſic peccator captivus eſt diaboli 1. quia peccato tanquam fune voluntario trahitur & ligatur. 2. Quia ab hoc vinculo nulla vi naturali, ſed ſola Dei gratia eximi poteſt. 3. Quia diabolus illum tanquam ſuum ſervum impellit, & agitat in alia peccata quo vult. En! quam periculoſus ſit peccatoris ſtatus, eſt enim ſicut navigium fracto gubernaculo a ventis abreptum, & ſicut avicula filo alligata, quam puer ludibundus trahit, & retinet: *Inſtar pueri jocatur diabolus cum peccatoribus;* ait S. Anſelmus, *quos irretitos ſuis laqueis in diverſa vitiorum impedimenta trahit.* C. 2. Tim. 2. v. 26. — S. Anſel. l. de ſimil. c. 183.

Eſau figura fuit improborum: 1. Quia fuit honoratior Jacobo: ſic mali in hac vita excellunt donis naturæ & fortunæ. 2. Major ſerviet minori: ſic mali in hoc mundo dominantur bonis. 3. Colliſio inter Jacob & Eſau ſignificat luctam aſſiduam inter bonos & malos. 4. Eſau prior egreditur, ſed Jacob ejus calcaneum tenet: ita impiorum priora ſunt proſpera, ſed extrema ſunt funeſta in æternum. 5. Eſau erat moribus aſper, ferox, & verſutus, ita tales ſunt impii. 6. Eſau erat venator & agricola: ita impii terrenis bonis inhiant. 7. Eſau primogenituram vendidit lenticula: ita impii jus adoptionis filiorum Dei, & ſpem vitæ æternæ commutant cum viliſſimis bonis &c. C. Gen. 25. v. 25.

Poſt cæſa centum, & octoginta quinque armatorum millia in exercitu Sennacherib, altera die jacere videbantur clypei, & loricæ auro, & ſole radiantes, ſed intus erant cadavera: ita ait Hector Pintus: *In hominibus non homines, ſed cadavera videmus.* B. ſerm. 1. n. 31.

Peccator exterius videtur intactus, ſed intus miſere conſumptus. S. p. 195. f. 515.

Peccator habitat *contra Paradiſum voluptatis,* quia in maxima miſeria vitam ducit, ait Auguſtinus. S. punct. 159. fol. 515. M. conc. 23. aſſ. 1.

Quid infelicius, quam Deum non habere: *Væ eis, cum receſſero ab eis.* S. punct. 163. fol. 521.

Quid prodeſt, ſi peccatores Dii ſint: ſicut unus de principibus (dæmonibus.) cadetis. M. conc. 23. n. 3.

Bos, qui in pinguibus paſcuis errat, ad macellum deſtinatur. M. conc. 23. aſſ. 1. n. 4.

Potentes, & divites ſicut fœnum herbarum cito decidunt. M. conc. 23. aſſ. 1. n. 6. ſeq.

S. Thomas Doctor Angelicus dicere ſolebat, ſe non poſſe capere, qua ratione peccator in peccato conſtitutus ridere poſſit? D. 4. 58.

Miſerrima eſt, & ſanguineis lacrymis deploranda peccatoris conditio. Paoletti in Feſto S. Apoſtoli Thomæ.

Divitiæ mundanæ tam parum poſſunt impios felices reddere, quam dentium albedo album reddant Æthiopem. *Verte impios & non erunt,* ſicut pictura verſus murum nihil pulchri repræſentat &c. Ita ſunt grandes hujus mundi ſine gratia. P. p. 2. diſ. 8. n. 9. — Prov. 12.

Ne putes peccatores beatos eſſe, quia divitiis temporalibus abundant. En quam officioſe fur paulo poſt ad patibulum ducendus tractetur: omnes illi ſerviunt, ſuccurrunt, & compatiuntur, & tamen paulo poſt pendebit. Sic Deus blande habet nonnunquam peccatores, interim tamen furca jam eſt illis parata in inferno. P. p. 2. diſ. 12. n. 13.

### 35. *Totas familias exponit periculo interitus.*

Propter inobedientem Jonam omnes nautæ venerunt in periculum naufragii. B. ſerm. 28. n. 11. ſerm. 32. n. 44.

Deus præcepit, ut blaſphemus extra caſtra educeretur, & ab omni populo lapidaretur: cur a toto populo? quia ſolum Deum non offendit, ſed etiam populum. B. ſerm. 36. n. 12. ſer. 37. n. 27. — Lev. 24.

Chriſtus toti mundo vædicit: Cur toti?

ti? quia totus mundus mala patitur propter peccatum. B. ſer.38. n.3.24. ſer.74. n.15.16.

Navicula Petri fere perit propter Judam proditorem. M. conc.5. aſſ.1. n.7.

S. Ambroſius ait: *Tranquillitas eſt, ubi* S. Amb. ſerm. in Dom. 5. poſt Pent. *ſolus Petrus navigat; tempeſtas, ubi Judas adjungitur*. A. 1. lect. 3. n. 16. Judas toti naviculæ, Achan toti populo nocuit. Quædam mulier filiorum ſuorum interfectrix curſum totius navis ſufflaminat, ejicitur e navi & perit. Narſetes Bellidux non prius vult hoſtem aggredi, quam ſceleratus miles prius fuerit punitus. Sicut ergo Deus toti populo parcit ob merita unius juſti: ita & totum populum punit ob peccata unius ſcelerati: ſæpe etiam per iſtud unum peccatum impletur menſura peccatorum a Deo præfixa, & dein verificatur illud: *Perdidit peccator innocentem*. D. 10. 16.

Lev. 14. In Levitico etiam mundari præcipitur lepra domus: quæ eſt hæc lepra? eſt contagium, quo ex peccato vel ipſi muri inficiuntur; hinc lapides vitioſi e muro debebant erui, & ſi murus pergebat eſſe maculoſus, tota domus jubebatur deſtrui. C. Lev. 14. v. 34. Et Lev. 13. v. 47.

### 36. *Jungat operam Deo ad ſuam converſionem.*

Sicut e ſcrinio non poteſt eximi pecunia una clavicula, quæ debet reſerari duabus: ita Deus non poteſt convertere peccatorem, niſi operam jungat. B. ſer. 1. n. 37.

Perdix aliena ova excludit, ſed pullus cum matureſcit, genuinæ matris vocem ſequitur: ita peccator vocem Dei ſequi debet. B. ſerm. 1. n. 38.

Antequam Chriſtus ſuſcitavit Lazarum, præcepit revolvi lapidem. Quare? quia dum Chriſtus miracula facit, debet prius homo removere obſtacula. B. ſer. 40. n. 4.

Mulier Chananæa, dum ſolam miſericordiam implorat: *Miſerere mei*, nihil impetrat, ſed dum dicit *adjuva me*, id eſt, dum promittit, quod etiam ſuum conferre velit, tunc exauditur. B. ſer. 49. n. 23.

Non ſolus ſol producit in montibus aurum, ſed requiruntur etiam certæ diſpoſitiones terræ: ita non ſolus Deus operatur converſionem peccatoris, ſed requiritur etiam hujus cooperatio. *Qui fecit te ſine te, non ſalvabit te ſine te*. P. p. 1. diſ. 24. n. 1.

Multi peccatores aſpirant quidem ad ſuam converſionem, ſed non ſerio, ſimiles Auguſtino, qui rogabat quidem Deum gratiam vincendi ſeipſum, ſed ſimul metuebat, ne cito nimis exaudiretur. Sic luxurioſus petit a Deo gratiam caſtitatis, ſed occaſiones non vitat, contra tentationes non ſerio pugnat, oculos & ſenſus non refrænat, mortificationem exhorreſcit. Sic ſuperbus, injuſtus, vindicativus, & alii peccatores vellent quidem cum Deo redire in gratiam, ſed non adhibent remedia debita. *In imagine pertranſit homo*, ait Pſalmiſta. Pſ. 38. Multi peccatores ſimiles ſunt pictis imaginibus: videmus hic depictum prælium, ubi milites gladios vibrant, ſclopetum explodunt, & hoc jam per viginti annos, nec tamen ullus vulneratur, aut occiditur. Alibi S. Hieronymus ſaxo pectus percutit, Sanctus Franciſcus flagello ſe cruentat: & tamen nihil fit. Sic peccator tranſit in imagine! Non cooperatur Deo!

### 37. *Magis timet pœnam, quam culpam.*

Peccator ita excæcatur amore proprio, ut tantum attendat ad damnum, & emolumentum ſuum, non Dei: hinc magis abſterretur a peccato per pœnam, quam amorem juſtitiæ. Adam poſt peccatum tantum deploravit, *quod nudus eſſet*: Cain, *quod ſit projectus a facie terræ*: Saul, *quod timeret privari regno*. Judas dum audiit: *unus veſtrum me tradet*, diſſimulavit: at cum audiit: *Væ homini illi*. Ait Mend. *Evigilavit ad pœnam*. B. ſer. 29. n. 1.

Loth intuitu incendii facilem exiſtimabat aſcenſum montis, qui ipſi prius difficilis videbatur. B. ſerm. 29. n. 2.

Jo. 19. Pilatus cum audiiſſet hunc ſermonem, videlicet, Jeſum eſſe Filium Dei, *Magis timuit*. Cur timuit? nempe fuit ethnicus, & metebat ne Jeſus eſſet forſan filius cujuſpiam Dei v. g. Jovis, Martis aut alterius, prout de Romulo & Ænea gentiles credebant: confirmabat opinionem Chriſti reſpondentis modeſtia, item aſſertum illud, quod regnum ſuum non eſſet de hoc mundo: Timebat ergo ne Deum illum, cujus filius eſſet Jeſus ſibi offenſum redderet, ejuſque vindictam in ſe provocaret. Sic timuit vanam iram Dei gentilis, non peccati turpitudinem. Coſterus Med. 28. de Paſſ. Dom.

### 38. *Punitur cæcitate mentis.*

Multi peccatores, ſi per diuturnum tempus impune vivant, obſtrepere audent monitoribus: *Peccavi, & quid accidit mihi triſte? &c.* Eccleſ. 5. v. 4. Indignatur quidam huic ſecuritati zeloſus nonnemo concionator, Deumque invocat, ne minas ſacrorum præconum toties irritas ſinat, non mi-



rum eſſe, inquiens, quod Jonas recuſarit Ninivitis ſupplicia minari, quia metuit mutata Dei ſententia ſe pro mendace habendum. At vero non opus eſt diluviis, ac fulminibus: ſat pœnæ peccati eſt hæc ipſa cæcitas, qua non agnoſcit peccator quid ſibi triſte acciderit. Hæc cæcitas gravior eſt, quam quævis pœna externa, nam ſpiritualia ſupplicia graviora ſunt corporalibus. In hanc rem loquitur Aug. *Siquis furtum faciens oculum perdidiſſet, omnes dicerent, Deum præſentem vindicaſſe. Oculum cordis amiſit, & ei pepercisse patitur Deus*. A. 1. l. 4. n. 5. Et C. 1. Jo. c.1. v.6.

Ad hanc cæcitatem non opus eſt, ut Deus peccatori fumum & nebulas immittat, ſed tantum ſubtrahit lucem, eumque relinquit ſuis viribus naturalibus, quæ merum nil ſunt. Sic *induravit cor Pharaonis*. Segn. Manna 4. Junii n. 3.

Quæritur, cur Divinus Judex dicatur venturus ut fur, cum tamen tam luculenta ſigna judicium ſint præceſſura? Reſpondeo, hæc ſigna erunt ſucceſſiva, non ſimultanea: cum igitur unum præterit, ſtatim iterum obliviſcuntur peccatores, pergunt eſſe impii, & ſic dies ultima illis veniet, ut fur. Ita factum eſt in diebus Noe. Sanchez p.8. c.2.

Hæc mentis cæcitas ex eo venit, quod Deus recedat ab anima; ſicut igitur non ſola terræ denſitas noctem efficit, ſed abitus ſolis: ſic ad abitum Dei tenebræ ſequuntur, ita ut homo in fide tam parum videat quam infidelis in ſuis tenebris. P. hom. Chr. p. 2. diſt. 9. num. 11.

Mater quæ ſæpius excitat fruſtra filium, tandem lumen iterum extinguit: ita Deus ſæpius vocans vocare deſinit, ne inſpirationes ſuas contemptui exponat. P. Hom. Chr. p.2. diſ. 9. num. 12. & ſeq.

Recte peccatum dicitur & eſt umbra mortis: 1. Quia omnis miſeriæ fons eſt & cauſſa. 2. Quia in morte & inferno, tanquam regno ſuo principatur. 3. Quia ſicut umbra corpori; ita mors & damnatio corpori adhæret. 4. Quia maxime conſcientiam angit & cruciat. 5. Quod terribiliſſimum eſt, quia oblivionem Dei inducit, & viciſſim a Deo oblivioni traditur. Unde S. Greg. *In umbra mortis* S. Greg. 4. Mor. 20. *ſedere, eſt a Divini amoris notitia, in oblivione lateſcere*. C. Jerem. 13. v. 16.

Peccator demerſus in mundanas opes ſimillimus eſt talpæ. 1. Talpa habet oculos, ſed pellicula obductos, ut nihil videat: ita peccator mentem habet, ſed cupiditatibus obductam ac cæcatam ut nihil cæli videat. 2. Talpa acutiſſime audit: ita peccator ad mundanas fabulas, ad nova, curioſa & ſecreta auriti ſunt. 3. Talpæ in terra ſe defodiunt: ita carnales in mundi tenebris veluti ſcrobibus habitant, ſolemque ac lucem fugiunt. 4. Talpæ inſano labore terram continuo ſubruunt: ita peccatores inſano cupiditatis æſtro ſudant, & laborant pro terrenis vanitatibus. C. in Ep. 2. Petri c. 1. v. 9.

*Excæca cor populi hujus*. Cæcitas pertinet ad intellectum, obduratio ad voluntatem, utraque peccatum eſt, & pœna peccati, prout loquitur S. Aug. C. Iſa. 6. v. 10. Iſa. 6.

Hæc cæcitas conſiſtit in errore practico, quo peccator judicat, hic & nunc peccatum præferendum eſſe virtuti, excæcatus a prædominante paſſione. Has tenebras repræſentavit plaga tenebrarum Ægypti, quæ tantæ fuerunt, ut eſſent palpabiles &c. C. Prov. 4. v. 19.

### 39. *In cauſa eſt, quod Gentiles non convertantur.*

Gentiles, ſi vident a nobis frequentari Sacramenta ſine emendatione, imo cum majori deterioratione, putant eſſe inanes cæremonias. S. p. 103. fol. 305. B. ſerm. 37. §. 8.

S. Auguſtinus: *Qui male vivunt, & Chriſtiani vocantur, injuriam Chriſto faciunt, de qualibus dictum eſt, quod per eos nomen Dei blaſphemetur*. Brev. Fer. 2. poſt Dom. Palm.

Cum claſſis Hiſpanica anno 1556. in Americam navigans vi tempeſtatum in terram Floridam ejecta eſt, Hiſpani immenſos auri theſauros in littus expoſuerunt, ac barbaris paſſim adventantibus obtulerunt: illi neglecto auro ſaccos aſportarunt, mirabilem illorum texturam admirantes. Sic ergo Hiſpani pecuniam, quam portare non poterant in littore reliquerunt, ubi quinque menſes barbaris paſſim prætereuntibus jacuit intacta. Poſtliminio Gubernator Ludovicus Valaſcus miſit Capitaneum Valliſagnam cum navibus, ut theſaurum illum 800000. Ducatorum aveheret. Indicibile eſt, quantum Indi admirati, & ſcandalizati ſint, cum viderunt, has naves adveniſſe, non alia quam pecuniæ aſportandæ gratia. Idem hodie fit, gentiles ſcandalum patiuntur, cum vident Chriſtianos avaros, rapaces, aut aliis vitiis deditos. D. 1. 19. Rident cum audiunt, Chriſtianos docere, cæleſtia eſſe præferenda terrenis, & ipſi toti quanti in mundi divitias demerſi ſunt: Honores eſſe contemnendos, & ipſi

in

in altum eluctari contendunt: injurias eſſe condonandas, & ipſi in odia & vindictas exardeſcunt: carnem & ſenſus eſſe mortificandos, & ipſi molliter & delicate vivunt. Sic rident, inquam, infideles, & dogmata ſanctæ fidei tanquam commenta & fabulas explodunt &c.

### 40. *Animam vendit dæmoni pro nihilo.*

Peccator *propter pugillum hordei, & fragmen panis* pro nihilo vendit animam: imo ſicut Judas dicit: *Quid vultis mihi dare?* S. Bern. ait: *Quis furor tam viles animas habere, quas etiam dæmon tam pretioſas habet? &c.* B. ſer. 2. n. 37. ſer. 19. n. 12.

*Qui dat pro modica delectatione illud, pro quo Chriſtus tradidit ſeipſum, ſtultum reputat Chriſtum mercatorem*, ait Auguſtinus. B. ſerm. 62. n. 33.

S. Cypr. teſtatur, quod multi qui poſt acceptum baptiſma denuo in gravia delicta inciderunt, frequenter a malo dæmone fuerint obſeſſi, qui jus prætendit in animam per peccatum, e qua expulſus fuit per gratiam. Utinam, ait Menochius, ſæpius id contingeret, ut diſcerent homines agnoſcere, & odiſſe gravitatem peccati. D. 9. 70.

Eſau peſſime egit vendens primogenituram pro pulmento: verum eandem ſtultitiam committit peccator vendens æterna pro re temporali & peccaminoſa. C. Gen. 25. v. 34.

Peccator ſervum ſe facit concupiſcentiæ, puta libidinis & voluptatis; *Omnis* Jo. 8.
*enim, qui facit peccatum, ſervus eſt peccati*, ait S. Joannes. Philo ſcribit: *Solus probus eſt liber; improbus enim tot dominorum ſervus eſt, quot vitiorum.* Solus ille liber ac beatus eſt, qui Deo ſervit. C. in 2. Petr. v. 19.

### 41. *Ludit Deum per inania propoſita.*

Sicut cos ſemper currit, nunquam tamen exit, ſic in circuitu impii ambulant: verum apud hunc cotem Deus *acuit ut fulgur gladium ſuum*. B. ſer. 51. n. 16.

*In imagine pertranſit homo.* Sicut aliqua imago ſemper in antiquo ſitu permanet, etiamſi currere, ictum vibrare, pectus percutere &c. videatur: ita peccator ſemper in antiquo ſtatu horret &c. B. ſerm. 7. n. 18. 19. ſerm. 7. n. 34. ſerm. 8. n. 16.

Pharao ſæpius promiſit, quod velit dimittere populum, nunquam promiſſo ſtetit. Imo & a plagis graviſſimis noluit ſerio liberari; cum enim rogaſſet Moyſen ut oraret Dominum ut auferret ranas, & Moyſes interrogaret, quando vis ut orem pro te? Repoſuit: *Cras!* cur jam non modo? hoc momento? quia ſerio non egit. C. Exod. 8. v. 8.

*Vult, & non vult piger*, ait Sacer Proverbiaſtes, vult, quia approbat vitæ ſanctitatem: Non vult, quia non adhibet remedia: Similis Auguſtino, qui de ſeipſo fatetur, *Cum deliberarem, ut ſervirem Domino Deo, ego eram, qui volebam, ego, qui nolebam, nec plene volebam, nec plene nolebam, ideo mecum contendebam, & diſſipabar a meipſo.* Sic peccator vult & non vult: hodie in templo eſt, cras in lupanari: nunc prandet cum Deo, nunc cœnatur cum diabolo. Verum ſcias, infelix, his voluntatibus ambidextris plenus eſt infernus, quia ad ſalutem conſequendam inutiles ſunt, & inefficaces &c.

Prov. 13.

S. Aug. l. 8. conf. c. 10.

Quantum confundetur peccator in judicio, cum videbit, quod creaturæ etiam inanimatæ Mandatis Dei & Sanctorum obtemperarint! Mare rubrum præcipiente Moyſe uſque ad fundum ſe diviſit: Padus fluvius exundans mandante S. Sabino Epiſcopo in Alveum ſe recepit. Palus diſcordiarum cauſa inter fratres ad mandatum S. Greg. exſiccata eſt. C. Sap. 19. v. 7.

### 42. *Remedia ſalutis convertit in ſuam perniciem.*

Pluvia vepres & flores alit; ſol indurat lutum, & ceram emollit, cibus huic ſtomacho venenum eſt, alteri nutrimentum: hæc vox *Ego ſum* Paulum convertit, Judæos induravit. Ratio eſt: quia peccator indiſpoſitus eſt. B. ſer. 51. §. 7. n. 11.

Longanimitas, qua Deus tolerat peccatorem, eſt remedium ſalutis; & tamen ea abutitur peccator, dicens: *Peccavi, &* Eccli. 5.
*quid accidit mihi triſte?* ſi ad primam blaſphemiam lingua vermibus laceraretur, ſi ad primum furtum manus arida fieret &c. non auderet peccare: ſed quoniam impunis evaſit, in malo fit audacior: nonne hoc eſt abuti longanimitate Dei in ſuam perniciem? &c. Segn. Manna 22. Junii n. 1.

Napellus & cicuta ſunt herbæ venenoſæ, quæ pretioſum cæli rorem convertunt in venenum, rorem, inquam, ex quo concha marina generat margaritam. Ita peccator facit; gratias & beneficia Dei detorquet in ſuam perniciem.

Miſericordiæ Dei longanimis tolerantia, piorum exempla, impiorum ſupplicia, concionatorum monita, confeſſario-

tum



rum hortamenta, beatorum gloria, damnatorum ſupplicia ante oculos poſita, omnia hæc ſunt motiva & remedia converſionis, & tamen his omnibus peccator non movetur ad aliud, quam ut ipſius peccata ſemper graviora fiant. Ipſa felicitate terrena, qua Deus quaſi blandiendo animum ejus commovere ſtudet, abutitur in ejus ignominiam, ſimilis filio prodigo, qui a patre extorſit portionem ſubſtantiæ, non aliud in emolumentum, quam ut ad extremam paupertatem, ipſaſque porcorum ſiliquas famelicus deveniret &c.

### 43. *Cur in hac vita proſpere vivat.*

1. Ut Deus æſtimationem adimat divitiis terrenis, quæ etiam impiis communes ſunt, ait Boetius.

2. Ut impios Deus beneficiis trahat, ſicut Ludimagiſter analectis puerum ad diſcendum allicit, ait Æneas Gazæus. B. ſer. 32.

3. Ut impii non habeant excuſationem, ſe non potuiſſe eleemoſynas facere, orphanos juvare: Ideo Chriſtus Judæ marſupium tradidit, ait Ambroſius, ut dicere non poſſet, ſe ex inopia fuiſſe compulſum ad proditionem. B. Ib. §. 5.

4. Ut Deus compenſat aliqua bona opera, ita dixit ad Epulonem: *Recepiſti bona.* B. Ib. §. 5.

5. Ut illis tanquam inſtrumento utatur ad exercendos bonos: Aſſyrius erat miniſter vindictæ, ait Cardinalis Hugo. B. ſerm. 32. n. 45.

6. Ut ſervetur illius poſteritas ſæpe bona, & virtuoſa: Abraham erat filius gentilium, Pius Ezechias filius Achaz.

7. Quia aliqui ſero complent menſuram peccatorum. B. ſerm. 32. n. 45. ſeq.

8. Ut oſtendat Deus ſuam vindictam, dum non amplius caſtigat: brutum saginatur, ut ad macellum ducatur. M. conc. 23. aſſ. 1. n. 4. Et A. lect. 9. §. 10.

Regnum Turcicum, quod anno 630. ortum habuit, jam ultra mille annos durat, cum tamen e Scriptura ſciatur, quod illæ gentes, quæ populum Dei perſequebantur, poſt aliquod tempus perierint. Cur Turcæ tamdiu perennant? auctores dicunt; quia multa bona in ſua lege habent, ſunt enim erga Deum, ejuſque templa religioſiſſimi, Chriſtum non blaſphemant, Chriſtianis cultum locorum Sanctorum indulgent &c. Ita peccatores ſæpe in hoc mundo proſpere vivunt, ut illis aliqua bona opera compenſentur. D. 12. 72. P. p. 2. diſ. 12. n. 13.

Patriarcha Iſaac Jacobum filium benedictione paterna heredem conſtituit; indigne id ferens Eſau primogenitus, quæſivit: num unam tantum benedictionem habes? Et Iſaac dixit: de rore cæli & de pinguedine terræ ſit benedictio tua. Ita Deus facit, peccatoribus temporalem ſaltem dat felicitatem, dum eos ab æterna excludit.

### 44. *Nocet hominibus juſtis.*

Joſeph fratres ſuos in Ægypto dure Gen. 42.
habuit, exploratores vocavit, tribus diebus incarceravit: Quid hoc? nonne Ruben erat innocens? Corn. a Lapide reſpondet: *Ruben etiamſi erat innocens a venditione Joſeph, quia tamen commixtus erat cum fratribus nocentibus, hinc & affligitur cum eis.* B. ſerm. 38. n. 12.

Corn. a Lap. hic.

Daniel erat captivus in Babylon propter peccata populi. B. Ib. n. 13. Vide Titulum: *Homo juſtus.*

Navicula Petri fere mergitur propter Judam: Loth innocens punitur propter conſortium Sodomitarum: Abraham nullam benedictionem accipit quamdiu eſt inter Chaldæos. M. conc. 5. aſſ. 1. f. 59.

Propter Judam periclitatur integra navis Apoſtolorum: quod impii perpetrant, etiam boni luere debent. Paoletti Dom. 4. poſt Epiphan.

Joſue Bellidux ſemper contra inimicos victor, ſubito a Deo derelictus eſt, ita ut ter mille armati, quos obſidioni admovit, victi & in fugam acti ſint. Unde hæc derelictio? Ex eo, quia unus militum, nomine Achan, de ſpolio urbis Jerichuntinæ, contra mandatum Dei, ſibi aliquid proprium fecit, prout exponit S. Auguſtinus.

Iſaacus non minus fuit Sanctus, quam Pater ejus Abraham, & tamen illi Dominus non æque quam Patri ejus apparuit, imo nec in ipſa morte, & ſepultura parentis ipſi ſolatium ſubmiſit. Quare non? Scriptura innuit cauſam: *Sepelierunt illum Iſaac, & Iſmael filii ſui.* En! Barr. ſer. 37. n. 24.
peccator Iſmael cauſa fuit, propter quam Deus juſto Iſaac ſuam benedictionem ſubtraxit. B. Serm. 37. n. 24.

S. Chryſoſtomo ſacrificanti cæleſtes Surius
viſiones, quibus alias fruebatur, ſubtra- Tom. 1.
huntur, propter incautos aſpectus Dia- die 13.
coni aſſiſtentis &c. Jan.

### 45. *Nullam Benedictionem Divinam habet.*

Primum quinta die Deus benedixit avibus, & piſcibus: cur non jam antea benedixit aliis creaturis? Reſpondet Ailredus:

redus:

redus: quia priores creaturæ non vixerunt: Deus tantum benedixit viventibus, id eſt tantum benedicit animabus conſtitutis in gratiæ vita. B. ſerm. 46. n. 22.

Fratres Joſeph erant in Dothain, quod eſt *defectio*, qui a Deo deficit, omnia ipſi deficiunt. S. punct. 159. fol. 515.

S. Aug. ait, malitiæ individuum comitem eſſe miſeriam. S. p. 163. f. 521.

Sicut vidua conjuge ſuo orbata perſecutiones ſentit, dum alius illi litem intentat, alius ratiocinia ab ea exigit, alius exactionibus illam premit. Ita peccator ab omnibus creaturis patitur, quia a Deo derelictus eſt: *Venite & non parcamus*
Sap. 6. *viduæ*. Dicunt quaſi omnes tribulationes: *Deus dereliquit eum, perſequimini &*
Pſ. 70. *comprehendite eum*. P. p. 2. diſ. 12. n. 1.

Adamus ante peccatum fuit omnium creaturarum, & elementorum Dominus, poſtquam autem peccavit, omnes feræ, omnia elementa contra ipſum rebellarunt, & hodiedum humanum genus affligunt: aqua per exundationes, ignis per incendia, terra per terribiles motus &c. Sic peccatum etiam actuale omnes miſerias inducit in domum peccatoris.

Veriſſimum eſt illud de populo Iſrael:
Judith. 5. v. 18. *Uſque dum non peccarent in conſpectu Dei ſui, erant cum illis bona*, experti ſunt manifeſtum Dei aſſiſtentis auxilium. Verum verſa eſt fortunæ alea poſtquam peccarunt: pergit enim ſacer textus: *Non fuit qui inſultaret populo iſti, niſi quando receſſit a cultu Dei &c.*

*46. Eſt voluntarius ſtultus.*

Quid ſtultius quam pro momento vendere æternitatem? B. ſerm. 30. §. 5. ſerm. 17. n. 3.

Omnes peccatores in Scriptura vocantur ſtulti. M. conc. 19. aſſ. 2. n. 3.

Herodes pro ſaltu promittit dimidium regni: S. Chryſoſtomus ait: *Miſer & infelix! itane tibi mentis oculi cæcutiunt? tanti regnum facis? ſemel puella ſaltavit, & regni dimidium tradis? Quid ſi ſecundo ſaltaverit ... poſtea tibi mendicandum*. A. 1. lect. 4. n. 6.

S. Paulus monet: *Fratres nolite pueri effici ſenſibus*: non dicit *innocentia*, ſed *ſenſibus*; habent enim pueri defectum judicii, & prudentiæ. Si puero levis chartæ folium eripiatur, plangit, & ejulat; ſi vero domus paterna conflagret, parum curat. Pretioſam gemmam pro nuce permutat, luto ſe conſpurcat, larvas & fictos terrores magis timet, quam gravia pericula: Ita plerumque peccatores deſipiunt, ait Auguſtinus: *Timent carcerem & non timent gehennam: timent cruciatum temporalem, & non timent pœnas ignis æterni: timent modicum mori, & non timent in æternum mori*. Elephas utut maximo robore polleat, muſculum timet. A. 1. lect. 4. n. 26. & ſeq.

1. Cor. 14. S. Aug. ſer. 18. de Verb. Dom.

Quanta fuit Gentilium, qui Deum non agnoſcebant, ſtultitia etiam in iis, quæ natura dictat! Perſæ ſorores & matres & filias ſibi matrimonio copulabant. Scythæ humanis carnibus, etiam filiorum veſcebantur. Maſſagetæ cognatos ſenes comedebant. Hircani ſuos ſenes canibus devorandos dabant. Lacedæmones furtum laudabant ut rem ingenioſam. Alii uxores ſuas hoſpitibus adulterio polluendas offerebant in ſymbolum hoſpitalitatis. Ipſe Plato, alias dictus Divinus, quam abſurdus fuit docendo, valetudinariis non eſſe ſubveniendum, mendacium eſſe licitum, infantes licere occidere, uxores debere eſſe communes. Lycurgus jubet hoſpites finibus pelli, pueros impune proſtitui, feminas licenter exponi. Hæ ſunt ſtultitiæ ſceleratorum. C. Ep. ad Epheſ. c. 5. v. 8.

*47. Punitur tunc graviſſime, cum non amplius punitur.*

Chriſtus in oliveto bis reſpondit militibus: *Ego ſum*: prima vice ceciderunt retrorſum, non item altera vice: jam quæro: quando per hoc: *Ego ſum* Chriſtus exercuit juſtitiam, quando miſericordiam? Reſpondet Rupertus: per primum exercuit miſericordiam, quia ſternendo monuit eos ſuæ impietatis: per ſecundum exercuit juſtitiam, quia permiſit in peccatis obdurari. B. ſerm. 84. n. 21.

Si Medicus non amplius præſcribit medicinam, terribile ſignum eſt ægroto. B. ſerm. 84. n. 16. Et A. lect. 9. §. 9.

Multi peccatores ſibi blandiuntur de felicitate terrena, qua fruuntur, verum ſuſpecta eſt omnis infortunii felicitas: intuere geminos boves, unum qui aratro alligatus ad laborem adſtringitur, & alterum, qui uberrimis paſcuis ſaginatur: quem feliciorem putas? ſine dubio primum, quia Domino ſervit, & ad laborem ſervatur, dum econtra alter paulo poſt ad macellum deſtinatur, & ideo liber circumvagari permittitur.

Tempore Noemi Deus centenis annis exſpectavit converſionem humani generis. Cur illud non fame, peſte, bellis, aliiſque





calamitatibus ad frugem reduxit? quia decrevit illud per diluvium deſtruere, & omnino exterminare. Sic hodiedum fit! graviſſima pœna & omnino æterna metuenda eſt, cum Deus non amplius punit crimina, & ſic verificatur illud S. Hieronymi: *Tarditatem ſupplicii gravitate compenſat*. S. p. 27. f. 120.

*48. Suamet culpa perit, ſi pereat.*

Chriſtus Judæ omnia propoſuit, quæ facere poterant ad illius emendationem: ſed fruſtra. Chryſoſt. ait: ſi remedium reſpuit, non medici vitium eſt, ſed languentis. S. punct. 6. fol. 557.

Judæi ipſimet dederunt Chriſto arundinem in manus, per quam S. Hieron. calamum intelligit, ut ſcriberet eorum damnationis ſententiam. S. p. 22. f. 640.

Tribus modis peccatorum miſeretur Deus: Exſpectat, vocat, & ad ſeriam pœnitentiam admittit. Primo duo ſe tenent ex parte Dei & cuilibet peccatorum tribuuntur: ultimum ſe tenet ex parte peccatoris, in quo ille deficit: Oliva poſt ſiccatum cataclyſmum non tantum columbæ, ſed & corvo floruit: ille tamen cadaveribus aſſuetus olivæ rationem nullam habuit. P. p. 1. diſc. 5. n. 29.

Chriſtus Dominus quondam eſuriens acceſſit ficulneam, quæ ſtabat ſecus viam, quærens fructum in ea, cumque nihil invenit in ea præter folia, maledixit arbori, & continuo illa areſacta eſt. Quæ cauſa terribilis pœnæ? an enim nullam excuſationem ſuæ ſterilitatis afferre poterat ficulnea? Non potuit! fruebatur ſolis calore, pluviarum obſequio, terræ fertilitate, & eadem cultura, qua aliæ plantæ. Cum ergo aliæ plantæ fructificarent, illa non niſi ſuæ indiſpoſitioni imputare poterat culpam ſterilitatem &c. Vide infra Tit. *Excuſationes peccati*.

*49. Quibus gradibus vadat ad infernum.*

Peccator pellicitur a tentatione, tentationem ſequitur delectatio, delectationem conſenſio, conſenſionem conſuetudo, conſuetudinem neceſſitas, neceſſitatem excuſatio, excuſationem gloriatio, gloriationem obduratio, obdurationem deſperatio, deſperationem damnatio, ait Card. Hugo. B. ſerm. 11. n. 33. Hæc eſt ſcala ad infernum, cujus ſinguli gradus ſemper viſcoſiore retinaculo ſunt illiti: primus gradus obductus eſt cera, a qua facile potes te expedire, ſecundus pice, quæ jam tenacior eſt, tertius plumbo liquato, quartus laqueis, quintus catenis, ſextus omnino cataſta armatus eſt, cui manibus & pedibus innexus nemo facile evadit. Vide Sanch. 2. p. c. 6. f. 90.

S. Bern. dehortans a peccatis ait: *Primum tibi importabile videbitur: proceſſu temporis ſi aſſueſcas non judicabis adeo grave: paulo poſt & leve ſenties: paulo poſt nec ſenties, paulo poſt etiam delectabit. Ita paulatim in cordis duritiem itur*. P. p. 2. diſc. 10. n. 21. in fine. S. Bern. de conſ.

Aliqui repſtant ad infernum, & hi ſunt hypocritæ: Aliqui trahuntur in infernum; & hi ſunt ſeducti ab aliis: aliqui vadunt ad infernum & hi ſunt conſuetudinarii: aliqui portantur in infernum & hi ſunt tepidi ac acedioſi: aliqui currunt ad infernum, & hi ſunt obſtinati, aliqui per poſtam feſtinant ad infernum, & hi ſunt impœnitentes & deſperati.

*50. Unicus poteſt impedire favores Divinos a tota communitate.*

In anno quando mortuus Rex Ozias, miſſus eſt Propheta Iſaias ad populum. Quare tunc, & non etiam antea? Reſpondet Chryſoſtomus: *Silet Spiritus gratia, non oſtenſus eſt Deus, eo quod ſub impuro illo non erat gratia, non adveniebat Deus, non Prophetæ loquebantur*. B. ſer. 37. n. 16. ſerm. 36. n. 12.

Deus non legitur cum Abrahamo fuiſſe locutus ante ſeptuageſimum quintum annum, ſcilicet priuſquam e Chaldæa exiit. Quare non? Reſpondet Guilhelmus Lugdunenſis: *Quamdiu fuit Abraham cum perverſis hominibus in Ur Chaldæorum, non legitur ei Dominus apparuiſſe, licet bonus fuiſſet*. B. ſerm. 37. n. 22.

Eliſeus dum multiplicat oleum Viduæ, clauſit oſtium: Quare? Cajetanus ait: *Ne demerita alicujus impedirent executionem miraculi*. B. ſerm. 37. n. 23.

Poſt obitum Abrahæ Deus non apparuit Iſaaco, niſi primum *orta fame*: Quare? Surius t. 1. ad diem 21. Jan.
quia cum Iſaac adhuc erat impius Iſrael.

S. Chryſoſtomus aliquando ſub Sacrificio totus aridus, & gratiis conſuetis vacatus erat: Deus ille revelavit, id factum fuiſſe propter unum ex ſuis Capellanis, qui ſub ſacrificio oculos curioſe in mulierem conjecit. B. ſer. 37. n. 24.

Cur Chriſtus tantum tres Diſcipulos in montem Thabor aſſumpſit? Reſp. Joannes Damaſcenus, quia apud reliquos erat Judas, indignus, qui Divinitatem ſpectaret. B. ſer. 37. n. 25. ſer. 38. n. 2. 3. ſeq.

Moyſes oraturus ſemper exiit a Pharaone: Quare? Procopius ait: *Si apud ipſum manſiſſet, non fuiſſet exauditus.* B. ſerm. 38. n. 17. 18. ſerm. 74. n. 13. ſeq.

Propter Judam periclitatur tota navis, quod impii perpetrant, etiam boni luunt. Paoletti Dom. 4. poſt Epiphan.

### 51. *Punitur brevitate vitæ.*

Deus poſuit Cain in ſignum: hoc ſignum erat quædam contractura nervorum, ait Chryſoſt. quia ſuo robore uſus non eſt, uti debuit. B. ſer. 81. n. 14. Vide Tit. *Vita hominis.* S. p. 126. f. 394.

Anaſtaſius Imperator erat ſceleratus & perſecutor Chriſtianorum: in ſomnio apparuit illi terribilis vir cum libro, inquiens: Propter ſcelera tua, ecce deleo de vita tua quatuordecim annos. Dein fulmine tactus periit. D. 2. 66.

Peccatum primitus introduxit mortem in mundum, & hodiedum retinet poteſtatem eam accelerandi, anticipandi, & præmature accerſendi: *Ne impie agas* Eccl. 7. *multum, ne moriaris in tempore non tuo. Iniqui ſublati ſunt ante tempus ſuum &c.* Job. 21. Segn. Manna 28. Maii 3.

Phocas ſceleratus Imperator, cum Priſcum & Heraclium una cum ſeditioſo exercitu ſibi imminere audiret, cito in palatium Imperatorium ſe recepit, illudque validis mœnibus obmunivit. Sed fruſtra! audivit enim terribilem vocem: Si vel ad cælum muros educas, tamen captu faciles erunt, niſi peccatum elimines! Vaticinio correſpondit eventus: eo enim die, qua circumvallatio ad finem perducta fuit, Phocas captus, manibus, & pedibus mutilatus, & denique capite truncatus eſt. F. l. 22. c. 10.

*Non permanebit ſpiritus meus in homine, eruntque dies ejus centum viginti annorum.* Hoc minatus eſt Dominus, cum Noe erat quingentorum annorum; & diluvium miſit, cum Noe erat ſexcentorum annorum. Ubi ergo ſunt viginti anni, quos ſupra centenos promiſit? Hos amputavit Deus, quia homo contempſit minas, ait S. Hieron. B. ſerm. 6. n. 29.

### 52. *Succeſſive, non repente fit malus.*

Succeſſive creſcimus a pueritia ad juvenilem, & virilem ætatem: ſucceſſive addiſcimus artes, & ſcientia: ſucceſſive fit crepuſculum, dein aurora, & demum meridies. Par ſe ratio habet in moralibus; nemo repente peſſimus & tum demum *contemnit impius, cum in profundum* Prov. 18. *venerit peccatorum.* In Statua Nabuchodonoſoris caput erat aureum, pectus argenteum, lumbi ex ære, & pedes ex luto, ſemper materia deterior: ita multi ab aurea juventute inceperunt, & pervenerunt ad turpiſſimum lutum. Tales erant Caligula, Nero, Cain, Saul, Judas & alii. A. l. 9. §. 1. Salomon optime incepit, ſed peſſime finivit. A. l. 9. §. 2.

Populus Iſrael non repente pervenit ad idololatriam, ſed prius dereliquerunt Dominum: Bern. ait: *Sicut nemo repente fit ſummus, ſed gradatim quiſque aſcendit; ſic nemo repente fit peſſimus, ſed paulatim deſcendit.* A tepiditate pervenitur ad perverſitatem. Hæreticus quidam primo negavit muſcas a Deo creatas, dein apes, dein aves, dein oves, denique & hominem &c. A. lect. 9. §. 4.

Ipſe diabolus non ſtatim ad peccatum invitat, ſed per ambages ſe pit: Evam interrogavit: *Cur præcepit Dominus*, ut deliberantem faceret. Credibile etiam eſt, quod alios diſcurſus præmiſerit de libertate & dignitate humana, de obligatione, & multitudine præceptorum naturalium, ut inde concluderet, non opus eſſe novo præcepto Dei. C. Gen. 3. v. 1.

*In profundum receſſeratis*: Non dicitur lapſi eſtis, quia gradatim receſſerunt: ſi uno ſaltu ſe debuiſſent conjicere in profundum, forſan horruiſſent, ſed quia deſcenderunt in profundum, id ſine metu factum eſt. Ecce! quid ſibi poſſit quis polliceri, cum ſenſim abit a Deo. Nunc parum tibi videtur laxiora ſequi, peccatum facere, o ſi ſcires in quantum profundum venire poſſes his paſſibus. *Væ eis quoniam* Oſ. 7. *receſſerunt a me!* Segn. Manna 3. Apr. n. 5.

Davidis peccatum ab unico aſpectu initium ſumpſit. Sicut mollis vapor inter nubila in lapidem duratur: ita immodeſta viſitatio ſenſim perducit ad duritiem cordis. P. p. 2. diſc. 10. n. 2. 3.

### 53. *Nullam habet excuſationem.*

Ordinarium eſt, quod peccatores ſe excuſent *fragilitate*, aut *ignorantia*, cum tamen plerumque peccent ex malitia; quia 1. ipſam fragilitatem ſtudioſe conſciſcunt, adeundo occaſiones, & conſortia depravantia. 2. Quia ipſam etiam ignorantiam affectant, hinc fugiunt Conciones, Confeſſarios probos, Conſiliarios peritos, ut non ſubmoneantur ſuæ obligationis, & tanto libertius poſſint pergere in ſua malitia &c. Segn. Manna 11. Mart. n. 3. 4.

Multi culpam ſui peccati rejiciunt in alios, ſicut Pilatus in Judæos: dixit publice: innocens ſum a ſanguine juſti hu- S. Leo de Paſſ. Do. jus, ſed quomodo innocens, ait S. Leo, qui iiſdem labiis Jeſum miſit in crucem, quibus eum pronunciavit innocentem. Sic multi faciunt, putant ſe excuſari, cum in gratiam aliorum peccant &c. Coſterus de Paſſ. Dom. Med. 30. §. 1.

Familiare eſt peccatoribus malitiam ſuam excuſare carnis imbecillitate, tentationum gravitate, pravis naturæ inclinationibus, malis ſociis, dæmonum inſidiis, & quæ ſunt ſimilia. Verum hæc omnia nocere non poſſunt, niſi volenti. B. ſerm. 20. n. 17. Vide infra Tit. *Excuſationes peccati.*

Congenitum eſt humanæ fragilitati commiſſa occultare, & ſi occultari non poſſunt, excuſare: hæc fragilitas jam in Adamo apparuit: culpam iniquæ comeſtionis rejecit in uxorem: uxor rejecit in ſerpentem &c. verum ſicut inanis fuit illa exculpatio, ita & in poſteris inanis, & erit. Imo ejuſmodi excuſationes potius aggravant, quam alleviant delictum &c.

## Peccator inveteratus obſtinatus &c.

### 54. *Quis & qualis ſit?*

ORigenes ait: Cor durum eſt, cum velut cera congelata ſignaculum Divinæ imaginis non recipit: de hoc Bernardus: Nemo duri cordis ſalutem unquam adeptus eſt, niſi cum forte miſerans Deus abſtulit ab eo cor *lapideum*, & dedit illi cor *carneum*. Cor durum eſt, quod neque compunctione ſcinditur, nec pietate mollitur, nec movetur precibus, minis non cedit, flagellis duratur, ingratum eſt ad beneficia, ad conſilia infidum, ad judicia ſævum, inverecundum ad turpia. Talis frequentat peccata ſine verecundia, ad Dei monita obſurdeſcit, fit finaliter impœnitens. S. p. 31. f. 730. A. lect. 6. num. 21. Segn. Manna 4. Junii num. 3.

Eccl. 3. *Cor durum male habebit in noviſſimo.* Hic explicandum venit, quid ſit durum? Res materiales quædam ſunt duræ, quædam teneræ, quædam liquidæ. Liquidæ ſunt, quæ nullam habent formam propriam, ſed facile quamlibet induunt, uti aqua: Teneræ ſunt, quæ formam quidem propriam habent, ſed facile eam relinquentes aſſumunt alienam, uti aqua denſata in nivem. Duræ ſunt, quæ potius franguntur, quam ſuam formam relinquunt, uti aqua denſata in cryſtallum. Et tale quid eſt cor durum peccatoris obſtinati, qui difficillime ſe ſubmittit voluntati Dei, nec veretur pro libidine ſua illum graviſſime offendere &c. Segn. Manna 17. Jul. n. 1.

*Cor durum eſt*, ait S. Bernardus, *quod nec compunctione ſcinditur, nec pietate mollitur, nec movetur precibus, nec cedit minis, & etiam flagellis magis duratur.* S. Bern. l. 1. de conſ. ad Eugen. Proprietates ſunt: 1. Cor durum non vult intelligere ut bene agat. 2. Lætatur cum male fecerit. 3. Cum in profundum venerit, contemnit. 4. Percuſſum a Deo non ſentit. 5. Peccatis cumulat, ita ut fere impoſſibile illi ſit bene agere. C. Exod. 7. v. 3.

Signa obſtinatæ mentis ſunt. 1. Animi cæcitas. 2. Voluntaria ſurditas. 3. Contemptus Dei. 4. Incorrigibilitas. 5. Stupor quaſi dormientis &c. C. Rom. 11. v. 8.

### 55. *Ad vocem Dei duriſſimus, ad vocem mundi mollis.*

*Poſuerunt cor ſuum ut adamantem.* Adamas, ait Hier. tam durus eſt, ut omnia metalla confringat, ille vero a nullo frangatur, & tamen ſanguine hirci diſſolvitur: Ita obſtinatus peccator cordis indomabilis eſt erga Deum, & molliſſimus ad libidinem: erga Deum durus, flexibilis ad Sirenum voces. S. p. 98. f. 297.

Imperator Valens inſtinctu ſuorum aulicorum perſecutus eſt Fideles, juſsitque eorum templa claudi. Iſaacius Monachus ter monuit illum, ut impium mandatum reſcinderet, alias eum bello contra Gothos periturum, & quidem morte vivicomburii. Non curavit Cæſar monita, dein in prælio fuſus, in fugam actus in mapali ruſtico ſe occuluit, ſed mapali ab hoſtibus incenſo in igne periit. R. cent. 2. p. 2. mir. 14. O quoties inveteratus peccator monetur, ut ſe emendaret, alias igne infernali arſurum: non credit, mavultque perniciem experiri, quam avertere &c.

Deus in pœnam peccati permittit, ut peccatores inveterati in malignos potius conſultores, quam in ſinceros & utiles incurrant, & illis magis quam iſtis aures præbeant. Sic Rex Roboam ſtultorum juvenum conſilium ſequens, magnam regni partem perdidit. Sic Abſalon neglecto conſilio amici Achitophel, prætulit conſilium Chuſai, quod ipſi exitio fuit. Malunt decipi per aſſentatores, quam audire utiles monitores &c. C. Ex. 7. v. 3.

Adamas malleorum ictibus non frangitur: hircino autem ſanguine molleſcit. ita peccator ad Divina monita &

pœna durũs, ad blandimenta mundi, quæ hircum redolent, mollis eſt.

56. *Non curat ſuam miſeriam nec agnoſcit.*

Miſer ille homo ad portam templi ſpecioſam a Petro, & Joanne eleemoſynam rogat: cur non ſanitatem? Reſp. quia jam quadraginta annis miſer fuit, & malo plane aſſuetus: Berchor. ait: *Peccatores non curant niſi terrena bona accipere, de ſpiritualibus non curantes.* B. ſer. 1. n. 21. S. p. 157. f. 521. Vide Tit. *Mala conſuetudo & hodiſte Seſabr* c. 1.

Ejuſmodi homines, utut infelicitatem ſuam ſatis cognoſcant, non tamen adhibent remedia ſeriæ converſionis: poſt confeſſa peccata non alii evadunt, & quo magis ſcelera eorum multiplicantur, hoc letale frigus vehementius intenditur, ut iis evenit, qui humili in ſolo degunt, quo enim aura eorum eſt craſſior, eo hyems eſt ſævior. Hinc etiam fit, ut raro ſerio convertantur; quia non animum applicant ad cognoſcendum ſuum periculum, non libros evolvunt, non ſacros Oratores audiunt, & demum de induſtria laxos Confeſſarios quærunt, ſicut Judas, qui dum pœnitens debuiſſet ire ad Apoſtolos, ivit ad Phariſæos. P. p. 1. diſc. 5. n. 21.

A Deo derelictus confunditur in ſeipſo, ita ut culicem curent, & camelum negligant, ſimiles illi hypocritæ in Ordine S. Franciſci, qui obedientiam non curans, & ſibi ſoli ſapere volens, noluit confiteri, ut ſilentium non frangeret; ſed a Deo deſpectus & rejectus dein ſacrum Ordinem deſeruit. E. Verbo: *Confeſſio* n. 17.

Sicut vehementia doloris ſenſum ſuperat, ita ut homo in deliquium incidat, & ſtupidus fiat, ſuique ignarus; ita vehementia invidiæ Judæos inſenſibiles fecit, & quaſi dementes in rebus fidei & ſalutis. Item ſicut cacabus tranſpunctus, & pertuſus nihil aquæ retinet, ſed tam effluere ſinit; ita Judæi (& peccatores obſtinati) excæcatione tranſpuncti nihil vident, vel audiunt de Chriſto, & ejus lege: oculos habent, & non vident, aures habent, & non audiunt &c. C. Rom. 14. v. 8.

57. *Nec flectitur minis, nec beneficiis.*

Nabuchodonoſor, & Pharao ambo erant Reges, ambo caſtigati, ambo clementer admoniti, ait Aug. primus reſipiſcit, & ſalvatur: alter peccat, & obdumatur; Quare? unus ad Divinæ juſtitiæ ſolem ſe habet ut cera, alter ut lutum.

Chriſtus turbam Judæorum in horto terruit minis, dum proſtravit, obſtrinxit beneficiis, dum Malcho auriculam ſanavit: ſed fruſtra omnia. B. ſer. 11. n. 34. 35. ſer. 40. n. 33. ſer. 46. n. 15. ſer. 62. n. 9. ſer. 65. n. 24. S. p. 157. f. 512.

Judas tot alliciis a Chriſto tractus ad laqueum currit: Chryſoſtomus ait: *Guttur illud, quod Chriſto extendit ad oſculum, mox infelix extendit ad laqueum.* S. punct. 6. fol. 353. 354.

Anno Domini 1348. terribilis peſtis graſſabatur & tamen teſte Matthæo Villani homines in vanitatibus & luxu pergebant eſſe impii. Anno 1576. Mediolani immanis peſtilentia affligebat populum, & tamen furta, latrocinia, & immunditiæ pergebant frequentari. Cur autem impietas inter media ſupplicia continuabatur? nempe hic mos eſt inveteratorum. D. 4. 64.

*Fruſtra conflavit conflator, malitiæ enim eorum non ſunt conſumptæ, argentum reprobum vocate eos.* Sicut argentum ſpurium eſt illud, quod in crucibulo non emendatur; ita e numero reproborum eſt peccator, qui tribulationis igne non convertitur &c. Segn. Manna 23. Junii n. 1. & ſeq.

Cor Pharaonis nec per blandimenta, quæ primo adhibuit Moyſes, nec per dura flagella potuit emolliri.

Rex Saul nec per verba Jonathæ, nec per beneficia Davidis fuit placatus.

Apparitores, & famuli Judæorum miſſi ad comprehendendum Dominum, ab illo unico verbo proſtrati ſunt in terram: dein Chriſtus in conſpectu eorum ſanavit auriculam Malchi, nec tamen illi ad miſericordiam moti ſunt, neque miraculi manifeſtatione, neque beneficii pietate, neque potentiæ Divinæ virtute &c.

Cor Pharaonis non fuit emollitum niſi ſtrage primogenitorum. Nabuchodonoſor cervicem demiſit cum mutatus eſt in beſtiam. Saulus proſtratus in terram reſipuit. Magdalena tunc pœnitentiam egit, cum poſſeſſa eſt a ſeptem dæmoniis. C. Exod. 12. v. 32.

58. *Ordinarie perit æternum.*

In rebus etiam bellicis aut politicis obſtinacia grandem ruinam poſt ſe trahit. Hiſtoriæ Hiſpanæ narrant de nova Carthagine, quod a Scipione Romanorum Duce obſeſſa, cum ſe tueri non amplius poſſet, tamen victoris gratiæ ſe neutiquam



quam debere, ſed potius ſuos cives una cum theſauris igne exurere voluerit. Idem fecit Urbs Numantia, quæ favorabilia Romanorum promiſſa neutiquam reſpicere, & ſe arbitrio victorum tradere voluit: Quid evenit? funditus devaſtata eſt, ita ut ne reliquiæ illius hodie ſuperſint. Idem ipſum contigit obſeſſis Jeroſolymitanis, qui extrema fame preſſi tamen ſuos ipſi infantes devorare, quam ſe Tito obſidenti ſubmittere maluerunt. Quæ porro ruina urbis conſecuta ſit, triſtiſſima narrat hiſtoria. Theat. Trag. hiſt. 28. n. 1. 2. & ſeq.

Viginti ſpecies volucrum tanquam immundæ ab eſu & ab altari reprobantur, propter qualitates innatas, quibus certa vitia analogice denotant: v. g. Aquila notat potentum ſuperbiam &c. Sic peccator ob vitia inveterata a Deo reprobatur. C. Lev. 11. v. 19.

*Iſidor. de ſum. Bon. l. 2. c. 23.* S. Iſidorus ſcalam deſcribit, quo peccator ad infernum deſcendit: Cogitatio prava delectationem parit, delectatio conſenſum, conſenſus actionem, actio conſuetudinem, conſuetudo neceſſitatem, neceſſitas mortem, ſicque his vinculis homo implicatus, quadam catena vitiorum tenetur adſtrictus &c.

Certum eſt, quod Deus non vult mortem peccatoris, ſed ut convertatur & vivat, hunc in finem ad ejus converſionem adhibet tam remedia *externa*, uti Scripturam, Verbum Dei, monitores pios &c. quam *interna*, agnitiones damni peccatorum, gehennæ, & pœnarum præcipue gratiam excitantem. Id exprimit Deus per *Prov. 1.* verba: *Vocavi & renuiſtis.* Præterea conatum ſuum ulterius explicans addit: *Extendi manum meam*: nam 1. manum extendimus in oblationem auxilii, ut prolapſum in ſcrobem aut barathrum extrahamus. 2. Ut Deus hoc ſigno errantem ad ſe advocet, ſic mater exporrecta manu advocat filium. 3. Ut viam ſalutis, quæ eſt lex Dei peccatori oſtendat, ſic extenta manu & digito viatori ignaro viam demonſtramus. 4. Ut pœnas illi minetur, extenſio enim manus ſignum eſt comminantis &c. Hæc omnia & plura facit Deus: quod ſi peccator hæc omnia *renuat*, *non aſpiciat*, non audiat, ſequitur juſtiſſima ultio: Ego quoque in interitu veſtro ridebo &c. C. Prov. 1. v. 24.

59. *Difficillime convertitur.*

Vvilhelmus Juliacenſis Comes ex Dei indulto audiit cæleſtem muſicam gemina vice, & tamen poſt mortem totus ignitus apparuit, cum ejulatu conqueſtus, ſe eſſe damnatum; qui inveteratas conſuetudines corrigere noluit. E. Verbo *Angelus* n. 16.

Uxor Pilati miſit ad maritum, rogans, ut nihil ageret contra juſtum illum, propter quem multa paſſa eſſet præterita nocte: cur ad maritum, cur non ad Phariſæos, & Seniores Synagogæ miſit? quia ſcivit hos jam eſſe inveteratos, adeoque nulla monita profutura. Coſterus de Paſſ. Dom. Med. 23.

Judæi ut crederent Chriſto ſemper ſignum de cælo ab eo petierunt: in morte Chriſti acceperunt ſignum de cælo, nempe trium horarum tenebras, aliaque, & tamen non crediderunt: ex quo concludi poteſt non credituros, etiamſi Chriſtus de cruce, prout voluerunt, deſcendiſſet. Coſterus de Paſſ. Dom. *Luc. 11.*

Eo audaciæ progreditur peccator, ut non tantum comittat, ſed etiam peccatum defendat, ſicque dupliciter reus fiat, quia & agit & docet. Hoc modo difficilior ſemper fit ejus converſio, ſicut difficilius eſt exire de fovea, quam in eam labi. Ait S. Bern. *S. Bern. de lib. arb.*

Dominus miſit viris Juda Prophetas, ut reverterentur ad eum, illi autem non audierunt monitores: imo proterviores facti ſunt in malo, quia Zachariam filium Jojadæ increpantem eos occiderunt. *2. Par. 24.*

S. Paulus Patroclum Neronis famulum a mortuis excitavit, qui & Chriſtum libere prædicavit. Et tamen Nero tyrannus Patroclo alapam in faciem dedit, & Paulum morti addixit. Sanch. r. 6. c. 9. f. 820.

Sicut piſcis non curat ſalſam aquam: ſicut canis mallearius ad fremitum aſſuetus dormit: ita peccator inveteratus multiplicat peccata, ut ſcutum, ut nullus locus gratiæ pateat. B. ſer. 46. n. 25.

Sicut aſpis ſurda non permittit ſe ab incantante in lucem educi: ita peccator obduratus. B. ſerm. 9. n. 17. ſerm. 10. n. 23. ſerm. 11. n. 16. ſerm. 79. n. 13.

Dæmones allegant præſcriptionem: hinc Chriſto dixerunt ex obſeſſo: *Veniſti ante tempus.* M. conc. 31. n. 8.

Lazarum Chriſtus longe cum majori difficultate ſuſcitat, quia inveterati peccatoris figura erat, quam adoleſcentem, quia hic figura erat peccatoris neoterici. M. Ib. n. 9.

Iſaias mundatur calculo igneo: Jeremias tactu manus Divinæ: Cur? quia ille ſenex, hic juvenis erat. M. Ib. n. 10.

Zachæo promittitur ſalus, non vero Matthæo: Cur? quia ille *ſtans*, hic *ſedens* erat: qui ſedet in peccatis, majus dubium ſalutis habet. M. Ib. n. 11.

Cauſæ, cur peccator inveteratus difficulter convertatur ſunt quatuor, maligni effectus, quos peccatum in anima relinquit; nam 1. in intellectu relinquitur grandis ignorantia. 2. In voluntate malitia. 3. In potentia concupiſcibili concupiſcentia. 4. In iraſcibili debilitas. Quomodo ſanari facile poterunt hæc vulnera, præſertim cum æger nec modum ſciat, nec rationem agendi cum medico, id eſt cum Deo &c. Segn. Manna 10. Maii num. 1. Paoletti Fer. 2. poſt Dom. 2. Quadr.

S. Anſelmus vidit aliquando puerum cum paſſere ludentem, quem filo tenebat: interdum permittebat volucrem in altum evolare, ſed ſtatim iterum retraxit. Tunc cogitabat Anſelmus, ſic ludit diabolus cum peccatore, interdum permittit illi ſpatium alicujus boni operis, ſed ſtatim retrahit &c. Sanch. 5. p. c. 10. fol. 638. Vide etiam. C. Ex. 12. v. 32.

*60. Excæcatur, & induratur a Deo.*

Soceri Patriarchæ Lot admoniti, ut fugerent, putabant Lotum ludere: Quare? Abulenſis ait: *Quia peccata ad ſummitatem pervenerunt, exigentibus ſceleribus excæcavit illos Deus, ne ſanum conſilium auſcultarent*. B. ſerm. 46. n. 16. ſerm. 61. n. 21. 22.

Heli *non poterat videre lucernam Domini*: Ægri oculi lucem averſantur: quam multi ſunt, qui in luce non vident, nolunt enim videre: affertur lux exemplorum, rationum, ſignorum. S. p. 110. f. 302. p. 157. f. 511. B. ſerm. 8. n. 16. M. conc. 13. aſſ. 2. n. 1. A. 1. l. 4. n. 3. 4. ſeq.

Deus ita ſe habet erga induratos 1. Permittit eos ſequi ſuas cupiditates. 2. Dat eis affluentiam rerum temporalium. 3. Aufert ab eis tribulationes. 4. Vetat Sanctos pro illis orare. 5. Amovet ab eis bonos monitores. 6. Permittit ut incidant in adulatores & malos conſiliarios. 7. Laxat catenas diabolo ad inſidias texendas. C. Exod. 7. v. 3.

Effectus deplorandi hujus indurationis ſunt 1. Indurati nolunt intelligere, ut bene agant, oculos & aures claudunt ſalutaribus monitis, dicunt Deo: *Recede a*
Job. 21. *nobis, ſcientiam viarum tuarum nolumus*. 2. Tales viciſſim relinquit & deſpicit Deus. 3. Illi lætantur cum male fecerint, & exultant in rebus peſſimis. 4. Veniunt in profundum malorum, Deumque contemnunt. 5. Peccatum eorum dicitur indelebile, & vulnus inſanabile. 6. Percuſſi a Deo non ſentiunt. 7. De die in diem in pejus progrediuntur, & peccata peccatis cumulant &c. C. in Exod. 7. v. 3.

Hæc induratio promovetur, & completur: cum Deus peccata peccatis plectit, & in ſupplicium anteriorum peccatorum in nova ſcelera labi permittat, quam pœnam deſcribens S. Greg. ait: Deus permittit, ut *qui malum ſciens perpetrat, de-* S. Greg. in Mor.
*inceps juſte in alia etiam neſciens cadat:* l. 24. c. 11.
*hoc quippe agitur, ut culpis culpa puniatur, quatenus ſupplicia ſiant peccantium ipſa incrementa vitiorum*. C. Ex. 7. v. 3.

## Peccatum Originale.

*61. Peſſimos effectus reliquit in mundo.*

SCriptura ait: *Aperti ſunt oculi eorum*. Ad quid aperti? prius excæcavit illos malitia eorum, poſtea viderunt miſerias in orbem invectas. *Culpa oculos claudit, pœna aperit*, ait S. Gregorius. B. ſer. 38. n. 7. 8. 9.

Quidam putant herbas venenoſas, & tribulos ac ſpinas ante peccatum originale non fuiſſe creatas, ſed primum poſtea. D. 11. 2.

Per unum hominem, ait Apoſtolus, peccatum in orbem intravit, & non tantum protoparentes, ſed & omnes poſteros infelices reddidit: ſicut in humano corpore, cum caput languet, etiam omnia corporis membra affliguntur: ita cum Adamus caput morale humani generis mandatum Dei tranſgreſſus eſt, hæc tranſgreſſio, ejuſque pœna non ſolum Adamo, ſed & omnibus poſteris, tanquam illius membris moralibus imputata eſt. Hinc omnia mala! Per peccatum hoc perdidit homo juſtitiam originalem: contraxit rebellionem concupiſcentiæ, qua dæmones nunc utuntur ad tentationes, & propaganda peccata actualia: hinc etiam illa infirmitas carnis, contra quam homo toto vitæ tempore pugnare debet, & multi pugnæ ſuccumbunt ad æternam ſuam perniciem. Hinc originem etiam traxit amor proprius, qui eſt fomes & fons bellorum, contentionum & diſſidiarum omnium, nec non origo proclivitatis ad malum, ex qua præſens vita innumeris calamitatibus & plagis turbatur. Sanch. Regn. Dei p. 2. c. 2.

*Sepulcrum patens eſt guttur eorum*. Hæc verba intelligit Diez de peccato origina- Diez conc. 4. de con.
li: cur autem ſepulcro comparat? quia ſicut ſepulcrum apertum, propter fœtorem cadaverum, *ſua exhalatione peſtem ge-* S. Hier. c. 5. ad Rom.
*nerat*: ita, ait S. Hier. peccatum Adæ omnibus poſteris nocuit. B. ſer. 82. n. 6.

S. Thomas explicat, quomodo per peccatum originale anima fuerit depravata: *Per peccatum ratio hebetatur: voluntas induratur ad bonum: Difficultas bene agendi creſcit: concupiſcentia magis exardeſcit &c*. B. ſerm. 43. n. 8. 9. 10. ſeq.

Per naturam corruptam quatuor in homine pullulant propenſiones ad malum: 1. Ad voluptatem, & libidinem. 2. Ad excellentiam, & excuſanda peccata. 3. Ad vana, curioſa, & caduca bona. 4. Ad fallendum & mentiendum, ubi res propria agitur &c. C. ad Rom. 3. v. 4.



## Peccatum Veniale.

*62. Eſt inevitabile humanæ fragilitati.*

Eccl. 7. ECcleſiaſtes ait: *Non eſt homo juſtus in terra, qui faciat bonum & non peccet*. Et Sacer Proverbiaſtes: *Septies cadit*
Prov. 24. *juſtus, & reſurget*. S. Joannes: *Si dixe-* S. Joan. ep. 2. c. 1.
*rimus, quod peccatum non habemus, ipſi nos ſeducimus, & veritas in nobis non eſt*. Unde Clemens Alex. *Nihil omnino pecca-* Clem. Al. 1. Ped. c. 2.
*re, proprium eſt Dei*. Præclare S. Greg. S. Greg. 23. Mor. c. 7. vel 18.
*Quid faciunt tabulæ, ſi tremunt columnæ? aut quomodo virgulta immobilia ſtabunt; ſi hujus pavoris turbine etiam cæli quatiuntur?* Itaque de fide eſt, hominem juſtum, non poſſe ſine ſingulari privilegio omnia peccata venialia ad longum tempus evitare, prout ipſum Conc. Trid. definit:
Conc. Trid. ſeſſ. 6. can. 23. *Siquis hominem ſemel juſtificatum dixerit poſſe in tota vita peccata omnia, etiam venialia vitare, niſi ex ſpeciali Dei privilegio, quemadmodum de B. Virgine tenet Eccleſia, anathema ſit*. C. Jac. 3. v. 2.

Ratio eſt, quia auxilium omne gratiæ, quod Deus ordinarie confert, non tollit concupiſcentiam, adeoque non impedit omnes motus rationem prævenientes, quibus rapimur in illicita. Motus autem hi concupiſcentiæ varii ſunt, & pene innumeri, dum unum ſuperamus, exurgit, & quaſi ebullit alius & alius quaſi continuo, quo poſito moraliter fieri nequit, ut ſpectata fragilitate humana non aliquando peccetur &c. C. Jac. 3. v. 2.

Minima negligentia ſufficit ad peccatum veniale, quia non requirit perfectam deliberationem, & advertentiam. Impoſſibile autem eſt, ut quis opus aliquod magnum conſcribat, aut imprimat, aut navim, domum, templum ædificet, & ne minimum quidem errorem admittat; quia impoſſibile eſt, ut mens humana ad omnia etiam minima vigil excubet, vigilque conſiſtat &c. C. Jac. c. 3. v. 2.

*63. Diſponit ad mortale.*

S. Thomas ait: *Peccatum veniale poteſt diſponere ad mortale per quandam conſcientiam*. Explicat Leſſius:

1. Quia auxilia Dei minuuntur.
2. Tentationes creſcere ſinuntur.
3. Conſuetudo in parvis ad majora diſponit. B. ſerm. 43. n. 35. 36. & ſeq.

Cancer marinus lapillum in conchile oſtreæ injicit, ut capiat: ita dæmon &c. B. ſerm 60. num. 14. Vide Titulum *Cura minimorum*. S. Greg. ait: Qui minima peccata flere negligit a ſtatu juſtitiæ non quidem repente, ſed partibus totus perit. S. punct. 112. fol. 342.

Propter clavum, inquit Ludovicus Granatenſis, perditur ferrea equi ſolea, propter ſoleam equus, propter equum eques. Sic qui levia ſpernit, ſucceſſive pervenit ad gravia;

Quia venialia devotionem ſubtrahunt, quietem animæ turbant, vires ſpirituales debilitant, animi vigorem extenuant, & in virtutum exercitio tepidos reddunt &c. A. lect. 9. §. 8.

Homo tenetur vitare levia, quæ enim vi- Eccl. 19.
dentur parva, dum vires imminuunt, ad majora diſponunt. Paoletti Do. 6. poſt Epiph.

*Qui ſpernit modica paulatim decidet*. Decidet ad majora ob triplicem rationem: prima eſt ex parte *hominis*, quia amittit timorem & auget propenſionem ad malum &c. Secunda eſt ex parte *dæmonis*; quia iſte hic invenit, quod vult: ejus enim conſuetudo eſt quærere maximum malum, ſed paulatim quærere, ſi primo ſtatim ad adulteria aut latrocinia invitaret, nemo non illum tanquam hoſtem manifeſtum repelleret. Tertia ſe habet ex parte *Dei*; quia minora peccata punit permiſſione majorum. *Non audivit populus* Pſ. 80.
*meus vocem meam*: Quid ſequitur? *dimiſi eos ſecundum deſideria cordis eorum &c*. Segn. Manna 8. Aug. Item C. Eccli. 19. v. 1.

*64. Mala maxima poſt ſe trahit.*

Peccatum fugere jubemur ut faciem colubri, qui licet heri natus, ſtatim virulentus eſt. B. ſerm. 62. n. 12. Homo potius mori, quam venialiter peccare deberet, ait S. Thomas. S. p. 157. f. 511. B. ſerm. 42. §. 1. in fine. ſerm. 43. n. 9. 32. 33. Vide Titulum *Tepiditas*.

Vapores terræ modici ſunt, & vix ſenſibiles, ſed ſi in altum venerint, tonitrua, & fulmina cauſant.

*Scintilla res parva eſt*, ait Hieronym. *ſed ſi fomitem comprehenderit, mœnia, urbes, latiſſimos ſaltus, regioneſque conſumit*. B. ſerm. 42. §. 1.

Nadab & Abiu, offerentes ignem alienum, ſolum venialiter peccarunt, & tamen morte puniti ſunt. Similiter Propheta deceptus ab alio Propheta, item Oza tangens arcam & alii. C. Lev. 10. v. 2.

Moyſes apud urbem Cades, cum populus ex defectu aquæ murmuraret, percuſſit quidem petram, ſed dubitavit, an Deus populo tam indigno & rebelli daturus ſit aquam. Hac incredulitate tantum peccavit venialiter, & tamen propterea excluſus eſt terra promiſſa. C. Nu. 20. v. 12.

Veniale poteſt complere menſuram peccatorum: Judas erat fur, & tamen primum poſt proditionem Chriſti periit. Econtra Oza propter tactum Arcæ, ubi S. Aug. *Sæpe evenit, ut minores culpæ præcedentium peccatorum vindictam incutiant*. B. ſerm. 12. n. 29.

Sicut ſumma gravis pecuniaria non per ingentem monetam auri, ſed demum unico obolo completur; ita menſura peccati per unicum veniale compleri poteſt. D. 10. 16.

*65. Revera non eſt aliquid leve.*

Melius foret totum mundum perire, quam unicum fieri peccatum veniale, quia peccatum hoc eſt malum Dei, interitus autem mundi eſt tantum malum creaturarum, quæ omnes ſimul ſumptæ non poſſunt comparari cum dignitate Creatoris. Habemus ex Scriptura, quod peccatum veniale gravibus pœnis fuerit a Deo punitum. Propter vanam complacentiam in numeratione populi Rex David punitur triduana peſte, qua ſeptuaginta hominum millia abripiuntur. Propter vanam jactantiam in oſtentatione theſaurorum legatis facta Ezechias punitur bellis & jactura theſaurorum. Hinc S. Catharina Senenſis imaginari ſibi potuit, ſua peccata utut venialia eſſe cauſam malorum, quibus tunc temporis affligebatur Italia. D. 10. 16.

Venenum, quod mortem corpori affert, non habetur pro re levi: ergo multo minus pro re levi haberi poteſt veniale peccatum, quod diſponit ad mortem animæ, id eſt, peccatum grave: 1. Quia multa parva iterata faciunt quid magnum, ſic multæ unitates multiplicatæ faciunt mille: multæ guttæ conſlant flumen, & mare, multæ arenæ integrant cumulum. 2. Quia parva diſponunt ad magna; ſic qui hodie furatus eſt aſſem, cras furabitur duos, perendie tres, & tandem aureum; levia enim peccata debilitant vires animi, quo fit, ut ingruente tentatione gravi homo debili ſuccumbat. 3. Quia levia peccata Dei gratiam imminuunt, & avertunt; Deus enim venialibus delictis offenſus non tot ac tantas immittit illuminationes intellectui, nec tot ac tantas affectiones pias voluntati. 4. Quia dæmon per neglectum minorum fit audacior, ut tentet hominem ad perpetranda majora: ſicut parum nivis, quod avicula in cacumine montis commovet, per declivia rotatum adeo nonnunquam crevit, ut ſua mole oppida deſtruxerit; ita parvi defectus, ſi negligantur, creſcunt in immenſum, & animam non unius, ſed multorum perdunt. C. Eccli. 19. v. 1.

Peccatum jam ſemel remiſſum.

*66. Non debet eſſe ſine metu.*

SPiritus Sanctus ait: *De propitiato peccato noli eſſe ſine metu*. Quare? Primo: Quia peccatum, utut remiſſum, peſſimos effectus in anima relinquit: nam *ratio hebetatur: voluntas induratur: difficultas bene agendi creſcit: concupiſcentia magis exardeſcit*: ait S. Thomas: B. ſer. 43. n. 8. & Ib. §. 5. S. Th. 1. 2. q. 85. a. 3.

2. Quia impedit agnitionem Divini luminis; Petrus in littore Tiberiadis non agnovit Chriſtum niſi monitus a Joanne: Quare? S. Chryſol. ait: *Tardius ſuum Dominum videbat, qui vocem facile ancillæ ſuſurrantis audivit*. B. ſer. 43. n. 15. S. Chryſ. Serm. 78.

3. Quia animam facit pavidam exemplo Saulis, Davidis, Petri, vinculat linguam, ut quis neſciat, quid ſibi rogandum ſit, adimitque confidentiam rogandi. B. ſerm. 43. n. 16. 17.

4. Quia poteſt adhuc æternam damnationem poſt ſe trahere, non eo ſenſu, quod peccatum remiſſum reviviſcat, ſed quod Deus intuitu peccati vel ſpeciale auxilium illi deneget, vel contrarium aliquid admittat, quod alias non fuiſſet denegaturus vel admiſſurus. Atque hæc pœna a Theologis vocatur *pœna permiſſiva*: ſolet Deus fidelem ſibi animam ſpeciali providentia contra dæmonis tentationes, pravaſque occaſiones paterne tueri, eamque piis affectionibus ad bonum fortiter excitare. Hanc autem providentiam, ſicut nemini eſt debita, ita illam intuitu peccati, etiam jam remiſſi ſubtrahere poteſt, eum in modum, quo Rex Reginæ ſibi infideli & adulteræ validius præſidium ſubtrahit, quo ſubtracto illa in itinere a latronibus occupatur & occiditur, non occidenda, ſi potentiori comitatu fuiſſet munita. Cur autem Rex potentiorem comitatum illi ſubtraxit? quia propter adulterii delictum illam frigidius, quam ante, amavit. C. ſer. 43. §. 4.

5. Quia peccatum, utut remiſſum, per novum peccatum, quodammodo reviviſcit, & recrudeſcit: Sic Semei a Salomone occiſus eſt propter injuriam illatam Davidi, quamvis hæc injuria jam fuerit ei condonata: quia videlicet contra præceptum Salomonis tranſivit torrentem Cedron. B. ſer. 51. n. 10.

6. Quia peccatum, utut fuerit remiſſum, malignas radices in anima relinquit, quæ, niſi ſpeciali Dei auxilio opprimantur, & quaſi mortificentur, facile in nova peccata repullulant, præſertim, ſi fuerit peccatum libidinis. Quæſo, quare Judith conopæum Holofernis ſuſpendit in anathema oblivionis? quia erat ab amante! affectus hujus amoris nulla ſatis cautela opprimi & extingui poteſt! O quid fiet cum illis, qui huic affectui nullo modo reſiſtunt? qui annulos, epiſtolas, manuſcula reſervant? Levitæ Iſrael pollices ſibi præſciderunt, ne cantare organis poſſent in captivitate Babylon. Sic ſic extirpanda ſunt omnia incentiva, &c. S. p. 33. f. 143.

Peccatum Omiſſionis.

*67. Tam grave eſt quam commiſſionis.*

SErvus negotiari negligens ad carceres damnatur: S. Chryſoſt. ait: *Non ſoli* S. Chryſ. Hom. 79. in Matt. *malefactores cruciantur, verum & qui bona facere negligunt*. B. ſer. 3. n. 39.

Oza moritur, quia Arcam Domini non portavit humeris ſuis. B. ſer. 10. n. 33.

Moyſes *permiſit* Judæis libellum repudii, & ſtatim Phariſæi dicebant: *Mandavit*. Ecce! ait Mendoza, quod a Principe non prohibetur, præcipi cenſetur. B. ſer. 27. n. 31. Ser. 28. n. 3. Ser. 54. §. 6.

S. Aug. ſer. 38. de Sanct. S. Auguſt. ait: *Quam ſpem habere poſſunt, qui male faciunt, quando illi perituri ſunt, qui bona non faciunt; ſi in ignem mittetur, qui eſurienti non dedit panem ſuum, ubi mittendus eſt, qui rapuit aliena?*

Virgines fatuæ repelluntur propter defectum olei: ſervus propter omiſſionem S. Chryſ. hom. 77. in Matt. negationis: ubi S. Chryſ. *Cum hæc veniunt in mentem, amariſſime flens ex profundo corde ingemiſco, quia, quæ ad Virgines, & ad ſervum, qui abſcondit talentum, dicuntur, vehementer me perturbant.*

Mauritius Imperator omittit captivos Chriſtianos e manu Regis Avarorum redimere, qui propterea omnes crudeliter trucidantur. Quid fit? Imperator in ſomnio ad tribunal Dei citatur, quæritur ubi velit peccatum ſuum hic, aut ibi expiare? Mauritius eligit hic in hac vita puniri. Mox a rebelle exercitu e throno dejicitur, a Phoca regni uſurpatore captivatur, quinque ejus filii in illius conſpectu obtruncantur, & tandem etiam ipſe interficitur. D. 2. 90.

Id etiam certum eſt, quod peccatum negligentiæ & omiſſionis quodammodo diſponat ad peccatum commiſſionis, quia Deus ſubtrahit gratiam, & devotionis fervor tepeſcit: hinc S. Greg. ait: *Si curare* S. Greg. in Mor. *parva negligimus, inſenſibiliter ſeducti audacter etiam majora perpetramus, &c.*

Accedit & illud, quod peccata negligentiæ, & omiſſionis tam grande ſcandalum poſt ſe trahant, quam peccata commiſſionis; cum enim vident ſubditi, quod Principes, Superiores, Nobiles, Prælati, & Litterati, qui ad clavum Reipublicæ ſedent, officia ſua languide & oſcitanter neglecta juſtitia faciant, & ipſi in ſuis functionibus tepeſcere incipiunt, dies joviales ſibi procurant, præcepta Dei & Eccleſiæ ſuperficialiter obſervant, ad delicta liberorum & domeſticorum rident, verbo viam latam vitiorum inambulant, putantes, ea, quæ de morte, de judicio, de inferno, de paucitate ſalvandorum dicuntur, eſſe inania terriculamenta. Sic pravo exemplo itur, non qua eundum eſt, ſed qua præitur! &c.

*68. A plurimis parum curatur.*

Sicut venenum aſpidis mortem affert ſine dolore, ita peccata omiſſionis animam necant ſæpe ſine advertentia. Carolus V. Imperator quondam confitens poſt pauca enarrata peccata concluſit: Jam nihil amplius occurrit. Cui Confeſſarius, nihil amplius occurrit? *Dixiſti peccata Caroli, ſed nondum Cæſaris*, id eſt nondum peccata omiſſionis. P. Segneri in inſtruct. Confeſſarii §. 7. fol. 35.

De peccatis omiſſionis dicitur illud: *A negotio perambulante in tenebris, ab incurſu & dæmonio meridiano*. Dicuntur negotium perambulans in tenebris; quia dæmon tanquam princeps tenebrarum per ea majus animarum lucrum facit, quam per peccata commiſſionis. Dein dicuntur in tenebris geri; quia parum cognita ſunt homini, eo quod non con-

conſiſtant in actione, ſed in negatione actionis. Hinc fit, ut qui a dæmone hac ex parte inducitur, malum non ante cognoſcat, quam ejus emendandi tempus non amplius habeat: ideo etiam cum aliæ pravæ aſſuetudines corriguntur, omiſſiones nunquam emendentur. Pulvis pyrius poteſt per artem ita mortificari, ut quidem lædat, fragorem autem non edat: cum dæmon tentat per peccata poſitiva id facit cum fragore, dum autem tentat per omiſſiones, quaſi inſenſibiliter id facit. P. p. 1. diſc. 5. n. 13. Item Manna An. 18. Nov.

Intueamur hominum vivendi morem, & inveniemus peccata maxima a peccatis omiſſionis originem trahere: Ille juvenis non curat frænare oculos, & ſic viſu incurrit in objecta periculoſa, in tentationes graves & peccata. Illa puella, etiam monita non abripit ſe a familiaritate noxia, & ſic ſucceſſive ſeducitur, & depravatur. Illi parentes non corrigunt filiolum ob furtum unius oboli, & ſic ille inter furta ſemper majora & majora adoleſcit, donec ad furcam matureſcat &c.

*Boeth. de diſcip. ſchol.* *Sicut in unoquoque mater eſt diligentia, ita univerſim doctrinæ & diſciplinæ noverca eſt negligentia*, ait Boetius.

*69. Damnatur non minus quam commiſſionis.*

*Eccle. 39.* *Quomodo cataclyſmus aridam inebriavit, ſic ira Domini gentes, quæ non exquiſierunt illum, hereditabit.* Sermo hic eſt de juſtitia, qua Deus ſæviet in damnatos. Adverte igitur, quod hæc ita effundetur in *gentes, quæ non exquiſierunt illum:* Si diceretur, illi populi, qui Deo verterunt dorſum, adorando metalla, marmora, idola. Si diceretur, illi crudeles, qui cruore humano terram inundarunt, & tot innocentes Martyres diris ſuppliciis interemerunt; Si diceretur, illi nefandi, qui vixerunt ut bruta pecora involuti mille ſpurcitiis, facile quivis intelligeret, ſed dicitur, qui non exquiſierunt illum, ut intelligas non ſolum plecti peccata commiſſionis, ſed etiam omiſſionis &c. hinc in comparatione illa dicitur: ſicut cataclyſmus inebriavit *aridam:* væ illi, qui in ſuo ſtatu & officio aridus eſt, nec partes veri Principis, Prælati, Parochi aut Patrisfamilias rite explet &c. Segn. Manna 19. Majii 4.

Hinc eſt, quod maxima Chriſtianorum pars pereat; quia peccata omiſſionis non curantur. Sacerdotes non inſtruunt rudes, conciones negligunt, Sacramenta non niſi in neceſſitate miniſtrant, pœnitentes contra relabendi pericula non admonent, abſolvunt indiſpoſitos. Judices & Advocati ſuo muneri non ſatisfaciunt. Parentes liberorum educationem negligentes tantum curant, ut divites illos, non virtuoſos relinquant. Idem accidit in officiis caritatis &c. P. p. 1. diſc. 5. n. 14.

Dominus in illa die in ignem projiciet non tantum arbores nocivas, ſed & ſteriles: *Omnis arbor, quæ non facit fructum bonum, excidetur, & in ignem mittetur.* Non ſufficit abſtinere a malo, ſed oportet addere bonum: non prodeſt diviti ad ſalutem, quod non ſpoliet mendicum, ſed veſtire illum neceſſe eſt. Hinc accuſabit illum publice judex: Hoſpes eram, & non recepiſtis me, nudus eram & non cooperuiſtis me &c. Segn. Manna 18. Novemb.

*70. Eſt periculoſius quam peccatum commiſſionis.*

Unde enormes & infidi debitores, Reipublicæ uſque adeo pernicioſi originem ſumunt? Certe non ſemper ex luxu, & luxuria, ſed ex negligentia rei œconomicæ! Non ſolvunt annonam quotidiani victus, non mercatores, non ſutores, non ſartores, non operarios, & ſic tandem excreſcunt debita ultra illorum vires. Sic res ſe habet in re morali! Multi tam obligatoria, quam voluntaria omittunt, non cohibent ſenſus, non oculos refrænant, non guſtum mortificant, non pericula fugiunt, non occaſiones exhorreſcunt, non contra tentationes pugnant, non officio ſatisfaciunt; & ſic ob peccata negligentiæ Deus ſubtrahit illis gratiam, ut in peccata commiſſionis prolabantur.

Legitur in hiſtoriis, quod milites nocturno tempore in caſtra hoſtium irrupturi, eo ſtratagemate uſi ſint, quod equos, quo minus ſtrepitum faciant, non ferro, ſed corio ungularint. Sic ſe habent peccata omiſſionis, irrepunt laneo pede, ſtrepitum non faciunt, velut peccata commiſſionis, ſed ideo tanto ſunt periculoſiora. Hinc peccatores hi poſteriores, cum monentur & corriguntur, facilius agnoſcunt ſuum reatum: primi autem illi, identidem objiciunt: Quid enim mali facio, &c.

Pec-



## Peccati effectus.

## Mala conſcientia.

*71. Eſt peccatoris implacabilis carnifex.*

REx Saul moriturus vocavit militem, a quo interfici cupiebat præ anguſtia: Quare? quia videre ſibi videbatur Sacerdotes quos interfecit. B. ſerm. 19. n. 19. & lb. 6. 4. S. punct. 128. f. 398. M. conc. 13. aſſ. 3. n. 8.

*Matth. 5.* *Eſto conſentiens adverſario tuo cito, dum es in via cum eo.* Per hunc adverſarium intelligitur conſcientia. Quid autem agis cum adverſario potente, qui tecum jure diſceptat? nonne ſtudes illi debitam ſatisfactionem præſtare, ne te trahat ad tribunal judicis? idem fac nunc cum conſcientia, alias in morte erit tuus implacabilis accuſator, &c. Segn. Manna 27. Jul. n. 1. Vide Paoletti Dom. 1. Adventus.

Mala conſcientia eſt velut mare, quod omnes fluvios amaros reddit: qualiſcunque miſeræ delectationis dulcedo ſemper admixto dolore inficitur, ait Hugo a S. Victore. M. conc. 13. aſſ. 3. n. 2.

Adamus vocem Dei, qua antea delectabatur, poſt peccatum timet. M. conc. 38. aſſ. 1. n. 8.

S. Bernardus ait: *In peccato tranſit jucunditas non reditura, manet anxietas non receſſura.* C. Gen. c. 3. verſ. 8.

Deus in corde hominis conſtituit tribunal, & judicium, coram quo conſcientia erit teſtis & accuſatrix contra frivolas excuſationes, & negationes peccatoris. C. Rom. 2. v. 15. & 16.

*Pacat. Paneg. Theod. c. 41. S. Aug. in Pſ. 36.* Pacatus ait: *Habet neſcio quos internos mens ſcelerata carnifices, aut ipſa ſibi carnifex conſcientia eſt.* Et S. Auguſt. *Ipſe eſt pœna ſua, quem torquet conſcientia: fugit ab inimico, quo potuerit, a ſe quo fugiet?* C. Pr. 13. v. 21. Sicut Prætor perſequitur fures, ut ſuſpendat, ſic vindicta perſequitur peccatorem, ut plectat. Ib.

*72. Sicut quiete affligit peccatorem.*

*Eccli. 33.* *Præcordia fatui quaſi rota currus*, ait Eccleſiaſticus. Cur comparat rotæ currus? Paludanus ait, quia eſt in perpetuo murmure conſcientia peccatoris: currus nimis oneratus, & inunctus perpetuum fremitum in axibus facit: id fatetur David de ſe: *Peccatum meum contra me eſt ſemper.* Ubi Ambroſius: *Offunditur nobis ultrix noſtri imago peccati, nec quietum ſuum reum eſſe permittit.* B. Ser. 36. nū. 13. Serm. 55. n. 14.

*Tota die contriſtatus ingrediebar.* Quid? inter medias aulæ delicias? S. Chryſoſt. ait: non tantum eum ornabat purpura, quam hujus peccati macula fœdabat. S. punct. 116. f. 355.

Jonas quia contra Dei voluntatem egit, ventos, mare, piſces, procellas, nautas, omnia formidavit. S. punct. 117. fol. 360. punct. 128. f. 398.

Cain poſt fratricidium ſemper timidus, & inquietus. Rex Balthaſar inter aulæ delicias oppalleſcit ob viſa peccata. S. punct. 128. fol. 398.

Peccator vivus infernum circumfert in pectore. S. punct. 157. f. 509. Ideo peccatum celari nequit, etiam ad extra ſe prodit. S. p. 159. f. 515.

Conſcientia mala merito comparatur ſpumanti mari, quod ſuis fluctibus in ſeipſum ſævit. M. conc. 13. aſſ. 3. n. 1.

S. Baſil. ait: *Sicut umbræ corpora, ſic peccata ſequuntur animas, & manifeſtas facinorum repræſentant imagines.* Occiſor, etiam Monachus factus ſemper audit vocem: *Quare me occidiſti?* de his & ſimilibus Poeta: *Hi ſunt, qui trepidant, & ad omnia fulgura pallent.* Sicut bona conſcientia maximum eſt ſolatium, ſic mala eſt tormentum maximum. C. Prov. 13. v. 21.

*73. Erit inter maxima tormenta in inferno.*

In hac vita interdum tranquillatur conſcientia, non in inferno: *Die ac nocte gravata eſt ſuper me*, ubi Auguſt. Recordatione peccatorum. S. p. 140. f. 442.

S. Bernard. *Nulla major pœna eſt mala conſcientia: ipſa eſt delictorum teſtis, ipſa judex, ipſa tortor, ipſa carcer, ipſa judicat, ipſa punit, ipſa damnat.* S. punct. 160. fol. 516. *S. Ber. de conſcien.*

Viennæ famulus piſtoris clam heri domum ingreſſus noctu ſervum, ancillam & conjuges occidit: cum autem ad filiolam accederet, illa rogavit dicens: Mi Paule vitam mihi dona, dabo tibi omnes meas puppas! quam tamen interfecit. Is retractus Ratisbona Viennam graviſſimis tormentis excruciatus omnem tormentorum vim excedere dicebat horrorem, quo conterebatur, ſi vocis ſupplicis puellæ recordaretur. T. n. 387.

Mala conſcientia damnati ſpina eſt, quæ ſemper pungit, & quæ extrahi & ſanari nunquam poteſt. Tribulatio in hoc mundo dicitur ſpina, de qua David ait

quod

quod proſit: *Converſus ſum in ærumna mea, dum configitur ſpina.* Verum conſcientiæ ſpina damnato eſt in vindictam immedicabilem. C. Prov. 17. v. 22.

Vermis eorum non morietur. Ubi S. Hieronym. ait, Vermis, qui non morietur, conſcientia eſt peccatorum, quæ torquet in ſuppliciis conſtitutos, quod vitio ſuo careant electorum bono. Ex hac conſcientia naſcitur immenſa, & inexplicabilis triſtitia. C. Prov. 25. v. 20.

*74. Semper eſt timida & perplexa.*

Cain timuit ſemper, dicens: Omnis qui invenerit me, occidet me: Ubi Ambroſius: Cum adhuc perſecutor deeſſet, ipſa ſeſe injuſti vita cruciabatur. S. punct. 160. fol. 516. *Sonitus terroris ſemper in auribus impii, &c.* S. Ib.

Mala conſcientia amat tenebras, fugit hominum conſortia; odit recreationes honeſtas. S. punct. 160. f. 517.

David victoriæ lætitiam non ſentit propter animi peccaminoſi dolorem. S. punct. 162. f. 520.

Herodes timet in nativitate Chriſti ſe regnum perditurum, quia id male acquiſivit. M. conc. 32. aſſ. 2. n. 3. 4. Sicut rebellis ſemper & ubique timet, ita peccator. M. Ibid.

Quidam Beſſus genitoris ſui occiſor hirundines ex nido deturbat, & pedibus calcat: quia putat ſibi ab illis exprobrari parricidium. *Maxima pœna peccantium* Seneca l. Epiſt. 97. *eſt peccaſſe; nec ullum ſcelus impunitum eſt, quoniam ſceleris in ſcelere ſupplicium eſt.* Ait Seneca. D. 4. 14.

Pythagoras ait, neminem eſſe tam audacem, quem mala conſcientia non faciat timidiſſimum. Plutarchus: facinoroſa conſcientia inſtar ulceris in corpore. C. Lev. 26. v. 36.

Tyranni ſemper ſunt pavidi & ſuſpicioſi, quia male ſibi conſcii ſciunt ſe Deo & hominibus eſſe exoſos: *Sonitus terroris* Job. 15. *ſemper in auribus illius:* Hinc Plato: *Tyrannus intra ædium parietes, formidoloſus ſicut mulier commoratur.* Exemplum habemus in Caligula, Domitiano, Nerone, Decio, Diocletiano & aliis. Dionyſ. Democli blandienti convivium inſtruxit, & e tabulato ſuper caput ejus gladium ſuſpendit, ut oſtenderet felicitatem tyrannorum eſſe infelicem. Eadem ſors eſt omnium impiorum, ſemper timent romphæam Divinæ juſtitiæ punientis. C. Pr. 28. verſ. 1.

*75. Eſt malorum omnium maximum.*

In omnibus adverſitatibus, inquit Auguſtinus, homo confugere poteſt ad Deum, & ibi ſolatium quærere: ſed mala conſcientia hoc refugium non habet. S. p. 160. f. 517. 518.

Ananias, & Saphyra mortui concidunt, non propter imprecationem Petri, ſed propter vim malæ conſcientiæ. M. conc. 37. aſſ. 2. n. 6.

*Nullæ pœnæ graviores ſunt*, ait Auguſtinus, *mala conſcientia, in qua quia non* S. Aug. in ſent. ſent. 191. *habetur Deus, conſolatio non invenitur.* C. Gen. c. 4. v. 7.

Seneca ait: Facinora mala flagellantur a conſcientia, cui plurimum tormentum eſt. Nero occiſa matre faſſus eſt, ſe exagitari materna ſpecie, & verberibus furiarum. Sicut qui carcerem inhabitant, opperientes damnationem capitis, etiamſi deliciis fruantur, vitam agunt moleſtam & anxiam: ita qui conſcientia moleſtantur, &c. C. Lev. 26. v. 36.

Conſcientia mala eſt olla bulliens & ardens, quæ ſemper æſtuat cum malis deſideriis, doloribus, & angoribus. Nam ut ait S. Hieron. quot ſunt vitia, tot ſunt animi tormenta. Et S. Bernar. Nihil eſt in hac vita laborioſius, quam terrenis deſideriis æſtuare. C. in Ezech. c. 24. v. 7.

Mala conſcientia in ipſum etiam corpus tyrannidem ſuam exercet: peccator expalleſcit, triſtatur, tremit, Deum ſupra ſe, infernum infra ſe, Angelum cuſtodem penes ſe extimeſcit: dum alii lætantur & rident, ille in gemitus & fletus diffluit: intellectus obſcuratur, memoria confunditur, voluntas indureſcit, & ille ſqualidus, tetricus, luctuoſus, nihil prudentiæ aut rationi conforme operatur, eum fere in modum quo ager grandine devaſtatus, altero aut tertio anno nullos fructus progignit, &c.

*76. Prodit peccatum etiam nolens.*

Cain aperte habere potuit pro reo, quia concidit facies ejus, & peccatum præ foribus aderat &c. Peccatum Judæ ſcriptum erat ſtylo ferreo, quia in conſcientia ſcriptum. M. conc. 9. aſſ. 2. n. 3. 4.

Herod. homicidium Joannis imprudens prodit, quia Chriſtum captivum credit redivivum Joann. M. conc. 9. aſſ. 2. n. 1.

Aliquis latro fit monachus, & ſemper videt puerum a ſe occiſum dicentem: *Cur me occidiſti?* donec monaſterio egreſſus capite multatus eſt. C. Gen. c. 4. v. 23.

Fra-



Fratres Joſeph in Ægypto pro proditoribus habiti, & in carcerem dati ſtatim recordantur iniquæ venditionis fratris, dicentes: *Merito hæc patimur*, quia peccavimus in fratrem noſtrum. Sicut ebrius primum poſt diſcuſſam crapulam ſentit damnum; ita peccator poſt commiſſum peccatum. C. Gen. 42. v. 21.

Davidi propoſita eſt cauſa propria ſub ſpecie alienæ litis, & rogatus, contra ſeipſum ſententiam tulit: *Vivit Dominus,* 2. Reg. c. 12. *quoniam filius mortis eſt vir, qui hoc fecit.* C. Rom. 2. v. 15.

Principi cuidam prudentiſſimo a juſtitiæ Miniſtris dum facinoroſi homines ſiſtebantur, quorum unus certo & infallibiliter commiſſi recenter furti reus erat, cum neſciebatur, quis ex ambobus ille eſſet, utriuſque pectus manu palpando exploravit, & cum unius cor vehementius præ altero palpitare ſenſit, hunc furti & mortis reum declaravit. En! etiam cor in intimis viſcerum tenebris deliteſcens loquax fit, & peccatum prodit &c.

## Mala conſuetudo.

*77. Quam potenter afficiat crimen.*

GOliath a Davide in fronte ictus debuiſſet retro cadere in tergum, ſed recidit pronus in faciem: Cur? Abulenſis reſpondet: *Quia non conſueverat oculos in cælum levare.* B. ſer. 9. n. 20. Ser. 13. n. 28.

Navis, etiamſi ceſſent remigia, ad ingens tamen ſpatium adhuc procurrit. S. punct. 11. fol. 53.

Deus Iſraelitis dedit dulciſſimum Manna, & tamen deſiderabant allia Ægypti, quibus aſſueverant. Chryſoſt. ait: *Judæi* S. Chryſoſt. Hom. 7. in 1. ad Cor. *Manna habentes quærebant allia propter conſuetudinem, adeo tyrannica res eſt conſuetudo.* B. ſer. 11. n. 3. 23. & ſeq.

Qui ad oſtium Nili habitant, ſtrepitum aquæ non amplius curant. B. ſer. 30. n. 1.

Sicut Æthiops non poteſt mutare pellem ſuam, ita ait S. Bernard. *Sunt ali-* S. Ber. Ser. 3. in Cant. *qui, qui quaſi cute quadam involuti ſunt conſuetudine vitiorum, ut illam didiſcere, aut deſueſcere non tam ſit ſpoliari, quam excoriari.* Similiter ſicut pardus creſcente ſenecta auget maculas; ita in conſuetudinario creſcunt vitia cum ætate, atque hunc in ſenſum ajebat S. Gregor. contra Julianum: *Natura non patitur, ut vel* S. Greg. or. contr. Jul. *pardus diſtinctas macularum notas, vel Julianus improbitatem abjiciat, &c.* R. *bodiſte Sefabr* c. 1.

Sicut per quemvis mallei ictum clavus profundius in lignum immergitur; ita per quodvis peccatum conſuetudo mala magis radicatur, ut denique inſuperabilis fiat. R. Ibid.

Fur ſuſpenſus, & palpitans adhuc a ruſtico liberatus, eadem nocte ruſtico equos furatur; ſed deprehenſus a ruſtico ad eandem furcam retractus iterum ſuſpenſus eſt. T. n. 395.

*78. Reddit converſionem valde difficilem.*

Nulla arte dealbare poteſt *Æthiops pellem ſuam*, quia nigredo illi naturalis eſt: S. Hieron. ait: *Verba iſta dicuntur adverſus eos, qui nimia conſuetudine & amore peccandi quodammodo peccatum in naturam convertunt.* B. ſer. 11. n. 6. & ſeq.

Iſraelitæ deſiderabant libertatem, & tamen extructis mœnibus, & laterum labore ſeipſos includebant: ait Hugo Victorinus: *Later, qui per decoctionem ignis dureſcit, humani cordis duritiam per longam concupiſcentiæ conſuetudinem decoctam ſignificat.* Et Paulinus: Compulit Pharao filios Iſrael facere muros, ne poſſint exire, quia diabolus in talibus facit addere peccata peccatis, ut inde murum facientes includantur, ne exeant. B. ſerm. 11. n. 11. 16. 27. & ſeq.

Venerabilis Beda ait: *Diabolus difficilius dimittit quos diutius poſſedit, allegat enim contra eos præſcriptionem, &c.* B. ſer. 11. n. 12.

Tres mortuos Chriſtus ſuſcitavit, filiam Jairi, filium Viduæ, & Lazarum: prima ſignificat peccatorem cogitatione, alter peccatorem opere, tertius conſuetudinarium: primam facile, alterum difficilius, tertium difficillime ſuſcitavit, ait Auguſtinus, &c. B. ſer. 11. n. 17.

Sicut, qui letargo premuntur, quoties expergefiunt, iterum dormitare incipiunt; ſic, ait Aug. de ſeipſo: *Cogitationes, quibus meditabar in te, ſimiles erant conatibus expergiſci volentium, &c.* B. ſer. 11. n. 29.

Natura exui non valet, conſuetudo autem eſt altera natura. Imo teſte S. Ambroſio tam violenta eſt conſuetudo, ut excludat naturam; hinc qui ex natura proclivis eſt ad virtutem v. g. temperantiam, facile conſuetudine fit bibulos &c. Luxuria etiam frigidæ ſenectuti inhæret. R. *bodiſte Sefabr* c. 1.

Non eſt efficacius medium converſionis, quam timor Domini, hinc ait Eccleſiaſticus: *Qui ſine timore eſt, non poterit juſtificari.* Hic timor autem eliditur per conſuetudinem, quia tandem animus occalleſcit, &c. P. p. 1. part. diſ. 4. n. 14.

Ra-

Rariſſimo fit, ut peccatores conſuetudinarii ſerio convertantur: Quare? Peccatum originale excæcavit intellectum, faſcinavit voluntatem, frænum permiſit omnibus animi perturbationibus: & hanc ſtragem omnem etiam edit peccatum actuale: cogitet jam quis, quam malo loco ſint res conſuetudinarii, qui vitam omnem inter flagitia trans egit? Nonnullis fere idem eſt principium peccandi, quod ratione utendi, & hi in flagitiorum ſemita uſque ad mortem pari paſſu progrediuntur, & ubi peccata opere exequi non poſſunt, ſaltem deſideriis concupiſcunt, inſtar lupi, qui cum ovem dentibus devorare non poteſt, ſaltem ovile circuit. Peccatum igitur toties multiplicatum, quam perniciem animæ, ejuſque facultatibus irrogabit, quam obtenebrabit intellectum, pervertet voluntatem, & vim concupiſcentiæ acuet. Eheu, actum eſt de omnibus iis, qui præmature vitiis aſſueſcunt. Maligna ſidera nunquam ſuper horizontem emergunt, quin aliquid malignitatis diffundant, æſtivo tamen tempore plus nocent, quia in hemiſphærio longiorem moram trahunt: ita peccatum ſemper quidem nocet, tum autem nocet gravius cum a primis ſtatim annis peſtem in animum diffundit, & ea nocumenta diu continuat. P. p. 1. diſc. 5. n. 17. 18.

Efficaciſſimum remedium converſionis peccatorum eſt timor Domini; conſuetudo autem elidit Sanctum hunc timorem. R. *hodiſle Sefabr* c. 1.

Jer. 13. *Si mutare poteſt Æthiops pellem ſuam &c.* Sicut hoc impoſſibile eſt per naturam, ita hoc eſt valde difficile, quia peccandi conſuetudo fere mutatur in naturam. Hinc

S. Greg. Naz. 1. orat. in Jul. Ap. S. Nazianz. de Juliano Apoſtata: Sicut natura non patitur, ut pardus maculas, vel Æthiops colorem, aut diabolus odium mutet; ita Julian. improbitatem contra Chriſtianos non deponet. C. Jer. c. 13. v. 23.

### 79. *Etiam dura dulceſcere facit.*

Copronimo Imperatori equorum retrimenta pro roſis erant, ideo non ſolum in equile frequenter deſcendere, ſed etiam ſacculum recentibus illis turundis plenum ex collo gerere ſolebat, ut ſuaveolentas illas auras naſus ſemper hauriret. Ruſticus quidam Antuerpiæ in Myropolium veniens deliquium paſſus eſt, admoto autem naribus equino fimo refocillatus ad ſe rediit. VV. art. diſc. font. 83. ex. 2. Sic mala conſuetudo dulceſcere facit, quod amarum eſt.

Hiſtrio quidam a ſocio ſuo, jam pœnitente in ſpeluncam invitatus, & pecuniam ſub culcitra quærere juſſus, cum in ſpeluncam deſcendit, a ſocio incluſus eſt. Sæviit & ira ſpumavit initio, ſed paulatim illi locus placere incepit, & ibi Deo ſerviit. E. *Converſio* n. 25.

Magni revera intereſt, quibus a teneris aſſueſcas: Lycurgus duos catulos ejuſdem matris aſſuefecit, unum venationi, alterum guloſitati: grandiores factos coram populo produxit, emiſſoque lepore, hic de more conſedit, ille leporem inſecutus cepit, tunc videtis, ajebat, cives, quam diſſimiles faciat ſimilis educatio & aſſuefactio? ſic nos, non natura, ſed exercitatione ad vitium, & virtutem formamur &c. C. Jerem. 13. v. 23.

Iſraelitæ in Ægypto adeo aſſueverunt cepis, & alliis, ut in deſerto nauſearint dulciſſimum Mama. B. ſer. 11. n. 3.

### 80. *Quomodo ſuperanda.*

Lente ac paulatim corrigenda eſt mala conſuetudo. S. Bernard. ſic correxit luxurioſum, ut illum primo triduo in honorem SS. Trinitatis, altero triduo in honorem B. Virginis, tertio triduo in honorem Angeli cuſtodis abſtinere rogarit, donec ſic emendatus eſt. E. Verb. *Conſuetudo* n. 4.

Cuidam deſperanti de victoria ſuorum vitiorum, ſenex dedit hanc parabolam. Pater miſit filium ſuum in agrum, ut illum de tribulis & lolio purgaret. Filius ubi vidit totum agrum nimis ſilveſcere, deſperans de labore pronus in terram dormivit. Veniens Pater & videns quod nihil operatus fuiſſet, ejuſque excuſationem audiens dixit: fili quotidie tantumdem ſpatii eradice, quantum jacens in terra occupaſti. Fecit id filius, & paulo poſt totum agrum purgavit. E. *Laborare* n. 2.

Quamvis difficile ſit ſuperare conſuetudinem, non tamen peccator deſperet, quia ſuperari poteſt 1. per Dei gratiam; dicat ergo ad Deum: *Domine da quod jubes, & jube quod vis.* 2. Per fortem, conſtantem, & iteratam reſolutionem vincendi conſuetudinem; per hanc enim voluntas ſeipſam ſubjugat. 3. Per exercitium contrariæ virtutis; conſuetudo enim conſuetudine vincitur. Sic S. Bernardus hominem libidinoſum correxit, rogando primo, ut triduo in Dei gratiam, ſecundo ut triduo in amorem Deiparæ, tertio, ut triduo in honorem omnium Sanctorum a peccato carnis abſtineret. Morem geſſit monenti peccator, & ſic pravam



vam conſuetudinem facile ſuperavit. C. Jerem. 13. verſ. 23.

### 81. *Peccatorem converſum ſua vi retrahit ad malum.*

Sicut navis, ſi cohibetur, propter impetum adhuc per aliquod ſpatium procurrit: ita conſuetudinarius utut converſus in eadem peccata prolabitur. Bernar.

S. Ber. Ser. 58. in Cant. ait de Vitiis: Credite mihi, & putata repullulant, & effugata redeunt, & reaccenduntur extincta. S. punct. 108. f. 318.

Illæ aves, quæ artificioſe cantare docentur ad fiſtulam, vix unquam adeo perfecte ſtropham ſuam cantillant, ut non cantum naturalem immiſceant: Quare? quia primum illud ex violento, alterum a natura habent. Nunquam plene exuitur, quod a natura habetur: conſuetudo autem dicitur altera natura.

Pſ. 11. *In circuitu impii ambulant.* Hi impii ſunt conſuetudinarii, qui de peccato in peccatum circumeunt. Væ homini, qui ſequitur hunc circuitum, ait S. Bernard. R. *hodiſle Sefabr* c. 1.

Sicut Muſicus v. g. cytharædus ab initio ad regulas muſicæ ſe reflectere debet, ſucceſſive autem adeo artem addiſcit, ut ſine reflexione ad regulas artificioſe ludat: ita peccator ſucceſſive per conſuetudinem talem peccandi habitum contrahit, ut quaſi ſine advertentia, & ſine reflexione ad Dei mandata peccet. R. *hodiſle Sefabr* c. 1.

Monachorum quidam furari ſolitus eſculenta, ab Abbate licentiam obtinuit, ut quavis hora qua vellet, ab œconomo eſculenta peteret & comederet: & tamen furari ex inveterata conſuetudine non deſiit. E. Verb. *Conſuetudo* n. 5.

Conſuetudinario pia monita nihil proſunt: Hinc Diogenes Cynicus dixit: *Senem admonere, & mortuo mederi idem eſt.* Et S. Chryſoſt. *Nihil tam firmum eſt in rebus humanis, quam veteris conſuetudinis tyrannis.* C. Jer. 13. v. 23.

Hæc inimica vis cum de anno ad annum, de ætate in ætatem duret, & peccata non jam multiplicentur, ſed centuplicentur, quid tandem poſt ſe trahere poſſunt, quam æternale exitium?

Corvus dum ex arca exit, & redit, dum cadavera circumvolat, & ab illis multoties abſtrahitur, tandem mergitur: S. punct. 38. f. 140.

Quidam Nobilis amaſiã ſuam tenerrime deperiens in letali ægritudine pia monita non audit, ſed ectypon ſuæ Helenæ diſſuavians moritur. R. *hodiſle Sefabr* c. 1.

## Relapſus.

### 82. *Eſt perículoſior quam primum peccatum.*

Ille homo, qui veſtem nuptialem non habuit, nullum interceſſorem invenit, abſque miſericordia ejectus. Paulus Granatenſis ait, id factum eſſe ideo, *quod veſtem in ipſo liminis ingreſſu donatam non conſervavit, ſed amiſit.* B. ſer. 51. n. 22. ſeq. Ser. 60. per tot. Serm. 62. n. 16.

Cogita peregrinum, qui cum tota nocte ambulaverit, ſub diluculum agnoſcit ſe continuo acceſſiſſe ad oram horrendi præcipitii. O quam ad ejuſmodi conſpectum ſanguis illi gelaſceret. O quam grates ageret Deo, quod a lapſu fuerit præſervatus. Quod ſi altera nocte iterum accederet ad oram illius præcipitii, nonne mereretur deſtitui patrocinio cæleſti, &a. Segn. Manna 22. Marc. n. 1. 2.

Adoleſcens olim caſtiſſimus vitam Angelicam in ludibricam commutavit. Relipuit aliquoties & iterum ad nuncium ſeu ſalutem ab obſcæna femina relapſus, tandem Deo hanc incoſtanciam puniente, conſilio ejuſdem impudicæ feminæ Neapoli a ſicario confoſſus, non tantum ſpatii inter vulnus & mortem habuit, ut nomen JESU invocare potuiſſet. T. n. 194.

Reincidentia iterata in priſtinum peccatum malignos in animo relinquit effectus; minuit confidentiam in Deum, peccatorem facit puſillanimem, & operibus bonis adimit devotionis fervorem. Margaritæ, quæ poſt plenilunium capiuntur, cum tempore imminuuntur & decreſcunt. VV. art. diſc. font. 48. Ex. 11. num. 7. Ita virtutum opera, quæ homine iterato in vitia deficiente producuntur, infirma ſunt, nec Deo, ut antea grata, quia diffidentia ſemper majore laborant.

Peccatum prima vice commiſſum, gravis quidem offenſa eſt Dei, ſed altera, & tertia vice perpetratum, ſeptemplicem complectitur malitiam: *Ne credideris ei, quoniam ſeptem nequitiæ ſunt in corde il-* S. Ant. Pad. Ser. 4. Dom. 1. Quadr.
*lius.* Supra quæ verba S. Antonius Paduanus: *Recidiva ſeptem tranſgreſſiones committit: fracturam fœderis, ſubſannationem miſericordiæ, cui illuſit, contumeliam Sacramenti confeſſionis, & matrimonii per eam contracti inter Deum, & ſe. Ingratitudinem veniæ ſibi factæ, iniquitatem retributionis eficiendo Dominum: perditionem Dei caſtri, quod peccando tradidit in manum inimici: Iniquitatem tranſgreſſionis &c.* B. ſer. 60. §. 4. §. 5.

Re-

Recidivi Deo odibiles ſunt, & ideo canibus comparantur: 1. Quia ſicut canes ad vomitum, ita illi ad gulas, libidines aliaque ſcelera revertuntur. 2. Canes ſunt impudici, & impudentes, quia in publico commiſcentur; unde Diogenes ob ſuam impudentiam Cynicus, id eſt, caninus vocatus eſt, &c. C. 2. Pet. 2. v. 22.

*83. Semper difficiliorem reddit converſionem.*

Templum Jeroſolymitan. ſeptem annis ædificatum eſt: poſtquam autem a Chaldæis deſtructum Zorobabel reædificavit illud quindecim annis: poſtquam tertia vice dirutum eſt, ab Herode Aſcalonita quadraginta ſex annis extructum eſt: ita fit in anima templo Dei, ait Venerabi-
*Beda l. 1. in Eſdr. c. 8.* lis Beda: *Multi laboris eſtis,* (& ſemper difficilioris) *eum, qui accepta fidei Sacramenta peccando contemnit, priſtinam recipere dignitatem.* B. ſer. 60. nu. 29. ubi porro rationes hujus difficultatis aſſignantur n. 30. Serm. 79. n. 13.
*Joel. 1.* Propheta Joel lamentatur: Reſiduum erucæ comedit locuſta, reſiduum locuſtæ comedit bruchus, & bruchi rubigo. Per erucam, locuſtam, bruchum & rubiginem intelliguntur Chaldæorum exercitus, qui quaternis vicibus devaſtarunt Jeruſalem, 1. quando Regem Joakim ceperunt. 2. Quando ejus filium Joachim abduxerunt. 3. Quando Sedeciam captivarunt. Et 4. quando ipſum templum in cineres redegerunt. C. Exod. c. 10. v. 14.

Ratio majoris difficultatis hujus eſt 1. Major infirmitas relapſi, habet enim ſe per modum ægroti, qui paulo ante a letali infirmitate convaluit: cum idolum Dagon prima vice ab Arca in templo proſtratum eſt, utcunque integrum in priori loco repoſitum eſt: verum ſecunda vice Dagon & caput, & palmas manuum confregit: ita peccator, quanto ſæpius relabitur, tanto magis deſtruitur & debilitatur. 2. Ratio eſt, quia mala conſuetudo ſemper magis roboratur, & quaſi vi peccatorem retrahit, ita ut tandem remorſus conſcientiæ non amplius ſentiat, & omnem peccati erubeſcentiam amittat. 3. Ratio ſe tenet ex parte Dei, qui tandem gratiæ ſuæ auxilium toties ſpretum peccatori negat & ſubtrahit: Chriſtus Dominus tres mortuos ſuſcitavit, filium Jairi, adoleſcentem in Naim, & Lazarum: verum quartum non invenies, ait S. Greg. per quartum autem intelligitur conſuetudinarius, & impœnitens, dicente Raulino: *Sic nec quartum peccatum, ſcilicet finalem impœnitentiam, alicubi legimus dimiſſam.* B. ſer. 60. n. 30, &c.

## Excuſationes peccati.

*84. Sunt uſitatæ & familiares peccati.*

Nihil familiarius peccatori, quam excuſare peccatum: aliqui enim culpam rejiciunt in carnis imbecillitatem, alii in tentationum gravitatem, alii in pravas naturæ inclinationes, alii in pravos ſocios, alii demum in dæmonis vim & inſidias: ſed fruſtra, & ſine fundamento. B. ſer. 20. n. 17. Et Ser. 24. n. 1. 2. ſeq.

Non deſunt, qui culpam rejiciunt in ipſam natalium conſtellationem: Non ita David exclamans: Peccavi Domino. S. punct. 25.

Rex Pharao poſt innumera peccata, ſeptima jam plaga, excepit: *Peccavi hac vice!* quaſi antea non peccaſſet. Adam ſubintulit: *Mulier, quam dediſti mihi, me decepit.* Aaron conflans vitulum: *Projeci aurum in ignem, & ecce egreſſus eſt hic vitulus,* quaſi caſu factum eſſet. S. punct. 25. f. 105. & ſeq.

Præſertim mulieres huic vitio deditæ ſunt: Sara, utut ab Angelis viſa ridere, audacter reſpondit: Non riſi. Meretrix illa præfocatum filium alteri ſupponit, ne ipſa ſuffocaſſe crederetur. S. p. 25. f. 107.

Seneca ait: Nullum vitium eſt ſine patrocinio: Vitia noſtra, quæ amamus, defendimus, & malumus excuſare, quam excutere: *Nolle* in cauſa eſt: Non poſſe prætenditur. S. punct. 111.

Pilatus putavit ſe innocentem, quia invitus damnavit juſtum: ſed innocens non eſt, qui iiſdem labiis JESUM miſit *S. Leo de Paſſ. Do.*
in crucem, quibus illum pronuntiavit innocentem. Huic ſimiles ſunt 1. Qui ad aliorum poſtulationem peccant. 2. Qui quovis prætextu ſe excuſantes, culpam in alios retorquent. 3. Qui boni cujuſvis ſimulatione nequitiam tegunt. Coſterus de Paſſ. Dom. Meditat. 30.

*Uſitatum eſt generis humani vitium latendo peccatum committere, commiſſum negando abſcondere, & convictum defendendo multiplicare.* Ait S. Greg. S. p. 25.

*85. Coram Deo nihil valent.*

Fratres Joſeph excuſatos ſe putabant, cum patri tunicam ſanguine tinctam oſtenderunt; ſed ex hoc ipſo prodiderunt ſuum crimen! hæc excuſatio fuit eorum accuſatio; nam pater ſic argumentatus eſt: Si filius meus Joſeph a fera beſtia devoratus eſt, cur tunica integra eſt? Si illam prius exuiſſet, cur ſanguine infecta eſt? Sic erunt excuſationes coram Deo! B. Serm. 24. n. 7. & ſeq.



Moyſes virgam projiciens, vidit illam mutari in colubrum & fugit: ſed reaſſumens, dum caudam illius apprehendit, iterum virgam in manu habuit. Tu finem aſpice, & quod credebas impedimentum, videbis eſſe adjumentum. B. Serm. 33. n. 3.

Quin imo ejuſmodi excuſationes potius augent crimen, cum Adam excuſavit ſe: Mulier quam dediſti mihi, me decepit, *amplia vit crimen,* ait S. Auguſt. *culpando uxorem, & culpam transferens in auctorem.* B. Ser. 33. n. 2. *Peccatum ſuum ingravant, dum negare cupiunt, aut defendere,* ait S. Ambroſius. B. Serm. 58. n. 5. & ſeq.

Non ſic Moyſes; ille veniam rogaturus populo, faſſus eſt *peccatum eſſe maximum:* Ubi Mendoza: *Eo dignior venia populus fiebat, quo ſe indigniorem fateretur.* B. Serm. 58. n. 4.

Deo potius placet ingenua humilitas, qua peccator ſine fuco ſe reum agit, citiuſque flectitur ad miſericordiam: Sic
*S. Aug. Serm. 19. de Sanct.* ait S. Auguſt. *Si Adam non excuſaſſet, e Paradiſo non exulaſſet.* C. Gen. 3. v. 6.

*86. Sunt plerumque imprudentes & frivolæ.*

Ille qui ad convivium venire noluit, excuſavit ſe; villam emi, & nunc vado videre illam! An ergo prius emit, quam vidit? en! imprudentiam mendacii, ait Didacus Stella. B. Serm. 5. n. 44.

Multi peccatum ſuum excuſant fragilitate carnis, gravitate tentationis, dæmonis aſtu: ſed frivole! hæc enim omnia nocere non poſſunt peccatori, ſi ipſe non velit. B. Serm. 20. n. 17. & Serm. 24. n. 1. & ſeq.

Qui Chriſtum crucifixerunt, omnes ſe excuſant a culpa mortis hujus: Judæi dicent: Nobis non licet occidere! Pilatus. Ego ſum innocens a morte juſti hujus! Judas retulit argenteos &c. Mirabile! Chriſtus occiditur, & nemo vult eſſe occiſor! B. Serm. 50. n. 34.

Aaron ad Moyſen: Projeci aurum in ignem & egreſſus eſt hic vitulus, quaſi caſu, & præter intentionem factum eſſet. S. punct. 25.

Adam ſibi perſuaſit, ſuum peccatum eſſe mere veniale. C. Gen. 3. v. 6.

Quod plus eſt! multi ſua crimina obtegere volunt pallio virtutis: Herodes Religioni ſibi duxit, non exequi juramentum de amputando Joannis capite. B. Serm. 23. n. 15.

Abner dum Iboſethum de throno dejecit, hoc factum haberi voluit pro juſtitia, quod erat vindicta. B. Serm. 25. num. 25.

Jehu ex præcepto Dei extinxit familiam Achab, revera ut ſibi regnum ſtabiliret. B. Serm. 25. n. 27.

Princeps Sichem videri voluit ex Religione ſe circumcidiſſe, quod revera fecit, ut voluptate ſua cum Dina frueretur. B. Serm. 25. num. 30.

In ſcelerato ſacrificio, ubi infantes inter brachia idoli Moloch comburebantur, ſacrificuli faciebant muſicam, ne audiretur ploratus infantum: ita peccator ſibi ipſi varios ſtrepitus excuſationum facit, ne conſcientiæ latratus audiat: ſed latratus ſunt, tam ipſi quam aliis, quos in malo audaciores facit: *Tunc conſummata eſt infelicitas,* ait Seneca, *ubi turpia non ſolum delectant, ſed etiam placent!* B. Ser. 36. n. 14. & ſeq.

Non tantum frivolæ ſunt, ſed & ſcandaloſæ id genus excuſationes, quia & peccantem & alios faciunt audaciores in malo: Oza labantem arcam in curru firmare voluit, quod eſt peccatum confirmare, hinc ibi a Deo punitus eſt: de ejuſmodi impudente ait S. Gregorius: *Quod licitum ſuſpicatur, in eo procul dubio multipliciùs mergitur.* B. Serm. 36. n. 14. & ſeq.

Ad excuſandum peccatum libidinis aliqui dicunt: Vitabo hoc ſcelus, ſed nunc non: alii: Meum peccatum eſt occultum, nemini cognitum: Alii, non poſſum, non poſſum! Alii, amo & viciſſim amor nimis vehementer! Alii, mea complex non vult a me avelli! Alii, cupio amatæ nubere! Alii, frequentabo quidem perſonam, ſed non peccabo! denique alia, debeo ſublevare paupertatem! Verum hæc omnia inania, & frivola ſunt. B. Serm. 58. per totum Sermonem.

## Concupiſcentia.

*87. Quid ſit? & qualis?*

In re non eſt aliud, quam appetitus ſenſitivus, e uſque naturalis inclinatio ad bona ſenſibilia, legi Dei, & rationi contraria. Appetitus hic ob peccatum originale privatus eſt juſtitia originali; nam ſi homo fuiſſet conditus in ſtatu puræ naturæ, talis fuiſſet, qualis modo eſt, ſimileſque appetitus motus habuiſſet, quales modo habet, ſed illi motus tunc non vocati fuiſſent concupiſcentiæ, eo quod naturales illi fuiſſent, nec pœna peccati. Jam autem vocantur concupiſcentiæ, quia ſunt pœna peccati originalis. Igitur concupiſcen-

piſcentia eſt ipſa naturalis inclinatio appetitus, quatenus per abſentiam juſtitiæ originalis proxime diſpoſita eſt, ut feratur præter, vel contra ordinem rationis in ſua objecta delectabilia, unde dicit habitudinem ad peccatum, quaſi ad ſuam cauſam. C. in Ep. Jac. c. 1. v. 14.

Concupiſcentia ex ſe non eſt peccatum, neque motus illius involuntarii: 1. Quia S. Jacobus Apoſt. ponit progreſſum, quo a tentatione venitur ad peccatum, dicens: *Unuſquiſque tentatur a concupiſcentia ſua*: ergo concupiſcentia eſt illecebra ante peccatum, non ipſum peccatum, dicente S. Auguſtino: *Pariens eſt concupiſcentia, partus peccatum*. 2. Quia iſti motus non ſunt in noſtra voluntate: peccatum autem eſt in noſtra poteſtate, puta voluntarium, ita ut ſi voluntarium non ſit, peccatum non ſit: Actus ergo tales non ſunt humani & liberi, ſed operationes meræ imaginationis, & appetitus ſenſitivi. Unde S. Paulus ait: *Si quod nolo, illud facio, jam non ego operor illud, ſed quod habitat in me peccatum*. 3. Docet Concilium Tridentinum, *manere in Baptizatis concupiſcentiam, vel fomitem, quæ cum ad agonem relicta ſit, nocere non conſentientibus non valet, quin imo qui legitime certaverit, coronabitur*. C. in Jac. 1. v. 17.

Quamquam autem concupiſcentia ex ſe peccatum non ſit, blanditur tamen, & ad peccandum allicit. Vis ſcire quomodo? ſicut 1. Eva tentavit Adamum, & illexit ad comedendum pomum contra Legem Dei. 2. Sicut febris illicit febricitantem ad bibendam aquam nocivam. 3. Sicut vulpes colligata cani eum tentat, ſecumque abſtrahit ad devorandam gallinam occurrentem. 4. Sicut Lena Virum allectat contra uxorem ad adulterium. Sed quid fit? ſicut cum gulæ indulſiſti, & te inebriaſti, mox ſentis dolores capitis, ſtomachi & nervorum: ita in anima vermem conſcientiæ, Dei offenſam, reatum gehennæ, aliaque ſupplicia experieris. C. in Jac. 1. v. 14.

Concupiſcentiæ voluptas hominem inſtar onagri brutum, & veſanum reddit: Nulla capitalior peſtis, ajebat Archita, quam corporis voluptas; hinc patriæ proditiones, Rerumpublicarum everſiones, clandeſtina cum hoſtibus conſilia; nullum ſcelus eſt, ad quod libido non impellit: exemplum habemus in Samſone, Salomone, David & aliis. C. Jerem. 2. v. 24.

*88. Non eſt ſufficiens excuſatio peccatorum.*

Concupiſcentia potius prodeſt ad virtutem quam noceat, quia, ut ait S. Auguſtinus, eſt *conveniens ad ſpirituale exercitium*. Deus dixit ad Joſue: Dabo *Iſraeli totam terram*, & tamen in illa perdurabant rebelles populi uſque ad Davidis tempora: Quomodo ergo verum fuit, dabo *totam* terram? nempe reſpondet S. Auguſtinus, quia *pars illa, quæ nondum data fuit in poſſeſſionem, jam data eſt in quamdam exercitationis utilitatem*. B. Ser. 33. num. 11. & ſeq.

Quid eſt concupiſcentia, quam ſitis voluptatum? ſi vero ſitim pateris, an vis bibere venenum? Quid eſt concupiſcentia, quam infrunitus equus? an vis aſcendere eum periculo vitæ? B. Serm. 58. n. 18. ſeq.

Tygris eſt ferociſſimum animal, nihilominus tygridem ſemper præcedit animalculum latrans, quod latrando monet homines, ut fugiant. Ita peccator præſentire poteſt concupiſcentiæ malitiam. D. 10. 21.

S. Franciſcus cicurat lupum, ita, ut hic a rapinis omnino abſtineret. Cur cicurari ſancta induſtria non poſſit concupiſcentia? E. Verbo: *Crucis ſignum*, num. 4.

Rubus, e quo Angelus loquebatur Moyſi, ardebat, & tamen non comburebatur, quia a Deo præſervabatur ab igne: Ita etiamſi concupiſcentia exardeſcat, non tamen nocet, quia Dei gratia, humiliter exorata, animam præſervat. C. Exod. 3. v. 1.

Dices: Concupiſcentia radix & fomes eſt millenorum peccatorum: Reſpondeo, eſt, non ſua, ſed conſentientis culpa: Omnes affectiones carnis ſunt naturales, ait S. Baſilius, peccata tamen non ſunt, niſi ex negligentia animæ, ſicut ſi equus petulans dejiciat ſeſſorem, culpa non eſt equi ratione carentis, ſed imperiti ſeſſoris. C. in Jac. 1. v. 17.

*89. Superari debet quantum poteſt.*

Concupiſcentia, ſi ſit voluntaria, omnino prohibita eſt: 1. Quia inſaturabilis eſt; avarus nunquam dicit ſufficit, cor enim infinitum aliquid eſt, quia Dei capax. 2. Quia aufert quietem animi; cupidi enim ſemper ſoliciti ſunt acquirere non habita, & habita cuſtodire. 3. Quia cauſat in divitiis inutilitatem; facit enim divitias nec utiles eſſe ſibi, nec aliis. 4. Tollit juſtitiæ æquitatem, anhelat munera, quæ excæcant prudentes. 5. Necat caritatem Dei & proximi, quia quanto quis plus habet de cupiditate, tanto minus habet de caritate. 6. Quia eſt radix omnium malorum, & ideo in corde radicata, omnia mala operatur. C. Deut. 5. v. 21.



Sed quæres, quomodo ſuperanda ſit? Reſpondeo quatuor modis: 1. Fugiendo occaſiones exteriores, v. g. malam ſocietatem, & omnia inducentia ad peccatum, dicente Eccleſiaſtico: *Virginem ne conſpi-*
Eccli. 9. *cias, ne forte ſcandalizeris in decore illius*.
2. Cogitationes ex animo excludendo per mortificationem. 3. Orationi inſiſtendo; juxta illud: *Scivi, quoniam aliter non poſſum eſſe continens, niſi Deus det*. 4. Licitis occupationibus inſiſtendo; multam enim malitiam docuit otioſitas. C. Ibid. Et Jerem. 2. v. 24.

Neceſſitatem domandæ concupiſcentiæ exprimit Eccleſiaſticus verbis illis: *Si*
Eccli. 18. *præſtes animæ tuæ concupiſcentias ejus,*
*faciet te in gaudium inimicis tuis*. Ratio eſt, quia expletio concupiſcentiæ conſciſcet tibi infamiam, morbos, pauperiem, & ſæpe mortem, aliaque damna corporis & animæ, quæ facient te ludibrium inimicis, tum hominibus, tum dæmonibus, uti Samſon amans ſuam Dalilam, a Philiſthæis captus, excæcatus, & enecatus eſt. Sicut ergo milites, cum vident hoſtem, ſtatim ſe armant; ita tu ſi præſenſeris cupiditatem, ſtatim illi velut inimico reſiſte. C. Eccli. 18. v. 31.

Tentationes dæmonis.

*90. Non ſunt ſufficiens excuſatio peccati.*

Deus permittit tentationes dæmonis in grande noſtrum emolumentum. 1. Ut per ſedulam pugnam mereamur coronam gloriæ. 2. Ut per ejus tunſiones elaboremur in lapides cæleſtis Solymæ. 3. Ut dæmon tanto magis pudefiat, ſi vincatur a fragili ſexu. 4. Ut veneno illius intoxicati velut cervi feſtinemus ad fontem, id eſt, ad vulnera Chriſti. 5. Ut dæmonem tanquam accipitrem fugientes ſub dumeto pœnitentiæ refugium capiamus. Sed dicis: Dæmon quærit noſtrum interitum, nocere vult, quantum poteſt? Quid obeſt? Dæmon nocere vult, & Deus ex illius veneno theriacam ſaluberrimam facit: ille vult perdere, & Deus ex illius conatu ſalutem eruit! ſanguiſuga vult omnem ſanguinem exſugere: Archiater autem facit, ut ſolum nocivum exſugat. B. Serm. 33. n. 17.

Diabolus debilis eſt, ſuadere poteſt impellere, aut mordere non poteſt, niſi volentem. Alligatus eſt catenæ; hinc inanis eſt excuſatio cum tentatione. S. punct. 36. fol. 156. 158.

Accedit, quod non omnis tentatio a dæmone eſt. A. lect. 5. n. 19.

Multi impietatem ſuam in dæmonem refundunt, & ipſimet in culpa ſunt. Monachus ſupra flammam lampadis ovum coquit, deprehenſus ab Abbate excuſationem facit, ſe a dæmone fuiſſe deceptum: at dæmon apparens colaphum illi infregit, inquiens, hoc nunquam ſibi incidiſſe. R. cent. 1. p. 2. mir. 30.

Naturæ fragilitas.

*91. Non eſt ſufficiens excuſatio peccati.*

Sicut pondus horologio prodeſt, quia gravando rotulas ordinato curſu gyrat: ita fragilitas naturæ, etſi oneroſa ſit ſpiritui, prodeſt ad exercitium virtutis. Nam 1. docet prævenire malignos motus naturæ: in America datur genus ſerpentum, qui inſtar campanæ rependo ſonant: favor hic eſt Providentiæ, ait Nierembergius, ut homines ad fugiendum præmoneret: ita natura iracunda, laſciva præmonet, ut præveniatur. B. Serm. 33. n. 2. Dein 2. natura maligna facit, ut virtutes hominis Chriſtiani non ſint virtutes naturales; quod enim homo mitis, & manſuetus non iraſcatur, rarum non eſt: hoc enim etiam gentilis poteſt. Sed quod indoles biliosa ex natura ad iram proclivis miteſcat, virtus Chriſtiano propria eſt: Chriſtus præcepit Apoſtolis, ut emant gladios, & tamen Petrum utentem gladio auſtere objurgavit: Quare? Nimirum voluit, *ut videatur potuiſſe vindicare, ſed noluiſſe*, ait S. Ambroſius. B. Ser. 33. n. 21. Et Serm. 45. n. 16.

Dices: Arduum eſt, paſſiones congenitas domare? Ergo invoca auxilium Dei, qui tibi non deerit: Judæi tradiderunt Chriſto arundinem in manus, ubi S. Am- S. Ambr.
broſius ait, *ut humana fragilitas jam non* l. 10. in Luc. 23.
*ſicut arundo moveatur a vento, ſed operibus Chriſti corroborata fundetur*. B. Ser. 33. n. 22. *Ut ſolidata Divinitatis attactu noſtra conditio nutare non poſſet*, verba ſunt S. Ambroſii. S. punct. 22. de Paſſ. Dom. Vel ergo reſiſtere potuiſti, vel non potuiſti? ſi non potuiſti, cur auxilium Dei non implorasti? hinc S. Hieronymus conſiderat hanc arundinem in manu Chriſti ut ca-

lamum, quo ſententiam ſcribit contra peccatorem ſe ſua fragilitate excuſare volentem. B. Serm. 33. n. 22. & ſeq.

Mandatum Dei tibi ſufficiat, ut vim adhibeas ad compeſcendam naturæ fragilitatem: Ficus illa damnata eſt, quia Chriſto petente fructum non tulit, licet pro tunc tempus fructuum non fuerit. Excuſare ſe ergo poterat ficus, diceretque, nunc non eſſe tempus fructuum? verum fruſtra fuiſſet excuſatio; Deus enim eſt, qui fructum petit: ergo contra ſuam naturam debuiſſet fructificare, ſicut petra in deſerto contra ſuam naturam aquas dedit. Pari ratione, mi homo fragilis, contra tuam naturam niti debes, quia Deus præcipit, &c. B. Serm. 45. n. 16.

### Malum Exemplum.

*92. Non eſt ſufficiens excuſatio peccati.*

HOmo Chriſtianus malo aliorum exemplo non depravari, ſed potius ad bonum excitari debet: In Levitico prohibetur, nequis comedat adipem animalium, & tamen paullo poſt dicitur, quod adeps homini prodeſſe poſſit ad varios uſus: v. g. ad lucernas, unctiones &c. Per adipem intelligitur malum exemplum, quod comedere, ſeu amulari non licet, ſervit tamen ad alios uſus juxta illud: *Aliena malitia utilis eſt filiis Dei!* ſed quomodo? 1. Ut homo juſtus ſe humiliet cogitando, ſe a Deo poſſe deſeri ut alios, ſe poſſe peccare ut alios, & labi in ſimilia peccata. 2. Ut viſa aliorum pœna timeat &c. & ſic illius exemplum malum fit bonum, ſi caveris, ait S. Auguſtinus. B. Ser. 33. n. 29.

Eo tempore, quo Deus permiſit populum abduci in Babylonem, monuit illos, ne idololatrarum malo exemplo perverti ſe ſinant, & ideo illis hoc documentum dedit: *Viſa turba de retro & ante adorantes, dicite in cordibus veſtris: Te oportet adorari Domine. &c.* Hæc eſt praxis faciliima nullam patiendi perverſionem a malo exemplo. Chriſtianus cum proximo agens ſemper cogitet, & firmiter teneat fidei principia; dicat: Colant alii idola voluptatum, Te oportet adorari Domine, &c. Segn. Manna 31. Maji n. 1.

Imo etiamſi ſint majores auctoritate, ſcientia, non tamen eorum exempla debent attendi. Ibid. n. 3.

Si vides vanitates ſæculi in aulis, in plateis, in veſtibus, in choreis, in conviviis, habe hanc praxin, ſemper cogita: Te oportet adorari Domine. Ibid. num. 4.

Mala exempla aliorum tibi ſub oculos ponuntur, ut ex deformitate aliena tuam agnoſcas. S. Arſenius ex vita aulica hoc vitii habuit, quod ſedere ſoleret uno pede ſuper alterum impoſito: hoc correcturi Monachi etiam illi eo ſitu ſederunt, & tunc Arſenius cognovit ſuum errorem. R. cent. 1. p. 2. mir. 46.

Deus expreſſe prohibuit Hebræis, ut carnem a beſtia prægustatam non comederent. Tropologice, ut converſationem & doctrinam animalem, hæretico, aut diabolico opere laniatam non imitarentur. C. Exod. 22. v. 31.

Thales rogatus, quomodo quis ſapienter, & optime vivere poſſit? repoſuit: ſi, quæ in aliis reprehendit, ipſe non faciat. C. Exod. 25. v. 18. fol. 517. col. 1.

Chriſtus in monte Oliveti exprobravit diſcipulis: *Quid dormitis?* etiamſi illi ad exemplum Petri dormierint. Coſterus de Paſſ. Dom. Med. 4.

### Aliorum hominum inhumanitas.

*93. Non eſt ſufficiens excuſatio peccati.*

SUnt, qui ſuam vivendi perverſitatem, crudelitati, & perſecutionibus aliorum imputant. Sed male. Alii homines ex Providentia Dei tibi ad latus poſiti ſunt, ut ſint ſculptores qui imaginem Chriſti in te efforment: nullum ictum recipis, quin prius gratiam accipias illum perferendi. B. Serm. 33. n. 24. & ſeq.

Chriſtus ſuſcepit Judam in Collegium Apoſtolorum, ut nos edoceret ſufferre malos, ait S. Auguſtinus. D. 6. 36.

Deus diſpoſuit, ut inter Iſraelitas & Ægyptios continuo conſurgerent diſſidia, & averſiones. Quare? reſpondet S. Anaſtaſius: Quibus amicitia erat exitium, iis odium erat occaſio virtutis. B. Serm. 36. num. 17.

Dæmon amicitiam compoſuit inter Herodem & Pilatum, ut Chriſtus necaretur: ita multa mala fierent, ſi inter hos & illos bene conveniret. B. Serm. 36. num. 17. &c.

Qui mare pernavigant, nauſea correpti vomitum patiuntur. Quæ cauſa hujus mali? An mare? Nihil minus; cauſa vomitus eſt bilis, quæ intra illos eſt: hæc mutari deberet, non locus. Ita multi ſunt, qui cauſam ſuæ malitiæ imputant alterius inhumanitati, verum cauſa intra illos eſt; quia ſunt bilioſi, contentioſi ſine omni mortificatione ſui ipſius. D. 5. 64. Vide Tit. *Perſecutiones.* Lib. 6.





### Status & officium.

*94. Non eſt ſufficiens excuſatio peccati.*

MUlti ſuæ tepiditatis, & impietatis culpam in ſuum ſtatum & officium rejiciunt, dicentes: ſi in alio ſtatu degerem, longe majori cum pietate Deo ſervirem: de his ait Boethius: *Quis eſt tam compoſitæ felicitatis, ut non aliqua ex parte cum ſtatus ſui qualitate rixetur? alienum nobis, noſtrum plus aliis placet.* B. Serm. 45. n. 27.

Ficulnea ſucciſa, non potuit ſuam ſterilitatem excuſare, quia in vinea plantata erat, ubi circum circa fructificabant vites. Ita nullus eſt ſtatus, in quo non inveniuntur Sancti, & ſalvati. B. Serm. 45. n. 28. & ſeq.

Dices: Alii in eodem mecum ſtatu poſiti itidem laxe, & vitioſe vivunt. Quid
Exod. 23. tum? *Non ſequaris turbam*, præcipit Deus, *ad faciendum malum.* Etiamſi omnes prævaricentur, tu ſolus debes adverſari communi errori. Cum irent omnes ad vitulos aureos, ſolus Tobias fugiebat conſortia aliorum. Quid prodeſt ſi multi errant? nonne & multi damnabuntur? Segn. Manna 31. Maji. num. 2.

Verum, vivo ego in ſtatu paupere! non poſſum me continere ab injuſtitiis. Vide, an ſerio iſta? Nunquid ſat dives es, cum agitur de luſu, de luxu, de ſupellectile? *Lingua te excuſat*, ait S. Auguſtinus, *ſed a manu redargueris.* B. Ser. 24. num. 27.

### Vitia.

*95. Plene dominantur in mundo.*

S. Cypr. Ep. 1. ad Donatum. SAnctus Cyprianus ad amicum ſuum Donatum ſcribit: *Pauliſper te crede ſubduci in montis ardui verticem celſiorem, ſpeculare inde rerum infra jacentium facies:* Si hunc montem & nobis conſcendere fas eſſet, videremus terra, marique, in palatiis, in curiis, in plateis plena eſſe omnia peccatis, mendaciis, injuriis, fallaciis, furtis, perjuriis, adulationibus, vanitatibus, & oblivione Dei, ac propriæ ſalutis. Videremus plurimos homines vivere ut beſtias, ſecundum impulſum ſuarum cupiditatum, ſine omni reſpectu legis, juſtitiæ, aut rationis. Innocentes opprimuntur, ſceleratis parcitur, pietas deſpicitur, malitia honoratur, favor præponderat virtuti: jura venduntur, veritas non curatur, verecundia exuitur, potentior eſt, qui fraudulentior. Videremus pecuniam regnare, ſolum attendi ad proprium intereſſe, omnia dirigi ad beneplacitum magnorum. Tandem ait Sanctus Cyprianus: *Conſenſere jura peccatis, & cœpit eſſe licitum, quod publicum eſt, &c.* B. Serm. 47. n. 25.



Tranſeamus officinas, tabernas, plateas vix tot lapides, quam juramenta, & blaſphemias deprehendemus. In curiis, & tribunalibus cauſæ juſtitiales tractantur tanquam crepundia: ſcelera impunita florent, licet, quod libet. Milites pleni ſunt petulantia, mercatores fraudulentia, augent pretia rerum pro libitu: Superiores non publicum, ſed ſuum bonum curant. In contractibus non niſi ambitio, ſimonia, uſuræ & injuſtitia regnant: *A minori uſque ad majorem omnes avaritiæ ſtudent, &c.* B. Serm. 40. num. 25.

S. Auguſtinus, vel quiſquis auctor eſt S. Aug. Tom. 9.
Libro de Duodecim abuſionibus, hanc ponit. Prima abuſio, inquit, eſt ſapiens, & prædicator ſine bonis operibus. 2. Senex ſine Religione. 3. Adoleſcens ſine obedientia. 4. Dives ſine eleemoſyna. 5. Femina ſine pudicitia. 6. Dominus ſine virtute. 7. Chriſtianus contentioſus. 8. Pauper ſuperbus. 9. Rex iniquus. 10. Epiſcopus negligens. 11. Plebs ſine diſciplina. 12. Populus ſine lege. C. in Ep. S. Jac. c. 5. v. 2.

Seneca ait: *Pecorum ritu ſequimur antecedentem gregem, pergentes non quo eundum eſt, ſed quo itur.* B. Serm. 40. n. 1. & ſeq. Vide Tit. *Mundus.*

*96. Palliantur ſpecie Virtutum.*

Seneca ait, *Deſinit eſſe remedio locus; ubi quæ antea fuerunt vitia, mores fiunt.* Et S. Auguſtinus: Tanta nefandæ turpitudinis conſuetudo erat, ut jam nequitia eſſet juſtitia, & prohibitor potius reprehenderetur, quam factor. B. Ser. 40. n. 30.

Propheta Michæas ait: *Sanctificant bellum, canonizant odium.* Canonizant avaritiam: Abſalon rebellionem tegit ſub ſpecie religioſæ peregrinationis in Hebron.

Saul avaritiam tegit ſub prætextu ſacrificii.

Joab proditionem Amaſæ tegit ſub oſculo pacis, &c. S. punct. 20. fol. 79.

S. Gregorius ait: Gula, & avaritia pallio neceſſitatis, acedia pallio defatigationis, ſuperbia pallio gloriæ Dei, ira & invidia pallio vitandi damnum proprium obtegitur. S. punct. 35. fol. 151.

Sicut in Iride plures quidem cernuntur colores, nemo tamen ab uno ad alterum ita tranſire poteſt, ut diſtincte dicere queat, ubi prior color deſinat, & poſterior incipiat: ita virtutes adeo in medio conſiſtunt, ut ſi parum vel ad dextram vel ad ſiniſtram declinent, jam non a vitio diſcernantur. Hinc cito fit ut prudentia in malitiam, liberalitas in prodigalitatem, fortitudo in temeritatem declinet. D. 9. 93.

Judæi dum ſolem obtenebrari, terram moveri, velum ſcindi, aliaque Chriſti pendentis in cruce prodigia conſpexerunt, in rabiem acti, voluerunt Chriſti, quem adhuc vivere putarunt, crura & brachia frangere, ſicut poſtea latronibus fregerunt. Quid egerunt? acceſſerunt Pilatum cum hoc prætextu, eſſe contra ſanctificationem Feſti, ut corpora in cruce remanerent Sabbato! hoc prætextu ſuam ſæviendi nequitiam palliabant. Ita ſæpius fit. Peccata peſſima teguntur pallio ſanctitatis, &c. *Coſterus*.

Choreæ.

*97. Sunt cauſa multorum peccatorum.*

Quis ſatis explicet, quam innumera peccata fiant inter choreas, uti aſpectus, cogitationes, & deſideria turpia? &c. B. Serm. 28. n. 17. & ſeq.

Illa ingredientia, ex quibus conficitur atramentum ſecundum ſe albeſcunt uti gallæ, aqua, & vitriolum: ſed ſi conjungantur nigreſcunt. Silex, & chalybs ſecundum ſe frigeſcunt, ſed ſi colliduntur flammas dant. B. Serm. 23. n. 26.

Multa frigida ex agitatione ita incaleſcunt, ut tandem ardere videantur, uti ferrum, lignum &c. rationem dant Philoſophi; quia agitatio igniculos colligit: ita agitatio chorearum ignem Veneris colligit &c. Per vulpes colligatas Samſon combuſſit ſegetes: vulpes colligatæ ſunt perſonæ amantes, quæ late incendium turpis amoris propagant. B. Ser. 36. n. 18. Vide Titulum: *Familiaritas utriuſque ſexus.*

Sibaritæ ſolebant equos ſuos ad choreas juxta concentum fidium aſſueſacere. Scientes id Crotoniani; qui bella gerebant contra Sibaritas, cum fiſtulis & cymbalis illis obviam iverunt, cumque equi ſaltitare incipientes excuterent ſeſſores, hi cruenta ſtrage deleti ſunt. O quas ſtrages non cauſat dæmon per concentus fidium &c. D. 9. 42.

Antiquitus Romæ non licuit mulieribus intereſſe ſpectaculis: Sempronius Sophus ideo repudium dedit ſuæ conjugi; quia ſine ſua licentia interfuit ſpectaculis. *Spectatum veniunt, veniunt ſpectentur ut illæ; iſte locus caſti damna pudoris habet.* D. 9. 75.

Philæmon choraules dum Chriſtianum ſe ſimulat, & cruce ſe ſignat, ſubito a Deo illuminatus depoſita ſimulatione vere fidem Chriſtianam profitetur. Inter alia rogat Deum, ut ſuæ tibiæ ac fiſtulæ concremarentur: Et ecce! ſubito fulmine exuſtæ ſunt. Ipſe factus eſt glorioſus Martyr. O ſi omnes tibiæ ludionum fulmine peſſumdarentur, quæ fuerunt inſtrumenta peccati, paulo poſt omnes ludiones ſuis inſtrumentis eſſent deſtituti. Sanchez 6. part. c. 9. fol. 830. R. 1. part. mir. 14.

*98. Sunt occaſio ad multa peccata.*

Moyſes & Joſue deſcendentes de monte putabant unus audire *ululatum pugnæ*, alter *vocem cantantium*, & uterque bene, quia ſæpe cantus chorearum in ululatum bellorum deſinit. S. punct. 19. fol. 70.

Hinc SS. PP. choreas improbant tanquam corruptelam, S. Auguſtinus ait: *S. Aug. l. de ci. cord.*
*Præſtaret ſæpius juvenes ſtivam aratri ducere, & puellas colum trahere, quam ſaltare.* Ulterius dicunt SS. PP. choreas eſſe circulum, cujus centrum eſt Satan: eſſe inferni proceſſionem, cujus choragus eſt dæmon. Dicunt habere originem ab idololatris Iſraelitis, &c. Marchant. tr. 3. de char. lect. 10. fol. 515.

Periculum chorearum in hoc conſiſtit, quod difficile ſit videndo non commoveri, tangendo non aduri, veſtitu non ſuperbire. Cum ex concuſſione etiam duorum frigidorum lapidum ignis excutiatur, quis credet ex tanta familiaritate viri & mulieris concupiſcentiæ ignem non excitari? &c. March. tr. 3. de car. lect. 10. fol. 516.

Puella in Brabantia libenter choreas ducens baculo, quo pila percutitur, occiditur. E. Verb. *Chorea* n. 3.

Nobilis puella a matre & ſororibus abducta ad tripudium, & ad id a juvene invitata, dum oculos levat, videt Crucifixum ſanguine manantem, dicentemque: Vide filia, quam graviter me afficiat tua levitas, & periculum, in quod te conjicis! dein aperuit viſionem Matri, & abierunt a periculo. T. n. 189.

S. Aloyſius ad ſolemne epulum ab avunculo invitatus, cum a Nobili puella ad choreas provocaretur, ſe clam abripuit, inventus dein in anguſto ſervulorum cubiculo totus extra ſenſus genuflexus orare. T. nu. 197.





*99. Puniuntur a Deo.*

Soror B. Damiani in purgatorio quindecim dies ardet, quia aliquando cantus Chorizantium in platea audivit: quid ſi ad choros ſaltaſſet? S. punct. 114. fol. 347.

Quidam Robertus Sacerdos nocte Nativitatis Domini a Chorizantibus in re Divina turbatus precatur illis, ut per integrum annum ſine requie & intermiſſione deberent choreas producere, quod & factum eſt. D. 8. 24. March. tr. 3. de car. lect. 10. fol. 516.

*Cranzius l. 8. Met. c. 59.* Sub Rudolpho I. Trajecti juvenes in ponte ſaltabant, cum Venerabile Sacramentum deferretur non deſiſtebant, pons fractus eſt, & ducenti perierunt. March. fol. 515. in fine.

*Surius in Vit. S. Elig. l. 2. c. 20.* S. Eligius in die S. Petri dehortatur chorizantes ab hac levitate: cum non audirentur, impetravit, ut a dæmonibus obſiderentur, quinquaginta homines fuerunt obſeſſi: integro anno permiſit eos cruciari, dein in die anniverſaria eos liberavit. Marchant. tr. 8. lect. 10. fol. 516.

Puella poſt diuturnas ſaltationes a malo dæmone obſidetur, a quo per innocentem juvenem dein liberatur. E. Verbo *Chorea* num. 2.

Dicis forte: Choreæ malum non ſunt! Reſpondeo ſi malum non ſunt, cur ergo a Deo tam luculenter puniuntur? Puella ſaltans a dæmonibus toto corpore aduritur. E. Verb. *Chorea* n. 7. In nuptiis domus repentino igne conflagrat centum & octoginta perſonis extinctis. Ib. nu. 11. & 12.

Duo juvenes ad locum, ubi choreæ agebantur, deverterunt. Paulo poſt homicidio ibi in vicinia facto, unus inter complices captus, & capitis damnatus eſt. T. n. 196.

Pericula, ſeu Illicia peccati.

*100. Caute fugienda ſunt.*

SAcer Proverbiaſtes ait: *Callidus videt malum, & abſcondit ſe*, quo monito indicare vult, quod ſapiens in periculis tam ſpiritualibus quam temporalibus cavere ſibi debeat. O quanta ſagacitate inſtruxit natura vel ipſa animalia, ut fugiant, quæ ſibi nociva ſunt. Serpens in hyeme, ut frigoris damna caveat, in antris, & latebris, ubi aura eſt calidior, ſeſe abſcondit, ut ita vitam conſervet. Idem faciunt alia animalia: Concha contra polypos in ſua teſta ſe concludit. Polypus dum hoſtem metuit, ſub ſaxa ſe recipit. Oſtrea contra cancrum concham claudunt. Cancri dum cruſtam mutant, in ſabulo mortuis ſimiles latent. Ericii contra venatorem in globum ſe colligunt. Crocodili ſua ova contra Nili exundantis eluviem alio transferunt. Milvus hybernis menſibus latet, & non niſi clementiore aura prodit. Apes dum pluvias præſentiunt, ab alveari non recedunt. Grues dum maris tempeſtatem metuunt, in littus ſe recipiunt. Sic oves, boves, equi, ceteraque animalia ſibi conſulunt. Cur non & homo idem agat? C. Prov. 22. n. 3.

Nautæ periculoſa maris loca, & ſyrtes ſubmarinas erecta perdica ſignant.

Ille juvenis peſſime ſeductus, poſt converſionem, dum ei amica obviaret dicens: En! Non noſti me! Ego ſum! generoſe repoſuit: At ego non ſum ego! Nempe ad morem S. Pauli *vivo ego, non jam ego!* adeoque illectamenta peccatorum eludenda ſunt per abnegationem, &c. B. Serm. 62. n. 33. & ſeq.

Quiſquis ſapit, fuga quantocyus ſibi conſulit. S. punct. 32. & 33.

Samſon maluit pugnare cum leone in via ſibi obvio, quam fugere in vineas, ubi fuiſſet periculum guſtandi vinum contra legem: ita fugienda ſunt pericula. B. Serm. 45. §. 5. n. 18.

Mala occaſio.

*101. Eſt incentivum peccati.*

BEne Sara petiit ejici e domo Iſmaelem, ne Iſaaco peſſimos mores aſſlaret: An tu e domo ejeciſti famulum, aut ancillam, ut abrumperetur familiaritas inter filium aut filiam? An ſeparaſti liberos in uno lecto? &c. Si dicis, eſſe fratres & ſorores: Quid tum? erant fratres & ſorores, de quibus S. Antoninus refert, quod ſoror tacta ſolum fratris manu tantam flammam in corde ipſius accenderit, ut eam inceſtuoſe cognoverit. Erant fratres & ſorores, quas ſepelivit Job, & tamen curavit, ut ſepararentur, cavens ne forte maſculinis membris feminina conjungeret, &c. B. Serm. 35. num. 29. & ſeq.

Lucus penes altare debebat deſtrui tanquam occaſio idololatriæ. B. Serm. 41. n. 11. Item Serm. 45. n. 18.

Quam difficulter deſeratur occaſio, exemplum eſt Eſau, qui ſibi imaginatus eſt, ſe primogenituram venditam facile recuperaturum. Exemplum ſunt Iſraelitæ, qui putabant, poſt quinque ſteriles annos ſe redituros in patriam, & dein ultra centenos

in Ægypto perdurarunt, ac infantes genuerunt. B. Serm. 58. n. 11. & ſeq.

Dicit aliquis: Eſto frequentem occaſionem, non peccabo! Deciperis! Dic quot pueri in fornace fuerunt illæſi? Tres! Erras! dic quatuor! tu es quartus; majus enim miraculum eſt hominem in occaſione non peccare, quam in fornace non ardere! ait S. Chryſoſt. B. Serm. 58. n. 39.

Dicis: Tentationem non habeo! Malum omen! canis domeſticos, & notos non allatrat! ſignum eſt, quod domeſticus ſis diaboli. B. Serm. 58. n. 39.

De induſtria ſilet diabolus, ut ſecurum te putes. *Lynx* crudele animal in terram proſtratum, ſe mortuum ſimulat, ut ſimias, quibus inſidiatur, audaces reddat! quod ſi illæ propius accedere non vereantur, ſubito exiliens illas occupat, & devorat. B. Serm. 62. num. 11.

Corvus ex arca exiens, rediens, & iterum evolitans, ac cadaveribus inhians, tandem ſubmerſus periit. S. punct. 32.

O quam caute Sancti declinarunt occaſiones! S. Andreas Avellinus propter inconſideratum mendacium munere advocati ceſſit. In ejus Feſto 10. Novembr.

Petrus in atrium Pontificis intrans ad affatum feminæ turpiter Chriſtum negavit. Audite vero, quid poſt reſurrectionem Chriſti factum ſit! Mulieres ſanctæ nuntiarunt Petro, Chriſtum reſurrexiſſe. Ille tamen non ivit cum illis, ſed præcucurrit ad monumentum. Cur autem non comes ivit feminis? quia per feminam cecidit: *Veteranus Petrus*, ait Sanctus Chryſologus, *feminam non audit*. Sic fugiendæ ſunt occaſiones, præſertim infirmis. S. punct. 9. de Paſſ. Dom. *S. Chryſ. Ser. 77.*

*Nolite ingredi in Galgala* locum ſuperſtitionis, ne talis ingreſſus ſit nova occaſio idololatriæ! *Ne aſcenderitis in Bethaven*: ubi vitulus Jeroboam aſſervabatur, &c. Mulieres obtulerunt ſpecula in labrum: ſic amovendæ ſunt materia, & occaſiones peccati. S. punct. 107.

Joſephus fugit ex occaſione relicto etiam pallio, Lot hortatu Angeli ex Sodomis fugit in montem, Saul jubetur omnia Amalec demoliri, & Chriſtus præcipit, ut etiam oculos, ſi ſcandalo nobis ſint, eruamus. Sanchez p. 5. c. 8.

Dicit aliquis, adibo occaſionem, ſed non cadam: tu male meritis vires tuas. Ad oras Guineæ ſub linea æquinoctiali eſt intenſiſſimus calor, quia Sol directe ſupra ſtans regionem adurit. Huic calori ferendo nemo par eſt, niſi qui ibi nati educatique ſunt: *Luſitani* quondam hanc regionem pernavigare auſi ſunt, ſed contrario vento diutius detenti, omnes fere perierunt æſtu, quia ex quadringentis tantum quinque manſere ſuperſtites. P. Carli in ſuo Æthiope cap. 4. Sic fit in mala occaſione; ex quadringentis vix quinque ſine peccato evadunt.

Moyſi licentiam dedit Pharao, ut ſacrificet, ſed inquiebat, in terra hac: Renuente Moyſe, ſaltem petiit, ut non nimis procul abiret: iterum repugnante Moyſe, & triduanum iter meditante, voluit, ut ſaltem armenta & reculas relinqueret: ſed Moyſes repoſuit, non debere remanere unam ungulam. Sic dæmon facit: primo laborat, ut peccatores remaneant in Ægypto, dein ut ſaltem non nimis procul abirent, reſervando priſtinas familiaritates, denique ut retinerent litteras, ectypa, munuſcula &c. quia ſic ſperat peccatores ad peccatum redituros. Heumen. Joſeph accreſcens conc. 20.

Maligniſſimi Judæi ac Phariſæi ſtatuerunt quidem JESUM *non in die feſto* *Joan. 19.* occidere: verum cum proditor Judas opportunam illis occaſionem obtulit, crucifixerunt illum in feſtivitate Paſchali; Paraſceve enim ſignificat, præparatio ad Feſtum Paſchale. Ubi S. Chryſoſtomus *S. Chryſ. hic.* ait: *Quamquam ita ſtatuerunt; non tamen exſpectaverunt, ſed invento proditore occaſionem rapuerunt*. Opportunitas facit, ut velimus, quæ minime antea volebamus. Heumen. Ibid. conc. 20.

Duo Apoſtoli tempore Paſſionis Dominicæ peccarunt, Petrus & Judas, ſed facile conjecturari potuit, primum veniam obtenturum, quia a perverſis abiit, & flevit: alterum periturum, quia ad Phariſæos & Sacerdotes rediit, reſtituens pecuniam. Sic de peccatore cenſendum, qui redit poſtea ad occaſionem. *Coſterus*.

Dicis: Utique Deus mandavit Angelis ſuis, ut nos cuſtodiant? verum eſt, ſed audi: ut cuſtodiant te in omnibus viis tuis, non in præcipitiis, Segn. Manna 22. Mart. num. 4. Vide Titul. *Luxuria. Vinci debet fuga occaſ. Quid tibi neceſſe eſt in ea domo verſari*, ait S. Hieronymus, *in qua neceſſe habes quotidie aut perire aut vincere? Quis juxta viperam ſecuros ſomnos traxit, quæ etſi non percutiat, certe ſolicitat? ſecurius eſt perire non poſſe, quam juxta periculum non periiſſe*. *S. Hier. Epiſt. 39.*

Mala



### Mala ſocietas.

#### 102. *Depravat mores complicum*.

CORvi in Islandia ſunt albi coloris, & tamen crocitant. VV. art. diſc. font. 48. ex. 10. Quamquam igitur perverſi album colorem hypocritice induant, tamen ex crocitatione agnoſcuntur.

Juvenis innocens pravæ ſocietati ſeſe adjungens, utut illibato pudore periculum evaſerit, tamen domum rediens ab Angelo ſonanti colapho percuſſus & caſtigatus eſt. Intumuit maxilla compluribus diebus. E. Verbo *Angelus* num. 20.

Juvenis nobilis & ingenuus peſſime pervertitur, ita ut tandem carnifici fuerit addictus. Ante ultimum ſupplicium, Res mira miriſſima! nactus eſt Sacerdotem, qui olim fuit ejus Magiſter ſeu Profeſſor, & carnificem, qui fuit olim ejus condiſcipulus! T. n. 78.

Sara vidit Iſmaelem cum Iſaaco ludere, & ſtatim ab Abrahamo petiit, ut ejiciatur e domo. Quare? quia ut ait Lyranus, ludus erat laſcivus: *Timens, ne ad ſimilia induceret Iſaac*. B. Serm. n. 29. Vide Tit. *Familiaritas noxia*. Item B. Serm. 36. num. 17. & ſeq.

Eludenda, & fugienda eſt cum omni cautela, & ſolicitudine. B. Ser. 62. n. 34. & ſeq. *Si pes tuus ſcandalizat te, abſcinde eum*: ubi S. Hieronymus: ſi aliquis tibi ita conjunctus ſit, ut pes aut oculus, abſcinde, fuge. B. Ser. 58. n. 32. Et ib. §. 9.

*Supra dorſum meum fabricaverunt peccatores*, id eſt, mali ſocii. Quomodo fabricatur ferrum? poſtquam primus faber ictum tulit, mox omnes certatim percutiunt. Perverſi ſocii, ait P. Mathias Faber, eundem in modum percutiunt dorſum Servatoris, dum in idem crimen conſpirant. B. Serm. 85. n. 17.

Petrus in atrio inter malos ſocios malus factus eſt. S. punct. 9. de Paſſ. Dom. Et M. conc. 5. §. 1. n. 7.

Ægyptii, dum cum Iſraelitis egrediuntur, ita illos pervertunt, ut contra Deum murmurent. M. conc. 5. §. 1. &c.

De agro illo Haceldama, qui emptus fuit pro ſepultura peregrinorum narratur, ejus terram eſſe illius indolis, quod ſepulta cadavera intra 24. horas penitus abſumat. Imperatrix Helena aliquot naves ea terra repletas Romam vexit, & etiam Romæ hæc terra id operatur. Simili modo mala ſocietas ſtatim corrumpit. D. 8. 44.

S. Apoſtolus Paulus monet, ut caveamus malam ſocietatem, quia corrumpunt bonos mores conſortia prava. Deus puniturus Dathan, & Abiron ait, recedite ab his impiis, ne ex peccato eorum puniamini. Item vetitum erat conjugium cum filiabus Chanaan. Tobias monuit filium, ut cum impiis non manducaret panem. Navicula Petri periclitatur ob Judam, Remiges ob Jonam. Petrus in atrio pervertitur. Ammon a Jonadab ſeducitur. Sanchez 5. part. c. 3. fol. 390.

Mali ſocii ſunt diaboli, quibus dici poteſt *Vos ex Patre diabolo eſtis*, non quidem natura, ſed imitatione; quia idem faciunt, quod diabolus pervertendo animas, &c. Segn. Manna 11. Sept. n. 1. ſeq.

Dicit aliquis: Ego me non conformabo ceteris, ſed inter malos bonus eſſe perſeverabo! &c. Bruxellis, ait Lipſius, canis edoctus fuerat in macellum ire, pecuniam ferre, carnem in duabus corbibus *Lipſius centur. 1. Ep. ad Belgas.* referre: præſtitit id fideliter, & cum forte in reditu a canibus odorem carnis ſentientibus oppugnabatur, ſtrenue ſe defendebat: at ubi aliquando a multitudine obrutus videbat carnem eſſe perditam, ipſemet prandium una cum ceteris abſumpſit. VV. art. diſc. font. 28. Ex. 18. Sic fit in mala ſocietate: tandem ceditur.

*Deus diviſit lucem a tenebris*, quod S. Auguſtinus ſic exponit: Diviſit Angelos bonos a malis, ne illi ab his depravarentur; quia nec Angelus tutus eſt inter malos. M. conc. 35. §. 1. n. 6.

Chriſtus ad Judam dixit: Quod facis, fac cito, idque ideo dixit, ut accelcraret ejus mortem; hinc noluit prius in cruce mori, quam Judas medius crepuit. Quare? ne peſſimus homo ſuperviveret, & Apoſtolos ſuos perverteret. M. conc. 35. §. 1. n. 6.

Saul inter Prophetas prophetavit, inter improbus autem improbe egit. Petrus cum Chriſto conſtans fuit, inter ſatellites autem in atrio Chriſtum negavit. S. Ambroſius ait: *Non ſolum gentilium, ſed Judæorum conſortia vitare debemus, quorum etiam confabulatio eſt magna pollutio*. S. Auguſtinus ex malorum conſortio ſe pejorem effectum fatetur, &c. C. Jer. 42. v. 18. *S. Ambr. de Calend. Jan.*

### Conſortium cum muliere.

#### 103. *Eſt perículoſiſſimum Viro*.

QUis unquam credidiſſet Adamum tot gratiæ, & naturæ donis ornatum a muliere in ſcelus adducendum? Et tamen inductus fuit. Diſcamus cauti eſſe! *Memento*, ait S. Hieron. *quod Paradiſi colonum*

num

*num de poſſeſſione ſua ejecerit mulier*. P. part. 2. diſc. 16. num. 19.

*Mons cadens defluit*. En! non tantum arundines, & arbores moventur, ſed etiam montes concutiuntur: talis mons fuit David viſa Bethſabæa! talis mons fuit Salomon, qui non tantum Deo templum, ſed & falſis Diis delubra ędificavit. S. punct. 33.

S. Cyprianus ait: *Lubrica ſpes eſt, quæ inter fomenta peccandi ſalvari ſe ſperat*. S. Bernardus: *Cum femina ſemper eſſe, & non cognoſcere feminam, plus eſt, quam mortuum ſuſcitare*. S. punct. 33.

B. Andreas Fundanus Epiſcopus ex conſortio ſanctimonialis eo adducitur, ut eam blando verbere in tergo percuſſerit: de ea levitate dæmon in conciliabulo ſociorum gloriatus eſt. B. Martinianus Monachus in mare ex inſula ſe projicit, ut fugiat feminam, quam illuc tempeſtas maris ejecit. S. punct. 33. ſeq.

Etiam filii Dei *videntes filias hominum* pulcras, ceciderunt: quid facient filii diaboli, ſi videant filias Belial? S. punct. 33. Item punct. 114.

*Eva* ſignificat primam mulierem, *Heva* (cum aſpiratione) ſignificat colubrum: adde mulieri aſpirationem, & coluber erit. S. punct. 33.

O quanta ſolicitudine Viri ſancti fugerunt conſortium mulieris, S. Franciſcus, S. Jordanus, S. Thomas Aquinas, S. Ludovicus & alii. C. Nu. 28. v. 18. ad finem.

Eheu! Quid fiet, ſi huic conſortio etiam ſolitudo accedat? Joſephus Ægyptius nunquam ſine arbitris intravit cubiculum Dominæ, ne mulier auderet ei ſoli inhoneſta proponere. S. punct. 33.

Seneca ait: *Omnia nobis mala ſolitudo*
Seneca Epiſt. 25. *perſuadet*. Et alibi: *Magna pars peccato-*
& Ep. 11. *rum tollitur, ſi peccaturi teſtis aſſiſtat*.
C. Exod. 4. v. 25.

## Concupiſcentia.

### 104. *Inclinat ad peccatum, niſi frænetur.*

SAndrigal Luſitaniæ Princeps urſum manſuefactum docuit, ut quotidie ex nemore ad ſuum conclave accedens, fores pedibus pulſaret. Id quondam imitati ſunt rebelles, & Principem peſſulum januæ removentem trucidarunt. VV. art. Diſcurſ. font. 62. Ex. 3. Sic etiam fit, ſi cum brutali concupiſcentia luditur.

Sed quare Dominus Deus concupiſcentiam non una cum peccato originali in Baptiſmo extinxit? ad quid ſervit illa? Reſpondetur, ſervit 1. ad ſpirituale exercitium: Deus dedit Iſraeli totam terram, & tamen ibi remanſerunt rebelles populi uſque ad tempora Davidis: Quomodo ergo dedit *Totam*! Reſpondet S. Auguſtinus: Quia illa pars, quæ nondum fuerat in poſſeſſionem data, jam fuit data in quamdam exercitationis utilitatem. B. Serm. 33. n. 11. 2. Chriſtus non vult, ut otioſe cælum lucremur: ideo non venit pacem mittere, ſed gladium. B. Ser. 54. num. 16. & ſeq. S. punct. 108. &c. 3. Ut diſcamus frænare nociva concupiſcentiæ deſideria, non ſine merito: hinc illud: *Carnis curam ne feceritis in deſideriis*. Ubi Origenes: Non negat carnis curam in neceſſariis, ſed in concupiſcentiis & deſideriis. Et S. Gregorius ait: Sæpe incaute dum neceſſitati concedimus, deſideriis deſervimus. S. punct. 114. Item B. Serm. 49. §. 5.

Una concupiſcentia ſuperata, ſuccedit & tentat nos alia, ut ſemper vigilare, & dimicare debeamus. *Obſeſſa mens hominis*,
ait S. Cypr. *& undique Zabuli infeſtatio-* S. Cypr.
*ne vallata, vix occurrit ſingulis, vix reſi-* de Opere
*ſtit. Si avaritia proſtrata eſt, exurgit libi-* & Eleem.
*do, &c.* Tentat nos concupiſcentia. 1. Sicut Eva tentavit Adamum ad comedendum pomum. 2. Tentat ut febris febricitantem ad bibendam aquam ſibi nocivam. 3. Tentat ut vulpes canem, ad invadendam, & devorandam ſecum gallinam. 4. Tentat ut ſcabies, & prurigo, quam ſi ſcabas titillationem, & mox dolorem ſenties. C. in Ep. 1. Jac. v. 14.

Concupiſcentia eſt cauſa intrinſeca tentationis, & peccati: extrinſecæ vero ſunt dæmon ut mundus, id eſt, parvi ſocii, cognati, amici, &c. Sed hæ extrinſecæ tentant per intrinſecam, ſuſcitando concupiſcentiam propoſitione boni delectabilis, ut ad illud voluntatem abripiat. C. in 1. Ep. Jac. v. 14.

Juxta S. Auguſtinum, concupiſcentia non eſt aliqua qualitas poſitiva ſuperaddita potentiis animæ, videlicet appetitui inferiori & voluntati, ſed eſt ipſa inclinatio naturalis carens ordine rationis, quem velut in habitu efficiebat juſtitia originalis. Hinc non aliam reddit cauſam concupiſcentiæ, quam abſentiam juſtitiæ originalis. C. in Ep. 1. Jac. v. 14.

Non eſt ex ſe peccatum. 1. Quia eſt pariens, peccatum autem eſt partus. 2. Quia motus concupiſcentiæ non ſunt in noſtra poteſtate, peccatum autem debet eſſe in noſtra poteſtate. 3. Quia tales actus non ſunt humani ac liberi, ſed actus appeti-

tus



tûs ſenſitivi prævertentes rationem, &c. C. in Ep. 1. Jac. v. 14.

Sed reſiſtendum eſt primis initiis. Se-
Senec. Epiſt. 117. neca ait: *Non obtinebis ut deſinant, ſi incipere permiſeris: imbecillis eſt primo omnis affectus, deinde ipſe ſe concitat, & vires dum procedit parat: excluditur facilius, quam expellitur*. C. Ibid.

## Curioſitas nimia.

### 105. *Occaſio eſt multorum peccatorum.*

DIna Jacobi filia gentilium mulierum veſtitum viſura ingreſſa eſt urbem Sichem: ſed viſa a Principe urbis inhonorata eſt impudentiſſime! O quantæ inimicitiæ, bella, rapinæ, incendia, & cædes ſecutæ ſunt ex hac curioſitate Dinæ. B. Serm. 28. n. 16.

Curioſus obtutus radix eſt adulterii, ait S. Chryſoſt. de peccato Davidis: Viſum enim ſequitur cogitatio, cogitationem delectatio, delectationem conſenſus, conſenſum actio, actionem frequentatio, frequentationem conſuetudo, conſuetudinem deſperatio. B. Ser. 36. n. 20. &c.

Evæ curioſitas in aſpiciendo fructum vetitum, fuit præludium infeliciſſimi peccati. S. punct. 114.

Eva, dum e Paradiſo curioſe proſpicit, ſerpentem videt, unde tota ruinæ origo. M. conc. 5. §. 2. n. 1.

S. Hieronymus deplorat, quod multum temporis perdatur per illud, *Videre & videri, ſalutare & ſalutari, laudare & detrahere, audire & prolequi*. Plutarchus ait: *Intemperentiæ eſt curioſum eſſe, non aliter, quam eſſe adulterum*. Hinc cohibendi ſunt oculi, ſicut fune canes venatici, ne ante tempus evagentur, &c. Cyrus non aſpexit Pantheam, utut illi mire de venuſtate fuerit laudata, inquiens, hoc ipſo, quod pulchra ſit, aſpiciendam non eſſe. D. 7. 56.

Plinius incendium Veſuvii, Empedocles incendium Æthnæ exploraturus, uterque periit. Sic nocet curioſitas, infortunia corporis & animæ poſt ſe trahit. D. 8. 14.

Quidam indignantur Adamo propter eſum pomi. Hujus furfuris alicui tradita fuit occluſa pyxis cum mandato, ut illam non aperiret. Aperuit tamen victus curioſitate, & ecce! avicula incluſa evolavit, cumque ſic convincit, quod non minus eſſet curioſus Adamo. E. Verbo, *Inobedientia*, n. 7.

Femina Romana cupiebat videre Sanctum Arſenium: venit in ſolitudinem. Cui Arſenius: An ergo nihil habes, quod agas, niſi ut Arſenium videas? Sanchez p. 5. c. 3. fol. 439.

Athenienſes mire fuerunt novorum avidi: Tonſor quidam, cum magnam Athenienſium in Sicilia cladem, ex ſervo fuga elapſo inaudiit, relicta officina primus in urbe hoc nuntium evulgavit, & quia auctorem allegare non poterat, rotæ alligatus populi ludibrio fuit expoſitus: Mox adfuere nuntii ex ipſa clade profugi. Solutus eſt ergo tonſor a lictore, quem mox interrogavit: *Sciretne de Nicia Duce, quomodo is periiſſet?* Adeo inexpugnabile malum eſt novorum aviditas! Tales & hodie ſunt nonnulli, & ideo, quia vera non ſemper ſuppetunt, nova fingunt, & fabulas narrant, ſæpe non ſine damno famæ alienæ. Quare perniciosa eſt curioſitas, & verboſitas: Euclides rogatus, quid agerent Dii, & qua re delectarentur? Reſpondit: *Cetera quidem ignoro, at curioſos illis odio eſſe, certo ſcio!* Socrates nihil unquam de aſtris ſermocinari auditus eſt: rogatus, cur? repoſuit: *Quod ſupra me, nihil ad me! &c.* C. in Act. c. 17. v. 21.

## Malum exemplum.

### 106. *Cauſat multa peccata.*

JAcob virgas maculoſas in fonte poſuit, ubi grex ovium bibebat, & ſic ex aſpectu virgarum fœtus ovium contraxerunt maculas, ut agni generati ſint maculoſi. Sic malum exemplum cauſat maculas aſpicientium. B. Serm. 34. §. 1.

Rex David deplorat: *Erravi ſicut ovis, quæ periit*. Cur ovi pereunti ſe comparat? Nempe ſi una ovis currit, omnes currunt, utut in flumen ſe præcipitent. Sic multi, qui Davidem peccantem viderunt, illum in malo ſecuti ſunt, & ita David *multos ſecum præcipitaverat in mortem ſuo malo exemplo*. B. Serm. 34. n. 29.

Dum Principes, Judices, Magiſtratus, adoraverunt Statuam Nabuchodonoſoris, ait S. Hieronymus, quis ex populo non adoraret? B. Serm. 34. n. 30. Serm. 35. n. 2. & ſeq. Serm. 36. n. 11. Et Serm. 72. n. 24. & ſeq. Vide Tit. *Peccata contra caritatem*.

Dum Magdalena caput Chriſti unxit, Judas murmuravit tanquam de prodigalitate; neque id mirum, quia fuit perverſus homo. Sed mirum eſt, quod etiam alii diſcipuli probi ac Sancti murmuraverint. Verum S. Thomas ait, quod peſſimo Judæ exemplo fuerint ſeducti. M. conc. 35. §. 1. n. 3.

Re-

UNIVERSIDAD AUTONOMA DE NUEVO LEON

### Reſpectus humanus.

107. *Cauſat peccata plurima.*

CUm Ludovicus XIII. Rex Galliarum Ducem Montmorancium ſuum cognatum perduellionis reum decapitari juſſit, Marchio Caſtillionenſis pro reo interceſſit, inter alia affirmans, quod tota Natio Gallica triſtaretur ob necem præſtantiſſimi Viri, & diverſa eſſent judicia hac de re in populo: Rex repoſuit, ſi ego affectum & judicia populi curare vellem, Rex non eſſem. Sic etiam tu dic mi Chriſtiane: ſi judicia populi curare vellem, Chriſtianus non eſſem. Theat. trag. hiſt. 36. n. 34.

S. Franciſca Romana cum aliquando ob reſpectum humanum, vana quarumdam colloquia compeſcere auſa non fuit, ab Angelo alapa percuſſa fuit. *N. 9. Mart.* Item *Annus Sacer* 12. Maji Feſto S. Epiphanii.

Pilatus contra legem, & mentem damnat Chriſtum ad mortem, humanæ aſtutiæ dictamen ſecutus, ut proceribus Judæorum placeret, & non perderet Cæſaris amicitiam. S. punct. 24.

Judæi Chriſtum ad crucem damnant, ne veniant Romani, & occupent locum ſuum. Sed quantum fallit reſpectus humanus! Eo ipſo, quia damnarunt Chriſtum, venerunt Romani, & in ruinam dederunt urbem eorum. Jeroboam ſtabilire ſibi voluit regnum contra familiam David, & eo ipſo ſibi regnum eripuit. S. punct. 24.

Cum Judæi apud Pilatum ſolicitarent, ut epigraphen in cruce mutaret, reſtitit illis firmiter, dicens: *Quod ſcripſi, ſcripſi!* Admiratur hoc S. Bernardinus, & quærit, cur ergo Judæis conſenſit in mortem Chriſti? Nempe ex reſpectu humano in Cæſarem: *Si hunc dimittis, non es amicus Cæſaris.* Si hoc Judæi etiam comminati fuiſſent in mutatione epigraphis, certe non minus in hanc, quam in mortem conſenſiſſet. B. Serm. 26. n. 38.

Servi Pontificum miſſi, ut Chriſtum caperent, re infecta reduces dixerunt Dominis: *Nunquam ſic locutus eſt homo.* Suſpicati ſunt igitur Domini, quod ſervi cum Chriſto ſentirent. Et ecce! Malchus, qui erat inter illos, ut Domino ſe purgaret ab iſta ſuſpicione, Chriſto coram Pontifice truculentam dedit alapam. En! quam crudelis ſit reſpectus humanus. S. punct. 8. de Paſſ. Dom.: O mi Chriſte Deus, quoties adhuc alapam accipis ob reſpectum humanum! hinc bene obſervandum illud: *Fratres nolite effici ſicut pueri!* Pueri enim multa faciunt ex timore, amore, & reſpectu! A. 1. Lect. 4. n. 26.

### Securitas & impunitas ſcelerum.

108. *Facit audacem in malo.*

QUamdiu Adamus in mente habuit minas Dei; *Qua die comederis, morte morieris*, ſolicite abſtinuit a fructu prohibito: cum autem vidit, uxorem poſt guſtatem pomum non ſtatim mori, auſus eſt peccare, putans ſe eſſe ſecurum. B. Serm. 6. nu. 18. Et Serm. 13. num. 23.

Cum ſatellites Saulis Davidem quærerent ad mortem, Michol ejus uxor dixit, eum ægrotare: cur non dixit eum dormire? quia fuiſſet incredibile eum dormire irato Rege. B. Serm. 19. n. 3. Item Serm. 27. n. 3. & ſeq.

*Mater negligentiæ eſt ſecuritas.* B. Ser. 43. n. 1. Item Serm. 7. n. 28.

Si homo non timet, aut nihil habet, quod perdat, aut neſcit ſe perdere poſſe: *Tua ſecuritas*, ait Galfridus, *aut de impia, aut de ignorantia eſt.* B. Serm. 43. nu. 6.

Simiæ a lynce occiduntur, quia ab illo ſimulante mortem ſecuras ſe credunt. B. Serm. 62. n. 18.

Cur Abſalon auſus eſt rebellare contra Patrem? Reſpondetur, quia David Pater in illo non punivit alia ſcelera, præſertim fratricidium Ammonis: *Semper ſcelera*, ait S. Chryſoſtomus, dum non reſecantur, increſcunt, & in augmenta facinorum proſilitur, quoties ſecura impunitate peccatur. B. Ser. 35. n. 31.

*Impunitas* (& ex ea nata ſecuritas) *eſt incuriæ ſoboles, inſolentiæ Mater, radix impudentiæ, tranſgreſſionis nutrix*, ait S. Bernardus. B. Ser. 69. n. 23. & ſeq.

Hæc ipſa ſecuritas parit inconſiderantiam, & negligentiam: ideo rogat S. Paulus ſuos Theſſalonicenſes, ut non cito moveantur a ſuo ſenſu, id eſt, *ut non cito dimittatis doctrinam meam*: ubi Areſius: *Sciebat, quod ſi inconſiderate non feciſſent, numquam feciſſent.* B. Serm. 4. n. 6. Item Serm. 18. n. 27. Et Serm. 22. n. 11. & ſeq. M. conc. 41. §. 2. num. 8.

Oſtrea cum in ſole ſecure ſtertit, & concham aperit, cancer marinus in concham lapillum injicit, ut claudere ſe non poſſit, & ſic oſtream devorat. Ita dæmon in animam ſtertentem, & ſui ſecuram lapillum, id eſt, tentationem injicit, ut ſucceſſive perdat. Tu curam habe contra lapillum. B. Serm. 60. num. 14. & ſeq.

Ege-



### Egeſtas, & abundantia opum.

109. *Sunt irritamenta peccatorum.*

REx Salomon a Deo petiit: *Divitias & paupertatem ne dederis mihi*; quia utraque eſt irritamentum ad peccata. Et

Egeſtas quidem, quia Iſraelitæ conqueruntur: *Ægypto dedimus manus, ut ſaturaremur pane.* B. Serm. 2. n. 25. Chriſtus loculus dedit Judæ, ut non habeat excuſationem, ſe egeſtate fuiſſe compulſum ad proditionem. B. Serm. 21. n. 25. Diabolus tentat Chriſtum: cur tam temerarius fuit? Reſpondet Theodoretus: Vidit hoſtis famem & ſperavit victoriam. B. Serm. 35. num. 12. & ſeq. Egeſtas urget ad crimen; hinc Salomon coram Deo deprecatus eſt egeſtatem, ait S. Hieronymus, ne compellatur facere, quod non vult. B. Serm. 65. n. 7. Et B. Ser. 79. n. 13. Propheta decipitur a Pſeudo-Propheta, ut famem ſedaret. S. punct. 35.

Abundantia autem ſeu affluxus opum trahit ad malitiam: Abraham rogavit in Ægypto uxorem, ut ſe ſororem ſuam diceret, & ſic caſtitati uxoris, ac ſuæ vitæ conſulere ſatagebat: cur non hoc æque rogavit in terra Chanaan? Reſpondeo: Quia in Chanaan erat inopia rerum, in Ægypto vero affluxus, ait Mendoza: Cenſuit Abraham non inter famelicos homines, ſed inter ſaturos pudicitiam uxoris periclitari. B. Serm. 65. n. 19.

# PARS SECUNDA

## *Peccata contra virtutes theologicas, & primo contra fidem.*

### Apoſtaſia.

110. *Quibus gradibus ad eam pervenitur.*

ISraelitæ obliti ſunt omnium beneficiorum, & ad ollas reverti volebant: ita Apoſtatæ 1. gratiarum Dei obliviſcuntur. 2. Pœnitet eos, quod Deum vocantem ſecuti ſint. 3. De liberali poteſtate Dei deſperant. C. Gen. c. 16. v. 3.

Julianus Apoſtata ex ambitione regni cum Magis, & Ariolis familiaritatem contrahit, dein ſemper fit pejor, & denique fidem ejurat. A. Lect. 9. §. 7.

Henricus VIII. Angliæ Rex ex impuro amore erga Annam Bolenam a fide deficit, & totum regnum miſerabiliter in eandem ruinam poſt ſe trahit. A. lect. 9. §. 7.

Origenes Vir Doctiſſimus ac præſtantiſſimus in hæreſin labitur, teſte Vincentio Lyrinenſi, quia ſuæ prudentiæ plus nimis confidit, antiquitatis ſanctam ſimplicitatem contempſit, ſeque omnibus aliis in Scripturarum expoſitione prætulit. D. 7. 23.

Ambitio, obſtinacia, & inobedientia ſunt gradus proximus ad impudentiſſimum apoſtaſiæ ſaltum; hinc habetur ab experientia, quod peſſimi illi Sycophantæ, qui ab Eccleſia deficiunt, plus ceteris in eam arma ſtringant, & quaſi rabioſi canes allatrent eos, quos deſeruerunt. Contra hos recte illud Ariſtotelis valet: *Omnes res, quæ a ſua ſpecie degenerant, in multo deteriorem abeunt, quam ſi eas natura ingeneraſſet.* Ariſt. l. 7. Polit. c. 4.

Ad apoſtaſiæ culpam dilabitur, ait S. Gregorius, qui præeſſe hominibus delectatur. Bibl. Lohn. v. Ambitio §. 10. num. 4.

111. *Quantum a Deo puniatur.*

Carolomannus a Clericatu apoſtatans dein a Patre deprehenſus oculis privatur. C. Deut. c. 17. v. 7. & ſeq. ubi plura hujus rei exempla.

Væ illis, qui in via Dei reſpiciunt: uxor Lot verſa eſt in Statuam ſalis, quia reſpexit, *ſuo exemplo fatuos condivit, in propoſito ſancto, quo tendunt proficientes, noxia curioſitate retro non reſpicere debere*, ait S. Proſper. C. Gen. c. 19. v. 26.

Inter alias pœnas etiam ea eſt, quod apud illos ad quos transfugiunt, fidem non inveniant. Famulus ad Religionem tranſiens, & ab ea revertens, ad Dominum ſuum confugit, fidelitatem tantam, quantam antea promittens: verum rejectus audire debuit: ſi Deo fidelis non manſiſti, quomodo mihi eris? E. *Religio* n. 2. Bibl. Lohn. v. Fides §. 5. num. 48.

Conſtantinopoli Vir patritius, Imperatori infenſus, ad Mahometem obſidentem tranſit, & traditionem urbis magna vi auri, & unius Mahometis filiarum nuptiis paciſcitur. Capta urbe Mahometes eum convocans, quoniam, ajebat, filiam meam cum ingenti dote petis, Chriſtianam pellem prius exuere debes, & juſſit vivum excoriari. T. num. 330.

S. Cyprianus terribilia eaque manifeſta enarrat ſupplicia apoſtatarum, inquiens: S. Cypr. lib. de Lapſ.

Ecce

Ecce eorum, qui fidem negaverunt, quæ ſupplicia conſpicimus? Nec hic eſſe ſine pœna poſſunt, quamvis necdum dies venerit pœnæ! pleſtuntur interim quidam, quo ceteri corrigantur! exempla ſunt omnium, tormenta paucorum! &c. Bibl. Lohn. Verbo Fides §. 5. num. 45.

*112. Ordinarie punitur infelice morte.*

Tallelous Theſſalonicenſium Epiſcopus in hæreſin lapſus, aliquando in latrina inventus eſt capite in ſtercus immerſo. Talem animam talis locus decet. A. 1. lect. 3. n. 9.

Julianus Apoſtata crudeliter perſequitur Eccleſiam: orante S. Baſilio ad Deum, ut tanto malo remedium daret, Julianus a Sancto Mercurio in pugna contra Perſas lancea confoditur. D. 2. 65.

In Gallia Narbonenſi vir Catholicus hæreticum convertere laborabat, ſed incaſſum; ille enim etiam jocari auſus dixit: Metuo veſtros Sacerdotes nimis tyrannicos, ſi illis confiterer, pœnitentiam mihi injungerent peregrinandi Compoſtellam, & hoc iter mihi nimis eſſet moleſtum. Repoſuit Vir Catholicus, metuo ne paullo poſt iter adhuc moleſtius ingredi debeas! & vaticinium fuit; ille enim poſt paucos dies mortuus eſt. J. 157.

Zonar. t. 3. Annal. Byzant. Heraclius Imp. dum Catholicus erat, præclariſſimam de Perſis victoriam reportavit, & Crucem Domini recepit, at cum in hæreſin Monothelitarum incidit, omnia illi infeliciter ſucceſſerunt, & ipſe novo, ac inaudito morbi genere extinctus eſt. Bibl. Lohn. v. Fides §. 5. n. 44.

Regnerius Daniæ Rex abrogata Chriſti fide in regnum idololatriam invexit. Ab hoſtibus dein captus, carceri ſerpentibus infeſto incluſus, venenatis morſibus, horrendaque morte periit. Ibid. n. 46. Vide infra Tit. *Hæretici*.

*113. Apoſtatæ revertuntur ad veram fidem.*

Bernardinus Ochinus Patrum Capuccinorum Generalis Genevam transfugit, ibique per quindecim annos in hæreſi vivit. Tandem moriturus coram Sacerdote Catholico errores omnes revocat, hæreſin damnat, & ideo ab hæreticis pugionibus confoditur. D. 5. 79.

Guilielmus Poſtellus ſuo tempore Virorum doctiſſimus in hæreſin Zvvinglii & Calvini incidit; ſed in ſenio revocatis erroribus tamquam pius, probus, & optimi nominis Sacerdotis Pariſiis moritur. Hanc gratiam converſionis videtur promeritus fuiſſe ſua continentia. D. 5. 91.

Cardinalis Oſius Vir præſtantiſſimus, & apud multa Concilia Legatus Pontificius, demum ſubſcribit hæreſi Arianæ: ſed facti pœnitens in morte, revocavit errorem. D. 11. 8.

Natalius ſeductus a Diſcipulis Theodoti Coriarii hæreſis auctor factus a Victore Pontifice excommunicatus fuit. A Deo internis animi ſtimulis monitus, cum non reſipiſceret, ab Angelis noctu crudeliter flagellatus, ſurrexit, & indutus cinere ac cilicio, ad Zephyrini Epiſcopi pedes procidit, & multis precibus uſus, ægre ad communionem fidelium receptus eſt. Bibl. Lohn. Verbo Fides §. 5. num. 47. Euſeb. Cæſ. l. 5. c. 28.

Blaſphemia.

*114. Injuriam graviſſimam facit Deo, & Chriſto.*

Alapa Chriſti fuit ignominioſiſſima 1. propter crudelitatem miniſtri ingrati, qui in auricula ſanatus eſt a Chriſto. 2. Propter ignominiam quam etiam ſervi dedignantur. 3. Propter injuſtitiam. S. punct. 8. fol. 565. 566. 4. Propter circumſtantiam loci &c. ſed crudelior eſt blaſphemia, quia fauciat genas jam faucias: hinc rogat Beda: Da mihi, ut, qui olim cæſus es a Judæis, non cædaris & modo blaſphemiis falſorum Chriſtianorum. S. Ib. fol. 568.

Eheu! tam caro pretio redempti ſumus, & tamen multi Chriſtianorum rogari debent, ut eam nominis Chriſti reverentiam ſaltem habeant, quam Turcæ, qui id ſanctum nomen non impune violant, &c. P. p. 2. diſc. 2. n. 16.

Chriſtus ardenter deſiderat pati ad noſtram Redemptionem, & hic amor a ſceleratis per blaſphemiam compenſatur. Paoletti Dom. Paſſionis.

S. Hieronymus ait: *Omne peccatum comparatum blaſphemiæ, levius eſt*. Blaſphemia ergo eſt graviſſimum. 1. Ex objecto; quia immediate eſt derogatio honoris Divini, & quidem talis, quæ non ex fragilitate, ſed ex pura malitia oritur. 2. Ex perſona blaſphemantis; homo enim non tantum putredo eſt, ſed merum Dei beneficium, præſertim Chriſtianus in ipſa Dei regia, videlicet Eccleſia natus: populum Chriſtianum elegit Deus, ut ſit in orbe, qui illum benediceret, & ab hoc ipſo populo blaſphematur, quantum malum! &c. S. Hier. in Iſa. c. 18.

3. Ex



3. Ex effectis; quia deteſtabile hoc vitium malo exemplo docetur, & ſic fit hereditas, quod inſtar peſtis deberet damnari. Dein ſicut pictores ventos pingunt, nimirum capita, quæ plenis buccis conatu maximo ſpiritum exſufflant; ita buccæ blaſphemantium terribiles turbines, ac calamitates excitant, &c. P. p. 1. diſ. 8. n. 8. 10, 14.

*115. Punitur graviſſime.*

Sennacherib, Julianus Apoſtata, Arrius, Neſtorius, Olympius, Fridericus II, Joannes Zvvickius blaſphemi miſerrime pereunt. C. Levit. c. 24. v. 14. Et Deut. c. 5. v. 11. Et Iſa. 37. v. 23.

Julianus Apoſtata Chriſtianos opprobrii cauſa tantum Galilæos, Chriſtum Galilæum vocabat: quærebat ergo quondam gentilis ex Chriſtiano, quod facit tuus Galilæus fabri filius? repoſuit iſte: facit ſarcophagum tuo Juliano, & vaticinium fuit, Juliano paulo poſt pereunte. D. 9. 15.

S. Ludovicus Rex Galliæ blaſphemo linguam erui & concremari juſſit, cumque a ſubditis crudelitatis argueretur, repoſuit: mallem propriam linguam cremari, quam blaſphemos tolerare, quorum culpa integrum regnum a Deo graviter poteſt puniri. Sanchez 6. part. c. 7. fol. 767.

In Quibuſcoſa Hiſpaniæ provincia duo blaſphemi inter rixas vulnerati ſternuntur, & ecce, omnes illius provinciæ canes ad eum locum concurrerunt, & cadavera certatim diſcerpſerunt. P. p. 1. diſc. 8. n. 11.

Imperatorum Decreta graviſſimas pœnas in blaſphemiam refundunt: *Propter blaſphemias & fames, & terræ motus, & peſtilentiæ fiunt*. Propter hanc Deus nonnumquam totas regiones extirpat. Hinc ait Chryſoſtomus, cum quis blaſphemum os diducere auditur, par eſſet cunctos accurrere, ad illud obturandum, tamquam portam, per quam omne genus malorum erumpit, &c. P. p. 1. diſc. 8. n. 15. &c. S. Chryſ. Hom. 1. ad pop. Antioch.

Blaſphemus, qui vel in ingratiam Confeſſarii monentis pergit blaſphemare, noctu a dæmone occupatur, lingua illi eruitur, & palato aſſuitur, ita ut ſolvi non amplius valeat. P. p. 1. diſc. 8. num. 20.

Puella a genitore monita, ut ceruſſa ſe pingere deſiſteret, ejuſmodi enim homines eſſe Deo inviſos, repoſuit: ſim Deo inviſa, nihil illum moror, abjiciat, quo velit. Paulo poſt mortuam nec terra, nec littus maris recepit. Vocavit genitor dæmonem, ut & corpus abripiat, poſtquam haberet animam, & cadaver videri deſiit. J. 107.

Blaſphemus ab imbelli, infirmoque homine, quem perſequebatur, faucibus transfoſſis manifeſto Dei ſupplicio occiditur. J. 128.

Caupo blaſphemiæ deditus cum in culina in ſella lignea recumbens, reflexo collo ſe ſopori daret, veru e laqueari pendens ſponte divulſum ei fauces trajecit & occidit. J. 134.

Blaſphemiæ in Lege Veteri decreta fuit lapidatio. Sennacherib blaſphemus cum 185. millibus occiſus. Pharao in mari demerſus. Julianus Apoſtata lancea Divinitus percuſſus. Arrius dum alvum purgat exſpirat. Neſtorio lingua a vermibus corroditur. Fridericus II. in Concilio Lugdun. damnatus & Imperio ſpoliatus, &c. C. Lev. 24. ad finem. Lev. 24.

*116. Eſt peccatum graviſſimum ac prorſus portentoſum.*

Poſtquam Phariſæi Crucifixum blaſphemarunt, ait S. Leo: his vocibus veſtris ſtultis atque blaſphemis reddunt omnia elementa reſponſum: cælum, terra, ſol, ſydera indignos vos ſuo miniſterio proteſtantia. S. p. 29. f. 700.

Populi Atlantici ſolent maledicere ſoli orienti, ſed quid mirum? quia ab illo intolerabiliter uruntur: verum ſiquis in regionibus temperatis ſoli malediceret, qui ingentia nobis beneficia præſtat, nonne intolerabilis inſania foret? Et quid dicendum de blaſphemo, qui Divino ſoli poſt accepta innumera beneficia maledicit? P. p. 1. diſc. 8. n. 13.

Spiritus blaſphemiæ non remittitur; ideo dicitur, *Eſt peccatum ad mortem, non dico, ut pro eo quis roget*. Bibl. Lohn. v. Blaſphemia §. 9. n. 4. Joan. 5.

S. Hieronym. ait: *Nihil eſt horribilius blaſphemia, quæ ponit in cælo os ſuum; omne quippe peccatum comparatum blaſphemiæ, levius eſt*. Ib. §. 3. n. 1. S. Hier. in c. 18. Iſa.

Ipſis etiam Turcis abominabilis eſt blaſphemia: hinc Mahometes in Alcorano præcipit, ut ſiquis contra Deum aut B. V. blaſphemias effutiret, vivus divideretur. Ib. §. 11. n. 1.

Blaſphemi pejores ſunt canibus, & aliis beſtiis; canis enim non mordet Dominum, licet ab eo lædatur: ſed blaſphemus eodem ore, quo beneficia Dei comedit, & bibit, Deum allatrat. Manſi Diſc. 4. n. 6.

Blaſphemia diabolo, & damnatis propria eſt juxta illud: æſtuaverunt homines æſtu magno, & blaſphemaverunt nomen Dei. Bibl. Lohn. v. Blaſphemia, §. 7. n. 5. Sicut ergo ſignum nationum diverſarum lingua eſt, ita lingua blaſphema ſignum eſt damnatorum, ſeu æternæ damnationis. Apoc. 16.

117. Nul-

117. *Nulla ſatis excuſatione purgatur.*

Blaſphemi ordinarie dicunt: Non cum Deo, ſed cum homine, me proritante mihi res eſt. Verum illæ voces Deum non minus, quam hominem feriunt; hinc blaſphemi ſimiles ſunt Parthis, qui olim tela in hoſtem vibrare non noverant, niſi illa prius verſus cælum contorſiſſent. P. p. 1. diſc. 8. n. 5.

Alii objiciunt: ſic aſſuevi, vellem libenter non blaſphemare, ſed mala conſuetudo me cogit. Reſpondeo, ſi vincendæ aſſuetudini nulla adhibes remedia, tam non excuſat conſuetudo, ut potius crimen augeat. Quæſo ſi fur diceret Judici: ego jam diu furtis aſſuevi, an excuſaretur? nulla ratione! hac ipſa de cauſa, reponeret Judex, dignus es non uno pendere patibulo. Sic ſe res habet de blaſphemia. P. p. 1. diſc. 8. num. 17.

Iterum alii opponunt, ex præcipiti ira id fieri: ſed quæſo, qui ex ira convitiatur hominem, ſæpe pugnos & verbera refert, an putamus Deum impune laturum propter allegatam iram? Quæſo ſi quis in faciem Principis ſpueret, & dein ſe excuſaret ſe tuſſi laborare, an factum excuſabit? Minime vero! ſic ſe res habet de blaſphemia, longe aliter Divinus Judex illam accipiet, quam ipſe blaſphemans. P. p. 1. diſc. 8. n. 18.

Non id agimus, inquiunt, ut Deum deſpicatui habeamus, ſed ut juſtum metum incutiamus ſubjectis, utque hi rem ſerio agi ſciant. Adeone Verbum Divinum corpus & ſanguinem aſſumpſit, ut ſerviant ad terriculamenta famulis incutienda? Quæſo ſiquis veſtes Sacerdotales uſurparet ad abigendas ex agro volucres, nonne grandis eſſet irreverentia? Parem in modum utique alia verba non deſunt ad bilem exonerandam, & ad familiares in officio continendos, quam verba ſanctiſſima. Revera modicus Dei timor in cauſa eſt, quod impius Chriſtianus in blaſphemias erumpat. In monte Calvariæ *Prætereuntes blaſphemabant* Chriſtum: ſi ſtetiſſent, & conſideraſſent, quis, qualis, ac quantus eſſet, qui in cruce pendet, tantam impietatem non commiſiſſent. P. p. 1. diſc. 8. num. 19.

Dubitationes in fide.

118. *Unde ſæpe oriantur?*

MUlti ex Chriſtianis non horrent ridere, & negare ea, quæ capere non poſſunt: hæc perverſitas ortum trahit a mala vita, quæ etiam fidem ſenſim labefactat. S. punct. fol. 574. Vide Titulum *Luxuria. Tepiditas.*

*Abominabiles facti ſunt in ſtudiis ſuis.* Sap. *Dixerunt impii, poſt hoc erimus, tanquam non fuerimus.* Ubi Gloſſa: Vox hæc perditorum eſt, qui tamquam bruta animantia nec poſt hanc vitam requiem æternam ſperant. S. punct. 9. fol. 574. Vide Titulum *Myſteria fidei.*

Judæi in horto Chriſtum captivarunt, ligarunt, tenuerunt, & ad falſos Judices adduxerunt, non obſtante, quod viderint illum tam potentem, ut duobus verbulis: *Ego ſum!* totam cohortem proſtraverit. Sic faciunt pſeudo-Chriſtiani, dum legem, quam ſuis cupiditatibus nimis contrariam vident, corrigere, & Deum cogere volunt, ut ſuo ſenſui ſe accommodet, illum trahunt ad falſum judicem, videlicet ſuam rationem, & ad diſcurſus & judicia aliorum ſui ſimilium.

Vita tepida & vitioſa ordinarie ſuſcitat vacillationes, & dubia in fide. Quamdiu fundamentum firmum eſt, optime ſibi conſtat ædificium, illo autem infirmo, etiam ædificium corruit. Milites urbem obſidentes, agunt cuniculos, & ſic turres & mœnia ſternunt. Sic etiam dæmon humilitatem, cæcam obedientiam, captivationem intellectus, caſtitatem & alias virtutes ſubruit, ut etiam fidem, everſo fundamento evertat. Videamus homines, qui audent myſteria fidei ad dubium vocare, ordinarie erunt ſcelerati, &c.

Quamdiu pomum ex arbore pendet, optime valet, & amaniſſime rubet, cum autem in terram decidit, germinare incipit, & fit pabulum porcorum. Sic homo Chriſtianus, & virtuti deditus, quamdiu a Deo dependet, erit firmiſſimus in fide. Cum autem ad terrena & carnalia ſe demittit, fœtorem contrahit & varios contra fidem vermes: non amplius firmiter credit, quod optaret non eſſe verum. Examinet ſe impurus, an non ita ſit? legem caſtitatis ſibi ſentit moleſtam; ideo incipit credere, eſſe incertam? &c.

Corvus taurum & aſinum hoſtiliter odit; cum ergo illos robuſtiores ſe vincere non poſſit, aſtu utitur: alis ſabulo intinctis oculos eorum verberat, & ſic excæcatos facile ſuperat. Sic corvus infernalis facit, excoculat Chriſtianos, faciteque, ut ad veritates fidei cæcutiant, & male credant, & ſic in ſcelerum præcipitia illos ſternit, & præcipites agit. C. Prov. 30. v. 17.





119. *Sunt frivolæ, & imprudentes.*

Ordinarie illi, qui ſcientiis Theologicis ne minimum quidem tincti ſunt, audent præ aliis diſputare, & principia fidei in dubium vocare. Quæſo quiſquis talis es, ſi ego tibi enarrem, dari in altero mundo, qui eſt infra noſtrum hemiſphærium, homines antipodes, ſeu tales, qui pedibus verſus non erectis in terra ambulant velut muſca in ſuperiori cubiculi tabulato, tu non potes id capere, putaſque fieri debere, ut illi homines neceſſario deorſum in cœlum cadant; cum igitur in re quotidie fieri ſolita, evidenti & demonſtrata adeo hallucineris, judica an intellectus tuus expeditus ſit ad capiendas ſublimiſſimas fidei veritates: ſeu ut clarius loquar, judica, an bona ſit illa argumentatio: Hoc & illud non poſſum capere: ergo dubium eſt, an ſit verum?

In ægrotantibus naſus acuminoſus eſt ſignum ſecuturæ mortis. VV. art. diſc. font. 87. ex. 4. Ita in peccatore, ſi nimium naſutulus fiat, & acumine cerebri ſui omnia perodorare velit, ſignum eſt mortis animæ.

Præterea ejuſmodi diſputationibus ſcandalizantur hæretici, ita ut audaciores fiant in cavillandis fidei myſteriis: Moyſes deprecatus legationem ſibi oblatam dixit ad Deum: *Ecce filii Iſrael non audiunt me: & quomodo audiet Pharao?* Exod. 6. v. 12. Parem in modum dicendum venit: ſi non credunt fideles, quomodo credent infideles?

Dic, mi bone, poteſne dubitare de veritate hujus propoſitionis: *Si ſol lucet, dies eſt?* Non potes dubitare: in hanc enim veritatem ratio, experientia, ipſumque lumen naturæ, & conſenſus totius humani generis conſpirat. Ergo multo minus dubitare potes de veritate fidei: v. g. Deus eſt præſens in SS. Euchariſtiæ Sacramento: quia præſtat veritates lumine naturæ notas falſificari, & totum humanum genus decipi, quam Deum mentiri. Porro ſi tibi Romam itineranti, ingens multitudo virorum prudentiſſimorum ſuaderet ut viam dextrorſum eligeres, unus autem unicus, iſque haud admodum expertus, viam ſiniſtrorſum tibi conſuleret, cui morem gereres? nonne primis illis, non huic ultimo? En! torrens Sanctorum, Doctiſſimorumque virorum a tota multorum ſæculorum antiquitate Catholicam fidem ſuo teſtimonio & authoritate commendant, & corroborant, unica autem tua phantaſia, & inconſtantia veritatem hanc fidei tibi dubiam ac ſuſpectam reddit: quid jam dicit prudentia? cui præſtat conſenſum præbere, alienæ authoritati, an tuæ inconſtantiæ, &c.

Hæreſis.

120. *Quælibet habet Sanctum ſibi a Deo oppoſitum.*

MOntaniſtis Sanctus Irenæus: Manichæis S. Paulus: Donatiſtis S. Antonius: Neſtorianis S. Auguſtinus: Severianis S. Benedictus: Mahumetanis S. Eucherius: Albigenſibus S. Dominicus: Albanenſibus S. Burchardus: Berengariis S. Stanislaus: VVicleffenſibus S. Andreas Corſinus: Lutheranis S. Ignatius ſe oppoſuit.

Deus tarditatem Epiſcopor. & Paſtorum in opprimendis hæreſibus, tarditate punivit. Sic Arianiſmus, quia non ſtatim totis viribus fuit extinctus, velut incendium per totum orbem ſe propagavit, ita ut Eccleſia per plures centenos annos in eo reſtinguendo laboraverit, nec tamen ita extinxit, ut non reliquiæ in Tranſilvania, Polonia, & Hollandia ſuperſint. Idem contigit cum Mahometiſmo, Prælatis dormientibus. Sed Deus tandem illis oppoſuit S. Joannicium, S. Platonem, S. Bonifacium. Sub annum 900. contra Sectam Nicolaitarum, Deus oppoſuit S. Romualdum, & Camaldulenſes, ac S. Brunon. Carthuſianum. Anno 1084. S. Bernardum Ciſtercienſium Auctorem. Anno Domini 1200. exorta VValdenſium hæreſi, ac mundo in omnia ſcelera prolapſo Deus excitavit S. Dominicum & S. Franciſcum, qui per ſe, ſuumque ordinem vitia caſtigarent, & virtutem reſtaurarent. Huſſitis oppoſuit S. Bernardinum Senenſem, ac S. Vincent. Ferrer. Denique cum hæreſum monſtra e tartaro anteriori ſæculo ebullierunt, S. Ignatium, aliosque viros doctrina, & Religione præſtantes. C. in Cant. c. 5. v. 5.

De S. Ignatio, Societatis JESU Fundatore, Romanum Breviar. in ejus Feſto ſic orat: Ipſe miſſo ad prædicandum Indis Evangelium S. Franciſco Xaverio, aliiſque in alias mundi plagas ad Religionem propagandam diſſeminatis, ethnicæ ſuperſtitioni, hæreſique bellum indixit, eo ſucceſſu continuatum, ut conſtans omnium fuerit ſenſus, etiam Pontificio confirmatus oraculo, Deum, ſicut alios aliis temporibus Viros Sanctos, ita Luthero, ejuſdemque temporis hæreticis Ignatium, & inſtitutam ab eo Societatem objeciſſe. Ita Romanum Breviarium! Hoc audito quis

non ingemiſcat: O infelix Luſitaniæ regnum, quod Patres Societatis eruditiſſimos, zeloſiſſimos, ſpiritu Ignatiano plenos, innocentes ab omni crimine, non auditos, non examinatos, pure ex invidia, rancore, & implacabili odio unius regii Miniſtri in exilium ejeciſti! Eheu! quæ vitia, quæ hæreſes, ſublato hoc repagulo, pleno alveo in te irruent? præſertim hoc ſæculo, ubi Atheiſmus, Syncretiſmus, Janſeniſmus, Lutheraniſmus, Calviniſmus, aliaque hæreſum monſtra plena libertate tumultuantur, & jam pro eruditiſſimo habetur, qui prima fidei principia impudentiſſime allatrat. O ſors deploranda! Paucos ante annos Patres Societatis ab ipſo Fideliſſimo Rege hodie regnante immenſo elogio publice laudati ſunt propter inſignia merita coronæ ſuæ tam in America, quam in Europa præſtita, nunc exules ſine crimine expelluntur e regno! Quid fiet? Eheu! ex vicinia, ex commerciis, ex numero increſcentium hæreticor. ex invidia ſuſurronum metuendum eſt, ne regnum infelix a Deo, & Eccleſia deficiat. O Superi, impedite grande malum! date, ut innocentes ad Dei gloriam, & Eccleſiæ incrementum revocentur, &c. &c. Interim acclamo innocentibus: Beati, qui perſecutionem patiuntur propter juſtitiam.

121. *Oritur plerumque ex ſuperbia, aut rancore.*

Cardinalis Hoſius, Præſes Conc. Tridentini prædixit Andream Dudecium Epiſ. Tinnienſem a fide defecturum, idque tantum propter ſuperbiam, & obſtinaciam judicii. C. Gen. Proem. n. 43.

Arrius cum ſibi Alexandrum Presbyter. in Epiſcopatu præferri cerneret, primo impugnavit Alexandri mores, ſed cum nihil in eo culpabile inveniret, impugnavit ejus doctrinam, ſicque occaſionem ſumpſit aſſerendi Verbum Divinum eſſe creaturam, &c. A. lect. 9. §. 7.

Cur Origenes Vir præſtantiſſimus in hæreſin incidit? ideo, ait Vincentius Lirinenſis, quia ex ſuperbia prudentiam ſuam in exponendis Scripturis aliis omnibus prætulit, &c. D. 7. 23.

Fons omnium hæreſum eſt ſuperbia: hæreſiarchæ pene omnes ab Eccleſia deſciverunt, quia in Eccleſia primas cathedras Epiſcopatus, & Doctoratus ambierunt, ab iis vero repulſi ſtatuerunt, extra
S. Aug. l. Eccleſiam obtinere principatum. *Una Ma-*
de Past. *ter ſuperbia omnes genuit*, ait S. Auguſt.
cap. 8.

Tales fuerunt Theobutes, Valentinus, Marcion, Montanus, Novatianus, Arrius, VViclefus, Lutherus, cujus tantus fuit faſtus, ut Libro contra Regem Angliæ ajat, Reges, Principes, & Pontifices non eſſe dignos, qui ſolvant ſuorum calceamentorum corrigiam? Parvi ſe facere mille Cyprianos, mille Auguſtinos! C. 2. Petri 2. v. 10. Item 1. Tim. 1. v. 20.

Pruritus novitatis indicium eſt hæreſis; hinc Tertullianus ita alloquitur hæreticos: *Qui eſtis vos? quando, & unde veniſtis? quid in meo agitis non mei, &c.* C. 2. Petri 2. 2. v. 1.

Cum ergo tam vile fundamentum habeat, quid mirum, quod non diu duret? S. Chryſoſt. ait: *Talis eſt conditio falſitatis, ut etiam nullo reſiſtente conſeneſcat.* Experti id ſunt primitivæ Eccleſiæ hæretici, Arriani, Neſtoriani, Pelagiani & alii, qui cum doctrinis ſuis diſparuerunt. D. 2. 36. in fin.

## Hæretici.

122. *Scient torquere Textus Scripturæ in ſuam rem.*

JUdæi libentius recepiſſent Joann. pro Meſſia, quam Chriſtum: quia ille ex nobili genere, & ad ſuum genium fuiſſet, &c. B. ſer. 69. n. 26.

Meretrix Babylonica habebat poculum aureum, id eſt, ait Hugo Cardinalis, ſcientiam Scripturarum, quas pro libitu torquebat &c. S. punct. 9. f. 573.

Omnes hæretici tantum excerpere ſolent Textus Scripturæ in rem ſuam facientes, ſine combinatione aliorum. Ita Arrius tantum eas Scripturas ſelegit, quibus Pater major dicitur Filio, omiſit cæteras: Sabellius unicam in Deo Perſonam aſſerens urgebat illud *unum: Ego & Pater unum ſumus.* Ebion & Cerinthus tantum illis inhærent textibus, qui Chriſtum hominem probant, non autem Deum; e contra Manichæus illis, quibus Deus probatur, non autem homo &c. ita ſubdole omnes agunt. A. Lect. 2. n. 2.

Vincentius Lirinenſis ait: Unde quæſo oriuntur hæreſes, niſi ex pruritu novitatis in exponendis Scripturis, deſeritur antiquitas, & novæ opiniones eruuntur. Ideo monuit S. Paulus, *Timotheo* 1. Tim. 6.
*depoſitum cuſtodi.* Imo S. Auguſtinus pro S. Aug. de util. cred.
ſigno hæretici habet; *ſiquis temporalis commodi, aut gloriæ gratia novas opiniones vel gignit, vel ſequitur.* Et Sanctus S. Ber. Ep. 171.
Bernardus ait: *Novitas Mater temeritatis,*



*tis, ſoror ſuperſtitionis, filia levitatis.* D. 7. 18.

Ex S. Antonio quærebant Philoſophi, qui poſſibile eſſet Chriſtum eſſe Deum, cum tamen a Judæis fuiſſet crucifixus? S. Antonius interrogabat, unde ſcirent fuiſſe crucifixum? repoſuerunt illi, ex Evangelio. Sed nunquid, ſubinſerebat Antonius, ex Evangelio etiam legiſtis eum ſurrexiſſe a mortuis, quod prorſus Divinum eſt? O miſeros vos, qui tantum oculos intenditis in id, quod vos excæcat, non æque in illud quod illuminat. Idem exprobrari poteſt hæreticis; illi ſolum in eos Scripturæ textus reſpiciunt, qui videntur eſſe in rem eorum: cæteros non attendunt. Sanch. 4. par. c. 3. f. 226.

123. *Graviter punientur, quia veritati agnitæ reſiſtunt.*

*Ira Dei de cælo . . . qui veritatem in injuſtitia detinent*: id eſt, ait Cajetanus: Qui occludunt veritatem notam in intellectu, ne ſcilicet exeat ad effectus, & opera conformia veritati notæ: ſuper hos *ira Dei de cælo*: ira Dei de terra eſt, quando Deus tantum in hac terra temporaliter punit: ſed ira de cœlo eſt durior ultio futuri judicii, ait Chryſoſt. S. punct. 103. f. 306.

Hi ſunt, qui velant faciem Chriſti, quia veritati reſiſtunt, ait Cardinalis Hugo. S. punct. 12. f. 584.

Volumen illud volans a Propheta vi-
Zach. 5. ſum Scriptura Sacra erat, & tamen vocabatur, *maledictio.* Cur? S. Greg. ait:
S. Greg. l. 5. Mor. c. 8. *Quia hæc ipſa ſacra eloquia ad æternam damnationem ſunt eis, qui illa vel ſcire nolunt, vel certe ſciendo contemnunt.* A. 1. lect. 1. n. 27.

In oppido ſubalpinæ Regionis, Monte Regali Deiparæ imago prodigiis claruit. Miſſus a quodam Helvetiorum pago eſt aliquis, ut videret, an vera illa eſſent. Ille rediens affirmavit eſſe veriſſima, & factus eſt Catholicus. Contra hæc aſſerta ſe oppoſuit hæreticæ impietatis miniſter, ſuggeſtum conſcendit, inquiens hæc eſſe commenta ad emungendas ſimplicium crumenas. Addidit, ſi mentiretur, velle ſe a dæmone abripi &c. Et ecce! continuo, cunctis cernentibus abreptus eſt. J. 153.

Nadab & Abiu igne interfecti ſunt; quia alienum ignem attulerunt. Alienus ignis ſunt falſa dogmata, quæ non e cælo venerunt. C. Lev. 10. v. 1.

124. *Inſaniunt, dum ſuos hæreſiarchas pro Divinis Reformatoribus habent?*

Totus mundus ridet inſaniam Gentilium, qui homines ſceleratiſſimos pro Diis habuerunt, uti Jovem, Martem, Junonem, Venerem, &c. Vide Titul. *Idololatria.* A. 1. lect. 4. n. 9.

Simon Magus erat impudicus, habebat feminam nomine Helenam, quam dixit eſse Matrem Angelorum & hominum, erat nugax fabulator, ſparſit ridicula commenta in vulgus, & tamen pro Deo habebatur; Romani cives poſuerunt illi Statuam cum Inſcriptione: *Simoni Deo ſancto, &c.* Ita hodiedum deliratur, &c. D. 2. 68.

Donatus Epiſc. Carthaginenſis nullum Optatus Milevit.
hominum paſsus eſt ſibi comparari, ſed lib. 3.
a ſubditis voluit pro Deo adorari, qui etiam non per Deum, ſed per Donatum jurabant, & loco Chriſtianorum ſe Donatiſtas vocabant.

Dicunt ſe Reformatores Eccleſiæ, & nullum prorſus ſignum afferunt ſuæ Miſſionis aut vocationis! Moyſes a Deo miſsus ad Pharaonem in probationem ſuæ miſſionis fecit ſtupenda ſigna. C. Ex. 3. & ſeq.

Quomodo æſtimare poſsunt, quos ultio Divina horribili morte deteſtabiles fecit? Simon Magus volitare volens a S. Petro ex aere dejectus cervicem fregit. Manes a Rege Perſarum excoriatus eſt. Montanus cum ſuis propheteſſis laqueo ſe præfocavit. Donatiſtæ Eucharistiam canibus projicientes ab illis diſcerpti ſunt. Leo Armenus in ipſa Eccleſia necatus: Valens Arrianus a Gothis victus, fugiens in caſa ruſtica concrematus eſt. Neſtorii linguam blaſphemam vermes exederunt. Eutichian. fulmine ictus interiit. Carolſtadius a dæmone abreptus, Calvinus a vermibus conſumptus eſt, &c. C. 2. Petri 2. v. 1.

125. *Sunt obſtinatiſſimi in ſuis erroribus.*

Hæreticorum Patriarchæ fuerunt Phariſæi, qui quotidie quidem viderunt miracula Chriſti, non tamen crediderunt,
ita eos nominat Tertullianus. Sicut er- Tertull. lib. de præſcrip.
go Chriſtus Phariſæis exprobravit: *Vos ex Patre diabolo eſtis*, ita idem exprobrari poteſt hæreticis. A. 1. lect. 5. n. 4.

Petrus Abailardus a S. Bernardo monitus, omnes antiquos aliter ſenſiſse, reſpondit: Quidquid ſenſerint, non vero ego ſic ſentire volo. Unde excande-

S. Ber. Ep. 190. adv. Innocent. II. ſcens Bernard. illi exprobravit: *Quid ergo tu? quid melius affers? quid ſubtilius invenis? quid ſecreti tibi revelatum jactas, quod tot præterierit Sanctos, effugerit ſapientes?... qui loquitur mendacium, ſua loquitur, tibi proinde ſint, quæ tua ſunt, ego Prophetas, & Apoſtolos audio, ego obedio Evangelio, &c.* A. 1. lect. 5. n. 6.

Obſtinatiſſimus erat Lutherus, ait ipſe: *Si clamitent Papiſtæ, Eccleſia Eccleſia, Patres Patres, dixi, quia hominum dicta, aut facta in tam magnis cauſis nihil curamus.* Et alibi. *Profiteor, me horum nihil auditurum.* A. 1. lect. 5. n. 6.

S. Paulus Patroclum Neronis famulum a mortuis excitavit, qui & Chriſtum cæli, terræque Dominum prædicavit, & tamen Nero minime converſus fuit, ſed Patroclo alapam in faciem dedit, S. Paulum ad mortem condemnavit. Ita, &c. Sanch. 6. par. c. 9. f. 820.

Miraculis omnibus fidem negant, ſimiles gentilibus, qui prodigioſam maris rubri diviſionem reciprocationi naturali tribuerunt. C. Ex. 14. v. 22.

Milites ſedentes ſub cruce Chriſti ſervabant eum: item alias cuſtodierunt ſepulcrum. Ita ſunt ſolertiores contra ſanctam fidem, quam fideles pro fide. Koſterus de Paſſ. Dom. Med. 36. fin.

Ariani vident, quod S. Albanus decuſſum caput de terra tollat, & ad locum ſepulturæ ferat, nec tamen convertuntur. *N. 21. Jun.*

S. Victor Martyr Regem Maurorum a lepra mirabiliter ſanavit. Sed turpiſſima ingratitudine ab illo ſuffocari juſſus eſt. *N. 26. Aug.*

Sancti duo fratres Euvaldi S. VVilibrordum in converſione animarum adjutori in Saxoniam venerunt, ibi in mapali ruſtico pernoctantes, ad Præfectum loci deduci rogarunt. Ruſticus metuens, ne & Præfectum, & locum totum ad Chriſtianam legem converterent, noctu utrumque obtruncavit. *N. 3. Oct.*

S. Livinus Archiepiſc. Scotiæ idololatras prædicando, & miracula operando convertere laborans in carcerem trahitur. Lingua illi eruitur, & canibus devoranda objicitur. Nihilominus Sanctus loqui perſexit, eo miraculo nullo modo commoti gentiles illum trucidarunt. *Leucb. 12. Nov.*

*126. Sunt impoſtores, & deceptores.*

Mahometes ex occaſione morbi caduci, quo laborabat, ſpargebat hos paroxiſmos provenire ex colloquio cum Angelo Gabriele. Moriturus dixit, ſe tertia die ab hoc Angelo reſuſcitatum iri: ideo cuſtodes tribus diebus cingebant ejus ſepulcrum: cum autem Angeli non comparuiſſent, abierunt illi, & ecce cadaver jam fæculentum magna ex parte a canibus devoratum eſt; unde mos adhuc in Turcia, quod ſingulis annis canes interficiantur, &c. D. 2. 89.

In urbe Peruana occidentalis Indiæ erat Theologus, apparitionibus alicujus feminæ dementatus, qui ſe jactabat miracula facere, Angelis, & Deo colloqui: Dicebat, Chriſtum redemiſſe mundum quoad ſufficientiam, ſe autem redempturum quoad efficaciam, & quæ ejuſmodi ſunt ridicula. A ſacra inquiſitione ad rogum damnatus, ſperabat Inquiſitores fulmine perimendos, ſed ipſe flammis interiit. D. 2. 99.

Quidam nomine Pſaphon affectabat Divinitatem: Quid egit? in ea regione multæ erant aves, quæ ad pronunciandas quaſdam voces facile poterant erudiri. igitur capit ejuſmodi aves, eaſque docuit has voces: *Magnus Deus Pſaphon.* Cum bene apprehenderunt, liberas iterum dimiſit: aves in ſilvis & campis repetierunt has voces, quibus effectum eſt, ut ille impoſtor pro Deo haberetur. Sic etiam faciunt Hæreticorum anteſignani: quid non fingunt, ut pro Divinis habeantur? D. 3. 12.

Calvinus pauperculum pretio ſubornat, ut ſe mortuum ſimularet, quem dein Calvinus a mortuis ſuſcitaturus revera mortuum invenit, & ab uxore impoſturæ accuſatur. Similiter mendicus cæcum ſe ſimulans, dum a Cirola Ariano Epiſc. illuminari deberet, revera exoculatur. D. 5. 8.

Joannes quidam Sartor Lugduni Batavorum Anabaptiſtarum anteſignanum, & Regem ſe facit, pro Divino Propheta vult haberi, a populis adorari: in publicum regali pompa prodiens ex una parte Biblia, ex altera gladium ſibi præferri ſinit: Apoſtolos viginti octo emittit, qui omnes a populo obtruncati, & ipſe demum ab Epiſc. Monaſterienſi captus, & ſupplicio affectus eſt. D. 5. 45.

Sicut Magi in Ægypto æmulati ſunt miracula Moyſis: ita iſti per impoſturas ſatagunt decipere plebem. D. 10. 14.

Conſtantinus ad Chriſtianam legem ſe convertit, Helena maluiſſet eum fieri Judæum, qualis ipſa erat: venit itaque Romam cum Rabino ſuo Zambri, ut is cum S. Silveſtro diſputaret. Rabinus jubet



ſibi taurum adduci dicens ſe velle facere miraculum, tauro arcanum verbum in aurem inſuſurrat, & iſte mortuus eſt. Plaudentibus Judæis reponit S. Silveſter, non conſtaret, utrum nomine Dei aut diaboli ſtraverit taurum, ageret, nunc mortuum excitaret, ſi vellet ſibi fidem haberi. Id cum efficere non poſſet Judæus, effecit S. Silveſter, omneſque præſentes convertit. Hæc ſunt miracula hæreticorum: ex vivis poſſunt mortuos facere. Sanch. 4. par. c. 3. f. 223.

Antiqui Legiſlatores ſe de cælo ſuas leges accepiſſe finxerunt, ut Zeleucus, Zoroaſter, Minos, Lycurgus, Numa Pompil. Pythagora., Machomet., & alii. Sic fingunt hæreſiarchæ. C. Ex. 19. v. 9.

Hæreſiarchæ comparantur vulpibus: uti ſola pellis vulpis in pretio, caro autem edulis non eſt; ita illi ſpecie externa hypocritæ ſunt, interiora autem plena dolo & veneno. Exterius vulpes, interius leones ſunt, &c. C. 2. Pet. 2. v. 4.

Sicut Magi Pharaonis Jannes & Mambres fecerunt ficta miracula; ita faciunt hæreſiarchæ ope dæmonis 1. per deceptionem & cæcationem oculorum. 2. Per motum localem. 3. Per applicationem paſſivorum ad activa &c. C. Ex. 7. v. 11.

*127. Sunt Hypocritæ & fraudulenti perſecutores veritatis.*

Luc. 11. Chriſtus Dominus exprobrat Phariſæis, quod Prophetarum ſepulcra ædificarent. Quid ergo mali eſt ædificare ſepulcra Sanctorum? nempe juxta expoſitionem Cardinalis Toleti, id Phariſæi tantum faciebant, ut nomen pietatis, ac ſanctitatis ſibi apud populum conciliarent, & dein cum Chriſtum occiderent, recte feciſſe crederentur. Ita hæretici externi quamdam ſpeciem auctoritatis affectant, ut cum dein fideles perſequuntur, putentur recte agere &c. D. 8. 98.

Jeroboam Religione tanquam pallio uſus eſt ad ſtabiliendum ſibi regnum, ideo vitulos aureos ſtatuit, ut nemo ſubditorum aſcenderet in Jeruſalem ad hoſtes ſuos. Numa Pompilius fingit ſe in ferendis legibus inſtrui a Dea Egeria, idem finxit Lycurgus de Apolline, & Minos de Jove, & Sertorius de Diana, & Caligula de Caſtore ac Polluce, &c. Idem faciunt hæretici, volunt perſuadere doctrinas ſuas cælitus eſſe hauſtas. D. 10. 96. Et D. 11. 11.

Sacerdos quidam, Nicolaus nomine, Romæ ſpe concupiti honoris excidens in orientem abit, ibi cum Mahomete amicitiam contrahens promittit, quod illum Saracenorum Regem facere vellet. Id aſtu egit: columbam aſſuefecit, ut ex auribus Mahometis cibum caperet. Dein populo perſuaſit, ut eum in Regem deligerent, quem Spiritus Sanctus in forma columbæ delapſus monſtraret. Aſſentientibus omnibus, dato fraudis ſigno columba emiſſa, pro veteri conſuetudine humeris Mahometis inſidens, auri roſtrum admovet. Quo viſo Saraceni Mahometem Regem pronuntiarunt. Bibl. Lohn. v. Ambitio §. 7. n. 19.

*128. Sunt animarum latrones.*

Romanorum olim crudeles erant deliciæ in ſpectandis gladiatorum lanienis; Julius Cæſar trecentos, Gordianus ſingulis menſibus trecentos, interdum quingentos, Trajanus decies millenos in arenam gladiatores produxit, qui cum feris, aut inter ſe digladiari, & mutuis vulneribus ſe conficere debebant. Tantumque iſte abuſus excrevit, ut vel inter convivia cruenta ſpectacula admitterent, quibus nonnunquam convivarum veſtes & menſæ ſanguine conſperſæ ſunt. Quod peſſimum erat, hanc crudelem lanienam ſummis in deliciis habebant, cum riſu excipiebant &c. O ſi rei veritatem perpendamus, crudeliores longe ſunt hæretici, præſertim eorum anteſignani, qui non corpora, ſed animas interficiunt, & earum æternam perniciem cum riſu excipiunt, &c. D. 9. 6.

Sunt lupi rapaces, juxta illud: *Mitto vos ſicut oves inter lupos.* Lupi beſtiæ ſunt, Luc. 10.
quæ inſidiantur ovilibus, habitacula domorum intrare non audent, ſomnum canum, abſentiam ac deſidiam paſtoris explorant, ovium guttur invadunt, ut cito ſtrangulent. Ita comparati ſunt hæretici, ait S. Ambr. Veſtitum ovis habent, facta prædonis: foris oves, intus lupi ſunt S. Ambr. in c. 10. Luc.
&c. C. in Act. Apoſt. c. 20. v. 29.

Haud diſſimili fine comparantur canibus 1. quia canes revertuntur ad vomitum. 2. Quia ſunt impudentes, & in publico commiſcentur. 3. Quia improbe latrant, & ſic hæretici veræ fidei oblatrant, & orthodoxos inſectantur. 4. Quia canes ſunt, animal legaliter immundum. 5. Quia hæretici pomparum ferculis procedunt in publicum, ut caninam exerceant facundiam. 6. Quia canes mendicis ſunt infeſti. 7. Quia ſunt ad vindictam proni, & ſtolide jactum lapidem mordent &c. C. 2. Petri 2. v. 22.

### 129. *Docent ridiculas nugas, & blaſphemias.*

Simon Magus & Arrius docent, quod Deus creaverit Filium, Filius Spiritum Sanctum, Spiritus S. Angelos, Angeli mundum. Manichæi & Priſcillianiſtæ ſtatuerunt duo principia rerum, ſed duos Deos, unum bonum conditorem corporum, &c. C. Gen. 1. v. 1.

Calvinus docet, quod Deus poſitive induraverit cor Pharaonis, ut non dimittat populum. Quod falſum & blaſphemum eſt: Nam 1. Deus præcepit decies Pharaoni, ut dimittat populum: ergo non potuit eum indurare ut non dimittat. 2. Reluctantem graviter punivit: ſed Deus *non eſt auctor eorum, quorum eſt ultor*. 3. Pharao ipſe ſibi culpam, non Deo tribuit: Peccavi in Dominum &c. C. Exod. 7. v. 3.

S. Fulg. l. 1. ad Moninum. c. 3.

Servetus Calvini Diſcipulus docet columnam, quæ Hebræos præibat, fuiſſe increatam, quaſi fuiſſet ipſa Chriſti Deitas: hanc Deitatem deſcribit quaſi corpoream, eamque tribus perſonis SS. Trinitatis, quam negat, ſubſtituit, vocatque Filium figurativum, qui poſtea factus ſit caro, non quod carnem induerit, ſed quia tanquam homo apparuit, ex tribus elementis increatis & ſemine Davidis conflatus. Quot hic hæreſum monſtra? C. N. 9. v. 15.

Bene Tertullianus ait, *Index doctrinæ diſciplina eſt!* *Negant Deum eſſe timendum, itaque libera ſunt illis omnia.* Lutherus de Caroliſtadio diſcipulo ſuo teſtatur, quod fuerit adeo impius, ut Deum nec in cælis nec in terris crediderit. Melancthon & Calvinus Deum faciunt auctorem peccati. Bene Card. Hoſius, ſcopum & centrum hæreſis vocat Atheiſmum. C. 2. Petri 2. v. 10.

Tertul. l. de Præſcrip. c. 41.

### 130. *Corrumpunt Scripturas ad ſuum ſenſum.*

Cum Iſaac in Gerara valde diteſceret, Geraritæ ex invidia obſtruxerunt ejus puteos, ut ſic tam familiæ, quam jumentis potum ſubducerent, & eum migrare cogerent. Ita hæretici fluenta Sacræ Scripturæ obſtruunt, &c. C. Gen. c. 26. v. 15.

Cum in Ægypto aquæ omnes converſæ ſunt in ſanguinem, ex eodem puteo hauriebat Hebræus aquam, & Ægyptius ſanguinem. Ita fidelis ex Scriptura capit medicinam, & hæreticus venenum. C. Ex. 7. verſ. 24.

Ideo illorum Scripturæ nullam habent authoritatem: Deus expreſſe prohibuit Hebræis, ut carnem, quæ a beſtiis fuit prægustata, non comederent. Quid eſt hoc? tropologice, vult dicere, ut fidelis homo Scripturam aut Doctrinam, ab animali homine corruptam, non accepter, aut imitetur. C. Ex. 22. v. 31.

Tertullianus ait: *Tantum veritati obſtrepit adulter ſenſus, quantum corruptor ſtylus.* Et S. Auguſt. *Natæ ſunt hæreſes, dum Scripturæ bonæ intelliguntur non bene, & quod in eis non bene intelligitur, etiam temere & audacter aſſeritur.* Sic Epiſtolas S. Pauli hodiedum hæretici pro ſuis hæreſibus allegant! Lutherus auſus eſt depravare illa verba Pauli, *Arbitramur juſtificari hominem per fidem*, addendo *ſolam*. Calvinus clamat, pro ſua prædeſtinatione, & reprobatione, pro ſervo arbitrio ſtare Paulum, & Auguſtinum, &c. C. 2. Petri 3. v. 16.

Tertul. de Præſcrip. c. 17. S. Aug. tr. 18. in Joann.

### 131. *Convincuntur veritate.*

Ranæ tota nocte coaxant, cum autem fax ad ripam paludis conſtituitur, tacent. Ita hæretici ſemper clamant & diſputant, tandem veritate convicti obmuteſcunt. Ubi ſunt jam illi primitivæ Eccleſiæ turbatores? evanuerunt. C. Ex. 8. verſ. 6.

Hæreticus Sacerdotem ſimplicem & indoctum ad prandium invitat, & ad diſputandum provocat: Ille tergiverſatus diu, cum identidem urgeretur, poſt prandium, cruce ſe ſignans auſteris verbis Prædicantem alloquitur: *Mando tibi maligne ſpiritus, ut obmuteſcas!* Et ecce! præco obmutuit! juſſus a Sacerdote loqui, nec verbulum proferre potuit, & pudore perfuſus ſe ſe proripuit. T. n. 77.

Moderni hæretici ipſimet rident veteres, v. g. Gnoſticos, qui docebant frequentandam eſſe fornicationem, conceptum vero impediendum per abortus, fœtumque enecandum. Item Carpocratianos, qui docebant, quemlibet debere ante mortem committere omnia ſcelera, alias toties ad vitam revocandum eſſe, donec id perfecerit. Hæc, inquam, rident moderni, & tamen Lutherus & Calvinus non minus impia docuit: v. g. Deum eſſe auctorem peccati: Chriſtum in cruce perpeſſum eſſe pœnas inferni, ideoque deſperaſſe! Non dari liberum arbitrium, & quemlibet ex fato ſalvari, aut damnari: ſi uxor nolit, ad rem uxoriam vocandam eſſe ancillam. Omnia opera bona eſſe



eſſe peccata! quemlibet fidelem certum eſſe de ſua fide, & ſalute, &c. Et tamen has nugas plerique hodie ipſi damnant. C. in Ep. Jac. c. 3. v. 17.

### 132. *Sibi ipſis fidei normam confingunt.*

Cum Pilatus populo dixit: *Regem veſtrum crucifigam?* Clamarunt Judæi: Non habemus Regem niſi Cæſarem! nolumus hunc regnare ſuper nos, &c. En! nolunt Meſſiam a Deo donatum, quaſi vero ſit ipſorum, Meſſiam ſibi ſuo arbitratu eligere, & non potius, quem Deus dedit ſuſcipere. Eadem inſania eſt eorum, qui ſibi religionem excogitant pro ſua voluntate, vel Dei cultum ex Divinis litteris perperam intellectis aut detortis eligunt. Dei eſt Religionem dare, & modum ſe colendi præſcribere, non hominis. Coſterus, de Paſſ. Dom. Med. 29 §. ult.

Judæi Chriſto in cruce inſultarunt, ſi Dei Filius es, deſcende de cruce, & credemus tibi, adeoque voluerunt Chriſto leges præſcribere, quomodo ſuam Divinitatem manifeſtare deberet. Sic faciunt Hæretici, volunt Deo leges præſcribere, quos articulos ad credendum, & quæ opera facienda præſcribere deberet, nolentes, niſi in hunc & hunc modum credere & obedire.

*Eum, qui emit eos, negant;* hæretici enim negant Chriſti Divinitatem, vel humanitatem, vel animam, vel voluntatem, vel redemptionem, vel gratiam: aut Chriſto indigna, & blaſphema adſcribunt, uti ignorantiam, deſperationem, damnationem, uti fecit Calvinus: qui hæc aſſerit, negat Chriſtum Redemptorem, negat Fidem, Sacramenta, & Eccleſiam. Sic omnis hæreſis tandem degenerat in Atheiſmum, uti jam videmus hæreticos docere, quemlibet, etiam Turcam, & Paganum in ſua fide poſſe ſalvari, ac proinde non eſſe neceſſarium Chriſtum, & Chriſtianiſmum. C. 2. Pet. 2. v. 1.

2. Pet. 2. v. 1.

### 133. *Sunt fugiendi.*

Cum Julianus Apoſtata ingrederetur templum Fortunæ, Valentinianus Chriſtianus anteibat Cæſarem, cumque in ingreſſu templi aqua luſtrica, quam ſacrificuli ſuperſtitioſe habebant, fuiſſet conſperſus, conſpergenti alapam inflixit. Fuit quidem a Juliano propterea in exilium pulſus, ſed poſtea factus Imperat. Euſebius Epiſc. Vercellenſis ne quidem cibos ab Arrianis ſibi ſubmiſſos in ſuprema inedia guſtare volebat. Marcioni hæretico, ubi ab Eccleſiæ communitate excluſus eſt, in ſignum odii etiam ducenti ſeſtercii reſtituti ſunt, quos antea Eccleſiæ donaverat. D. 11. 37.

S. Joannes Apoſtolus nolebat ingredi domum, in qua verſabatur Cerinthus hæreticus. S. Polycarpus cum obvium haberet Marcionem hæreticum, & ab eo quæreretur, Noſti me? Repoſuit, novi primogenitum diaboli. S. Petrus Alexandrinus monuit ſuos, Arrius Deo demortuus eſt, nolite cum eo communitatem habere. Abbas Cyriacus videt in ſomnio quod Beatiſſima Virgo averſetur ſuam cellam propter librum Neſtorii, quem intus habebat. Sanchez 4. part. cap. 3. fol. 202.

Sub gravi delicto fugiendi ſunt 1. cum adeſt periculum perverſionis. 2. Cum videris eorum hæreſi favere eamque tacite profiteri. 3. Cum alii ſcandalizantur, & putent te hæreſis ac hæreticorum hoſpitem, & patronum eſſe. Porro S. Joannes ingreſſus balneum, & videns ibi Cerinthum ex eo ſe proripuit, inquiens: Fugiamus, ne balneum, in quo eſt adverſarius veritatis, corruat. Sic S. Polycarpus Joannis Apoſt. diſcipulus ait: Abſtineamus a ſcandalis, & a falſis fratribus, qui in vanum portant nomen Domini. S. Ignatius Martyr æque S. Joannis Diſcipulus: Fugite impias, & Deum abnegantes hæreſes! S. Coſmus Abbas ſepultus in eodem ſepulcro, in quo humatus erat hæreticus Epiſcopus, ſingulis noctibus auditus eſt in hæc verba: Noli me tangere hæretice! Ne appropinques hoſtis Eccleſiæ! Euſebius Vercellenſis captus ab Arrianis maluit fame mori, quam ab Arrianis cibum ſumere. Cives Samoſateni ita execrati ſunt Eunomium hæreticum, ut pueri ludentes pila, cum illa caſu mulam Eunomii tetigiſſet, in luſu pergere noluerint, niſi illam, quaſi hoc tactu contaminatam, per flammas expiaſſent. S. Paphnutius Maximum Epiſc. Hieroſolymitanum ex ſimplicitate inter hæreticos verſantem manu educens, non patiar, inquit, Epiſcopum adeo venerandum in cathedra peſtilentiæ ſedere. S. Martinus communicans cum Epiſcopis Ithacianæ Sectæ monitus fuit ab Angelo, & licet pœniteret, ſenſit tamen deinceps detrimentum virtutis, ut tot miracula non patraret, quot antea. Multo magis cavendi ſunt hæreticor. libri, quia peſtilentes ſunt, & ſub ſpecie elegantiæ venenum ſpargunt. C. in Ep. 2. Joan. v. 10.

### 134. *Veram fidem mendaciis denigrant.*

Indicibile eſt quantis calumniis, & falſitatibus hæretici fidelem populum proſcindant: id quod ipſum antiquitus fecere Gentiles contra Judæos: Cornel. Tacitus ſcripſit falſo contra Hebræos, quod aſinum adorent, quod ortum trahant a monte Ida, & ideo Judæi dicantur, quaſi Idæi, quod ex Ægypto expulſi ſint propter morbum glandularem, & ideo carnibus ſuillis non veſcantur in memoriam, quod hunc morbum a ſuibus contraxerint, &c. Nugæ hæ ſunt mendaces, & tamen hujuſmodi nugas etiam hæretici contra Catholicos confingunt. D. 11. 24.

*Cor. Tac. l. 5. hiſt. in prin.*

Lutherus enormia prorſus mendacia contra Eccleſiam Catholicam evomit. Dicit 1. Papatum abominabilem eſſe Deo, quia Papa nec verbulum prædicat de Chriſto. 2. Papiſtæ Redemptorem ex oculis removent, orant, vivunt ſine hoc mediatore ſicut Turcæ & Judæi. 3. Papiſtæ docent, illos æternum damnari, qui in Chriſtum credunt. 4. Papiſtæ firmiter credunt, Chriſtum inutiliter mortuum eſſe. 5. In Papatu omnes Theologi, & Academiæ neſcierunt peccatum eſſe, in Chriſtum non credere. 6. Religioſi, & præcipue Carthuſiani tenent, quod per Ordinis ſui Regulas, non per Chriſti merita ſalventur. 7. In tota Italia vix tres ſunt Doctorum, qui credunt reſurrectionem mortuorum. 8. In Papatu docetur, qui ſalvari cupit, debet Chriſto, & pacto Baptiſmali renuntiare, Evangelium, & remiſſionem peccatorum negare, Deum mendacii arguere, ſanguinem Chriſti pedibus calcare, Spiritum Sanctum conviciari, ut ſic per propria merita ſalvari &c. An unquam mendaciorem ſicophantam mundus habuit? Et ego credam, hunc deceptorem a Deo electum eſſe, ut eſſet ſuæ Eccleſiæ Reformator? Stulteſcit quiſquis hoc credit, &c.

*Tom. 2. Witt. fol. 357. — Tom. 1. Witt. fol. 212. Ib. f. 84. a. — Ib. fol. 305. b. — Tom. 1. Witt. fol. 31. b. — Ib. f. 32. b.*

### 135. *Non convertuntur ob bona mere terrena.*

*2. Cor. 4.* *Deus hujus ſæculi excæcavit mentes infidelium, ut non fulgeat illuminatio Evangelii.* Quis eſt Deus hujus ſæculi? eſt illa bonorum terrenorum trias, pecunia, voluptas, honor. Hi excæcant infideles, ut non videant lucem veritatis: Quomodo excæcant? eorum oculis inſpergendo, quod facit ad excæcationem, avaris pulverem, luxurioſis lutum, ſuperbis fumum. Quotquot infidelium repugnant Doctrinæ Evangelicæ, pro hoc triplici idolo repugnant &c. Segn. Manna 29. Maji 1.

Noctua ut immunda volucris ab eſu & altari excluditur, ubi S. Ambroſius: Nolo te imitatorem eſſe noctuæ .... quæ grandibus oculis tenebrarum caligines diligit, ſplendorem ſolis horreſcit. Illud animal hæreticorum figura eſt, atque gentilium, qui tenebras amplectuntur diaboli, lucem Salvatoris horreſcunt, &c. C. Lev. 11. v. 19. f. 665. D. 2.

*S. Ambr. in Malachiam Proph. in fin. To. 2.*

Communis eſt hæreticorum, curanda eſſe præſentia bona, non futura incerta; unde vel palam, vel tacite negant animæ immortalitatem, & gehennam. Hoc eſt, quod Lutherus de ſuis dixit: *Credunt ut ſues, vivunt ut ſues, moriuntur ut ſues.* C. 2. Petri 2. v. 18.

Prædicantes, ſeu Pſeudo-Paſtores Lutherani ac Calviniani Veritatem Fidei Catholicæ, ejuſque neceſſitatem ad ſalutem certo agnoſcunt, & tamen temerariis principiis, falſiſque perſuaſionibus conſcientiam ſopiunt, & in errore vivere ac mori decernunt. Quare? quia ſi converterentur ad ſanctam Fidem commodis terrenis cedere, & officia ſatis pinguia amittere deberent. Decernant Reges ac Principes, quod illos in ſuis redditibus manutenere ac protegere velint, & certe hodie adhuc milleni convertentur &c.

### 136. *Sunt Apoſtoli dæmonis.*

In morte Lutheri notatum eſt, quod omnes energumeni a malis ſpiritibus miram habuerint requiem; quia iſti Comites ibant in funere fidelis ſui ſocii. Idem contigit cum anno 1566. Amſtelodami & alibi devaſtatæ ſunt imagines Sanctorum, quia dæmones fideliter cooperati ſunt ad hanc iconomachiam. Porro in hac devaſtatione imaginum hæretici vix unquam nocuerunt imagini dæmonis. Pariſiis cum feneſtras omnes confregerunt, in quibus pictum erat extremum judicium, orbi uni pepercerunt, in quo dæmon viſebatur. Londini in templo S. Pauli imagines omnes peſſumdederunt, excepta illa dæmonis, quæ ſub pedibus S. Michaelis jacuerat. Antoſii nullam iconem intactam reliquerunt; niſi dæmonis penes ſiniſtrum latronem. Leodii cum Monaſterium Franciſcanorum devaſtarunt, imaginem dæmonis in pertica præferri juſſerant, ut ex vexillo pateret, cujus partibus pugnarent &c. D. 7. 95.

Lutherus aperte fatetur ſe nocturnis colloquiis a dæmone fuiſſe perſuaſum, ut Miſſam abrogaret. Zvvinglius ait, ſe nocturno tempore a ſpiritu (neſcio, ait, albus an ater fuerit) fuiſſe argumentis inſtructum, quæ contra adverſarium ſuæ doctrinæ producere deberet. D. 11. 11.



S. Apoſtoli Chriſti Domini in omnem terram diffuſi, eorumque ſucceſſores, ſanctitate & doctrina celeberrimi, o quantum laborarunt & ſudarunt, ac denique vitam & ſanguinem profuderunt, pro fide, pro virtute, pro Eccleſia: Iſti autem dæmonis emiſſarii laborant, & ſudant, ut Eccleſiam deſtruant, quam Chriſtus & Apoſtoli ſuo ſanguine ædificarunt &c.

### 137. *Communiter pervertunt rudem plebem, non perſuadent doctos.*

*Carolus Sigon. l. 2. de Reg. Ital.*

Cum Macario Antiocheno Patriarchæ & Hæretico Pallium Epiſcopale in publico Concilio exueretur, magna copia nigricantium aranearum comparuit. Hæretici ergo araneæ ſunt, eviſcerant ſe, intellectum ſuum exhauriunt, ut texturam faciant, quid autem capiunt? audiamus S. Hieron. *Super perſona hæreticorum ſcriptum eſt in Iſaia, telam araneæ texunt, quæ parva & levia poteſt capere animalia ut muſcas, culices, & cætera hujuſmodi; a fortioribus autem rumpitur inſtar levium in Eccleſia ſimpliciumque, qui eorum decipiuntur erroribus, cum viros in veritate robuſtos non valeant obtinere.* A. 1. lect. 5. num. 5.

*S. Hier. epiſt. 139.*

Hinc non habent, quod de multitudine ſuorum ſequacium glorientur: Theodora meretrix inſultavit Socrati: Tu neminem ex meis poteris a me abalienare, ego vero tuos omnes poſſem ad me trahere. Cui Socrates: Non mirum hoc: quia tu ad declivem tramitem rapis, ego vero ad ardua virtutis ſurſum traho. Idem hoc reſpondit Thomas Morus Luthero jactanti ſuorum aſſeclarum copiam. C. Exod. 27. v. 8. fol. 535. col. 1.

Anno 1730. & ſequenti, Saliſburgenſes ruſtici ab hæreticis furtive in illos montes illapſis depravati, excuſſa ſanctæ Fidei Religione, in Boruſſiam, & regiones illas Septentrionales magno numero emigrarunt: Nemo ullus ex Nobilibus ex Litteratis, ex Clericis, aut Religioſis erat inter illos. Sed plebs erat rudiſſima, in qua unus alterum, ſicut grues ad tranſmarina volitantes, trahebant &c. Quin imo a tempore deformationis Lutheranæ nemo ullus Principum aut Litteratorum ad Sectam hanc noviter cuſam tranſit. Multi autem decepti ad ſanctam Fidem Catholicam redierunt &c.

### 138. *Infelici morte pereunt eorum antesignani.*

Ebion Hæreticus cum in thermis ſe lavaret, ſupervenit S. Joannes Apoſtolus, & audiens Ebionem ibi morari, dixit, abeamus fratres, ne una cum hoc impio a collapſura domo obruamur. Abiit S. Apoſtolus, & Hæreticus ruina obtritus eſt. Montanus & Maximilla, qui jactitabant ſe, non Apoſtolos recepiſſe Spiritum Sanctum, rabioſi facti ſeipſos interfecerunt. Arius cum Conſtantinopoli plateas obibat, ſubitis ventris doloribus occupatus inteſtina ejecit. Neſtorius in exilium pulſus a Deo ita punitus eſt, ut computreſcente, & vermibus corroſa lingua miſere perierit. Lutherus ſumpta largiter cæna, & facetiis hilariter exacta in loco immundo interiit, imo dicitur, quod ſe laqueo ſuſpenderit. Oecolampadius repentina morte ſuffocatus eſt vivente adhuc Luthero, qui audita illius nece dixit, *ſibi eſſe explanatiſſimum Oecolampadium igneis diaboli telis fuiſſe confoſſum.* Oſiander obmutuit, & inſtar beſtiæ terribilem mortem obiit. De Carolſtadio fatentur ipſi Lutherani in Hiſtoria Auguſtanæ Confeſſionis: *Diffiteri nemo poteſt Carolſtadium tandem ab ipſo Satana ſuffocatum interiiſſe.* De Bucero teſtatur Bozius ad ejus agonem terribilem dæmonem comparuiſſe, & agonizantem e lecto raptum, ac terræ illiſum obtruncaſſe. Calvinus poſt doloriferum quadriennii morbum pediculis & vermibus corroſus periit. Zvvinglius in pugna cæſus, & poſtea agnitus tanquam auctor Rebellionis, & patriæ proditor rogo concrematus fuit &c. D. 2. 45.

*Erit manus mea ſuper falſos Prophetas.* *Ezech. 13.* Sic Elias quadringentos Prophetas Baal occidit. Arius crepuit medius ut Judas: Julianus Apoſtata e cælo haſta confoſſus eſt. Joannes Huſſ combuſtus: Mahomet apoplexia peremptus: Manichæus a Rege Perſarum excoriatus &c. hoc eſt quod Iſaias dicit: *Abierunt in confuſionem fabricatores errorum.* *Iſa. 45.* C. Ezech. 13. v. 8. Ex 2. Petri 2. v. 1.

139. *Sunt*

139. *Sunt ad luxum & luxuriam proclives.*

Nicolaus Diaconus docuit libidinem carnis ad ſalutem neceſſariam eſſe. S. punct. 9. fol. 573.

In Apocalypſi vocantur hæretici locuſtæ propter ſuam mollitiem. Ideo plerumque ſuas Sectas propagarunt adminiculo mulierum. S. punct. 9. fol. 574.

S. Hieronymus oſtendit pleraſque hæreſes fuiſſe propagatas feminarum lenocinio: Simon Magus hæreſim condidit auxilio Helenæ meretricis: Nicolaus Antiochenus omnium immunditiarum conditor duxit choros femineos: Marcion Romam præmiſit mulieres ad majorem laſciviam. Montanus Comitem habuit Priſcam, & Maximillam: Arius ut plebem deciperet, antea ſororem Principis decepit. Donatus Lucillæ opibus adjutus fuit. Epidium cæcum Agape cæca duxit. Priſcilliano juncta fuit Galla. D. 5. 83. C. Ep. Jac. c. 3. v. 15.

*S. Hier. epiſt. Cteſiph. tom. 2.*

Henricus VIII. Angliæ Rex ex impuro amore erga Annam Bolenam a fide deficit, & hæreſim in regnum invehit. A. lect. 9. §. 7.

*S. Hier. in c. 3. Jerem. Item in c. 2. Oſee.* S. Hieron. ait: *Nulla hæreſis, niſi propter gulam, ventremque conſtruitur, ut ſeducat mulierculas oneratas peccatis.* Et alibi: *Difficile eſt invenire hæreticum, qui diligat caſtitatem*: Nota ſunt Sacrilegia, & libidines Calvini, Lutheri, Bezæ & aliorum. Ideo Thomas Morus objicienti, plurimos ad Lutheri Sectam tranſire, argute reſpondit: *Non plus miraculi eſt homines ad Lutherum currere, quam ſaxa ex alto ruere deorſum.* Plerique enim currunt ad gulam, & venerem, quaſi porci ad volutabrum, quam permittit, imo docet Lutherus. C. in 2. Petri c. 2. Item C. Rom. 1. v. 26.

Hæreſiarchæ ex ſuo errore & hæreſi non aliud quærunt, quam epulari & deliciari: *S. Hier. l. 1. cont. Jovin.* *Nihil aliud*, ait S. Hieron. *niſi de voluptatibus cogitantes.* Sic Gnoſtici poſt epulas extincto lumine impudentibus tenebris nefandas cupiditates involvunt. Sic Lutherus de ſuis conqueritur, quod nullius peccati ratio habeatur. C. 2. Petri 2. v. 13. Item 1. Tim. 1. v. 20. Vide Lib. 5. Tit. *Mulier illaudabilis.*

140. *Sunt obſtinati contra veritatem agnitam.*

S. Chryſoſtomus ait de Judæis: *Viderunt Hebræi mortuos ſuſcitatos, leproſos mundatos, dæmones fugatos, mare frænatum, cæcos illuminatos, & hæc omnia videntes crucifixerunt eum.* Idem de hæreticis proportionaliter dici poteſt. M. conc. 38. aſſ. 3. n. 5.

Multi de induſtria obturant aures, ne veritatem agnoſcant: Nobilis Eques Anglicus loquebatur cum femina Principe Orangica de veritate fidei Catholicæ, quam illa tacere juſſit, inquiens, ſe metuere ſcrupulos. At Eques, ut video, repoſuit, Veſtra Celſitudo vult ſine ſcrupulis ire ad infernum. A. 1. l. 1. n. 26.

Phariſæi & Sadducæi in Lege Veteri erant Hæretici, & Hæreticorum noſtrorum in omnibus fere anteſignani: Nam 1. Novas falſaſque doctrinas excogitarunt. 2. Erant inter ſe diſcordes in dogmatibus ſuis. 3. Libros Scripturæ pro libitu rejiciebant. 4. Traditiones improbabant. 5. Nil credere volebant niſi ſenſibus perceptibile. 6. Nullum Scripturæ ſenſum approbabant, niſi ſuum &c. D. 1. c. 92. & 93.

P. Martinus Aranda S. J. in regno Chilenſi Miſſionarius ab Aganamone Barbaro obtruncatur, exſciſſum ejus cor devoratur, & tamen S. Vir palo alligatus ſine corde per horæ quadrantem adhuc pro Fide Catholica perorat. Nihilominus eo miraculo barbarus non fuit converſus. Ita ſunt hæretici, etiam miraculis non flectuntur. *Nemo poteſt corrigere, quem Deus deſpexit.* R. cent. 3. mir. 35.

Clericus Landgravium Thuringiæ in infernali puteo ardentem videt, a quo rogabatur, ut filio reſtitutionem bonorum Eccleſiaſticorum perſuaderet, ſe exinde lenimen tormentorum habiturum. Fecit Clericus omnia, Ludovicus tamen filius illi non credidit &c. E. Verbo *Bona injuſta* n. 5.

Idololatria.

141. *Unde originem ſumpſerit.*

NEmrod, ſeu Belus fuit auctor idolorum, & primus Ninus juſſit patrem Belum Divinis honoribus coli. Hic ergo Belus fuit primus Jupiter, cui Semiramis uxor Nini templum magnificentiſſimum ſtruxit, opus mirandum, fuit enim altitudine unius ſtadii. C. Geneſ. c. 10. v. 8.

Antiqui mortuorum ſuorum corpora balſamo, melle, cera contra putredinem obliniebant, dein conſervabant, menſæ adhibebant, quæ res idololatriæ anſam dedit. D. 2. 87.

Ido-



Idololatriæ ſi non originem, ſaltem incrementum dedit mos ectyporum; quippe ejuſmodi imagines, quæ notis erant in memoriam, ignorantibus factæ ſunt in venerationem &c. D. 5. 38.

Ad idololatriam proxima eſt diſpoſitio licentia carnis & libido, quæ ſicut Salomonem ad idololatriam impulit, ita plures in fine mundi impellet. Sed Antichriſtus eam tollet, volens ſolus adorari ut Deus. C. Apoc. 9. v. 20. in fine.

Chriſtus Dominus Judæos, qui ſignum petebant, vocat generationem malam, & adulteram: ſicut enim adulterium eſt infidelitas erga hominem, ita idololatria eſt infidelitas erga Deum, & ſicut illa ex libidine ortum trahit, ita iſta. C. Matth. 12. v. 39.

Interdum originem ſumpſit ab inepta ſimplicitate: Indorum quidam cum ad amicum ficus cum litteris portare juberetur, dimidiam ficuum partem comedit in via, quod cum amico ex litteris innoteſceret, Indus in genua provolutus litteras pro Deo adoravit, quibus tanta eſſet facultas, ut arcanam, & a nemine viſam comeſtionem prodere poſſent. Cum P. Matthæus Riccius S. J. Miſſionarius apud Chinenſes tormentum bellicum ex ære fudit, illudque in littore maris exploſit, præſens populus confeſtim in genua procidens adoravit tormentum, putans tantam vim, & terribile tonitru eſſe aliquid Divinum &c.

142. *Eſt mera inſania.*

S. Cypr. alloquitur Gentiles, dicite: Quibus generoſis actibus floruerunt illi, quos pro diis habetis? inſigniora illorum facinora fuere raptus, adulteria, homicidia, fraudes: non mortuos excitarunt, non cæcos illuminarunt, ſed per ſcelera orbi innotuerunt. Melicertes, & Lycothea in mare ſe præcipitant, & fiunt maris Numina. Hercules inter crudeliſſimos dolores ex laſcivia contractos Æthnæis flammis exanimatur. Apollo propter proterviam ad greges condemnatur. Saturnus filios devoravit. Jupiter inceſtuoſus, & libidinoſus erat, Mars adulter, & crudelis, Juno zelotypa, Venus impudens, Acca, & Flora meretrices &c. A. 1. l. 4. n. 9.

Romani, utut terrarum Domini, Accæ meretrici, quæ alio nomine Laurentia vocabatur, ludos laurentiales, Floræ florales celebrarunt: quid ſceleratius ludis lupercalibus excogitari poſſet? nudi per urbem circumcurſabant &c. Ægyptii, utut litteratiſſimi, Serpentes, Crocodilos, Aves adorabant, imo & porum, cæpe, & allium in ſuis hortis. Quid ſtultius? A. 1. lect. 4. §. 4.

Idololatræ Doroſtorenſes ſingulis annis juvenem triginta dierum deliciis ſaginatum, & auro coronatum Saturno immolabant. Doluit S. Daſius hanc victimam dæmoni dari, & victima Chriſti factus, caput reſecandum pro fide dedit. N. 20. Nov.

Phœnices & Carthaginenſes ſuos filios immolabant Saturno aliiſque Deorum monſtris. Carthaginenſes ab Agathocle victi, & propterea Deos ſibi iratos eſſe arbitrantes ducentos nobilium filios diis immolarunt. Similis crudelitas modicum ante tempus viguit apud Indos, Mexicani enim quot annis 20000. hominum dæmoni immolabant. C. Lev. 18. v. 21.

Ignorantia Myſteriorum Fidei.

143. *Quam culpabilis coram Deo.*

CArdinalis Toletus, & Nierembergius deplorant, quod multi neſciant neceſſaria: & ideo, dicunt, frequentiſſime Sacramenta nulliter ſuſcipi, & ipſas etiam apoſtaſias oriri. Inter hæreticos pueri, puellæque dexterrime in ſuis articulis ſunt eruditi, de fidelibus autem deplorat S. Thomas: *Multa ſcienda neſciuntur, aut ſciendi incuria, aut ſciendi deſidia, aut verecundia inquirendi, & ejuſmodi ignorantia non habet excuſationem.* B. ſerm. 70. n. 14. *S. Th. 1. 2. q. 76. a. 2.*

Adhuc deteſtabilius eſt, ſi hæc ipſa ignorantia affectetur, ut multi faciunt, quia timent, ne emendentur. Nobilis Eques Anglicus cum femina Principe Orangica loquebatur de veritate Catholicæ Fidei, quem illa tacere juſſit, quia metueret ſcrupulos. Repoſuit eques: Nunquid Veſtra Celſitudo vult ſine ſcrupulis ire ad infernum? A. 1. l. 1. n. 26.

Anno 1374. mirabilis morbus graſſabatur, dictus tripudium S. Viti, eo qui corripiebantur juvenes & ſenes ſine intermiſſione publice ſaltitabant, fatigati in terram cadebant, & iterum ad ſaltum reſurgebant: hæc inſania longe lateque propagabatur, putatumque eſt, eſſe ſupplicium Dei propter ignorantiam in rebus fidei; quia neque ex hominibus ſacris, neque ex profanis doctis quiſquam corripiebatur &c. D. 8. 24.

Et quid mali ſequitur ex hac ignorantia? Recordare, qualis fuerit hæc Patria noſtra ante bis mille annos! fuerunt tunc

Ger-

Germani tam barbari & inculti, quam hodie ſint aliqui populi in extremis Aſiæ, aut Africæ angulis, qui præter ſpeciem nihil humani referunt. Ignorarunt Deum, adorarunt canes, feles, mures devorarunt ſe invicem, & habitarunt inter feras ſilveſtres, ipſis feris ferociores. Tandem ad humanitatem exculti ſunt per Viros Apoſtolicos, Epiſcopos, & Sacerdotes. Quod ſi hæc ignorantia recrudeſcat, ſi hæreſes & opinandi libertas, inter millenas contradictiones prævaleat, fieri poteſt, ut noſtra hæc Patria, nunc ſatis culta, ad eandem barbariem recidat, & certo recidet tempore Antichriſti, qui apoſtaſiam, & idolomaniam noviter repullulantem dein extinguet, dum ſolus volet pro Deo adorari. Luctuoſa hujus rei exempla habemus complura.

Sub Rege Hiſpanorum Rodrigo plurimi ad Saracenos defecerunt, ita ut inter quingenta millia vix quingenti nati Saraceni fuerint, cæteri omnes erant Chriſtiani Apoſtatæ. *Tradidit illos Deus in reprobum ſenſum*, quia non habuerunt Deum in notitia, ait S. Paulus. B. ſerm. 70. n. 15.

Populus Iſrael a Deo reprobatur, *quia non habuit ſcientiam*. B. ſerm. 70. n. 15.

144. *Poſt ſe trahit innumera peccata.*

Oſee 4. Oſeas ingemiſcit: *Maledictum & mendacium, & homicidium, & furtum, & adulterium inundaverunt, & ſanguis ſanguinem tetigit*, alii legunt: *& peccatum peccato unitur*. Unde tanta malorum ſeges? nempe ex hoc antecedente: *Non eſt ſcientia Dei in terra*. A. 1. l. 1. n. 26. P. Hom. Chr. p. 1. diſc. 3. n. 10.

Ignorantia triplex eſt: *Debilitatis*, quæ naturæ congenita & ex prævaricatione primorum parentum derivata eſt. *Negligentiæ*, quæ culpabilis eſt, cum homini curæ non eſt in rebus illis inſtrui, quæ ad bene credendum & bene vivendum ſpectant &c. *Malitiæ*, qua peccator voluntarie cupit eſſe cæcus &c. P. Hom. Chr. p. 2. diſc. 9. n. 2. 3. 4.

Multi non agnoſcunt finem ſuum, putant ſe ſibi tantum, non Deo natos eſſe, hinc omnes animi, corporiſque facultates in id intendunt, ut humana, & caduca congerant, opes, voluptates, honores acquirant, porcorum inſtar, qui glandes devorant, nunquam tamen in arborem oculos attollunt. Iſti tantum eos felices putant, qui plus de mundi hujus gleba conferunt, ſunt rerum æternarum incurii, dicentes: *Venite, fruamur bonis, quæ ſunt &c.* Eccl. 2. Eat jam quis & tali homunculo perſuadeat, neceſſarium eſſe, ut quis peccatum præ quovis poſſibili malo averſetur: horum ille nihil aſſequetur, quia nullius boni jactura afficitur, quam boni caduci, ſimilis Crocodilo, qui dorſo, quo cælum ſpectat, duriſſimus & fere impenetrabilis eſt, ventre autem, quo terram tangit, tam tenui cute obtegitur, ut tenuiſſimæ acus cuſpide perforari poſſit &c. P. p. 1. diſc. 5. n. 20.

## Judaiſmus.

145. *Corruptus ex nugis Thalmudicis.*

THalmud docet, Adamum ante Evam habuiſſe aliam uxorem, nomine Lilis, cum qua in ſtatu peccati per 130. annos genuit dæmones. C. Gen. 2. v. 23.

Dicunt uxorem Lot verſam eſſe in Statuam ſalis, quia pridie Angelis in cœna ſal non appoſuit. C. Gen. 19. v. 26.

Dicunt Regem Og in Baſan fuiſſe maximum gigantem, qui adventantibus Hebræis montem duarum leucarum in humeros ſuſtulerit, ut Hebræos omnes uno montis jactu obrueret. Sed illum montis mole oppreſſum ſuccubuiſſe. C. Num. 21. in fine.

Thalmudiſtæ contra Deum eas evomunt blaſphemias, ut ne ſtygiæ quidem linguæ evomere poſſent atrociores: Deo potentiam auferunt, dum affirmant, Rabbinorum aliquos eum diris devoviſſe, quod contra eos, pro æmulo ſententiam dixerit. Item, eſſe locum aliquem, ad quem identidem ſe Deus recipiat, ibique magnis planctibus defleat, quod Templum Solymæum everti, & populum electum diſpergi paſsus ſit. Sapientiam Deo adimunt, docentes, illum primas diei horas dare ſtudio legis Moſaicæ: tres autem poſtremas diei horas dare animi oblectationi, quam caperet cum prægrandi quodam piſce, Leviathan dicto, eaque de cauſa ſemel illum a verſuto quodam Rabbino deluſum eſse, qui ope dæmonis in cælum inobſervatus irrupiſset. Bonitatem Deo tollunt, dum fingunt, quod lunæ lucis aliquid per injuriam ademerit, & ſoli contulerit, eaque de cauſa, admiſſi delicti pœnitentem, omnibus Judæis in lege præcepiſse, ut luna nova ſemper certo ritu ſacrificarent &c. Enimvero nec ipſe Lucifer majora poſset contra Deum excogitare deliramenta. Segneri Incred. non excuſ. p. 2. c. 23. §. 2.





146. *In fine mundi agnoſcet veritatem.*

Agar in ſolitudine errans præ ſiti moritura erat, & poſtremo puteum vidit, quem prius mœrore turbata non viderat: ita Deus in fine mundi Judæis puteum Scripturæ, & in eo aquam vitæ, ſcilicet Chriſtum oſtendet. C. Gen. c. 22. v. 19.

Chriſtus in Ægyptum aufugit noctu, quia noctem ignorantiæ reliquit incredulis: revertitur vero de die, *quia in fine mundi Judæi fidem, tanquam Chriſtum ab Ægypto revertentem ſuſcipientes illuminabuntur*, ait Hieronymus: Brev. in Feſt. SS. Innocentum.

Eum in ſenſum dicit S. Paulus: *Si fuerit numerus filiorum Iſrael tanquam arena maris, reliquiæ ſalvæ fient*. Et Propheta Daniel: *In illo tempore ſalvabitur populus tuus omnis &c.* D. 5. 45. in fine.

Rom. 9. Ficus a Chriſto maledicta aruit quidem ramis, & foliis, non tamen ſtemmate & radice: quia ut ait S. Hieron. *in noviſſimo tempore, ſi credere voluerit, virgulta fidei repullulet*. D. 10. 55.

147. *A Deo reprobatus eſt.*

Julianus Apoſtata voluit Judæorum ſacrificia, & ritus reſuſcitare, in hunc finem permiſit eis reædificare Templum Jeroſolymitanum: verum cum operi initium datur, e fundamentis prorumpit ignis, diſſipat operarios, terræmotu proſternuntur ædificia, deſtruuntur materialia, in veſtibus apparent crucis ſigna, quæ occultari non poterant. D. 3. 21.

Angelus cum Jacobo luctatus nervum femoris ejus emarceſcere fecit: Nervus ſignificat carnalem ſenſum veteris Legis, qui per luctam Chriſti cum Judæis erat reſolvendus & luxandus; hinc claudicare cæpit Judaiſmus. C. Gen. 31. v. 42.

Hujus reprobationis initium fuit Solyma everſa per tragædiam adeo luctuoſam, ut mundus ſimilem non viderit. Urbs in tres factiones ſciſſa, quæ ſe invicem adeo conſumpſerunt, ut urbs macello ſimilis videretur, per unam portam centum & quindecim mille funera elata ſunt, per alias portas ultra ſexcenta millia, ita ut Titus Imp. videns cumulos mortuorum proteſtatus ſit, ſe nec feciſſe, nec imperaſſe tantam ſtragem. Totus numerus cæſorum excurrit ad undecies centena hominum millia, captivorum nonaginta ſeptem millia, ex quibus quotidie quingenti agebantur in furcas. &c. Segn. Incred. non excuſab. p. 2. c. 24. n. 3. & ſeq.

Per ſedecim ſæcula a Deo nullam commiſerationem ſentiunt miſeri Judæi: ſunt ſine Rege, ſine Regia, ſine Urbe, ſine Sacerdotibus, ſine Sacrificiis, ſine Templo, ſine Prophetis, ſine Ara, ſine Sanctis, ſine Scientia, ſine Religione. Fruſtra fuerunt conatus Regum, uti Julian. Imp. qui miſeram gentem erigere voluit. Segn. ibid. n. 22. & ſeq.

148. *Toti mundo exoſus.*

Tempore S. Hieron. Judæi quotannis turmatim pullato habitu redibant Solymam, templi ruinam deploraturi: a militibus autem non admittebantur, niſi prius licentiam lacrymandi magna pecuniæ ſumma emiſſent. F. p. 1. l. 22. c. 11. n. 7.

Cum Romæ tempore S. Petri rebelles Judæi Chriſtianorum ædes armata manu, non ſine ingenti utrinque cæde invadebant, ab Imp. Claudio urbe expulſi ſunt. F. p. 2. fol. 24.

Tempore Adriani, cum Judæi contra Imperatorem rebellia arma capiebant, quingenta & octoginta eorum millia trucidabantur, everſa etiam munitiſſima illorum urbe Bethura, & tota Palæſtina ad vaſtitatem redacta. Nec ſolum ex urbe Solymæa Judæos ejecit Adrianus, ſed etiam ſupra portam urbis porcum e marmore erexit, id ſignificans, quod ſicut Judæi a carne ſuilla abſtinent; ita etiam illis in perpetuum ab hac urbe abſtinendum eſſet. F. p. 2. in Vita S. Sixti. n. 4. fol. 36.

Sub Ferdinando Catholico anno 1491. Judæi ex Hiſpania expelluntur. Pauco tempore octingenta eorum millia in alienas terras commigrarunt, exceptis iis, qui opum ſuarum amore baptiſmum ſuſceperunt, nocentiores ſub larva Catholiciſmi, quam antea fuerunt ſub Judaiſmo. F. p. 2. in Vita Innoc. VIII. fol. 365. Item F. p. 3. fol. 330. Item p. 3. in Vita Ferdinandi V. fol. 404.

Tempore Philippi II. emigrare juſſi ſunt e Gallia relictis auro & argento, tanquam opibus per uſuras & fraudes collectis. F. p. 3. fol. 174.

Uliſſipone magna quidem Judæorum multitudo baptizari ſe ſinit, ſed cum ſimulate agere, & Paſcha Judaico ritu peragere deprehenſi ſunt, a Luſitanis rebellantibus tam intra, quam extra urbem fere duo Judæorum millia trucidata fuerunt. Surius in Comment. anno 1506. fol. 50.

### Judæi.

#### 149. *Sunt impoſtores, & deceptores.*

SUb Philippo II. pelluntur ex Gallia propter decumanas fraudes, & depauperationes ſubditorum. F. p. 3. l. 6. f. 174.

Sub Ludovico X. revocantur quidem, ſed conſtituunt homines, qui venenatos globulos in fontes injicerent, inde magna hominum ſtrages exorta eſt: tunc Judæi iterum e Gallia pulſi, & coriphæi incarcerati ſunt, unus tamen alterum in captivitate jugulavit. F. p. 3. l. 6. f. 195.

Tempore Theodoſii II. multi Judæorum Baptiſmum ficte receperunt, ut ſic pecunias colligerent a Chriſtianis: cum unus aliquando a Catholicis baptizatus poſtea iterum a Novatianis baptizari peteret, aqua præparata ſubito diſparuit. D. 2. 81.

Impoſtor Judæus in Inſula Candia jactitabat ſe eſſe Moyſen cœlitus miſſum, ut Judæos Inſulæ incolas in terram promiſſam duceret: promiſit ſe velle exſiccato mari in ejus fundo tranſitum parare: anno integro iſta prædicabat, atque ingens Judæorum numerus venditis bonis itineri ſe parabat. Adveniente præſtituta die in præaltam promontorii rupem illos ducebat, petiitque ut ſe in aquas ſaltu demitterent, fore ut leniter undis excepti recedente utrinque mari ſicco pede poſſint ambulare. Paruere multi, & ſubmerſi ſunt, alii a piſcatoribus excepti agnita fraude baptizati ſunt &c. D. 2. 81.

Perperam agunt judices, ſi Judæos ad teſtandum, aut jurandum contra Chriſtianos admittant; quia illi licitum ſibi putant Chriſtianis quacumque ratione poſſint, damnum inferre: unde eorum magnus Rabbi ſic ſcribit: *Optimus qui inter gentes eſt, dignus eſt, ut caput illi conteratur tanquam ſerpenti.* C. Lev. 5. v. 1.

In ſuis negotiis & uſuris non ſunt fide digni; cum Maſſilienſes a Judæis ad pauperiem fuerunt redacti, Rex Carolus VIII. eorum chyrographa afferri juſſit, & ſingula crucis inſtar duabus lineis obduxit, inquiens, Crucem Chriſti ſufficere ad omnia debita expungenda. F. p. 3. l. 6. fol. 226.

In Marchionatu Brandeburgico anno 1510. multi Judæorum ob varias impoſturas in carcerem dati, faſſi ſunt, quod a modico tempore ſeptem Chriſtianorum infantes acubus excarnificarint. Multi capite plexi, cæteri omnes e Marchionatu expulſi ſunt. Surius Comment. ad Ann. 1510.

Sub Paulo IV. Rom. Pont. Judæi ob varias impoſturas in ſpeciali diſtrictu concluſi, juſſique ſunt deinceps flavo pileo uti, ut hoc ſignaculo ab honeſta plebe diſcriminari poſſint. F. p. 2. in Vita Pauli IV. n. 3. fol. 405.

#### 150. *Habuerunt varias Sectas.*

Tres præcipue erant Sectæ Judæorum tempore Chriſti, & Pauli: Phariſæorum, Eſſenorum, & Sadducæorum: aliæ minus celebres fuerunt plures, ſcilicet Doſitheorum, Hemero-baptiſtarum, Herodianorum, Nazaræorum, aliorumque.

1. *Eſſeni* vitam ſanctiorem profitebantur, & a cæteris Schiſmate erant diviſi.

2. *Sadducæi* dicebant non eſſe reſurrectionem mortuorum, neque Angelum aut Spiritum.

3. *Doſithei* ab animatis abſtinebant, & Sabbatum ſuperſtitioſe colebant, ita ut quiſque eorum, habitu, loco, ſitu eodem die Sabbati permaneret ad veſperam.

4. *Hemero-baptiſtæ*, ſic dicti, quod quotidie baptizarentur, rati non poſſe hominem pure vivere, niſi ſingulis diebus in aqua mergeretur & ablueretur.

5. *Nazaræi* rejiciebant Pentateuchum, abſtinebant ab animatis velut immundis.

6. *Herodiani* dicebant Herodem Aſcalonitam eſſe Chriſtum, eo quod ſub ipſo ut alienigena defecit ſceptrum de Juda.

7. *Phariſæi* ſcientia legis, & moribus antecellebant omnes, hinc tempore Chriſti erant ſummi Legis Doctores, non ita tamen, quin & habuerint ſuos errores: nam omnia tribuerunt fato, docebant Metempiſchoſin, ſeu tranſmigrationem animarum; hinc putabant Chriſtum eſſe Eliam, aut Jeremiam, aut Joannem Baptiſtam. De cætero erant ab aliis ſeparati ob eminentem ſcientiam & ſanctitatem: abſtinebant deliciis, frugaliter vivebant, jejunabant Sabbato, ita ut inter Judæos fuerint Phariſæi, quod inter Chriſtianos Religioſi, veſtem etiam propriam habentes ſuæ Profeſſionis &c. C. Philip. c. 3. v. 6.

#### 151. *Cur toto orbe diſperſi ſint?*

Primo ait S. Auguſtinus Judæi per totum orbem diſperſi ſunt, ut teſtimonium perhibeant veritati Chriſtianæ; illi enim *habent codices, de quibus prophetatus eſt Chriſtus, & nos tenemus Chriſtum.* 2. Judæi ſunt quaſi candelabrum, quod facem illuminantem gerit, & ipſum tamen nullam utilitatem ex lumine gerit. 3. ait S. Gregorius, Judæi circumferunt Scripturam, tanquam Epiſtolam Uriæ, quæ illorum capitale ſupplicium continet. 4. ait S. Chryſoſtomus, Judæi per totum orbem diffuſi ſunt ſicut membra furum, & graſſatorum, quæ in viis publicis ad terrorem aliorum e furca ſuſpenduntur &c. D. 5. 45.

*S. Aug. in Pſ. 58.* — *S. Greg. l. 3. Mor. c. 21.* — *S. Chryſ. in Pſ. 8.*



Diſſipati ſunt in univerſo orbe, ut omnes gentes in illis deteſtentur Deicidii crimen tam luculentis & diuturnis pœnis in illis vindicatum. Ut enim latronum ſupplicia morte non finiuntur, ſed in ipſa eorum cadavera ſævitur, ſic Solymæ ſupplicia urbis vaſtitate non fuerunt finita, ſed in iis in miſeras reliquias, in orbis provincias ejectis, tanquam membris, carnificis manu ſectis, ſævitum eſt. Sicut enim gens Hebræa a Deo reprobata eſt, juxta illud Oſeæ: Voca nomen ejus: *Non populus meus, quia vos non populus meus, & ego non ero veſter:* Ita & terris perinde ac cælo inviſa, ubique contempta, ubique exul, ubique ſerva, ubique tam militaribus, quam civilibus honorum gradibus excluſa eſt. Quis nationes omnes impulit, alias genio & moribus diſſimillimas, ut in uno hoc convenirent, ut ſingulæ Hebræos conculcatos velint, nullibi cives, ubique ſervos? nempe ſenſa iſta a Dei Providentia veniunt, quæ vult ab omnibus abjici, quos ipſa indignatione implacabili in omne ævum abjecit. *Populus, cui iratus eſt Dominus, uſque in æternum.* Segneri Incred. non Excuſ. p. 2. c. 14. n. 14.

#### 152. *Fruſtra ſperant levamen ſuæ afflictionis.*

Judæi continuo ſperant rem ſuam jam penitus proſtratam, denuo erigendam eſſe, ſed inaniter: Primo: Quia eorum exilium jam durat mille ſeptingentis annis: cum tamen Deus promiſerit per Aggæum, quod poſt modicum temporis velit commovere cælum, & mittere exſpectatum ab omnibus gentibus: quomodo verificatur illud *poſt modicum tempus*, cum ab Aggæo uſque nunc jam fluxerint bis mille anni? hinc irriti fuerunt illorum conatus reſuſcitandi templum ſub Adriano, ſub Conſtantino, ſub Juliano. Secundo quia Propheta Daniel poſt ſexaginta duas hebdomades venturum Meſſiam, dein obſidionem, & plenariam devaſtationem prædixit, addiditque *In his omnibus non eſt averſus furor ejus, & adhuc manus ejus extenta*, quibus verbis ad mentem S. Hieronymi perpetua Judæorum abjectio exprimitur. Tertio, in omnibus aliis malis Judæorum prædictus fuit a Prophetis terminus uti in ſervitute Ægyptiaca, in captivitate Babylonica, in perſecutione Antiochi: verum in hac ultima derelictione nullus in Scripturis terminus indicatur, quod ſignum eſt, eam uſque in finem mundi duraturam. D. 9. 92.

Cum Iſmael Sophus Perſarum Imperator Perſas, Medos, Armenos, aliaſque gentes victoriis ſubegit, Judæi per totam Europam inſoleſcere, lætari, & convivia celebrare cæperunt, quia hunc Sophum putarunt eſſe ſuum Meſſiam. Sed decepti ſunt, quia hic ipſe Sophus nullam magis gentem quam Judaicam exoſam habuit. Surius Comment. f. 10.

#### 153. *Odium implacabile gerunt contra Chriſtum, & Chriſtianos.*

Immeſtæ Judæi inter publica ſpectacula ludificabant Chriſtum, tum puerum arripuerunt, & poſt varia tormenta crucifixerunt. In urbe Alexandria Judæi perſequebantur Chriſtianos, adeo ut gubernator urbis publico mandato pacem ſanxerit: hoc mandato magis efferati Judæi, de nocte incendium ſimulant, quod cum Chriſtiani extincturi accurrunt, magno in numero trucidantur. Aliquis Judæus Crucifixum vulnerat, & cum ſanguis e vulnere fluit, in puteum projicit, unde dein copioſus ſanguis hauſtus eſt. Alius Viennæ Auſtriæ anno 1642. baptizatus & converſus, cum propter furta ad mortem condemnatur, Chriſti Crucifixi imaginem terribiliter blaſphemat, & pedibus calcat, faſſus eſt etiam ſe ſacram Communionem pridie acceptam in latrinæ ſordes abjeciſſe, quod & ibi repertum eſt. Peſſimus hic nebulo pedibus ſuſpenſus lento igne exuſtus fuit. D. 2. 81.

*Niceph. lib. 14. c. 16.* — *Socrat. l. 7. c. 13.* — *Baron. ann. 415.*

Quin imo, etiamſi ad fidem Catholicam convertantur, nunquam plena fides illis adhibenda eſt. Paulus Burgenſis Epiſcopus, qui ipſe fuit ante Judæus, expreſſe monet, illis, qui ab Hebræis trahunt originem, nullam fidem habendam, nullam reipublicæ adminiſtrationem eſſe committendam, cum ad fraudes & ſimulationes nati ſint. A. 1. lect. 1. n. 6.

Cum Judæi ex Hiſpania pellebantur, unus Chriſtiano valedicens ajebat: fuit in-

inter nos magna neceſſitudo, ſed ſcias me intus capitali ſemper odio contra te arſiſſe. Quare hoc documenti loco habe: Noli Judæo cuicunque, quamvis amicus tibi videatur, unquam fidere. T. num. 277.

154. *Puniuntur pœna talionis ob crimen Deicidii.*

Cædem Chriſti Domini ſuaſit metus armorum Romanorum, eandem cædem Romanorum armorum ultus eſt. Judæi Servatoris vitam triginta argenteis emerunt, Romani capta Solyma triginta Judæos uno denario vendiderunt. Judæi Chriſtum funibus vinctum per plateas raptarunt, Romani nobiliſſimum quemque manibus a tergo revinctis per vias raptarunt, & in foro publice flagellarunt. Judæi Servatorem in colle Calvariæ egerunt in crucem, Romani omnes colles circa Solymam verterunt in Calvarios, tam multis in furcas actis, ut nec ſilvæ cruces miniſtrare, nec ſolum illas capere poſſent. Judæi tempore Paſchæ Deicidio ſe impiarunt, Romani ſub idem tempus urbem devaſtarunt, cum omnis gens ad Azymorum ſolemnitatem confluebat &c. Segn. Incred. non excuſ. p. 2. c. 14.

Judæi in monte Oliveti Chriſtum captivarunt, Titus Imp. in ipſo hoc monte caſtra metatus eſt. Judæi Chriſtum in carcerem compegerunt: Romani totam urbem circumducto muro carcerem fecerunt. Judæi Chriſtum, æternam ſapientiam ludificarunt: Titus Imp. duo Judæorum millia in theatrum producta per ludum obtruncari juſſit. Judæi Chriſtum veſtibus ſpoliarunt, Romani milites una nocte duo millia Judæorum eviſcerarunt, aurum quærentes. Judæi contra Chriſtum clamarunt, crucifige: Titius Imp. e captivis quotidie quingentos in crucem egit &c. Præterea hodiedum Judæi ex tribu Ruben, qui Chriſtum captivarunt, tam venenoſi ſunt, ut quidquid viride tangunt, mox exareſcat, & nec gramen ſuper eorum ſepulcra naſcatur. Illi qui Chriſto alapas incuſſerunt, dexteram habent breviorem, & contractiorem, quam ſiniſtram. Illi qui Chriſto ſitienti fel & acetum propinarunt, ex tribu Benjamin, quotannis in die Paraſceves, ore & naribus vermibus ſcaturiunt &c. P. Abraham a S. Clara lib. 3. fol. 200. & ſeq.

Juramenta.

155. *Puniuntur graviſſime.*

IN quodam pago nomine Benavido turbida tempeſtate exibant duo viri, uterque a violentia tempeſtatis humi proſtratus, ſed uni eorum, qui jurandi & blaſphemandi aſſuetudini deditus erat, lingua a fulmine ex ore eruta eſt. Hexamer. fol. 258.

Puer quinquennis a parentibus male educatus jam illa tenera ætate jurare & blaſphemare callebat. Aliquando in gremio Patris recubans clamare cœpit, ut defenderetur contra Mauros venientes, & cum iterum blaſphemaret, mox animam reddidit. E. *Jurare* 1.

Cum aleatores in caupona blaſphemarent, in platea a cive pientiſſimo inventus eſt Chriſtus totus ſanguineus & vulneratus, qui quæſitus, quis eum tam graviter læſiſſet, repoſuit, duo illi aleatores &c. E. *Jurare* n. 2.

S. Francus in juventute ſceleratus inter aleas & luſus in juramenta & blaſphemias erumpens, colluſoribus ſuis etiam oculos oppigneravit, ſed repente cæcus factus, Compoſtellam abiit, & ad ſepulcrum S. Jacobi oculos recepit. Factus deinde pœnitentiam exemplar. *N. 11. Dec.*

Quidam ex itinere domum redux, cum non ſtatim adeſſet famulus, qui ocreas illi detraheret, vocavit dæmonem, & ecce! ſtatim occulta vi diſſolutæ ſunt pedum fibulæ. E. *Dæmon.* n. 1.

Dic quæſo, ſi centies aut millies invoces fulmina, & grandines, antequam vel ſemel unum devotum Pater noſter ores; quid mirum, ſi a Deo exaudiaris? Dicit Chriſtus, quod amico roganti panes dentur propter importunitatem: etiamſi Deus tui miſereatur, tamen denique propter importunitatem tuam grandinem, aut fulmina dabit. Qui ſurſum projicit lapidem, in caput ipſius cadet, ait Salomon: tu ſemper ſurſum projicis lapides, quid mirum, ſi in caput tuum deruant?

156. *Quam indigna Chriſtiano.*

Chriſtus Dominus tam caro pretio nos redemit, & tamen multos Chriſtianorum rogare oportet, ut nominis Chriſti ſaltem talem habeant reverentiam, qualem ipſi Turcæ; iſti enim puniuntur ſi violent nomen Chriſti. Fraudes in emendo, & vendendo, jurgii, vindictæ, deprava-





tiones feminarum non poſſunt committi ſine confirmatione per nomen Chriſti! O miſeri, non cognoſcitis quid ſit Deus. Omnes Sancti non audent nomen Dei proferre ſine horrore. Sunt quidem, qui ſe excuſant præcipitantia. Verum ſiquis in ſinum veſtrum vomeret, & dein ira aut præcipitantia ſe excuſaret, an eſſetis contenti? &c. P. p. 2. diſ. 2. n. 16.

Superiores Chriſtiani, Parentes, & Patresfamilias omnem deberent operam impendere, ut hæc juramentorum audacia in communitatibus & in domo inter filios, famulos, & ſubditos compeſcatur. Pudeat, ſi ipſi rei ſint! Claudius Cæſar, narrante Suetonio, inſignem Virum, Græciæ Principem, latini ſermonis ignarum ex albo judicum eraſit, & ex urbe faceſſere juſſit, metuens, ne lingua Græca confuſionem Latinæ cauſaret. VV. artic. diſc. font. 30. Ex. 10. Et tu mi Chriſtiane Superior, in communitate, aut domo pateris illum, qui non novit linguam cæli, ſed continuo loquitur linguam diaboli?

Perjurium.

157. *Nocet toti communitati.*

TEmpore Davidis *facta eſt fames tribus annis jugiter*. Quare? Propter Saul, & domum ejus, quia occidit Gabaonitas. Joſue enim ante ſexcentos annos cum Gabaonitis pacem ſanxit, quos dein Saul contra juramentum occidit. S. Chryſoſt. *Si ergo poſt ſexcentos annos Deus juramentum vindicavit, & cum alii juraſſent, alii, qui juſjurandum violarunt, pœnas dederunt, quid patiemur, qui pejeramus.* B. Serm. 38. n. 30. Serm. 40. n. 24.

Romani cum gente quadam pacem ſanxerunt: gens tamen illa proditorie omnes Romanos interfecit. Et ecce! panis eorum ſanguine manavit, animalia domeſtica in ſilvas profugerunt, canes ad morem luporum ulularunt. Cumque perfidi a Romano Imperatore victi ſunt in campo, & reliqui quater milleni ad montes fugerunt, iſti quater milleni congelati, ad modum lapidis obriguerunt. E. *Perjurium* 3.

Si Dominus Deus ad iram provocatur, cum nomen ejus aſſumitur in vanum, contra præceptum: *Non aſſumes nomen Domini Dei tui in vanum*: Quanto magis ad iram provocabitur, cum nomen ejus uſurpatur ad falſum; per hoc enim Deus teſtis vocatur ad mendacium. B. Serm. 50. §. 2.

Tempore Apoſtolorum Ananias defraudavit de agro, dimidia parte pretii ſibi clam reſervata, qua fraude graviter ac ſacrilege Eccleſiam decepit, utpote, ut affirmant Sancti Patres, Voto paupertatis obſtrictus, & tam ſibi, quam uxori Saphiræ repentinæ mortis ſupplicium conſcivit. C. Act. 5. v. 2.

158. *Punitur a Deo graviſſime.*

Rex Sedecias a Nabuchodonoſore expugnatus, oculis privatus, templum dirutum, urbs devaſtata fuit: Unde tanta mala? Abulenſis ait: *Peccavit, quia fuit perjurus, nam juravit Regi Babylonis non rebellare contra eum per nomen Domini, & hoc non obſtante rebellavit.* B. Serm. 40. num. 24.

Chriſtianus de pecunia Judæo reſtituta falſo jurans a quadriga obteritur.

Godoinus Regi jurans, ſi partem habeo in nece fratris tui, velim hoc bolo panis ſuffocari: comedit, & ſuffocatus eſt, &c. Sanchez 6. part. cap. 7. fol. 755. & ſeq.

Ruſticus quidam cum Monaſterio S. Egvvini de fundo litigans, calceos ſuos terra horti ſui replet, & ſic jurat hunc fundum ſuum eſſe, ſed tempore meſſis falce ſua per occultam vim ſauciatus punitur. R. 1. part. mir. 15.

Chriſtianus a Judæo pecuniam acceperat, ſed repetente eam Judæo, ſe jam reſtituiſſe, falſo affirmabat, & falſitatem in judicio per juramentum confirmabat; nam concavum baculum auro implevit, & dum jurabat, illum Judæo adſtanti interim tenendum dabat, putans ſe per hanc fraudem a perjurio immunem fore. Verum ſtatim punitus eſt; nam domum rediens in via obdormivit, & a prætereunte curru obtritus eſt. E. *Jurare* n. 4.

Quidam telonarius falſo jurat ſe certam pecuniæ ſummam non recepiſſe, addita pœnali conditione: ſi accepi vellem ut hac nocte per hunc ignem in furno ardentem comburerer. Eadem nocte ante furnum obdormiit, & combuſtus eſt. E. *Jurare* 6. E. *Perjurium* num. 4.

Alius de pecunia non accepta jurans in loco, quo ſtetit, utrumque oculum perdidit. E. *Perjurium* nu. 1. Alius medius crepuit. E. *Perjurium* n. 2.

Perjuri non poterant accedere ad ſepulcrum S. Pancratii Martyris, quin humi exanimes proſternerentur. N. 12. Maji.

### Perfidia contra pacta, fœdera &c.

*159. Punitur manifeſte a Deo.*

AGathocles, Tiſſaphernes, Theodatus, Aiſtulphus Longobardorum Rex, Carolus Burgundus, aliique graviſſime puniuntur a Deo propter perfidiam in pactis. C. Gen. c. 34. v. 30.

Gen. 34. Simeon & Levi vindicarunt ſtuprum a Principe Sichem ſorori ſuæ Dinæ illatum, ſub ſpecie fœderis & circumciſionis omnes incolas trucidarunt. An bene? imo peſſime, quia perfide contra pactum fœderis & connubii promiſſi egerunt: hinc Jacob parens maledixit eorum furori. *Maledictus furor eorum, quia pertinax, & indignatio eorum, quia dura*. C. Gen. 34. v. 25.

Baſſa Babyloniæ ſuo Domino perfidus obtulit urbem Regi Perſarum. Ille capta urbe, exhorreſcens crimen perfidiæ proditorem inaudito ſupplicio peremit; nam per triginta dies quotidie opipare paſtum dormire non permiſit. Cum inciperet dormiturire, ſtatim præacutis ſtimulis fodiebatur. T. num. 276.

Romani gentes in amicitiam receptas occiderunt. In hujus perjurii deteſtationem ſanguis e ſciſſo pane fluxit: animalia domeſtica ad montes & ſilvas fugerunt. Milites omnes cum Imp. Alvio & Pompejo victi ſunt, exceptis quatuor millibus, qui ad alta montium confugientes, frigore & nive obriguerunt. T. nu. 343.

Averſio Dei erga crimen perfidiæ ex eo etiam patet, quod totum humanum genus, aut ſaltem honeſtior, aut magis ingenua illius pars illud tanquam damnabile, & pudendum vitium abominetur, maliteque jacturam, neſcio qualem, quantamque pati, quam illo ſe probro contaminare.

Italia graſſatoribus infeſta, fuit e complicibus unus capiti graſſatorum amiciſſimus, qui ſe Pontifici Pio V. obtulit, quod illum ſub ſpecie amicitiæ ad vincula & carceres callide promovere velit. Sed abhorruit Pontifex tantam perfidiam etiam inter homines ſceleratos, id quod Ducem illum graſſatorum ea reverentia erga Pontificem replevit, ut Italiam voluntarie deſeruerit. T. nu. 25.

*Qui denudat arcana amici fidem perdit, & non invenit amicum ad animum ſuum*. En! etiam amici deteſtantur infidelitatem in ſervandis arcanis, & ſic ex amicis inimici fiunt. Imo juſto Dei judicio reddetur illi talio, qui arcana revelavit, ut ſicut ille fidem non ſervavit amico, ſic nec amicus illi ſervet viciſſim. C. Eccli. 27. v. 17.

Sedecias ſe, ſuamque ſtirpem ac regnum evertit, quia fidem Chaldæo datam feſellit. Familia Saul extincta eſt ob Gabaonitas, contra fidem a Joſue datam cæſos. Saxones contra Carolum Magnum rebellantes, viſo ſupra Eccleſiam duorum Sanctorum portento perterriti, victi ac deleti ſunt. Hunni contra fidem Juſtino Imp. datam, Perſis armorum ſuppetias tulerunt, verum hanc perfidiam ipſi Perſæ deteſtantes, Hunnos omnes cum ſuo Rege trucidarunt, &c. C. Jerem. 39. v. 16.

### Irreverentia in templo.

*160. Quam damnabilis ſit in Chriſtiano.*

SAnctus Chryſoſtomus ait: *Centum & ſexaginta octo horas habente hebdomada, unam, & ſolam horam ſibi ſegregavit Deus: & hanc in opera ſervilia, & ridicula inſumis: ſtat Sacerdos Dei orationem offerens cunctorum, tu autem rides, nihil times, non contremiſcis, &c.* Jam Miſſa pulchrior eſt, quæ brevior. S. punct. 18. fol. 65.

Dominus Deus dicit: *Elegi domum iſtam, ut ſint oculi mei aperti*. Heu Domine! potius claude oculos, ne videas jocos, riſus, nutus, amores alienos &c. S. punct. 18. fol. 69. (1. Par. 7.)

Chriſtus exivit de templo, cum Judæi lapides tollebant, non ideo, ut mortem effugeret, ſed ut non profanaretur domus Dei. Sed fruſtra fugiſti O Chriſte, quod Judæi non poterant, exequuntur mali Chriſtiani: ait Beda: Quot malas cogitationes quis aſſumit, quaſi tot lapides in JESUM mittit. B. Serm. 50. num. 15. (Beda in Cat. D. Thom. 8.)

Sara in præſentia Angelorum ridens corripitur. Jacob deplorat ſe in illo loco dormiiſſe, ubi cum tempore tabernaculum ædificandum erat. Sacerdotes idololatræ non audebant pedem figere, ubi Dagon collapſus jacebat: Et tu irreverenter agis in templo, ubi jacent corpora Sanctorum? S. punct. 18. fol. 65. & ſeq.

Sacerdos vidit in templo retro altare dæmonem in grandi pergamento ſcribentem, cum pergamentum non ſufficeret, dæmon illud dentibus dilatavit. Quæſitus autem in virtute Dei, quid ſcriberet, dixit ſe omnes præſentium irreverentias ſcribere,



bere, quæ grandia eſſent coram Deo peccata. Sacerdos monuit populum ad penitentiam, & ecce! in pergamento peccata omnia deleta ſunt. E. *Eccleſia* n. 6.

*161. Graviter punitur a Deo.*

Quamprimum Rex Balthaſar irreverenter tractavit calices ſacros e templo, apparuerunt digiti ſcribentes interitum. S. punct. 19. fol. 70. & ſeq.

Illis, qui locis ſacris debitum non detulere reſpectum, multa infortunia acciderunt. Paoletti Fer. 2. poſt Dom. 4. Quadr.

Eliſabetha Angliæ Regina pro regno Scotiæ Vice-Regem electura convocat Conſiliarios, & inter hos etiam Comitem de Eſſex. Iſte in ſuo ſuffragio differebat a Regina, & cum hæc in ſua ſententia perſiſteret, verba contemptum ſpirantia obmurmurans tergum illi obvertit. Regina hac inurbanitate in iram concitata ſonantem illi alapam incuſſit. Atque hæc res dein continuo diffidentiam ac averſionem inter utrumque fovit, donec Comes Eſſexius tandem, perduellionis ſuſpectus, capite mulctatus eſt. Theatr. Trag. Princ. Hiſt. 3. Si Regina hæc ſufferre non potuit hunc contemptum, quomodo tolerabit in domo ſua Deus? Et hæc ſæpe ratio eſt, cur Deus tibi in te, & rebus tuis varias alapas infligat; cave ne omnino gratiam tibi ſubtrahat, in gravia peccata labi, & perire permittat, &c.

Juvenis impurus a Cæſare Baronio admonitus, ut in templo ab impuris aſpectibus abſtineret, riſit monita, & auſus etiam eſt monitori arma minari. Sed exiens e templo equum conſcendit, & ab illo excuſſus crus fregit. Pœnituit deinde, & tota vita Cæſare tanquam Confeſſario uſus eſt. J. 30.

Eccleſia Beatiſſimæ Virginis haud procul Avellino a peregrinis turpiſſime inhonoratur, & ſubito domus Hoſpitalis incendio corripitur, quo ultra mille quingentas perſonas miſere interierunt. J. 113.

Lucifer cum Angelis ſuis propter peccatum æternaliter rejicitur, Adamus autem gratiam invenit. Quare? Quia Adam in terra, Lucifer autem in templo gloriæ Dei, nempe in cælo peccavit, &c.

*162. In templo non rideatur, jocetur, aut ſcandala dentur.*

Sara in præſentia Angelorum ridet fortuito, & reprehenditur: Diſce, quid metuendum tibi ſit, qui coram Deo rides, jocaris &c. S. punct. 18. fol. 65. & punct. 132. fol. 416.

*Recedam a Sanctuario meo*, ait Deus: Cur vult recedere? nempe ut non cogatur aſpicere riſus, jocos, & illuſiones tepidorum fidelium. S. punct. 18. fol. 68. 69. & ſeq.

Monialis aliqua poſt mortem frequenter apparet in choro, ibique ſe crudeliter puniri ajebat propter garrulitatem, qua locum ſacrum nonnunquam inhonoraverat. D. 2. 14.

Multi in Eccleſia loco orationis, litteras ſæpe inhoneſtas, aut nova relegunt, oculorum nictibus ſibi invicem ſignacula præbent. Multi canes domeſticos ſecum ducunt, qui dein cum aliis canibus petulciunt, latratu Sacerdotem tam in cathedra, quam in altari turbant, & ſua ſpurcitie ſcamna, altaria, ac veſtes fœdant. Sunt, præſertim e mulieribus, quæ laſcivo veſtitu oculos & conſcientias offendunt, venientes ad Eccleſiam non tam ut precentur, quam ut videantur. Multi pixides tabacarias extrahunt, aliiſque propinant, ſæpe impuris imaginibus ſcandaloſas. Multi in Eccleſiam diem ac locum ſibi condicunt, quo poſſint ſua negotia, conventicula, aut res etiam amatorias prolixis confabulationibus proſequi. Multi per totum ſacrificium ſtantes aut ſedentes ne genua quidem curvant, niſi ad modicum ſub Elevatione Sanctiſſimi. Multi in Eccleſia, ut ſomnum noctu ludendo, aut bibendo neglectum ſuppleant, altum indormiunt. Multi, ut æſtivis caloribus refrigerium capiant, in Eccleſia commode morantur. Multi ut liberiores ſint a negotiis & tædiis domeſticis, in templo, tanquam aſylo hærent, ne cogitantes quidem, in Altaris tabernaculo adeſſe Deum cæli & terræ, &c.

*163. In templo non circumſpiciatur, garriatur, aut diſtractiones habeantur.*

Anna Samuelis laudatur: *Cum loquebatur in corde ſuo, tantum labia illius movebantur*. Ecce! tantum labia: non caput, non oculi, non corpus. *Vox penitus non audiebatur*. Ecce! non muſſitabat, ne alios impediret: O quam longa alia ſæpe eſt noſtra oratio. Sanctus Chryſoſtomus ait: *Curvaſti quidem genua, ſed mens tua foris vagatur: uſuras cogitat, poſſeſſionum redditus ſupputat, deſcriptiones domorum videt, amicorum verba volvit, negligentias intuetur famulorum, mulierum ſpecies conſiderat*. S. punct. 7. fol. 59. (S. Chryſ. Hom. 16. in Matt.)

Gentiles ante ſacrificia alta voce præcipiebant ſilentium: Quintilianus ait, ne minimum quidem ſtrepitum fuiſſe licitum. Ideo S. Ambroſius: *An quidquam indignius eſt, quam oracula Divina circumſtrepi, ne audiantur, -- circumſonari Divina Sacramenta confuſis vocibus, ut impediatur oratio pro ſalute omnium deprompta, cum gentiles idolis ſuis reverentiam tacendo referant?* Arrianus addit gentilibus in ſuis templis ne quidem fas fuiſſe tuſſire, ſcreare, aut naſum emungere. Ariſteas in libro de ſeptuaginta Interpretibus teſtatur: *Miniſterium Sacerdotum ſilentio cuncta ſuperabat: cum ſeptingenti fere miniſtrorum continuo adſint, & offerentium libamina ingens multitudo, ne unum quidem hominum in loco verſari putes; ſumma namque veneratione cuncta, & magna Dei pietate peraguntur.* D. 4. 69.

S. Ambr. l. 3. de Virg.

Sunt qui in templo confabulationibus & riſui vacant, quaſi non alibi detur locus nugandi opportunior. Sunt præſertim e mulieribus, quæ infantes, necdum tacere gnaras, ſecum ſumunt, & cum illis per totum Miſſæ Sacrificium ludunt. Sunt qui per omnes templi angulos, oculos circumvolvunt, attentiores ad veſtimenta aliena, quam ad rem Divinam, &c.

*164. Templa non inhonorentur.*

Jacob in Meſopotamiam itinerans doluit ſe dormiiſſe in illo loco, ubi ſuo tempore tabernaculum conſtruendum erat. S. punct. 18. fol. 66. Quid igitur dicendum de iis, qui tempore præſertim æſtivo, in templo tam commode in ſcamno conſident, ut ſomnum provocare videantur, atque per integram ſæpe concionem, non ſine indignatione ſacri oratoris ronchos trahunt, ita, ut etiam indigne ferant, ſi forte excitentur.

In Africa non licuit Laicis ſedere in Eccleſia, nec in Æthyopia, aut Abyſſinia, ne ſenibus quidem. Conſtantinus Magnus concionem audivit ſtans, & noluit ſedere, etiam ab Epiſcopo invitatus. Apud Romanos etiam in theatro non licuit ſedere, niſi nobilibus equeſtri dignitate fulgentibus. C. in Ep. S. Jac. cap. 2. verſ. 3. Quanta ergo indecentia, quod Chriſtiani per totam rem Divinam ſedeant, aut dormiant, quaſi ad quieſcendum veniſſent?

Quam miſera temporum noſtrorum ſors eſt, dum paſſim templa a furibus effringi, & exſpoliari fere quotidie audimus. Olim Heliodorus pecunias e templo auferre ſatagens ab Angelis flagellatus: Leo Copronymi filius ob ſimilem culpam carbunculi morbo percuſſus: Petrus Arragonum Rex Tarraconenſem Eccleſiam invadens a S. Thecla apparente, alapa percuſſus: Princeps Capuanus direptor bonorum Eccleſiæ cœnobii montis Caſſini cæcitate punitus: Julianus, Apoſtatæ avunculus, ob expilatum Antiochiæ templum, cum ſuis adjutoribus miſerrima morte ſublatus eſt, &c. Quid mirum, ſi Principes & Magiſtratus viſis tot delictis dormiant, quid mirum, quod Dei vindicta in totas urbes & regiones ſæviat? C. Joſue 7. v. 25.

*165. In templo non fiant compreſſiones, jurgia &c.*

Hæmorrhoiſſa retro fimbriam in veſte Chriſti tangit: Chriſtus quærit, *quis me tetigit?* illa perterrefacta procidit ad pedes JESU, quia Chriſtus examinare voluit: O quid fiet, ſi de compreſſionibus in egreſſu, in ingreſſu, in frequentatione Sacramentorum olim judicet Deus. S. punct. 132. fol. 416.

Sanctus Bartholomæus centies de die, centies de nocte genuflexus orabat. Sanctus Jacobus callum genuum contraxit. Sanctus Stilita una hora millies ducenties & quadrageſies quater prociduus Deum adoravit. Certum eſt, quod externa reverentia nutriat internam devotionem. Quæ ergo devotio eſſe poteſt apud eos, qui compreſſiones faciunt, ſcamnis ut ſacci frumentarii incumbunt? &c. D. 11. 89.

Qui in palatio, aut præſentia Regis rixantur, aut duellantur, amputatione manus puniuntur: quam injurioſum ergo Deo Euchariſtico, ad ipſam ſacram Communionem tam irreverenti compreſſione accedere, ac ſi rixæ, & bella haberentur? Quondam Chriſtus ementes, & vendentes e templo ejecit: quod mirum, quod nunc totas regiones iracundiæ ſuæ flagello, id eſt, fame, ſterilitate, grandine, pecorum lue, bello, aliiſque malis caſtiget. *Ergo & ego faciam in furore meo,* ait Deus, quaſi diceret, ego par pari rependam, ſicut me deſpexerunt, ita illos diſperdam: *Non parcet oculus meus nec miſerebor, cum clamaverint ad aures meas voce magna, non exaudiam!* Ezech. 8.





Mala obſervatio Feſtorum.

*166. Quam communis inter Chriſtianos.*

S. Chryſ. Ser. 8. de Reſurr.

SAnctus Chryſoſtomus ait: *Nonnulli feſtivos eſſe dubitant, niſi gulæ, niſi ventri, niſi luxuriæ ſatisfecerint.* B. Serm. 50. n. 16. in fine. Et Ib. §. 3. Hi tales dicere videntur illud: *Quieſcere faciamus omnes dies Feſtos.* Nempe profanando illos. S. punct. 18. fol. 68. 69. &c.

Quis non frequenter violari cernit dies Feſtos: ruſticus currum parat ad vehenda ſtercora, falces acuminat, arma acuit, triticum ad nundinas, ad molindinum, ad praxatorium vehit; textor ſcamnum textorium præparat: ſartor pannum ſcindit: balneator venam ſecat, ſanguinem elicit, barbam radit: ſcriniator inſtrumenta polit: faber equos ungulat: feminæ linteamina colligunt, lixiviant, filos lavant, domum vertunt, poma ſcindunt, fructus ex arbore carpunt. Et quando hęc omnia? in die Feſto.

Judæus navigans in ſummo periculo naufragii propter Sabbatum nec manum movet ad laborem. Alii, quos Baronius nominat Doſitheos, tam ſuperſtitioſe obſervant Sabbatum, ut in eodem corporis ſitu ſine omni motu perſeverent. D. 1. 11.

Percurrat quis orbem Chriſtianum, & certe videbit, quod diebus Feſtis inter Nobiles & ignobiles, inter cives & ruſticos, inter viros & feminas in civitatibus, oppidis, & pagis, in domibus & plateis, in conviviis, luſibus, jocis, cachinnis, in viſitationibus, ambulationibus, hoſpitiis & choreis, in converſationibus, occaſionibus, & periculis, longe major & diſſolutior ſit inſolentia, quam diebus feriatis: dubium eſt, an non die Dominica plura, quam per totam ſeptimanam, committantur peccata! &c.

*167. Deteſtabilis coram Deo.*

*Solemnitates veſtras odivit anima mea,* ait Deus, quare? quia nunquam magis ſaltatur, ridetur, luxus, & luxuria propagatur, quam diebus Feſtis. *Convertam ſolemnitates veſtras in luctum:* ubi Gregorius: In luctum convertuntur, cum pro peccatis, quæ in ipſis committuntur, homines æternaliter puniuntur. S. punct. 19. fol. 70.

Olim cum deprehenſus quis fuit ligna colligens, in die Feſto, debebat lapidari: Chryſoſt. ait: Qui onus peccatorum colligit, quid ſuſtinebit? qui ligna ad inferni rogum comportat, quid timebit? S. punct. 19. fol. 71. punct. 18. fol. 68. ſeq.

Chriſtus in cruce pendens multa corpore, plura animo paſſus eſt: inter alia fuit, quod nunc crucifigeretur, dum Judæi diem Feſtum agunt. Sic in Feſtis Chriſtianorum adhuc frequentiſſime crucifigitur Chriſtus, &c. S. punct. 27. fol. 671.

Dæmon ſuum lucrum maxime conſequitur in Feſtis, ibi animas colligit, ſicut ſuas eleemoſynas. M. conc. 22. aſſ. 2. n. 7.

Nulli dies magis inhonorantur peccatis, quam Feſti. Cum igitur Deus præcepit: *Nolite portare pondera in die Sabbati:* quam iniquum eſt, ut quis portet pondus maximum peccati, quod Angelos de cælo depreſſit. Segn. Hom. Chr. p. 1. diſ. 11. n. 12.

Dantur furta minuta & gravia: gravia ſunt rariora, quia remordent conſcientiam. Minuta autem non curantur, etiamſi multiplicentur, quia putantur eſſe licita. Sic fit cum diebus Feſtis non inhonorantur aperte malleando, triturando, arando: verum leviori labore frequentius corrumpantur; unde fit, ut ſicut per furta minuta tandem fit gravis damnificatio, ita per labores minutos tandem fiat gravis diei Feſti violatio! &c.

*168. Feſta inhonorantur laboribus.*

Judæi accuratiſſime obſervabant Sabbata: Non præparabant cibos, non colligebant Manna, non lignum tollebant de humo; fuit enim aliquis lapidatus, qui viſus eſt ligna portare; non ramum decerpebant ab arbore, non excitabant focum, non emebant aut vendebant, non iter faciebant, non aggrediebantur hoſtem, &c. D. 3. 49. Quid igitur cenſendum de Chriſtianis, qui dies Feſtos abſque reverentia variis laboribus inhonorant? Paoletti Fer. 3. poſt Dom. Paſſionis.

Feſta a Deo & Eccleſia inſtituta ſunt unice ad curandam animam, quare cum S. Paulo dicendum eſt: *Rogamus vos fratres, ut veſtrum negotium agatis,* cetera negotia ſeponenda ſunt, & unice negotium animę curandum. Segn. Hom. Chr. p. 1. diſ. 11. n. 6. Quis autem credat, Chriſtiani in diebus Feſtis occupant ſe profanis negotiis? ſi Mundus præciperet quietem, & Chriſtus laborem, laborandum eſſet, nunc cum vice verſa Chriſtus præcipit quietem, laboratur: ſic Pharao fecit: eo tempore, quo Iſraelitæ debebant ſacrificare, præcepit eis: *Ite ad opera veſtra.* Sic Mundus & dæmon agunt. Ib. n. 7. 1. Theſ. 4. Exod. 5.

Deus & Eccleſia volunt, ut die Feſto animæ curam habeamus, hinc operum ſervilium impedimenta prohibentur; quia animus duabus rebus ſimul non poteſt eſſe intentus. Hoc ipſum dicit *ſanctificare*, nempe ad cultum Divinum applicare: ſicut cervi excutiunt cornua, ut expeditius ab hoc onere liberi fugere poſſint: ſic nos debemus abjicere negotia ſæcularia. P. Hom. Chr. part. 2. diſc. 11. num. 13.

Quis diabolus inventor eſt præparationum, ut vocant, pro die Feſto? Sic Sartor præparat pannum, Sutor præparat corium, Scriniarius præparat lignum, Faber præparat malleum, Piſtor præparat furnum, Pictores præparant colores, Braxatores præparant hordeum, Ruſtici præparant ſementem, Hortulani præparant palas, Aurigæ præparant currum axes, Lotrices præparant lixivia, Netrices præparant fila, & hæc omnia in die Feſto, ſine remorſu conſcientiæ, quia putant eſſe licita, &c.

### 169. *Punitur graviter a Deo.*

Mulier die Feſto crines pectinabat, & manus illi pectini accreſcit, donec tandem apud ſepulchrum S. Gregorii liberata fuit. Quidam ligna findebat, & ecce aſcia illi immobiliter manui adhæſit, donec peccatum ſuum S. Maurilio confeſſus eſt. Alius famulos ad trituram cogens, tribus annis excæcatur. Sanchez part. 7. c. 4. fol. 988.

S. Aichardus Abbas, cum die Dominica crines radi permittit, videt dæmonem, qui capillos omnes ſedulo colligebat. R. cent. 2. part. 1. mir. 31.

Quæ cauſa eſt tempeſtatum, grandinum, ſterilitatis, aliorumque malorum, quam profanatio Feſtorum? hinc omnes Reſpublicæ puniunt violatores Feſtorum. Segn. Hom. Chr. p. 1. diſc. 11. n. 11.

Nobilis in Germania dies Feſtos venationibus inhonorabat, cui in pœnam uxor puerum peperit cum capite canis venatici & auribus oblongis. Quo viſo errorem ille correxit. E. *Feſtum*: num. 1.

Piſtor in die Dominica pinſere ſolitus panes, dum e clibano panem extrahit, illum ſanguine fluere conſpicit. Ceteri autem panes qui ante, vel poſt Dominicam fuere impoſiti, nihil tale prodigioſi habebant. E. *Feſtum* n. 7.

Cum laniones quidam diebus Feſtis ſub officio Divino carnes venderent, moniti a curione quidam reſipuerunt, unus vero obſtinacior in peſſima conſuetudine perſeveravit. Verum Deus eum adeo punivit, ut Feſtis Pentecoſtalibus fulmen in ipſius domum deciderit, tanto cum terrore, ut ille ad inſaniam fuerit redactus. E. *Feſtum* n. 8.

Mulier Lutherana in Feſto Aſſumptionis B. V. balneum ſibi parabat: & ecce! domus illius integra conflagravit, lignis, quæ ad balneum comportarat, intactis. E. *Maria* n. 49.

Epidaurius quidam in ipſo Nativitatis Dominicæ Feſto, contra ſuaſionem aliorum navim ſolvens, naufragium facit, ſubmerſis omnibus quos vehebat. J. 9.

Quidam agrum arans monitus eſt, eſſe Feſtum S. Andreæ Apoſtoli: at ille: Quid ad me iſte Apoſtolus cum ſuis piſcibus. Et ecce! ſemen agri nil aliud protulit, quam inanes ariſtas cum tunicis piſcem redolentibus, cum tamen ceteri agri circumcirca elegantiſſima ſegete fœcundi apparerent. J. 125.

Mulieris pinſentis panem manus cæleſti igne aduritur. Joannes Caſtellæ Rex venationibus vacans die Feſto ab equo obteritur. Molitori molam reficienti inſtrumentum manui ita accrevit, ut nulla arte potuerit ſeparari. Aurifaber Gentilis Dominica die laborans a Thebæis Martyribus verberatur, & ſic Chriſtianus fit. C. Num. 15. v. 34.

*Agg. 2.* Apud Prophetam Aggæum hæc habentur: Reſpexiſtis ad amplius, & ecce factum eſt minus: & intuliſtis in domum, & exſufflavi illud: quam ob cauſam, dicit Dominus exercituum? quia domus mea (Eccleſia) deſerta eſt, & vos feſtinatis unuſquiſque in domum ſuam. Propter hoc ſuper vos prohibiti ſunt cæli, ne darent rorem, & terra prohibita eſt, ne daret germen ſuum. Ecce! quod quis temporis Deo ſuffuratur, & labori impendit, non proſperatur, ſed nocet.

### 170. *Feſta inhonorantur peccatis.*

*Thren. 1.* *Viderunt eam hoſtes, & deriſerunt Sabbata ejus.* Id eſt, dæmones viderunt Eccleſiam, & deriſerunt ejus Feſta, quia multis peccatis inhonorantur: *Hoſtes Sabbata derident*, ait Sanctus Gregorius: *cum maligni ſpiritus per vacationis otia ad illicita pertrahunt.*

*S. Greg. Mor. 5. in c. 1. Thre. Exod. 20. S. Chryſ. Hom. 11. in Act.*

Colligens ligna in Sabbato lapidatus eſt: Ubi S. Chryſoſtomus: *Si ligna colligens in Sabbato lapidatus eſt, qui multa graviora illa collectione operatur & onus peccatorum colligit, quid non ſuſtinebit?*

Chri-



Chriſtiani a ſcopo Feſtorum turpiter aberrant, qui Gentilium more a labore abſtinent, & luxui vacant. S. Hieronymus ait: Nobis ſolicitius providendum eſt, ut ſolemnem diem non tam ciborum abundantia, quam ſpiritus exultatione celebremus; quia valde abſurdum eſt nimia ſatietate velle honorare Martyrem, quem ſcias Deo placuiſſe jejuniis. C. Lev. 23. v. 2. Ethnicus Antiſthenes rogatus: Quid eſt Feſtum? Repoſuit: Eſt gulæ irritamentum, & luxuriæ occaſio. Ibidem.

*S. Hier. Epiſt. ad Euſtoch.*

S. Gregorius ait: Quid prodeſt intereſſe Feſtis hominum, ſi contingat deeſſe Feſtis Angelorum. C. Lev. 23. v. 21.

*S. Greg. hom. 33. in Evan.*

S. Stephanus Epiſc. Dienſis contra peccata, & profanationem Feſtorum diu de cathedra detonuit, ſed ſine effectu. Præcepit igitur dæmonibus, ut ſub ea forma apparerent, ſub qua homines ad profananda Feſta incitarent. Apparuerunt terribiles, & emendatus eſt populus. *N. 7. Sept.*

## Superſtitiones.

### 171. *In morbis non adhibendæ.*

Asa mortuus eſt, quia ſpem ſuam in medicis poſuit: Quid illis fiet, qui ad ariolos, pythoniſſas, & Deum Accaron confugiunt? S. punct. 29. fol. 127.

Mulier Chananæa ad Chriſtum fugit: Ubi Gregorius: Vide mulieris prudentiam, non ivit ad homines ſeductores, ſed recurrit ad Dominum. M. conc. 9. in Exord. n. 1.

S. Chryſoſtomus putat, per illa philacteria, quæ Chriſtus in Phariſæis improbavit, ſignificari quaſdam ſchedas conſervatorias ſanitatis, quæ illum effectum minime habere poterant. Plutarchus ait: *Qui periculoſiſſimis ægritudinibus conflictantur, cum deficiunt alia remedia, -- ad luſtrationes, ad amuleta, ad ſomnia confugiunt.* Idem affirmat Tertullianus de Græcis, quod chartas quaſdam obſcuris characteribus ſignatas, quas *periapta*, vocabant, e collo geſtare ſint ſoliti. Imperator Antonius Caracalla ſevere prohibuit ejuſmodi amuleta, multo magis SS. Patres damnant eos, qui talia vana remedia conficiunt. S. Baſilius in Pſalmum *Deus noſter refugium* deplorat, quod Chriſtiani neglecto Deo ad hujuſmodi ſuſpectas artes confugiant: *Nam ſi puer ægrotat, quæris incantatorem, aut eum, qui collo circumligat ſupervacuos aut inanes characteres.* O quanto cum damno animarum! quippe a diabolo hoſte infenſiſſimo nil boni ſperandum eſt. D. 4. 79.

S. Chryſoſtomus in illas matres, quæ ad tollenda puerorum faſcina cinerem, fuliginem, ſalem, aut vetulas uſurpant, graviter invehitur, illiſque ſuadet ſignum crucis. D. 6. 44.

*S. Chryſ. hom. 8. in c. 3. Epiſt. Coloſſ.*

Sanctus Bernardus, cum graviſſimis capitis doloribus laboraret, & ad eum vetula vocaretur, ut eum rhytmis & incantionibus ſanaret, aufugit, & ea nocte a Deo ſanatus fuit. Sanchez part. 7. c. 4. fol. 977. E. *Incantatio* n. 1.

### 172. *Uſurpantur in obſervatione ſomniorum, aut rerum vanarum.*

*Lev. 19.* *Non augurabimini, neque obſervabitis ſomnia.* Protagoras Philoſophus putabat nullum eſſe ſomnium ſine augurio: ſed falſo; ſomnia enim pure oriuntur ex operatione phantaſiæ, cujus imagines plus obſervationis, & ſignificationis non habent, quam figuræ, quas nonnunquam videmur nobis cernere in nubibus. *Ubi multa ſunt ſomnia, plurimæ ſunt vanitates, &c.* D. 2. 6. *Eccl. 5.*

Eſtne poſſibile eſſe ex Chriſtianis, qui felicitatem ſuam a malo dæmone ſperant? Eſt utique! tales ſunt, qui, ut ludo vincant, ut ſponſam quam optant ſortiantur, ut hoſtium tela eludant, non verentur ſtygiis actibus uti: ſchediaſmata peregrinis characteribus exarata, precandi formulas mendaciſſimis promiſſis refertas, aliaſque res profanas ſacris permiſtas adhibent. Cum enim res iſtæ vim nullam habeant ad producenda opera, quæ ipſi moliuntur, ſupereſt, ut adhibeantur non tanquam cauſæ, ſed tanquam ſigna, quibus poſitis dæmon illa effecta producit. Nec refert his formulis pia, ac Religioſa quædam admixta eſſe; ſicut enim viperæ non omni ex parte ſunt venenoſæ; ita hæc ſigna ſatis nocent, quod aliqua ex parte ſint diabolica, &c. &c. P. p. 1. diſc. 4. n. 19.

Juvenis poſt decoctum patrimonium invocat opem dæmonis: apparet iſte, ac juvenem in cryptam ſubterraneam ducit ad effodiendum theſaurum. Quid evenit? juvenis inſolito horrore perculſus intra triduum eſt mortuus. A dæmone nil boni ſperandum. P. part. 1. diſc. 1. num. 20.

Multi per media ſuperſtitioſa ſanitatem corporis quærunt; ſed male! quid enim boni ſperandum a dæmone? *Porrigit pomum, & ſurripit Paradiſum.* Largitur

S 4 modi-

modicum bonum, & dein irrogat grande malum. Peccatum fuit cauſa omnis mali in mundo, dæmon vero fuit occaſio; quis igitur ſperet, quod nunc peccatum dæmoni junctum aliquid boni in ædes inferat? &c. P. p. 1. diſc. 4. n. 21.

Dices, in Sacra Scriptura inveniri multos, qui ſuperſtitionibus, & vanis obſertionibus ſunt uſi: ſic Jonathas de Philiſthæis invadendis deliberans ajebat ad ſuos:
1. Reg. 14. *Si dixerint, aſcendite ad nos, aſcendamus; quia tradidit eos Dominus in manibus noſtris*. Gedeon ex ſomno Madianitæ ca-
Judic. 7. ptavit omen victoriæ. Clodovæus Rex caſtra movens contra Gothos miſit Tu-
Fulgoſ. l. 1. c. 3. ronem ad S. Martinum, cumque Legati templum ingreſſi audirent has pſallentium voces: *Præcinxiſti me virtute ad bellum*, cum hoc victoriæ captato omine regreſſi ſunt. Reſpondeo: Hæc omina fuiſſe inſtinctu a Deo datos comprobavit eventus: Econtra ſuperſtitioſum fuit omen Nabuchodonoſoris, quo dubitans,
Ezech. 21. an Ammonitas vel Judæos invadere deberet, duas ſagittas ſumpſit, & uni inſcripſit *Rabbath*, alteri *Hieruſalem*, dein unam cæce educens, eique inſcriptum videns Hieruſalem ſtatim contra eam perrexit. Simile omen fuit Philiſtinorum, qui ex itinere vaccarum Arcam Dei trahentium conjicere volebant, an plaga eis immiſſa fuiſſet a Deo, aut caſu obtigiſſet. C. Gen. c. 24. v. 13.

173. *Infelices & deceptoria ſunt.*

Duo peſſimi Studioſi a Necromanta petierunt, ut ſibi effectum ſuæ artis oſtenderet. Ille Studioſos in campo, facto circulo includit, cumque unus manum extra circulum extenderet, raptus a dæmone, verum cum Studioſi Necromantæ mortem minitarentur, reſtitutus eſt, ſed totus macer, pallidus, & miſer. E. *Incantatio* num. 1.

Quidam Frater cuculum viginti duabus vicibus glocitantem audiens, ſpem concepit ſe viginti duobus adhuc annis victurum; proin ſtatuit redire ad ſæculum & duobus ultimis reverti ad pœnitentiam. Sed tantum duobus annis vixit: ſic diabolus decipit. E. Verbo *Apoſtaſia* num. 7.

Mulieri oculorum livor ſanatur per ſchedulam cui inſcriptum erat: *Diabolus eruat tibi oculos*. Quidam ſtudioſus omnes feras effringit per ſchedulam in qua erant verba: *Joannes eſt nequam* (ita vocabatur) quid inanius? E. *Incarnatio* num. 3. 4.

Chriſto Domino in Excelſum montem abrepto promiſit diabolus: Hæc omnia tibi dabo, ſi cadens adoraveris me! Nota! Malignus ſpiritus promiſit, quod non erat in illius poteſtate, unde enim illi convenit dominium & proprietas ſuper omnia regna mundi? Ergo mendax decepit! Sed ponamus, quod totum mundum ſibi proprium habuerit. Quæro, vel promiſſa haſtenus hominibus data ſervavit, vel non? ſi non; quomodo tu fidem ab illo deceptore ſperare poteris, quam aliis non ſervavit? ſi ſervavit; jam non amplius habet totum mundum, adeoque hic & nunc mentitur. En! quomodo fidem ſperare poteris in ſuperſtitionibus?

174. *Sunt diligenter cavendæ.*

S. Chryſoſtomus contra ſuperſtitiones ſui temporis ait: *Multi genituram ſibi conſtruunt, multi obſervant inanes ſuperſtitiones, & ominibus, ſignis, auguriis ſerviunt, alii amuletis & excantationibus utuntur, multi dies obſervant, ingreſſus, egreſſus, ſi pes offendit, &c.* Imperator
S. Chryſ. Hom. 5. in Ep. 1. Cor.
Auguſtus cum conſcendendo navim pedem impingeret, tanquam funeſto omine reverſus eſt. Antiqui cum ſternutabant, inceptum negotium bene ceſſurum putabant. Quidam Princeps, cujus honoribus ejus inſignia floribus humi effigiebantur, triſtatur tanquam malo omine, familiam ſuam humi collapſuram, &c. Nugæ hæ ſunt Chriſtiano indignæ. D. 3. 4.

Gentiles in Achaja ſolebant ſuas neceſſitates idolo clam in aurem dicere, dein e delubro exeuntes obſervabant prima verba; quæ ab obvio quoque audiebant, & hæc verba erant ipſis inſtar reſponſi ad ſuum dubium idolo factum. Cæſar Auguſtus erat vanis obſervationibus deditus; ad pugnam progreſſus obvium habuit agaſonem, cui nomen *Eutychius* (id eſt felix) & nomen aſino *Nycon* (id eſt victor) ſtatimque victoriæ auguria cæpit. De illo ait Suetonius: *Auſpicia, & omina pro certiſſimis obſer-* Sueton. c. 29.
*vabat: ſi mane ſibi calceus perperam ac ſiniſter pro dextero induceretur, ut dirum: ſi terra marive ingrediente forte roraſſet, ut lætum profperi reditus* nuncium habebat. D. 4. 33.

A dæmone hoſte infenſiſſimo nil boni ſperandum eſt: juvenis quidam a mago Bizantium equo deportatur, ſed ita convulſus ut per aliquot dies ægrotarit, maluiſſet triduo pedes ire, quam uno

quaſi



quaſi momento cum tantis doloribus illuc vehi. D. 4. 79. in fine.

Imperator Valens Ariolos, & Pythones imo & Philoſophos nece mulctari præcipit: Quidam ſortilegi ex aviditate ſciendi, quis Valenti in regno eſſet ſucceſſurus, per artes magicas explorarunt ſucceſſurum aliquem, cujus nomen inchoaret per litteras *Theod*; omnes itaque quorum nomen per eas litteras inciperet, capite plecti juſſi ſunt. Valenti autem ſucceſſit Theodoſius, &c. D. 9. 24.

A dæmone neque beneficia acceptanda ſunt; quia ſemper malus finis deliteſcit: S. Elphegus Epiſcopus e catenis & carcere educitur, cum autem Deus illi revelaſſet, id a malo dæmone factum eſſe, ultro in carcerem rediit. Sanchez part. 7. c. 7. fol. 1028.

Cornelius Agrippa Magus commenſalem habuit, cui ſua curioſitas caro ſtetit. Agrippa quadam vice profectus, uxori claves muſæi tradidit addita prohibitione, ne quem ingredi ſineret. At commenſalis Agrippæ non deſtitit mulierem deprecari, ut ſibi Muſæum ingrediendi copiam faceret, donec id impetrarit. Ingreſſus incidit in quemdam libellum conjurationum, eumque legit. Mox ecce fit pulſatio ad januam, & nil reſpondente inexperto juvene dæmon ingreditur, quæritque cur vocatus ſit? quid fieri jubeat? Adoleſcenti metus vocem, dæmon fauces intercludit. Redit interim domum Archimagus Agrippa, videnſque exultantes ſuper eam dæmones utitur ſolitis artibus conjuratoriis: adſunt vocati, narrant rem, prout geſta fuit. Agrippa mandat homicidæ, ut cadaver ingreſſus forum aliquoties obambularet, tandemque corpus deſereret. Quod & factum eſt. VV. art. diſc. font. 16. Ex. 7. Ex hac hiſtoria potes tria colligere, crudelitatem, infirmitatem, & fallaciam dæmonis: crudelitatem; quia improvidum juvenem jugulavit: infirmitatem; quia occiſum revocare non potuit: fallaciam; quia cadaver ingreſſus populum veri juvenis ſpecie decepit. Et ſit aliquis, qui per ſuperſtitiones a dæmone quidquam boni ſperet?

## Veneficia.

175. *Puniuntur debitis ſuppliciis.*

CUm Enguerrandus regni male adminiſtrati accuſaretur, ejus uxor veneficum, & veneficam in opem vocavit: illi effigiem Ludovici X. & Caroli Valeſii e cera factam ad ignem appoſuerunt, quo uterque ſenſim emori debuiſſet, ſed venefici deprehenſi & ille laqueo, & illa igne puniti ſunt. E. p. 3. l. 6. fol. 193.

Beatus Engelbertus cæcus fuit natus: in domo, ubi habitabat, aliquando duo fures totam familiam magicis incantationibus ſoporabant, dein facto per murum foramine domum exſpoliare contendebant: B. Engelbertus audito tumultu excitare familiam laborabat, ſed incaſſum; igitur arrepto fuſte, quantum poterat, per tenebras digladiabatur, ut fures repelleret: & revera repulit. Fugientibus furibus necdum expergefacere poterat domeſticos, donec per tenebras coſtam humanam in illo foramine invenit, & amovit, &c.
Cæſar. l. 6. c. 10.
Quidam fures nocturni in aliqua domo noctu hoſpitari rogitabant, ſuſcepti in ædes domeſticis cubitum dilapſis, e reculis extrahere humanam manum, cujus digitis accenſis omnes in domo ſopore obruebant. Vigilabat una ancilla, cui fures erant ſuſpecti; cum igitur unus digitorum ardere nollet, illi nihil minus conſodales extra domum præſtolantes nota voce accerſebant. Ancilla volens excitare domeſticos, non poterat illis ſomnum excutere, ſuſpicata igitur rem ut erat, currit ad extinguendam manum, & ſubito dormientes omnes evigilarunt, fureſque capti ad ſupplicium rapti ſunt. D. 5. 15.
Martin. Del Rio l. 3. Diſq. Mag. p. 1. q. 2.

Quamquam autem dæmon ejuſmodi impoſturas faciat, non poteſt tamen ſagas ſubſtantialiter tranſmutare in lupos, bufones &c. quia id fit turbatione phantaſiæ, vel illuſione &c. VV. artic. diſc. font. 55. ex. 1.

176. *Nocere non poſſunt Chriſtianis.*

Cyprianus Magus non poteſt pervertere Virginem Juſtinam cruce ſignatam: cauſam a dæmone interrogans audit: *Nullam artem illi preceſſuram adverſus eos, qui vere Chriſtum colerent.* Qua re Cyprianus converſus, & Martyr factus eſt. Lactantius ait de gentilibus: *Cum Diis ſuis immolant, ſi aſſiſtat aliquis ſignatam frontem gerens, ſacra nullo modo litant, &c.* D. 4. 26.

Simile quid legitur de S. Anatolia Virgine & Martyre: cum Nobilis quidam, nomine Audax, Magicæ arti addictus immanem contra illam ſerpentem armaret, ſerpens pepercit Virgini, & Magi Audacis collum invaſit. Periiſſet ille, niſi Anatolia Virgo, auxiliatricem manum illi ſancta cruce attuliſſet. *Annus Sacer, N. & alii 9. Julii.*

San-

Sanguis in poſtibus ſignatus in modum litteræ ſeu ſigni *Tau* fuit teſſera, qua liberati fuerunt Hebræi in Ægypto ab Angelo interfectore. C. Exod. 12. v. 11. Chriſtiani per ſanguinem Chriſti redempti, in Baptiſmate aliiſque Sacramentis cruce ſignati ſunt, & quotidie ſignantur; igitur ſecuri ſunt, præſertim ſi a peccatis abſtineant, ab Angelo malo, ejuſque amanuenſibus & aſſeclis.

Julianus Apoſtata cum magicas incantationes faceret, apparentem ſibi habuit terribilem dæmonem: territus repetebat ſignum crucis, quod apud Chriſtianos didicerat, & dæmon diſparuit, magis ac veneficis nihil porro efficientibus. D. 4. 26. Si crux tam efficax fuit pro rebelli Deo & infido Principe, quantum proderit Chriſtiano fideli ac pio!

Aſinus S. Reguli a dæmone invadendus, pede in terra crucem format, & ſic dæmonem in fugam agit. E. *Crucis ſignum* num. 7.

## PECCATA CONTRA VIRTUTEM SPEI.

### Præſumptio de Miſericordia Dei.

177. *Quo diuturnior eo punibilior.*

DAvid de Deo inquit: *Arcum ſuum tetendit*: Sagittarius quanto magis ſagittam retrahit, tanto gravius ferit; S. Gregorius ait: *Eo acrius punit, quo diutius pertulit*. B. Serm. 10. per totum. Serm. 51. §. 8. S. punct. 27. fol. 120. Vide Titulum: *Juſtitia Dei*.

Peccator ſibi de Miſericordia Dei omnia fauſta præſagit, ſicut Vir ille, qui ut infauſta Aſtrologorum prognoſtica eluderet, Globum cæleſtem ex gypſo ſibi confici curavit, & in eo ſemper ea ſydera conjunxit, quæ benigniſſima eſſe inaudiit: ſic peccator ſomniat meras ſyderum combinationes ſibi faventes: & dein repente a cauſa non prævisa morte obruitur, &c. P. p. 1. diſc. 5. n. 25.

Deſinant præſumptuoſi cantilenam illam ſibi familiarem occinere: *Miſerationes Dei ſunt multæ! Deus non condidit Chriſtianos, ut eos æternum damnaret, &c.* Vera ſunt iſta, ſed male intellecta: Nec Machometanos Deus condidit ut damnentur, damnantur tamen! Qui Statuas ſculpunt, non eum in finem ligna in ſylvis cædunt, ut ea concrement, ſi quis tamen truncus artificis manibus contumaciter reſiſtit, in fornacem projicitur, non culpa ligni, ſed intractabilium illorum nodorum, quos artifex in eo reperit. Sic Deus damnat culpas inexpugnabiles illius obſtinationis, qua peccator Deo reſiſtit. *Perditio tua ex te Iſrael*. P. p. 1. diſc. 5. n. 26. &c.

Phariſæus ſuperbe in templo orans: Deus gratias tibi ago, quod non ſum ſicut ceteri, reprobatus eſt, quia præſumpſit diſponere de Miſericordia Dei, & Publicanum faſtuoſe deſpexit, &c.

178. *Peſſime confidit ſibi licitum fore quod aliis.*

Oza percuſſus eſt *ſuper temeritate*: qua illa? Theodoretus ait: *Hoc eum fefellit, quod ſic emiſſa ab alienigenis nemini nocuit*: Nimirum vidit Oza, quod Philiſthæi arcam plauſtro impoſitam remiſerint, hinc & ſibi licitum eſſe credebat arcam imponere currui, quam humeris debebat portare. Sed mortuus concidit. B. Serm. 10. n. 33. 2. Reg. 6.

Pharao rubrum mare ingreditur, quia præſumpſit, etiam ſibi viam inter aquas perviam fore, ſicut Iſraelitis; ſed periit. B. Serm. 12. num. 4. Serm. 13. n. 9. & ſeq.

Piſtor Pharaonis ſuſpenſus eſt, quia confidit ſuum ſomnium etiam ita benigne expoſitum iri ſicut pincernæ. B. Ser. 49. n. 14. ſeq.

Peccatores identidem ſibi Miſericordiam Dei ante oculos ponunt amore proprio excæcati, juſtitiam autem nolunt reſpicere: *Pater juſte, Mundus te non cognovit*. Jer. 7. Non dixit Chriſtus, Pater Miſericors, Pater Omnipotens, ſed *Juſte*; quia nullum attributum minus cognoſcunt homines, quam juſtitiam: vellent neſcire, quod vellent non experiri: Elephas cum ſemitam anguſtam tranſire debet, retrogradus it, ut præſentis periculi metu non conſternetur: ſic peccatores greſſum promovent, &c. P. p. 1. diſc. 5. num. 29.

Ægrotus hectica, ſeu Phthyſi laborans, cum audiit hydropicum per medicinam purgativam fuiſſe ſanatum, eandem potionem ſibi præparari juſſit, & hauſit: verum quod primo profuit ad ſanitatem, iſtum promovit ad mortem. Idem contingere poteſt in ægritudine ſpirituali animæ, quod uni prodeſt ex Miſericordia Dei, alteri nocere poteſt ex juſtitia Dei, &c.





179. *Remedium ſalutis convertit in ſuam perniciem.*

S. Iſidorus ait: *Per id deteriorantur iniqui, quod per patientiam Dei ſpatium accipiunt emendandi*. B. Serm. 12. n. 4.

Sanctus Gregorius: *Incaſſum miſericordiam ſperat, ſi non etiam juſtitiam timeat, incaſſum juſtitiam metuit, ſi non etiam de miſericordia confidat*. B. Serm. 51. §. 8.

Non eſt medicamentum adeo excellens, quod non ex vitio ſtomachi verti poſſit in venenum: ita quamvis Miſericordia Dei optimum ſit peccatricis animæ medicamentum, tamen præſumptuoſis cedit in venenum &c. A. 1. lect. 3. n. 1.

Peccatores gloriantur: *Peccavi, & quid accidit mihi triſte*. Ex longanimitate Dei fiunt audaciores; ſi enim ad primam blaſphemiam lingua fœde intumuiſſet, ſi ad primum furtum manus aruiſſet, ſi ad primam laſciviam caro lepra fuiſſet infecta, jam non darentur blaſphemi, fures, & laſcivi. Sed quoniam Deus parcit, pergunt illi in ſua impietate, & ideo perſeverant eſſe mali, quia Deus bonus eſt. Segn. Manna 22. Junii n. 1.

Quid eſt Dei gratia, quid eſt inſignis ſcientia in re etiam morali? ſunt efficaciſſima remedia ad ſalutem. Verum nemo putet, ſe in utraque ita creviſſe, ut cadere & perire non poſſit; ait enim S. Auguſtinus: *Nulla præſumptio pernicioſior, quam de propria juſtitia, aut ſcientia ſuperbire*. S. Aug. in Eccli. c. 7.

Elegantiſſimo floſculo inſidet tam apicula quam aranea: illa dulciſſimum mel, iſta nocentiſſimum venenum ex eo ſugit; quia ſunt diverſiſſimæ indolis & naturæ. Ita Miſericordia Dei peccatori contrito, quia pie illa utitur, prodeſſe poteſt ad ſalutem, peccatori autem præſumptuoſo, quia illa impie abutitur, cedere poteſt in interitum, &c.

180. *Corrigitur intuitu Juſtitiæ Divinæ.*

Pſal. 100. Auct. hic. *Miſericordiam, & judicium tuum cantabo tibi*: Ubi Hieronymus: *Audiant canticum miſericordiæ peccatores, qui de ſua ſalute deſperant: Audiant canticum juſtitiæ peccatores, judicii contemptores, &c.* B. Serm. 49. §. 4.

Ægroti interdum ſomniant ſemel lingua lambere: & hoc ſomnium habent Medici pro peſſimo omine. Parem in modum peccatores ſemper mel in ore circumferunt, id eſt, Miſericordiam Dei laudant. Hi in maximo periculo verſantur; hinc ſpiritualis Medicus ipſis antidotum præparet, ante oculos ponendo Juſtitiam Dei. P. p. 1. diſc. 5. n. 1.

Cur Dominus Deus ſæpe animas a multo tempore ſibi fideles ac pias, in graviſſimas tentationes, aut ipſum etiam peccatum labi permittat, cauſſa eſt, ut ordinem Juſtitiæ Divinæ agnoſcere, & timere diſcant, quæ præſumptionem & ſuperbiam ita caſtigare ſolet: *Pia Conditoris diſpenſatione agitur, ut de ſe confidens anima tentatione pulſetur, ut præſumptionis propriæ faſtum deponat*, verba ſunt S. Gregorii. S. Greg. in Mor.

Qui mare pernavigant, non tantum faventi, ac ſerenæ, ſed etiam turbidæ, ac periculoſæ tempeſtati ſe parant, ideo de funibus, anchoris, & finitimis Inſulis ſibi proſpiciunt. Ita Chriſtianus in hoc vitæ itinere non ſolum Miſericordiam, ſed & Juſtitiam Dei reſpicere debet. Ponat ſibi ante oculos non tantum eos, qui poſt multa peccata converſi & ſalvati ſunt, ſed etiam illos, qui poſt diuturnum Dei ſervitium defecerunt, & perierunt, uti Origenes, Tertullianus & alii, &c.

### Deſperatio.

181. *Eſt peccatum omnium graviſſimum.*

UTro peccato gravius deliquit Judas Deum vendendo, aut deſperando? Reſpondet Hieronymus: *Magis offendit Judas Dominum, quia ſe ſuſpendit, quam quia Dominum prodidit*. Serm. 10. nu. 12. Per venditionem enim ſolum offendit Chriſti humanitatem, mortalem utique, & morti obnoxiam. Per deſperationem autem offendit Divinitatem, eique negavit perfectionem, quæ eſt ſuper omnia opera ejus, nempe miſericordiam.

Deus eſt infinita Bonitas, qui Deo Bonitatem negat, Deum negat: Audi S. Auguſtinum: *Cum Deus velit miſereri, quia bonus eſt, & poſſit, quia Omnipotens eſt, ipſe contra ſe bonitatis januam claudit, qui Deum ſibi miſereri aut non velle, aut non poſſe credit, cumque aut bonum, aut omnipotentem eſſe diffidit*. S. Aug. Ser. 38. temp.

*Magnam Deo injuriam facit*, ait Sanctus Chryſoſtomus, *qui de miſericordia ejus diffidit*. S. Chryſ. Hom. 5 de Pœnit.

Sic ægrotus, quamdiu malo ſuo remedium, & valetudinem ſperat, abſtinet a cibis nocivis: cum autem viderit inſanabilem ſe eſſe, jam nihil guſtui negat, quod libet. Ita peccator, dum mediocriter pec-

Sanguis in poſtibus ſignatus in modum litteræ ſeu ſigni *Tau* fuit teſſera, qua liberati fuerunt Hebræi in Ægypto ab Angelo interfectore. C. Exod. 12. v. 11. Chriſtiani per ſanguinem Chriſti redempti, in Baptiſmate aliiſque Sacramentis cruce ſignati ſunt, & quotidie ſignantur; igitur ſecuri ſunt, præſertim ſi a peccatis abſtineant, ab Angelo malo, ejuſque amanuenſibus & affeclis.

Julianus Apoſtata cum magicas incantationes faceret, apparentem ſibi habuit terribilem dæmonem: territus repetebat ſignum crucis, quod apud Chriſtianos didicerat, & dæmon diſparuit, magis ac veneficis nihil porro efficientibus. D. 4. 26. Si crux tam efficax fuit pro rebelli Deo & infido Principe, quantum proderit Chriſtiano fideli ac pio!

Aſinus S. Reguli a dæmone invadendus, pede in terra crucem format, & ſic dæmonem in fugam agit. E. *Crucis ſignum* num. 7.

## Peccata contra virtutem Spei.

### Præſumptio de Miſericordia Dei.

177. *Quo diuturnior eo punibilior.*

DAvid de Deo inquit: *Arcum ſuum tetendit*: Sagittarius quanto magis ſagittam retrahit, tanto gravius ferit; S. Gregorius ait: *Eo acrius punit, quo diutius pertulit*. B. Serm. 10. per totum. Serm. 51. §. 8. S. punct. 27. fol. 120. Vide Titulum: *Juſtitia Dei*.

Peccator ſibi de Miſericordia Dei omnia fauſta præſagit, ſicut Vir ille, qui ut infauſta Aſtrologorum prognoſtica eluderet, Globum cæleſtem ex gypſo ſibi confici curavit, & in eo ſemper ea ſydera conjunxit, quæ benigniſſima eſſe inaudiit: ſic peccator ſomniat meras ſyderum combinationes ſibi faventes: & dein repente a cauſa non prævisa morte obruitur, &c. P. p. 1. diſc. 5. n. 25.

Deſinant præſumptuoſi cantrienam illam ſibi familiarem occinere: *Miſerationes Dei ſunt multæ! Deus non condidit Chriſtianos, ut eos æternum damnaret, &c.* Vera ſunt iſta, ſed male intellecta: Nec Machometanos Deus condidit ut damnentur, damnantur tamen! Qui Statuas ſculpunt, non eum in finem ligna in ſylvis cædunt, ut ea concrement, ſi quis tamen truncus artificis manibus contumaciter reſiſtit, in fornacem projicitur, non culpa ligni, ſed intractabilium illorum nodorum, quos artifex in eo reperit. Sic Deus damnat culpas inexpugnaniles illius obſtinationis, qua peccator Deo reſiſtit. *Perditio tua ex te Iſrael*. P. p. 1. diſc. 5. n. 26. &c.

Phariſæus ſuperbe in templo orans: Deus gratias tibi ago, quod non ſum ſicut ceteri, reprobatus eſt, quia præſumpſit diſponere de Miſericordia Dei, & Publicanum faſtuoſe deſpexit, &c.

178. *Peſſime confidit ſibi licitum fore quod aliis.*

Oza percuſſus eſt *ſuper temeritate*: qua illa? Theodoretus ait: *Hoc eum fefellit, quod ſic emiſſa ab alienigenis nemini nocuit*: Nimirum vidit Oza, quod Philiſthæi arcam plauſtro impoſitam remiſerint, hinc & ſibi licitum eſſe credebat arcam imponere currui, quam humeris debebat portare. Sed mortuus concidit. B. Serm. 10. n. 33. 2. Reg. 6.

Pharao rubrum mare ingreditur, quia præſumpſit, etiam ſibi viam inter aquas perviam fore, ſicut Iſraelitis; ſed periit. B. Serm. 12. num. 4. Serm. 13. n. 9. & ſeq.

Piſtor Pharaonis ſuſpenſus eſt, quia confidit ſuum ſomnium etiam ita benigne expoſitum iri ſicut pincernæ. B. Ser. 49. n. 14. ſeq.

Peccatores identidem ſibi Miſericordiam Dei ante oculos ponunt amore proprio excæcati, juſtitiam autem nolunt reſpicere: *Pater juſte, Mundus te non cognovit*. Non dixit Chriſtus, Pater Miſericors, Pater Omnipotens, ſed *Juſte*; quia nullum attributum minus cognoſcunt homines, quam juſtitiam: vellent neſcire, quod vellent non experiri: Elephas cum ſemitam anguſtam tranſire debet, retrogradus it, ut præſentis periculi metu non conſternetur: ſic peccatores greſſum promovent, &c. P. p. 1. diſc. 5. num. 29. Jer. 7.

Ægrotus hectica, ſeu Phthyſi laborans, cum audiit hydropicum per medicinam purgativam fuiſſe ſanatum, eandem potionem ſibi præparari juſſit, & hauſit: verum quod primo profuit ad ſanitatem, iſtum promovit ad mortem. Idem contingere poteſt in ægritudine ſpirituali animæ, quod uni prodeſt ex Miſericordia Dei, alteri nocere poteſt ex juſtitia Dei, &c.

179. Re-



179. *Remedium ſalutis convertit in ſuam perniciem.*

S. Iſidorus ait: *Per id deteriorantur iniqui, quod per patientiam Dei ſpatium accipiunt emendandi*. B. Serm. 12. n. 4.

Sanctus Gregorius: *Incaſſum miſericordiam ſperat, ſi non etiam juſtitiam timeat, incaſſum juſtitiam metuit, ſi non etiam de miſericordia confidat*. B. Serm. 51. §. 8.

Non eſt medicamentum adeo excellens, quod non ex vitio ſtomachi verti poſſit in venenum: ita quamvis Miſericordia Dei optimum ſit peccatricis animæ medicamentum, tamen præſumptuoſis cedit in venenum &c. A. 1. lect. 3. n. 1.

Peccatores gloriantur: *Peccavi, & quid accidit mihi triſte*. Ex longanimitate Dei fiunt audaciores; ſi enim ad primam blaſphemiam lingua fœde intumuiſſet, ſi ad primum furtum manus aruiſſet, ſi ad primam laſciviam caro lepra fuiſſet infecta, jam non darentur blaſphemi, fures, & laſcivi. Sed quoniam Deus parcit, pergunt illi in ſua impietate, & ideo perſeverant eſſe mali, quia Deus bonus eſt. Segn. Manna 22. Junii n. 1.

Quid eſt Dei gratia, quid eſt inſignis ſcientia in re etiam morali? ſunt efficaciſſima remedia ad ſalutem. Verum nemo putet, ſe in utraque ita creviſſe, ut cadere & perire non poſſit; ait enim S. Auguſtinus: *Nulla præſumptio pernicioſior, quam de propria juſtitia, aut ſcientia ſuperbire*. S. Aug. in Eccli. c. 7.

Elegantiſſimo floſculo inſidet tam apicula quam aranea: illa dulciſſimum mel, iſta nocentiſſimum venenum ex eo fugit; quia ſunt diverſiſſimæ indolis & naturæ. Ita Miſericordia Dei peccatori contrito, quia pie illa utitur, prodeſſe poteſt ad ſalutem, peccatori autem præſumptuoſo, quia illa impie abutitur, cedere poteſt in interitum, &c.

180. *Corrigitur intuitu Juſtitiæ Divinæ.*

Pſal. 100. Hier. hic. *Miſericordiam, & judicium tuum cantabo tibi*: Ubi Hieronymus: *Audiant canticum miſericordiæ peccatores, qui de ſua ſalute deſperant: Audiant canticum juſtitiæ peccatores, judicii contemptores, &c.* B. Serm. 49. §. 4.

Ægroti interdum ſomniant ſemel lingua lambere: & hoc ſomnium habent Medici pro peſſimo omine. Parem in modum peccatores ſemper mel in ore circumferunt, id eſt, Miſericordiam Dei laudant. Hi in maximo periculo verſantur; hinc ſpiritualis Medicus ipſis antidotum præparet, ante oculos ponendo Juſtitiam Dei. P. p. 1. diſc. 5. n. 1.

Cur Dominus Deus ſæpe animas a multo tempore ſibi fideles ac pias, in graviſſimas tentationes, aut ipſum etiam peccatum labi permittat, cauſſa eſt, ut ordinem Juſtitiæ Divinæ agnoſcere, & timere diſcant, quæ præſumptionem & ſuperbiam ita caſtigare ſolet: *Pia Conditoris diſpenſatione agitur, ut de ſe confidens anima tentatione pulſetur, ut præſumptionis propriæ faſtum deponat*, verba ſunt S. Gregorii. S. Greg. in Mor.

Qui mare pernavigant, non tantum faventi, ac ſerenæ, ſed etiam turbidæ, ac periculoſæ tempeſtati ſe parant, ideo de funibus, anchoris, & finitimis Inſulis ſibi proſpiciunt. Ita Chriſtianus in hoc vitæ itinere non ſolum Miſericordiam, ſed & Juſtitiam Dei reſpicere debet. Ponat ſibi ante oculos non tantum eos, qui poſt multa peccata converſi & ſalvati ſunt, ſed etiam illos, qui poſt diuturnum Dei ſervitium defecerunt, & perierunt, uti Origenes, Tertullianus & alii, &c.

### Deſperatio.

181. *Eſt peccatum omnium graviſſimum.*

UTro peccato gravius deliquit Judas Deum vendendo, aut deſperando? Reſpondet Hieronymus: *Magis offendit Judas Dominum, quia ſe ſuſpendit, quam quia Dominum prodidit*. Serm. 10. nu. 12. Per venditionem enim ſolum offendit Chriſti humanitatem, mortalem utique, & morti obnoxiam. Per deſperationem autem offendit Divinitatem, eique negavit perfectionem, quæ eſt ſuper omnia opera ejus, nempe miſericordiam.

Deus eſt infinita Bonitas, qui Deo Bonitatem negat, Deum negat: Audi S. Auguſtinum: *Cum Deus velit miſereri, quia bonus eſt, & poſſit, quia Omnipotens eſt, ipſe contra ſe bonitatis januam claudit, qui Deum ſibi miſereri aut non velle, aut non poſſe credit, cumque aut bonum, aut omnipotentem eſſe diffidit*. S. Aug. Ser. 38. temp.

*Magnam Deo injuriam facit*, ait Sanctus Chryſoſtomus, *qui de miſericordia ejus diffidit*. S. Chryſ. Hom. 5 de Pœnit.

Sic ægrotus, quamdiu malo ſuo remedium, & valetudinem ſperat, abſtinet a cibis nocivis: cum autem viderit inſanabilem ſe eſſe, jam nihil guſtui negat, quod libet. Ita peccator, dum mediocriter peccat,

cat, ſperat ſalutem, cum autem peccata peccatis adjiciens ſpem abjicit, jam nihil, quantumvis atrox, facere perhorreſcit.

*Tobner Bibl. v. Deſper. §.5.n.11.* Hujus etiam farinæ ſunt, qui Deo ordinem, & quaſi leges, ac modum ſuæ ſalutis præſcribere volunt; iſti fidem, ſpem, caritatem, omnemque ſenſum devotionis abjiciunt. Comes quidam Anglus Atheiſmi nugis infeſtatus, contra remedia omnia dubius anxiuſque hæſit: ergo ad alicujus Eccleſiæ ædificium duo aureorum millia dono dedit, ut Deus ſe ſibi manifeſtaret. Ulterius in eum finem ciliciis, inedia, aliiſque ſe afflixit, ut a Deo prodigium extorqueret. Cum nihil impetraret, factus eſt Sacerdos, ratus, facilius tunc Divina ſe viſurum. Cum nec ſic proficeret, meretriculam duxit. Morti demum proximus, vocavit quidem Confeſſarium, ſed antequam iſte adventaret, obiit infelix.

182. *Oritur ex conſideratione ſolius Juſtitiæ Dei.*

Poſtquam audivi confeſſionem Judæ, ſtatim prævidi, quod ſit deſperaturus: Ajebat enim: *Peccavi tradens ſanguinem juſtum*. Quid agis infelix? ante peccatum debuiſſes Deum intueri ut juſtum, poſtea ut miſericordem. B. Serm. 10. n. 17.

Non tantum Juſtitiam, ſed etiam Miſericordiam Dei reſpiciat peccator, illam ut non præſumat, & hanc ne deſperet.

*S. Aug. l. de Symb.* Audiamus S. Auguſtinum: *Latro agnovit, Petrus negavit! In Petro demonſtratur juſtum non de ſe præſumere, in latrone nullum impium debere diffidere converſum. Timeat ergo bonus, ne pereat per ſuperbiam, & malus non deſperet per multam malitiam.*

Qui Juſtitiam timet, fugiat ad Miſericordiam! *Quid eſt peccatum ad Dei Miſericordiam?* Interrogat S. Chryſoſtomus, *S. Chryſ. in Pſal. 50. Homil.* & ſibi reſpondet: *Tela araneæ eſt, quæ flante vento nuſquam comparet!* Sed dicis, heu modicum temporis pœnitentiæ ſupereſt! Quid tum? *Non impeditur temporis anguſtia Miſericordia Dei?*

Dicis: Eheu! peccata mea ſunt graviſſima, & innumera! Quid tum? *S. Chryſ. Proem. in Iſa.* *Peccata poſſunt magnitudine & numero definiri*, ait idem Chryſoſtomus, *Miſerationes autem Dei, neque magnitudine, neque numero poſſunt circumſcribi.*

Verum quidem eſt, pœnitentia ſera eſt periculoſa, ſed audi S. Cyprianum: *S. Cypr. ſer. de pœn. Hom.* *In articulo temporis, cum jam anima ſeſtinat ad exitum, & egrediens ad labia emerſerit, pœnitentiam clementiſſimi Dei benignitas non aſpernatur, nec ſerum eſt, quod verum eſt, nec irremiſſibile quod voluntarium. Non quantitas criminis, nec brevitas temporis, nec horæ extremitas, nec vitæ enormitas, excludit a venia. Omni tempore Dei gratia recipit pœnitentes! &c.*

Juſtitia Dei non ſola reſpicienda eſt, ſed una cum Miſericordia Dei. B. Ser. 10. n. 14. & ſeq.

## Præſumptio de ſuis Viribus.

183. *Quam temeraria ſit.*

PEtrus ideo derelictus eſt in negatione, quia dixit: *Etiamſi omnes, ego non*: B. Serm. 60. n. 9. Serm. 58. §. 9.

Iſraelitæ bis victi ſunt, quia in ſuas vires confidebant. B. Serm. 26. n. 33. 34.

De Petro negante ait Auguſtinus: Ecce columna firmiſſima: ecce caput illud aureum ad unius lapilli contactum, ut corruit! S. punct. 9. fol. 569.

Audeo dicere, inquit Auguſtinus, *ſuperbis utile eſſe cadere*, nimirum ut humilientur, & clamare diſcant cum Davide: *Salvum me fac Deus, quoniam defecit Sanctus*. S. punct. 9. fol. 569. 571.

Multi ſunt, qui magna facere, aut pati deſiderant, cum tamen modica ſuſtinere non poſſint: Chryſoſtomus ait: *Putaſne poteſt iſte vulneribus invenire victoriam, qui nec ictu palmæ acquirere vult coronam?* S. punct. 13. fol. 587.

Quidam Monachus ſeniculus & decrepitus in Scythia ſtatuit ſecedere in Ægyptum: dehortatus eſt eum Abbas Moyſes, prædixitque, eum caſtitatis jacturam paſſurum. Abiit nihilominus ille, & cum morbo affligeretur, juvenis quædam puella ei obſequioſe aderat. Sed eheu! cum hac cecidit, natum infantem ſecum in Scythiam retulit, & confratribus cum fletu dixit: En hic infans filius eſt inobedientiæ meæ. Dein ſeveram egit pœnitentiam. A. lect. 5. n. 17.

S. Catharina Bononienſis jam ad magnum perfectionis apicem evecta inſultabat dæmoni, non poſſe amplius illum tam ſubtilem tentationum telam texere, quam illa non adverteret. Diſplicuit Deo hæc præſumptio: permiſit illam integro quinquennio cadere in terribiles tentationes, anxietates & perplexitates, fere ad deſperationem uſque, quam dæmon nunc in ſpecie Beatæ Virginis, nunc in ſpecie ipſius Chriſti illi apparens identidem auxit. Tandem Deus illam liberavit, eique



que revelavit, quod in iſta animi deſolatione plus meriti collegerit, quam ſi in meris ſolatiis vixiſſet. T. num. 19.

Quidam in ſua fortitudine confidentes audent adire pericula, aliis pernicioſa, ſed deſipiunt, eum in modum, quo nauta, ſi temerario auſu cum navigio ſe conjiceret in ſyrtes & charybdes naufragiis infames: in hos invehitur S. Auguſtinus inquiens: *S. Aug. l. de ſingul. Cler.* *Nimium præceps eſt, qui intrare contendit, ubi alios cecidiſſe viderit, & vehementer infrænis, cui non incutitur timor alio pereunte.*

Quidam ſibi ſolis ſapere videntur, & reſpuunt conſilia majorum, de his ait S. Gregorius: *S. Greg. in Mor.* *Immenſa præſumptio eſt, a ſeniore ſibi reverentiam exigere, & ſilentium imperare meliori, &c.*

Multi cum ad ſublimiorem virtutis gradum aſcenderunt, id omne ſuæ induſtriæ adſcribunt, ſed peſſime; ſicut enim non ſibi ipſis debent, quod ſint, ita neque quales ſint. *Valer. Epiſc. in quodam Ser.* *Cum non ſit noſtrum quod ſumus, quomodo noſtrum eſt, quod habemus? ſtultitiæ genus eſt, ut cum alii debeas vitæ beneficium, tibi adſcribas ornamenta virtutum*, ait Valerius.

## Procraſtinatio Pœnitentiæ.

184. *Eſt valde periculoſa.*

CHriſtus tres mortuos excitavit, non vero quartum, nimirum impœnitentem. B. Serm. 60. n. 30. ad finem.

Chryſaorius clamat inducias, ſed fruſtra. B. Serm. 6. n. 30. S. punct. 31. fol. 732. & ſeq.

Ne dicas: juvenis ſum, dabitur adhuc tempus pœnitendi: ait enim Bernardus: *Quid de futuro tam temere præſumis*, quaſi Deus tempus poſuiſſet in tua poteſtate? &c. B. Serm. 6. n. 15.

Archias Rex Thebarum, quia legere epiſtolam in craſtinum differt, ab hoſtibus opprimitur. B. Serm. 7. nu. 29. Serm. 43. §. 2.

De ætate ſua juvenili præſumpſit Ammon, ſed in flore juventutis occiſus eſt. B. Serm. 13. num. 16.

S. Gregor. ait: *Qui vivens oblitus eſt Dei, moriens obliviſcitur ſui*. S. punct. 130. fol. 404. punct. 31. fol. 732. & ſeq.

*Job 24.* *Dedit ei Deus locum pœnitentiæ, & ille abutitur eo in ſuperbiam*. Duplici autem ratione procraſtinator abutitur ſpatio pœnitentiæ in ſuperbiam: 1. quia ex longanimitate Dei fit audacior; ſi Deus in uſu haberet ſtatim punire poſt peccatum, certe modeſtius ageret. 2. Quia non obſtante procraſtinatione ſperat ſe in exitu vitæ ſtatim res ſuas componere, & cælum, quod aliis tanto impendio ſtetit, uno ſuſpirio acquirere, adeoque tam fortunatum ſe credere, ut inter centena millia peccatorum ille ſolus ſalvetur, ſicut qui in magna clade exercitus evaſit incolumis: *Tanquam qui evaſerit in die belli*. *Eccl. 40.* Segn. Manna 21. Febr.

Antiochus in morte ſanctiſſima fecit propoſita, & tamen periit: Quare? quia ſerio non agebat, ſed tantum ex metu mortis. Hinc Ambroſius: Qui in ultimæ ægritudinis neceſſitate pœnitentiam agit, & moritur, veritatem dico, non quidem denegandum illi eſſe arbitror quod petit, videlicet abſolutionem, verum neque auſim dicere, quod bene ſit mortuus, &c. D. 9. 10.

185. *Reddit pœnitentiam ſemper difficiliorem.*

Sanctus Auguſtinus quotidie magis ſecum ipſo luctabatur: *Differens dicebam modo, ecce modo, ſine paululum: ſed modo, & modo, non habebat modum*. B. Serm. 7. num. 17. *S. Aug. l. 8. confeſ. 5.*

*Petra refugium herinaceis*. Herinaceus eſt figura peccatoris ideo maxime, quia dum aculeos fœtus ſentit, ſemper magis, ac magis differt partum; ſed quo magis differt, eo difficilius parit: hæc ſunt *procraſtinationis damna*, ait Pierius. B. Serm. 7. n. 23. 24.

Sanctus Auguſtinus ait: *Erit tempus, in quo peccator velit pœnitere, & non poterit, quia quando potuit noluit, & propter malum nolle, perdidit bonum poſſe*. B. Serm. 51. num. 14.

*Date Domino Deo veſtro gloriam* (id eſt *Jer. 13.* pœnitentiam agite) *antequam offendant pedes veſtri ad montes caliginoſos*. Montes caliginoſi dantur in morte, ita ut viæ inveniri non amplius poſſint: Volet avarus reſtituere non ſua, ſed obſtabit mons caliginoſus depauperandæ familiæ. Volet vindicativus remittere injuriam, ſed obſtabit mons caliginoſus inveterati odii, quod ſimul & ſemel neſciet convertere in amorem, &c. Segn. Manna 27. Feb. n. 3. 4.

S. Arſenius videns inutiles hominum curas, conſpexit hominem, qui cum ſtruem lignorum portare non valeret, plura & plura ligna ſarcinæ addidit. Ita ſunt procraſtinatores. Sanchez 5. part. c. 3. fol. 437.

Quidam Monachus juſſus eſt evellere arborem heri plantatam: id facile præſtitit. Juſſus eſt evellere alteram aliquot ſepti-

ſeptimanis inſitam: id præſtitit difficilius. Juſſus evellere annoſam, id omnino non potuit. Sic ſcelera ſemper magis invaleſcunt, niſi mature eradicentur. Sanchez 5. part. c. 4, fol. 451. in fine.

186. *Eſt inanis ſpes & deceptio peccatoris.*

Diabolus, ut peccatoribus procraſtinationem pœnitentiæ perſuadeat, tribus deceptionibus eos faſcinat, videlicet ut credant 1. ſe confeſſuros in morte, 2. ſe bene confeſſuros, 3. ſe ſi bene confiteantur, certo fore ſalvos; ſic dein fit ut non vincant difficultatem, qui *funiculus triplex difficile rumpitur*. [Eccl. 4.] Verum o quam incerta ſunt hæc tria principia. Primo quis tibi promittit quod ſis *confeſſurus*? Utique potes repente ex lapſu, igne, apoplexia, aut ſaltem tali morbo mori, qui ſenſum omnem ſtupefacit. [2.Reg.20.] *Amaſa non obſervavit gladium quem habebat Joab*, & ſic occiſus eſt. Ita tu non obſervas pugiones ultimi morbi, & ſic peris, &c. Secundo, quis tibi promittit, quod ſis bene *confeſſurus*? Bona confeſſio exigit accuratum examen, in hoc faciendo ſi nunc ſanus laboras, quid æger facies? præterea pœnitudo propoſitum, & cordis mutatio non ſolum ex te, ſed & a Deo dependet, & tamen ex utroque capite eſt valde dubia: Dubia eſt ex parte tui, quia vitium erit magis robuſtum & radicatum; conſequenter facis ſicut viator qui rivulum in ſcaturigine nolens tranſilire, dicit, inferius tranſibo, & ſic hauritur ab aqua. Dubia etiam eſt ex parte Dei, quia ſperare non potes propitium, poſtquam amplius irritaſti ad iram. Eſt quidem miſericors, nihilominus quotidie perire ſinit tot animas Turcarum, Judæorum, Hæreticorum, & malorum Chriſtianorum. Quid illi intereſt, ſi perire etiam ſinat tuam negando gratiam efficacem ad pœnitentiam, &c. Tertio, quis tibi promittit, quod poſt confeſſionem bonam certo ſis ſalvandus? Nonne enim fieri poteſt, ut dæmones etiam poſt confeſſionem te expugnent? Sicut in decretorio certamine milites adhibent extremum conatum: ita dæmones *ſunt Spiritus, qui ad vindictam creati ſunt, & in tempore conſummationis effundent virtutem, &c.* Segn. Manna 7. Junii.

Procraſtinatores pollicentur ſibi tempus, gratiam, & ſui arbitrii cum gratia cooperationem. Sed male! Nam primo, facile fieri poteſt, ut tempus, quo abuſi ſunt, non amplius acquirant: ſicut artifex, qui inſtrumentis ſuis ad monetam adulterandam abuſus eſt, legum decreto illis privatur. Secundo, etſi tempus habeat, incertum eſt, an habiturus ſit gratiam, facile enim illi contingere poteſt, quod Arci, quæ diutius quam belli leges ferant, obſidentium vim eluſit, & dein militum furori relinquitur. Tertio, etſi gratiam etiam habeat, incertum eſt, an ſit cooperaturus, propter impedimentum aſſuetudinis, ſicut campi ſteriles roris beneficio interdum non tantum non emolliuntur, ſed magis indurantur, &c. P. p. 1. diſc. 4. nu. 12.

187. *Deducit ad finalem impœnitentiam.*

*Secundum duritiam cordis theſaurizas tibi iram.* Qui theſaurizat, quotidie nummos nummis addit: Ubi Sanctus Anſelmus: Accumulat iram quaſi theſaurum, quia dum ad pœnitendum tempus accipit, & ad peccandum expendit, ipſum remedium gratiæ vertit in augmentum culpæ. S. punct. 27. fol. 120. Vide Lud. Granat. titulo 10. fol. 168.

Sicut qui advocatum bonum habens & cauſam negligens ab eo poſtea in judicem evecto patrocinium amplius exſpectare non poteſt: Sic ſi nunc Chriſti advocati patrocinium peccator negligit, ab eo poſtea judice vivorum & mortuorum nullum favorem impetrabit. Stapler. Dom. 19. Pent. text. 4.

Nobilis Miles peſſimæ vitæ ſæpe a Rege ipſo admonitus, ut ad meliora aſpiraret, pœnitentiam agere noluit, quia dedecori ſibi reputavit eſſe meticuloſum. Admonitus ab Angelis, qui catalogum peccatorum ipſi exhibuerunt, necdum reſipuit, tandem a dæmonibus candente ferro percuſſus, deſperabundus obiit. E. Verb. *Confeſſio*, num. 4.

Quidam peccator de pœnitentia ſæpe admonitus cum riſu reponere ſolebat, ſe in ultimo articulo tribus verbis ſalvum fore. Sed dein pontem fractum equo tranſiens, & in aquas delapſus clamavit: Diabolus omnia rapiat. His tribus verbis periit. E. *Impœnitentia*, num. 2.

188. *Eſt ſignum reprobationis æternæ.*

S. Iſidorus ait: *Pigritia, & in dies pœnitentiam differre, ſignum manifeſtum reprobationis &c.* B. Serm. 48. n. 26. [S. Iſid. ap. Fabr. Ser. 7. Dom. 2. poſt Paſch.]

Corvus emiſſus ex Arca non rediit: ita qui ſemper clamant: cras, cras, non venient ad cælum. C. Gen. fol. 119. in fine.

Cu-



Curioſa quæſtio eſt, ubi dæmon ſuam ſedem habeat? Chriſtus ſedit apud fontem, populus in fœno, Petrus in atrio, Magdalena apud pedes Chriſti, Job in fimo: Et ubi dæmon? Reſpondeo: Hæc ſedes eſt diaboli, &c.

Quis credat Viatorem, qui ſemper verſus occaſum progreditur, tandem perventurum ad ortum? Quis credat ſtudioſum, qui ſemper in pigritia, & inertia libros nauſeavit, tandem fore doctum? Quis credat Militem, qui nunquam gladium, aut ſclopeta tractavit, in arena fore victorem? Eſt impoſſibile! Ita impoſſibile etiam eſt, peccatorem, qui ad mundi genium inter vitia & ſcelera voluptuoſam vitam producens, nunquam contritionem ſerio elicere didicit, impoſſibile eſt, inquam, quod in fine pœnitentiam ſit acturus. Habentur in contrarium triſtes hiſtoriæ!

Quis prudenter ſperet, illum, qui ſemper linguam Germanicam locutus eſt, in morte locuturus ſit latinam? Quis prudenter ſperet eum, qui per omnem vitam inimicis Dei, mundo, carni, & dæmoni ſervivit, in morte ſerviturum Deo? quis prudenter ſperet, quod ille, qui per totam vitam dulci melle, & vino inebriatus eſt, in morte amaturus ſit fel & acetum? Deſino plures id genus comparationes multiplicare, & exclamo: Eſt impoſſibile! &c.

## Peccata contra Caritatem.

### Adulatio.

189. *Plus nocet, quam perſecutio.*

Chriſtus coram crucifixoribus obmutuit, tanquam agnus coram tondente ſe: dum vero Phariſæi eum vocabant *Magiſtrum*, excanduit, quia adulabantur, & magiſtrum vocabant, quem pro tali non habebant. Hinc Sanctus Auguſtinus ait: *Duo ſunt genera perſecutorum, ſcilicet vituperantium, & laudantium, ſed plus perſequitur lingua adulantis, quam manus perſequentis.* Et Bias Philoſophus: Animal inter omnia noxium eſt inter immitia tyrannus, inter mitia adulator. M. conc. 40. aſſ. 3. num. 2.

Jovinianus Imperator vere dixit: *Aſſentatores non Deum, ſed purpuram colere: Euripoque perſimiles eſſe, qui modo in hanc, modo in illam partem præcipitatur.*

Diogenes ajebat: *Satius eſſe incidere in corvos, quam in adulatores*: Corvi mortuis oculos evellunt, at adulatores viventium animos excæcant. D. 11. 96.

Phavorinus ajebat: *Sicut Actæon ab alumnis ſuis canibus interiit; ſic paraſiti eos, a quibus aluntur, peſſumdant.*

Ariſtoteles: *Qui fingit ſe amicum, & non eſt, pejor eſt eo, qui fecit falſam monetam &c.* C. Gen. Num. 23. v. 4. [Ariſt. l. 9. Ethic.]

Adulatio tanto eſt periculoſior, quanto periculoſiores ſunt navigantibus rupes ſub aquis tectæ, quam patentes. Cum Principum aliquis rei militari ſtudet, ſtatim dicitur alter Alexander, alter Scipio, alter Cæſar. Cum Poeſin amat, ſtatim deprædicatur alter Virgilius, alter Homerus. Domitianus putabat ſe aliquid altius eſſe ſupra humanam naturam, & ecce piſcator ei ingentem piſcem dono dedit, inquiens, hunc piſcem voluiſſe capi, ut non hominum ſed Imperatoris cibus eſſet. *Adulatio perpetuum malum Regum, quorum opes ſæpius aſſentatio, quam hoſtis evertit.* D. 11. 96.

*Ut lepori canis, ſic amico adulator natura ſua infeſtus eſt*, ait Anton. C. Gen. 23. verſ. 4. [Anton. in Meliſſ. p. 1. Serm. 52.]

Pica loquaciſſima volucris ſingulis fere horis vocem mutat. VV. artic. diſc. font. 48. Ex. 1. Sic adulator continuo mutans loquelam, cuilibet blanditur, ſed ad ejus nocumentum.

*Laudatur peccator in deſideriis animæ ſuæ.* Ubi Caſſiodorus: *Adulatio blanda omnibus applaudit, prodigos vocat liberales, avaros parcos & ſapientes, laſcivos curiales, garrulos affabiles, obſtinatos conſtantes, pigros maturos, & graves.* M. conc. 40. aſſ. 3. n. 3. Vide titulum *Magnates*.

Juſtinianum Imp. in multis in tranſverſum egit adulator Tribonianus Juriſconſultus, qui ipſi perſuaſit adulando, quod non eſſet moriturus, ſed ſimul cum corpore & anima cælum ingreſſurus. Sincerior fuit Sutor ille Gallus, qui ab Imp. Caligula in tribunali ſub ſpecie Jovis ſedente, interrogatus: *Quiſnam eſſe tibi videor?* Reſpondit: *Magnum deliramentum!* C. in Ezech. 13. v. 23.

*Duo ſunt genera perſecutorum*, ait S. Auguſtinus, *vituperantium, & adulantium: ſed plus perſequitur lingua adulatoris, quam perſequentis*; tum quia magis nocet; inflat enim hominem, ut plus ſe eſſe, & poſſe putet, quam revera ſit & poſſit: tum quia qui hominem ſic laudat, potius vituperat: reipſa enim indicat ipſum eſſe vanum & vanæ gloriæ cupidum: *Nimii honores*, ait S. Gregorius Naz. *redigunt aliquos ad nimiam ſuperbiam.* Qua- [S. Aug. in Pſ. 69.]

pro-

propter monet etiam S. Baſilius: *Ne nobis ſtulte placeamus propter laudes, quæ veritatem excedunt*. C. Prov. 27. v. 14.

Ex laude probatur cor hominis: ſicut aurum ſi poſt conflationem in ignem idem pondus retinet, quod ante, cenſetur eſſe purum, ſi vero levius fiat, ſignum eſt, quod fuerit aut ſit ſcoria impurum: ſic homo ſi poſt laudes maneat idem, id eſt, æque modeſtus & gravis, ſignum eſt, quod ſit ſolidæ virtutis: ſi vero infletur, & vane ſe extollat, ſignum eſt ejus virtutem eſſe levem & infirmam. C. Prov. 27. v. 21.

190. *Punitur a Deo graviſſime.*

*Væ, qui conſuunt pulvillos, & faciunt cervicalia ſub capite univerſæ ætatis*. Ubi Sanctus Gregorius: *Quiſquis male agentibus adulatur, pulvillum ſub capite ponit, ut qui corrigi ex culpa debuerat, in ea fultus laudibus molliter conquieſcat*. M. conc. 20. aſſ. 3. n. 4.

Herodes Agrippa elegantem orationem ad populum faciens, adulatione populi credit ſe non eſſe hominem ſed Deum. Paullo poſt vidit ſupra ſolium pendulum bufonem, & mox pleuritide correptus agnoſcit ſuam dementiam, ac miſere moritur. D. 7. 28. in fine.

Pariſiis oſtenditur os cloacæ in foro frumentario, in quo ſepeliri ſe juſſit quidam, quem ſero pœnituit noxæ adulationis. Regi enim triſti ob anguſtias rei nummariæ ſuaſit, ut ex minimis etiam rebus, quas ruſtici in urbem deferunt, unum aut alterum nummulum exigeret, idque ad biennium tantum. Ex eo cum aulici viderent ingentem vim pecuniarum colligi, plures ejuſmodi exactiones excogitarunt. Qui igitur dederat conſilium, cum videret ſe non idem auctoritatis habere in diſſuadendo, quod habuerat in ſuadendo, in magnos animi angores incidit, atque ut pœnam alterius ſæculi redimeret, & alios cavere adulationem doceret, teſtamento præcepit, ut in ea cloaca, in quam totius fori ſordes confluunt, ſepeliretur. Exactio autem illa, quam ſuaſit, uſque in hodiernam diem manet. C. in Ezech. c. 13. v. 23.

Adoleſcens, narrans Davidi mortem *2. Reg. 1.* Saul, putavit ſe proſpera & grata narrare, & tamen occiſus fuit ex mandato Davidis. Sic etiam duo latrones, qui *2. Reg. 4.* filium Saul Isboſeth occiderunt, & caput illius ad Davidem attulerunt, interfecti ſunt.

Judicium temerarium.

191. *Eſt prorſus imprudens.*

CHriſtus Apoſtolis volentibus eradicare lolium dixit: *Sinite utraque creſcere:* Quare? quia magna eſt ſimilitudo lolii & tritici antequam in ſpicas protuberet, & ſæpe putatur lolium, quod eſt triticum: Ita tu ſuſpende judicium; quia quod ſæpe vitioſum eſſe putas, laudabile eſt. M. conc. 35. aſſ. 3. n. 6. 7. B. Ser. 62. 6. 3.

Sanctus Bernardus præſcribit Regulam, quomodo judicium temerarium eludendum ſit: *Si opus non potes, excuſa intentionem, puta caſum*. David Abſalonem *puerum* vocat, ut ipſius rebellionem immatura ætate excuſet. M. conc. 35. aſſ. 3. num. 6. 8. &c.

Cautela magna adhibenda eſt in judicandis proximi actionibus, quia facile committitur judicium temerarium. Paoletti Fer. 3. poſt Dom. 4. Quadr. Item C. Jerem. 37. v. 12.

Quidam videns mane fratrem in horto, putavit illum ficus comediſſe, cumque frater ad Sacram Communionem accedere vellet, monuit Abbatem, ut illum prohiberet. Abbas vocavit fratrem, & iſte innocentiam ſuam adeo purgavit, ut probarit neque intraſſe hortum, neque in Monaſterio fuiſſe. Indignatus igitur Abbas delatorem publice confudit, & ſuſpicionem inter fratres prohibuit. E. *Suſpicio* nu. 3. Sic multoties fit, ex una re indifferenti, aut pure imaginaria ſæpe iniquiſſima judicia formamus.

Tam effrænis eſt judicii temerarii libertas, ut cum unum videat errantem, integrum ordinem, & communitatem accuſet: Ecce! inquiunt, tales ac tales ſunt iſti! Stolo! cur dicis iſti? Quid ad ceteros error unius? Inter Apoſtolos unus, nempe Judas fuit fur, an ergo fures ſunt omnes Apoſtoli? E primis Sancti Franciſci ſociis unus, Joannes Capella ſe laqueo ſuſpendit, an ergo omnes Franciſcani patibularii ſunt? En! tuam loquendi abſurditatem!

192. *Corrigitur recordatione propriorum peccatorum.*

Dum Judæi adulteram accuſabant, Chriſtus ſcripſit peccata eorum in terra, quibus lectis omnes cum gemitu diſcedebant, nec amplius alienam malitiam accuſabant. S. punct. 25. fol. 101.

Si



Si tota vita alienæ vitæ intentus vixiſti, tunc olim dicet judex: *Statuam te contra faciem tuam*, ut ſentias, quam alienum ſit a recta ratione plus aliis, quam ſibi attendere. S. p. 130. f. 404.

Aſtrologus dum carioſe ſcrutatur ſidera, interim non attendit quid domi fiat, ubi uxor illius alieno amore militis erat depravata: melius fuiſset ſi hanc martis & veneris *conjunctionem* obſervaſset in terris, quam in cælis. Ita multi aliena obſervant & ſua negligunt. Trauner Gall. cant. Anno 4. conc. 6. n. 3.

Quidam Monachus in pariete ſcribebat ſua peccata, in altero pariete obligationes ſui ſtatus: oriente tentatione convertit ſe ad parietem legendo, & ſic facile ſuperavit dæmonem. Sanch. 5. par. c. 4. fol. 450.

Simia contemptim omnium animalium defectus taxabat: Leonem dicebat eſse nimis ſuperbum, Tygridem eſse nimis crudelem, Camelum eſse deformiter gibboſum, Aſinum eſse nimis pigrum, Equum eſſe nimis obſequioſum, Porcum eſſe nimis voracem, Canem eſſe nimis invidum, Leporem eſſe nimis meticuloſum, & ſic de cæteris. Cum autem aliquando in ſpeculum incidit & ſuam monſtroſitatem conſideravit, arrepto baculo præ indignatione ſpeculum confregit, & ſibi ipſi condoluit. Sic multi, qui proximum judicant, ſi ſuoſmet errores perpenderent, ſibi ipſis, præ aliis indignarentur, &c.

Cum publicæ calamitates, bella, fames, peſtes, incendia, & alia mala ingruunt, nihil eſt frequentius, quam dicere: Horum vel illorum peccata, injuſtitiæ, libidines & alia in culpa ſunt: verum reſponderi poſset, quod Salomon reſpondit duabus mulieribus contendenti- *3. Reg. 3.* bus: *Dividatur infans!* Aliorum luxuria, & tua judicandi temeritas duæ matres ſunt, quæ infelicem pœnarum cæleſtium prolem genuerunt.

Rex David ad accuſationem Prophetæ Nathan mortis ſententiam tulit contra virum illum, qui mactatam pauperis oviculam hoſpiti in prandium appoſuit: Verum cum Propheta illi objecit: *Tu es ille Vir!* manſuetior factus revocavit ſententiam. O quam multi abſtinerent temeritate judicii, ſi in propriam conſcientiam introſpicientes ſibi ipſis dicerent: *Tu es ille Vir!* tu es ille ipſe peccator, &c.

193. *Ab externa apparentia non eſt ferendum.*

S. Baſilius Divo Ephrem in ſpiritu oſtenſus fuit inſtar columnæ ardentis, Igitur Ephrem iter fecit Cæſaream ad videndum Sanctum. Cum autem S. Epiſcopus pretioſo habitu, tiara, & pedo templum ingreſsus fuit, dubitare cæpit Ephrem de illius ſanctitate, utpote quem putabat nimis vane ac ſuperbe veſtitum: ſed S. Baſilius nominatim eum vocavit, & dono linguæ græcæ, ac Sacerdotio donavit &c. D. 1. 83. E. *Judicium* Tem. n. 9.

In Hibernia Ciconiæ nigræ ſunt, & in Islandia Corvi albi. VV. art. diſc. font. 48. ex. 10. Externa igitur apparentia nigri coloris non probat aliquem eſse malum, nec albi coloris eſse bonum.

Oculi in multis decipiuntur; ſic Panormi mons excelſus repræſentat imaginem Imperatoris, promontorium Scyllæam exhibet caput humanum, ſcopulus in mari Septentrionali monachum cucullatum &c. VV. art. diſc. font. 36. ex. 2. Ab oculis ergo judicandum non eſt, multi putant ſe videre aliquid mali, & erat bonum.

Monachus pauperrimus cupiebat ſcire, quod meritum apud Deum haberet? & reſponſum eſt illi, quod cum Gregorio Magno manſionem ſit habiturus. Triſtabatur Monachus, quia putabat ſibi plus deberi, quam Gregorio, qui in auro & argento viveret. Replicavit autem vox: Quid tibi arrogas miſer, qui tuam cattam plus æſtimas, quam Gregorius omne aurum & argentum. E. *Judicium Tem.* n. 10.

Judices terreni, antequam ſententiam ferant, tenentur rationum momenta pro & contra diligentiſſime diſcutere, ſic Job de ſeipſo ait: *Cauſam, quam neſciebam, diligentiſſime inveſtigabam*. *Job.* Quanta ergo injuſtitia, ſi homo contra hominem, cauſa non diſcuſſa, prorſus temere, & ſecundum meram apparentiam, ſententiam ferat?

194. *Diſplicet vehementer Deo.*

S. Joannes Eleemoſynarius inaudiit intraſse in civitatem Monachum, qui juvenem ſecum puellam circumduceret: Mox iratus præcepit, & puellam & ſcandaloſum Monachum virgis cædi & incarcerari. Noctu apparuit illi Chriſtus ſpecie illius Monachi & vulneratum dorſum ei oſtendens dixit: Crede mihi, hac una vice erraſti ut homo &c. E. *Eleemoſyna* n. 12.



ALERE FLAMMAM VERITATIS

B. Marcellus Ord. S. Dominici rogabat Deum, ut ſibi perfectionem Veterum Patrum daret, & modum edoceret. Aliquando in menſa ſua libellum aureis litteris ſcriptum invenit, audiitque: Tolle! Lege! Legit ille, inciditque in hæc verba: Hæc fuit Sanctorum Patrum perfectio, Deum amare, ſeipſum contemnere, neminem judicare. *Ephem. Dom. 4. Junii.*

Si ſubditus in Regis officium involet, & negotium ſuſcipiat, quod coronæ reſervatum eſt, habetur pro rebelli. Cum ergo Dei ſolius officium ſit judicare de internis, & de occulta intentione actuum proximi, temeritas Deo injurioſa, & quaſi rebellio eſt, ſi homo ſibi hoc officium

2. Par. 19. arroget. *Videte, quid faciatis*, ajebat Joſaphat Rex ad judices, quos conſtituit; *non enim hominis exercetis judicium, ſed Dei.*

Deus ipſe, priuſquam judicium aut

Gen. 18. pœnam decernat, lente & prudentiſſime rem diſcutit, ſic de ſeipſo dicit: *Deſcendam, & videbo, utrum clamorem, qui ad me pervenit, opere impleverint.* Quanta ergo temeritas, & imprudentia, ſi homo cæco modo ſententiam præcipitet?

195. *Quomodo corrigendum ſit.*

Judicium temerarium corrigitur, ſi omnes actiones proximi in bonum interpretemur: ſic ille Monachus, cum fratris alicujus cellam vidit incompoſitam, dixit: En quantus eſt iſte contemptor mundi, cum nec componendæ cellæ curam gerat. Si vidit alterius cellam ordinatam, dixit: O quam ornatam hic frater habebit animam, cum tam compoſita ſit ejus cella, &c. E. *Suſpicio* n. 2.

Eſt omnino contemnendum, & nullo modo curandum. Polycletus duo ſimulacra ſculpſit, unum ad arbitrium plebis, alterum juxta leges artis. In priori ad cujuſvis hominis acceſſum & judicium mutavit aliquid. Dein utramque propoſuit: alterum omnes ſunt admirati, & primum omnes riſere: tum ille: atqui illam vos feciſtis, alteram ego. T. n. 267.

S. Aug. de Serm. Dom. in monte. S. Auguſtin. ſuper illa verba: *Nolite judicare* ait: Hoc loco nobis præcipi exiſtimo, ut ea facta, quæ dubia ſunt, quo animo fiant, in meliorem partem interpretemur. Quod enim dictum eſt, de fructibus eorum cognoſcetis eos, de manifeſtis dictum eſt, quæ non poſſunt bono modo fieri. Verum ſunt quædam facta media, quæ in bono & malo fieri poſſunt. De his bene arguendum eſt, &c.

Conſideranda fallibilitas judicii: Jerias quia vidit Jeremiam exire de urbe, ſuſpectum habuit de homicidio: *Ad Chaldæos profugit.* Heli quia vidit Annam ſuſpirantem, putavit ebriam. Phariſæi quia vident Chriſtum agere cum Publicanis, dixerunt Hypocritam & vini potatorem. Theodoſius uxorem Eudoxiam ſuſpectam habet de adulterio propter unicum pomum &c. C. in Jerem. 37. v. 12. &c.

196. *Homo ſicut eſt in ſe, ſic judicat alios.*

Diabolus primo tentavit Chriſtum gula, dein ſuperbia: Quare: Euſebius Emiſſenus ait, ſicut ipſe diabolus per ſuperbiam cecidit, ita etiam Chriſtum per ſuperbiam caſurum putavit. M. conc. 35. aſſ. 3. num. 1.

Rex Saul impoſſibile judicavit, quod David manſuetus ſit, quia ipſe truculentus erat. M. conc. 35. aſſ. 3. n. 2.

Chriſtus Phariſæis juravit: Cur? S. Chryſoſtomus ait: *Quoniam qui mendax eſt, neminem putat dicere veritatem, neque ipſum Deum.* M. conc. 33. aſſ. 2. n. 8.

Ponamus quatuor homines intueri arborem. Primus dicit hæc elegans arbor ſervire poſſet ad ſcindendos aſſeres pro fabricandis navibus: Quis eſt iſte? nauta eſt. Alter dicit, hæc arbor conduceret ad artificioſam Statuam. Quis eſt iſte? Statuarius eſt. Tertius dicit, hæc robuſta arbor idonea eſset ad muniendum propugnaculum. Quis eſt iſte? Miles eſt. Quartus ait: Hæc procera arbor quadraret ad patibulum ædificandum. Quis eſt iſte? Carnifex eſt. Ecce! quod quilibet viſa objecta ſibi, & arti ſuæ commenſuret: ita raro homo alius eſt, quam qualem alterum judicat. Trauner Gall. cant. anno 4. conc. 6. n. 15. Ita S. Paulus: O Rom. 2. v. 1. *homo omnis, qui judicas, in quo enim judicas alterum, teipſum condemnas, eadem enim agis, quæ judicas.*

Uxor Putipharis apud maritum de crimine peſſimo accuſavit Joſephum, ille autem erat innocens, & illa nocens. Sic multoties fit! peccator qui nigricantis eſt conſcientiæ, omnes alios putat eſse nigros! injuſtus omnes alios ſuſpectos habet de injuſtitia! Impurus arbitratur, neminem vivere poſse caſtum! Homo mendax, quidquid ab aliis audit, credit eſse mendacia, &c.

197. *Eſt frivolum, & fallibile.*

*Tu quis es, qui alienum ſervum judicas?* Quoties falleris in iis, quæ vides & au-



dis? in pictura perſpectiva putas eſſe diſtita, quæ proxime adjunt: in ſilva putas eſſe hominem clamantem, & echo eſt: in iride putas eſſe veros colores, & ſunt tantum apparentes. Baculum in aqua putas eſſe fractum, pomum dimidiatum in aqua putas eſſe integrum. Sed dicis: audivi dici: quid tum? ſi Putipharis uxorem audiiſſes; credidiſſes Joſephum eſſe adulterum, ſi audiſſes duos Senes, credidiſſes Suſannam eſſe impudicam &c. B. Serm. 23. n. 44.

Ipathia Doctiſſima Virgo Alexandrina, quia cum Cyrillo Epiſcopo, cui cum Oreſte Prætore erat diſſenſio, ſæpius converſari cernitur, in ſuſpicionem adducitur, quaſi inimicitias inter utrumque inflammaret, & a rebelli populo innocenter occiditur. D. 9. 89.

Beatus Silvanus Epiſcopus Nazarethanus noctu ad feminam venit (diabolus fuit perſonam Silvani indutus) eamque ad nefas pellexit, clamante opem femina, & concurrentibus vicinis Silvanus e domo ejicitur, & tota urbe tamquam impurus hypocrita proclamatur. Verum cum ille in templo S. Hieronymum patronum ſuum invocat, ille e tumulo ſurgens, diabolum ex energumena fallaciam ſuam fateri coegit, & B. Silvanum ad cælos invitavit, paulo poſt mortuum. E. *Diffamare* n. 7.

Si feminam comptiſſime ornatam veſperi in caſtra militum progredi cerneres, nonne impudicam putares? Si juvenem vix bene veſtitum e cubiculo mulieris erumpere videres, nonne crederes luxurioſum? Si hominem corpore & anima a dæmone abripi videres, nonne diceres, fuiſſe ſceleratum. Et tamen hi fuere Judith, Joſeph, & Chriſtus.

Scandalum.

198. *Eſt homicidium animarum.*

1. Greg. Paſtor. p. 3. c. 4. SAnctus Gregor. ait: *Noli exiſtimare te homicidam non eſſe, quando fratri tuo mala perſuades.* Chriſtus minatur: *Occurram eis quaſi urſa raptis catulis*: Ubi Boſſuet: Quot Chriſto catulos rapuiſti? Scandalis ſubtraxiſti, &c. B. Serm. 23. n. 19. & 20.

Sanctus Bernardus docet, ſcandalum deterius eſſe peccatum, quam Deicidium. B. Serm. 58. n. 26.

Magnum foret peccatum, ſi quis totum mundum deſtrueret; anima autem plus eſt, quam univerſus mundus, ait Chryſoſtomus, S. punct. 34. f. 757. Mundus tantum ſepté dierum labore, anima triginta trium annorum labore conſtitit, &c. ibid.

Mirabile videtur, quod Cain, qui occidit Abelem punitus fuerit ſepties, Lamech vero, qui occidit Cainum ſeptuagies ſepties: an ergo Lamech gravius peccavit occidendo impium, quam Cain occidendo juſtum? ita eſt, gravius peccavit: quia Cain Abeli tantum vitam temporalem, Lamech autem Caino & temporalem, & ſpiritualem ademit. Væ illis, qui animæ ſpiritualem vitam adimunt, &c. D. 12. 9.

*Non ponamus coram cæco offendiculum.* Lev. 19.
Coram cæco offendiculum ponit, ſi quis viro ſimplici male conſulit, & ſic eum in foſſam præcipitat. C. Lev. 19. v. 14.

Magna differentia eſt inter morbum privatum, & peſtilentem: per illum perimitur ſolum ægrotans ſine nocumento aliorum, per iſtum autem, quia unus alterum contagione inficit, multa hominum millia abripiuntur. Sic res ſe habet cum peccato: illud quod privatim, nemine conſcio committitur, peccatorem quidem, proh dolor! occidit: illud autem, quod publice, aut aliis conſciis fit, plures alios, per ſcandalum, ſecum trahit in ruinam. Bellum innumerabilibus hominibus vitam eripuit, ſed pluribus ſcandalum ſalutem.

Gaſpar Sanchez ait: *In publica peccato publice ab omnibus peccari cenſetur, dum alii ferunt, alii diſſimulant, alii annuunt, alii connivent.* Mors innocentis Naboth vindictam Dei cauſat non ſoli Achab, ſed toti urbi. B. ſer. 37. n. 27. Ser. 63. nu. 11. 12. &c. Serm. 69. n. 25. ad finem. Vide Titul. *Peccatum*. Publicum cauſat iram Dei. Item *Luxuria*, &c.

199. *Eſt ſollicite præcavendum.*

S. Paulus Apoſtol. ait: *Hoc judicate magis, ne ponatis offendiculum fratri vel ſcandalum.* Rom. 14. v. 13.
Siquis offendiculum ſub pedibus ponit cuntis in nocte, & is crus frangat, tenetur ad damnum, itaque ait: Ib. v. 21.
*Bonum eſt non manducare carnem, & non bibere vinum, neque in quo frater tuus offenditur, aut ſcandalizatur.* In multis actionibus datur licentia & diſpenſatio, ſed monet idem S. Apoſtolus: *Videte, ne forte hæc licentia veſtra offendiculum fiat infirmis.* 1. Idem 8. 9.
Non ſufficit nullius mali ſibi conſcium eſſe, ſed & ab hominibus talem haberi oportet, ne ſcandalum capiant; ait enim iterum Apoſtolus: *Sic peccan-* 1. Cor. 8.

*tes in fratres, & percutientes conſcientiam eorum infirmam, in Chriſtum peccatis.* Hoc
Prov. 31. caute obſervavit mulier fortis: *Quæſivit lanam & linum &c.* Ex lino conficitur interula, ex lana veſtis exterior: ſignificatur ergo, tam internæ quam externæ ſanctitatis hanc feminam curam habuiſſe. Talis
Judith c. 4. v. 8. fuit & Judith: *Nec erat, qui loqueretur de ea malum verbum.* Eandem laudem promeruerunt parentes S. Joannis Bapti-
Luc. 1. ſtæ: *Incedentes in omnibus mandatis & juſtificationibus Domini ſine querela.*

Chriſtus tentanti diabolo in deſerto eam tandem poteſtatem indulſit, ut eum aſſumpſerit diabolus, & per aera duxerit ſuper pinnaculum templi. An hoc viſibiliter factum eſt, inſpectante urbe? nihil minus! Chriſtus Dominus vel impedivit ſpecies viſivas ſui Divini, & etiam diabolici corporis, aut certe Deus per Providentiam ſuam fecit, ut a nemine hæc translatio fuerit viſa; quia ſcandalizati fuiſſent Judæi, & excuſatos ſe putaſſent in incredulitate ſua, negantes Chriſtum eſſe Filium Dei. En! tegenda, & omittenda ſunt omnia, quæ in proximo judicium temerarium, aut vacillationem in fide aut aliud malum cauſant. C. in Matth. 4. v. 4.

Alia autem ſunt ſcandala *activa*, uti ſunt actiones per ſe peccaminoſæ, alia *paſſiva*, quæ ex actionibus etiam ſacris ſumuntur, ſicut aranea ex floſculis etiam innocentiſſimis venenum exſugit: hinc
S. Greg. ſuper Ezech. S. Gregorius ait: *Non omnium ſcandala æqua ſunt lance penſanda; aliter namque accipienda ſunt ſcandala puſillorum, & aliter Phariſæorum: illorum quippe ſcandalum de ignorantia, iſtorum de malitia deſcendit: illi ſcandalizantur, quia veritatem neſciunt, iſti quia oderunt &c.*

200. *Mala maxima cauſat mundo.*

Dathan & Abiron terra abſorbentur: cur non fulmine feriuntur? Ambroſius ait: Ut elementa non inficiant: Proin Chriſtus toti mundo, non ſoli peccatori væ minatur, quia mala maxima in mundum invehit ſcandalum: *Væ mundo a ſcandalis.* B. ſerm. 38. n. 2. 3. ſeq.

Id ſcientes homines Sancti ſollicite caverunt ſcandala etiam remota: Juvenis quidam, teſte S. Ambroſio, metuens ne ex ſua venuſtate apud ſexum alterum ſequeretur ſcandalum, faciem caſtellis deformiter conſcivit. S. Birgitta a Deo impetravit in facie præſertim oculis deformari. Sanch. 6. p. c. 11. fol. 869.

Præſertim Magnatum & Principum peccata ſunt detrimentoſa: quia populum trahunt ad ſequelam: fere omnes regiones, quæ relapſæ ſunt ad hæreſim aut gentiliſmum, ſcandaloſo exemplo ſuorum Principum perverſæ fuerunt; ſunt enim illi ſicut Virgæ maculoſæ Jacob, quas cum oves in fonte repoſitas viderunt, fœtus maculoſos pepererunt. B. ſerm. 34. §. 1.

Pœnitens Rex David amare deplorat: *Erravi ſicut ovis, quæ periit.* Cur ovi erranti ſe comparat? quia ſi unica ovis fugere incipit, totus grex fugientem ſequitur, & ita ſæpe unius ductu omnes in flumen ſe præcipitant. B. ſerm. 43. n. 29.

Dum Principes, Judices, & Magiſtratus adoraverunt Statuam Nabuchodonoſoris, totus populus adoravit. B. ſerm. 34. n. 30. Vide Tit. *Peccata contra caritatem.*

201. *Punitur propter peccata omnia inde exorta.*

S. Paulus ait: *Quorumdam peccata ad* 1. Tim. 5.
*judicium ſubſequi*: S. Baſilius explicat: Eorum ſcilicet, qui poſt ipſorum mortem per ſuam nequitiam, & exempla peſſima ſecuta ſunt.

Deus præcipit: *Si ignis egreſſus invenerit ſpicas, reddet damnum, qui ignem ſuccendit.* Ubi Diez: Quanto magis reddet damnum ille, qui cauſa peccati fratri ſuo, & ignis æterni fuit? B. ſerm. 37. n. 3. 4. 32.

Gentiles Statuarii ad fidem converſi malunt mori quam Statuas falſorum Deorum conficere; ſcientes quod ſe reos facerent idololatriæ. D. 8. 47. in fine.

Deus Pharaonem cum toto exercitu ſubmerſit in mari, ducenta quinquaginta militum millia, quia voluit Iſraelitas reducere in ſervitutem Ægypti. Teſta-
tur Oſorius, in hodiernam diem adhuc Ver. Lir. c. 10.
videri in littore veſtigia Ægyptiorum. Quare? ut demonſtret Deus, quæ pœna maneat eos, qui animam converſam reducere volunt in ſervitutem peccati. C. Exod. 24.

Deus iratus contra Amalecitas juravit, quod velit funditus delere eorum memoriam. Quare? quia primi pugnarunt contra Iſraelitas, ita ut illi fere rediiſſent in Ægyptum contra Dei voluntatem. C. Exod. 17. v. 14.





PECCATA CONTRA VIRTUTES CARDINALES.

Furtum.

202. *Nutritur, ſi res furtivæ emantur.*

SI non eſſent emptores rei furtivæ, non eſſent furta: cum uxor Tobiæ hedulum domum tuliſſet, & ille audiiſſet balatum, ſtatim præcepit: *Videte, ne forte furtivus ſit, reddite eum Dominis ſuis.* Ubi Calamatus: *Sciebat latrocinia fieri in terra ſua, & multo viliori pretio vendi.* B. ſerm. 36. n. 38.

S. Furſeo in cælum ituro, & ab Angelis ſtipato viam obſtruere nituntur dæmones, illique objiciunt, quod aliquando veſtem acceperit ab uſurario, conſequenter ſe participem reddiderit uſurarum. Sanch. 4. p. c. 4. f. 258.

S. Abbas Joannes mutuo acceperat denarium, cumque huic ſolvendo par non eſſet, triſtabatur, & ecce! aliquando inambulans in via invenit denarium. Non ſuſtulit de terra inventum niſi prius Superiorem deſuper interrogaſſet. Cumque hic ſuaſit ut denarium acceptaret, nihilominus prius in tota urbe promulgari fecit, quærereque num quis denarium perdidiſſet. O ſi ſic caveremus acceptare aliena! Sanch. 5. p. c. 9. f. 597.

Etiam in re levi valde periculoſum, & coram Deo odibile eſt: Juvenis poſt mortem ante tribunal Dei accuſatus eſt, quod obolum furatus ſit, & necdum pœnitentiam egerit. Juvenis utut illacrymans & veniam rogans, Dei faciem tamen non niſi per velamen intueri potuit. Ad graviſſimas pœnas condemnatus, dein ſpeciali Dei favore revixit, & facta reſtitutione pœnitentiam egit. E. *Furtum* n. 12.

203. *Punitur graviter a Deo.*

Populus Iſrael ad urbem Hai victus eſt, & in bello ſemper ſuccubuit: Quare? quia Achan unus militum ex ſpoliis Jericho aliquid ſubtraxit: Lyranus ait: *Licet unus ſolus peccaverit, tamen generaliter dicitur: filii Iſrael.* B. ſer. 38. n. 45.

Milites in exercitu Xerxis templum Cereris ſpoliaturi in phreneſim incidunt. Milites Alexandri templum Mileſianum evacuaturi exoculantur. Fulvius Cenſor marmoreos lateres e templo Junonis ad templum Fortunæ transferre voluit, & ad inſaniam redigitur, geminos etiam filios præmatura morte perdit. Pyrrhus Rex Epirotarum templum Proſerpinæ exſpolians naufragium patitur, nihilque ſalvatur præter illum theſaurum templo reſtitutum &c. Quæritur jam, cur Deus permiſerit violatores fanorum adeo luculenter puniri? certe non ob loci reverentiam, ſed ob injuſtitiam &c. D. 12. 23.

Fur quidam S. Abbati Odoni furatus eſt equum: Deus autem faciebat, ut fur tota nocte circumerraret, & a loco nunquam progreſſus de mane ad portam Monaſterii, ut ante, conſiſteret. Sanch. 5. p. c. 10. fol. 621.

Aliqui fures hortum S. Iſaaci Syri ſpoliare cogitabant, oratione autem S. Viri coguntur tota nocte hortum colere: mane illos pavit, & dimiſit. Quidam S. Spiridioni ovem furabantur, occulta autem vi retenti immobiles hærebant, nec poterant loco ſe movere. Fur Epiſcopum Helium in ſuo ſepulcro ſpoliare volebat, a cadavere autem immobiliter tenetur. Sanch. 6. p. c. 7. fol. 773. ſeq.

Fur quidam in vinea S. Medardi non tantum botros furabatur, ſed etiam vineam vaſtabat. Rediturus exitum invenire, quin imo & corbem uvis plenam deponere de manu non potuit, donec deprehenſus a vinitoribus fuit. Periiſſet, niſi per ipſum S. Medardum veniam impetraſſet. R. cent. 2. p. 1. mir. 44.

Milites Regis Clotharii ex horreo S. Medardi fœnum, & fruges avecturi, immobiliter hærent. R. cent. 2. p. 1. mir. 44.

Quidam civis miſit B. Iſaaco Abbati duas corbes plenas frugum. Famulus portitor unam corbem ſibi reſervaturus abſcondit in ſilva. Sanctus Vir ſpiritu prophetico plenus monuit eum, ut a corbis abſtruſæ fructibus abſtineret, utpote qui interea a vipera fuiſſent intoxicatæ, redux famulus revera videt e corbe viperas ſcaturire. Quid mirum, mi Chriſtiane, quod annona furto comparata male tibi conducat? venena devoras, quæ Divina maledictione fuerunt parta. R. cent. 2. p. 2. mir. 43.

Aquila nec comedi nec offerri poterat, reputabatur inter volucres immundas: Quare? quia rapax avis eſt, & furtis vivit. C. Lev. 11. v. 13.

204. *Non habet excuſationem.*

Lupa quædam a Monacho benigne nutrita, cum aliquando hora cœnæ Monachus abeſſet, hoſpitem abeuntem comitatus; interim lupa adveniens panes

*tes in fratres, & percutientes conſcientiam eorum infirmam, in Chriſtum peccatis.* Hoc caute obſervavit mulier fortis: *Quæſivit lanam & linum &c.* (Prov. 31.) Ex lino conficitur interula, ex lana veſtis exterior: ſignificatur ergo, tam internæ quam externæ ſanctitatis hanc feminam curam habuiſſe. Talis fuit & Judith: *Nec erat, qui loqueretur de ea malum verbum.* (Judith c. 4. v. 8.) Eandem laudem promeruerunt parentes S. Joannis Baptiſtæ: *Incedentes in omnibus mandatis & juſtificationibus Domini ſine querela.* (Luc. 1.)

Chriſtus tentanti diabolo in deſerto eam tandem poteſtatem indulſit, ut eum aſſumpſerit diabolus, & per aera duxerit ſuper pinnaculum templi. An hoc viſibiliter factum eſt, inſpectante urbe? nihil minus! Chriſtus Dominus vel impedivit ſpecies viſivas ſui Divini, & etiam diabolici corporis, aut certe Deus per Providentiam ſuam fecit, ut a nemine hæc translatio fuerit viſa; quia ſcandalizati fuiſſent Judæi, & excuſatos ſe putaſſent in incredulitate ſua, negantes Chriſtum eſſe Filium Dei. En! tegenda, & omittenda ſunt omnia, quæ in proximo judicium temerarium, aut vacillationem in fide aut aliud malum cauſant. C. in Matth. 4. v. 4.

Alia autem ſunt ſcandala *activa*, uti ſunt actiones per ſe peccaminoſæ, alia *paſſiva*, quæ ex actionibus etiam ſacris ſumuntur, ſicut aranea ex floſculis etiam innocentiſſimis venenum exſugit: hinc S. Gregorius ait: *Non omnium ſcandala æqua ſunt lance penſanda; aliter namque accipienda ſunt ſcandala puſillorum, & aliter Phariſæorum: illorum quippe ſcandalum de ignorantia, iſtorum de malitia deſcendit: illi ſcandalizantur, quia veritatem neſciunt, iſti quia oderunt &c.* (S. Greg. ſuper Ezech.)

200. *Mala maxima cauſat mundo.*

Dathan & Abiron terra abſorbentur: cur non fulmine feriuntur? Ambroſius ait: Ut elementa non inficiant: Proin Chriſtus toti mundo, non ſoli peccatori væ minatur, quia mala maxima in mundum invehit ſcandalum: *Væ mundo a ſcandalis.* B. ſerm. 38. n. 2. 3. ſeq.

Id ſcientes homines ſancti ſollicite caverunt ſcandala etiam remota: Juvenis quidam, teſte S. Ambroſio, metuens ne ex ſua venuſtate apud ſexum alterum ſequeretur ſcandalum, faciem caltellis deformiter conſcivit. S. Birgitta a Deo impetravit in facie præſertim oculis deformari. Sanch. 6. p. c. 11. fol. 869.

Præſertim Magnatum & Principum peccata ſunt detrimentoſa: quia populum trahunt ad ſequelam: fere omnes regiones, quæ relapſæ ſunt ad hæreſim aut gentiliſmum, ſcandaloſo exemplo ſuorum Principum perverſæ fuerunt; ſunt enim illi ſicut Virgæ maculoſæ Jacob, quas cum oves in fonte repoſitas viderunt, fœtus maculoſos pepererunt. B. ſerm. 34. §. 1.

Pœnitens Rex David amare deplorat: *Erravi ſicut ovis, quæ periit.* Cur ovi erranti ſe comparat? quia ſi unica ovis fugere incipit, totus grex fugientem ſequitur, & ita ſæpe unius ductu omnes in flumen ſe præcipitant. B. ſerm. 43. n. 29.

Dum Principes, Judices, & Magiſtratus adoraverunt Statuam Nabuchodonoſoris, totus populus adoravit. B. ſerm. 34. n. 30. Vide Tit. *Peccata contra caritatem.*

201. *Punitur propter peccata omnia inde exorta.*

S. Paulus ait: *Quorumdam peccata ad judicium ſubſequi:* (1. Tim. 5.) S. Baſilius explicat: Eorum ſcilicet, qui poſt ipſorum mortem per ſuam nequitiam, & exempla peſſima ſecuta ſunt.

Deus præcipit: *Si ignis egreſſus invenerit ſpicas, reddet damnum, qui ignem ſuccendit.* Ubi Diez: Quanto magis reddet damnum ille, qui cauſa peccati fratri ſuo, & ignis æterni fuit? B. ſerm. 37. n. 3. 4. 32.

Gentiles Statuarii ad fidem converſi malunt mori quam Statuas falſorum Deorum conficere; ſcientes quod ſe reos facerent idololatriæ. D. 8. 47. in fine.

Deus Pharaonem cum toto exercitu ſubmerſit in mari, ducenta quinquaginta militum millia, quia voluit Iſraelitas reducere in ſervitutem Ægypti. Teſtatur Oroſius, (Oroſ. l. 1. c. 10.) in hodiernam diem adhuc videri in littore veſtigia Ægyptiorum. Quare? ut demonſtret Deus, quæ pœna maneat eos, qui animam converſam reducere volunt in ſervitutem peccati. C. Exod. 24.

Deus iratus contra Amalecitas juravit, quod velit funditus delere eorum memoriam. Quare? quia primi pugnarunt contra Iſraelitas, ita ut illi fere rediſſent in Ægyptum contra Dei voluntatem. C. Exod. 17. v. 14.





PECCATA CONTRA VIRTUTES CARDINALES.

Furtum.

202. *Nutritur, ſi res furtivæ emantur.*

Si non eſſent emptores rei furtivæ, non eſſent furta: cum uxor Tobiæ hedulum domum tuliſſet, & ille audiiſſet balatum, ſtatim præcepit: *Videte, ne forte furtivus ſit, reddite eum Dominis ſuis.* Ubi Calamatus: *Sciebat latrocinia fieri in terra ſua, & multo viliori pretio vendi.* B. ſerm. 36. n. 38.

S. Furſeo in cælum ituro, & ab Angelis ſtipato viam obſtruere nituntur dæmones, illique objiciunt, quod aliquando veſtem acceperit ab uſurario, conſequenter ſe participem reddiderit uſurarum. Sanch. 4. p. c. 4. f. 258.

S. Abbas Joannes mutuo acceperat denarium, cumque huic ſolvendo par non eſſet, triſtabatur, & ecce! aliquando inambulans in via invenit denarium. Non ſuſtulit de terra inventum niſi prius Superiorem deſuper interrogaſſet. Cumque hic ſuaſit ut denarium acceptaret, nihilominus prius in tota urbe promulgari fecit, quærereque num quis denarium perdidiſſet. O ſi ſic caveremus acceptare aliena! Sanch. 5. p. c. 9. f. 597.

Etiam in re levi valde periculoſum, & coram Deo odibile eſt: Juvenis poſt mortem ante tribunal Dei accuſatus eſt, quod obolum furatus ſit, & necdum pœnitentiam egerit. Juvenis utut illacrymans & veniam rogans, Dei faciem tamen non niſi per velamen intueri potuit. Ad graviſſimas pœnas condemnatus, dein ſpeciali Dei favore revixit, & facta reſtitutione pœnitentiam egit. E. *Furtum* n. 12.

203. *Punitur graviter a Deo.*

Populus Iſrael ad urbem Hai victus eſt, & in bello ſemper ſuccubuit: Quare? quia Achan unus militum ex ſpoliis Jericho aliquid ſubtraxit: Lyranus ait: *Licet unus ſolus peccaverit, tamen generaliter dicitur: filii Iſrael.* B. ſer. 38. n. 45.

Milites in exercitu Xerxis templum Cereris ſpoliaturi in phreneſim incidunt. Milites Alexandri templum Mileſianum evacuaturi exoculantur. Fulvius Cenſor marmoreos lateres e templo Junonis ad templum Fortunæ transferre voluit, & ad inſaniam redigitur, geminos etiam filios præmatura morte perdit. Pyrrhus Rex Epirotarum templum Proſerpinæ exſpolians naufragium patitur, nihilque ſalvatur præter illum theſaurum templo reſtitutum &c. Quæritur jam, cur Deus permiſerit violatores fanorum adeo luculenter puniri? certe non ob loci reverentiam, ſed ob injuſtitiam &c. D. 12. 23.

Fur quidam S. Abbati Odoni furatus eſt equum: Deus autem faciebat, ut fur tota nocte circumerraret, & a loco nunquam progreſſus de mane ad portam Monaſterii, ut ante, conſiſteret. Sanch. 5. p. c. 10. fol. 621.

Aliqui fures hortum S. Iſaaci Syri ſpoliare cogitabant, oratione autem S. Viri coguntur tota nocte hortum colere: mane illos pavit, & dimiſit. Quidam S. Spiridioni ovem furabantur, occulta autem vi retenti immobiles hærebant, nec poterant loco ſe movere. Fur Epiſcopum Helium in ſuo ſepulcro ſpoliare volebat, a cadavere autem immobiliter tenetur. Sanch. 6. p. c. 7. fol. 773. ſeq.

Fur quidam in vinea S. Medardi non tantum botros furabatur, ſed etiam vineam vaſtabat. Rediturus exitum invenire, quin imo & corbem uvis plenam deponere de manu non potuit, donec deprehenſus a vinitoribus fuit. Periiſſet, niſi per ipſum S. Medardum veniam impetraſſet. R. cent. 2. p. 1. mir. 44.

Milites Regis Clotharii ex horreo S. Medardi fœnum, & fruges avecturi, immobiliter hærent. R. cent. 2. p. 1. mir. 44.

Quidam civis miſit B. Iſaaco Abbati duas corbes plenas frugum. Famulus portitor unam corbem ſibi reſervaturus abſcondit in ſilva. Sanctus Vir ſpiritu prophetico plenus monuit eum, ut a corbis abſtruſæ fructibus abſtineret, utpote qui interea a vipera fuiſſent intoxicatæ, redux famulus revera videt e corbe viperas ſcaturire. Quid mirum, mi Chriſtiane, quod annona furto comparata male tibi conducat? venena devoras, quæ Divina maledictione fuerunt parta. R. cent. 2. p. 2. mir. 43.

Aquila nec comedi nec offerri poterat, reputabatur inter volucres immundas: Quare? quia rapax avis eſt, & furtis vivit. C. Lev. 11. v. 13.

204. *Non habet excuſationem.*

Lupa quædam a Monacho benigne nutrita, cum aliquando hora cœnæ Monachus abeſſet, hoſpitem abeuntem comitatus; interim lupa adveniens panes fu-

furata eſt. Poſt hoc facinus ſeptem diebus abſuit, & tandem rediens non auſa propius accedere, dejectis in terram oculis erubeſcere, & veniam precari viſa eſt. E. *Furtum* n. 13.

Zeno ſervum in furto deprehenſum cædi juſſit, cumque is ſe excuſaret dicendo: ſibi fuiſſe in fatis ut furaretur, ſubintulit: *Etiam cædi in fatis erat.* C. Lev. 11. v. 30.

Fur ad patibulum condemnatus, jamque ad ſcalam adductus, cum a carnifice juberetur aſcendere, dixit: Non poſſum ſcandere: quia podagra laboro: cui carnifex: Melius laboraſſes chiragra, ut non potuiſſes clepere.

Duo fures tempore anni opportuno civitatem ingreſſi artem ſuam furunculariam egregie exercebant. Verum deprehenſi & in carcerem dati, cum ab examinatoribus interrogarentur: qua fronte auſi fuiſſent furari, cum ſcirent, huic crimini paratum eſſe patibulum? Reſponderunt: Accedentes ad urbem præterivimus apud furcam, & cum in hac neminem pendere conſpeximus, judicavimus hic furta eſſe licita; quia *furca eſſet vacua, & civitas furibus plena*!

205. *Etiam in eſculentis & poculentis non licet.*

Caſſiod. lib. 2. variar. Quis eſt qui occaſionem detrectat per furta ac fraudes quærendi lucrum: præſertim nemo ſibi conſcientiæ ducit exſpoliationem hortorum, agrorum, vinearum, oleorum, frugum &c. B. Iſaaco Abbati quidam Ruſtici hortum exſpoliare voluerunt: ſed arcana vi impulſi ligonibus, quos pridie S. Vir ex prophetico ſpiritu ad hoc comportari juſſit, hortum fodere debuerunt. Sanctus amanter eos pavit, & a furtis demonuit. O ſi hodiedum omnes, qui hortos exſpoliant, immobiles hærere deberent! &c. R. centur. 2. p. 2. mir. 43.

Nobilis quidam habebat picam humana lingua articulate loquentem, præcipue autem pica iſta ſolebat colloqui B. Joanni Vincentio, qui in ea domo frequens erat. Famulorum aliquis ex voracitate avem occidit, & comedit. Rediens ergo S. Joannes per totam domum quærebat picam ſibi adeo charam clamitans: *O mea pica ubi es*! Et ecce! adventante famulo illo ex ſtomacho illius reſpondit volucris: *Hic ſum! hic ſum.* Ea vox multis diebus ex ſtomacho furis audita eſt. O ſi multi quærerent, ubi ſunt mea, quas voces, ex quibus angulis audirent! R. cent. 2. p. 2. mir. 49.

Corvus arbori inſidens devorabat fruſtum caſei, quod paulo ante furatus erat. Id videns vulpes acceſſit ſubtus arborem, & corvo mirum in modum blandiens ajebat: O pulcherrima volucris, tibi profecto natura vocem dedit omnibus philomelis amæniorem, ah rogo te, modulare mihi unicam ſtrophulam! Corvus his blanditiis deceptus incipiebat crocitare, & ſic fruſtum caſei e roſtro illi excidit. Illud dum vulpes deciduum occupat, & corvus prædam vendicat, rixantes ab inſidiante venatore uterque ſclopo occiſus eſt. O quoties infernalis venator, etiam in eſculentis, & poculentis furtivis animabus inſidias ſtruit! &c.

206. *Sacrilegium punitur graviſſime.*

Gerberga Ducis Lotharingi uxor quondam Eccleſiam S. Servatii viſitans ex oblatis ſibi ſeligit ibi pannum auro intextum, ex eoque ſibi veſtem confici facit. Verum in ſomno ſeu viſo a S. Servatio graviſſime corripitur, & a circumſtantibus Angelis capillitio correpta verberibus oneratur &c. Alia vice pueri invaſerunt vineam S. Servatii & botros carpebant: Sanctus illis apparuit ſevere increpavit, & immobiles in loco ſtetit, donec a parentibus altera die quæſiti, inventi, & invocata Sancti ope e ſtatione abducti ſunt. R. 1. cent. 2. p. mir. 36.

Comes quidam ob bonum Eccleſiaſticum inique detentum videtur cum ſuis heredibus, & anteceſſoribus in ſcala infernali ſedere. Marchant. in explic. 7. præc. prop. 3. & P. p. 1. diſc. 27. n. 28.

S. Sabinus Epiſcopus, cum fluvius Padus illi Eccleſiæ agros devaſtaret, præcepit illi, ut ſtatim ſe in alveum ſuum reciperet. Recepit ſe fluvius nec deinceps cum damno agrorum exundavit. O quam multi indigerent hac monitione, qui bonis Eccleſiaſticis nocent, minus inobedientes, quam iſte fluvius. R. 1. p. mir. 43.

Hildulphus Archiepiſcopus Colonienſis rogabatur a Monachis in Cœnobio S. Nicolai, ut pagum ſibi injuſte ereptum reſtitueret. Recuſante pertinaciter Hildulpho, vidit in ſomno Abbas Harmanus S. Nicolaum magno cum cælitum comitatu ire Coloniam, intrare cubiculum Archiepiſcopi, eumque ferula percutere. Abbas perterrefactus expergiſcitur, quid rei ſubſit, indagat, & certior fit, ea hora Hildulphum exſpiraſſe. D. 3. 77.





207. *Eſt grave delictum, & deteſtabile.*

Quia fur involat in juriſdictionem Dei, cui ſoli convenit, bona fortunæ pro ſuo libitu diſtribuere. Segn. Hom. Chr. p. 1. diſc. 27. n. 3.

Quia lædit caritatem, quam natura & gratia arctiſſimo vinculo vult eſſe conſtrictam inter homines. Quin imo, quanta foret perturbatio totius univerſi, ſi quilibet in bona alterius poſſet impune

S. Aug. l. 4. de Civ. c. 4. involare? *Remota juſtitia quid ſunt regna niſi publica latrocinia?* Segn. Hom. Chr. p. 1. diſc. 27. n. 3.

Quia auctoritas Dei læditur: In bellis ſi per ſupremum Ducem aliquis militum huic domui in præſidium datur, non poteſt amplius lædi illa domus ſine injuria ſupremi Ducis: ita bona proximi non poſſunt invadi ſine injuria Dei, poſtquam Deus illa intacta, ac immunia eſſe præcepit. Segn. Hom. Chr. p. 1. diſc. 27. n. 4.

Alexander Severus Imp. adeo deteſtabatur fures, ut paratum haberet digitum, quo illis oculum erueret. Prohibuit, ne quis furti conſcius Principem ſalutare auderet. Cum Arabinum furem non tantum vivere, ſed & in Senatum promotum eſſe audiret, fere ad inſaniam iratus eſt. C. Exod. 22. v. 4.

Mercator uſurarius, qui lucra injuſta ex venditis mercibus collegit, ad mortis confinia deductus, ab amicis monitus de agenda pœnitentia, repoſuit, faſſuſque eſt, quod Sacra Hoſtia, quam in Communione Paſchali glutiit, adhuc dum cum ingenti dolore in faucibus ſibi hæreret, quam nec deglutire, nec extrahere poſſet. Ad oſtenſam Crucifixi imaginem, libere edixit, quod hanc videre non poſſet, & ſic infeliciter mortuus eſt. P. Abraham T. 1. fol. 198.

208. *Mirabiliter proditur.*

Barbarus quidam in regno Congo Statuam Salvatoris in templo furatur, & ecce! abeunti ſe opponant volucres, quæ dein in turrim campanariam evolant, & campanam roſtris tamdiu commovent, donec fur Statuam reſtituit. R. cent. 3. mir. 34.

Fur quidam hortum Monaſterii deprædari ſolitus eſt, per ſepem aſcendens. Hortulanus id advertens conſtituit inventum ſerpentem ut aditum illum furis cuſtodiret. Fecit id ſerpens, excubias agens, cumque fur rediret viſo illo territus retro fugere voluit, ſed tamdiu in ſude ſepis hæſit, donec ab hortulano inventus fuit. E. *Furtum* n. 3.

Quidam Clericus ovem furatus, apud ſepulcrum Dei famuli, paulo ante defuncti, occulta vi uſque ad alteram diem tenetur, & confunditur. E. *Furtum* n. 4.

Quidam equum, qui ad ſolemnitatem S. Juliani Martyris advectus erat, abſtulit; quamquam autem tota nocte equitarit, putans ſe jam pluribus leucis abeſse, mane penes Eccleſiam S. Juliani ſe demorari vidit. E. *Furtum* n. 18.

Fur mortui jam efferendi tumbam ſubibat, cadaver vero in angulum ejecit, Schirmbeck 3. 14. Notat.
ut furari liberius valeret. Elatus ad tumulum ſeſe in feretro movit, & portitores omnes in fugam egit. Tum liber, ubi manus furto admovit, vidit cadaver in angulo ſe movere, a quo fur territus, extra urbem in fugam actus non amplius deinceps comparuit. T. n. 379.

Anno 1628. quidam furatus imaginem Pueri Jeſu, cum prodiret cum illa obvium habuit anſerum gregem. Hi impetum in furem facientes morſibus eum detinent. Pars avolavit ad cœnobii campanam, eam pulſantes, pars vero horrende grazitans excitarunt incolas, qui furem deprehenderunt. T. n. 305.

209. *Nocet, & conſumit bona fortunæ omnia.*

*Levavi oculos meos, & ecce volumen volans*! Quid ſcriptum eſt intus? *Maledictio.* Quorſum volat? *ad domum furis.* Quid ibi? *conſumet eam &c.* Quid eſt, quod de domo tua nunquam abſint calamitates? cave ne ſit domus furis; quia per aerem volant infortunia. S. punct. 44. fol. 177.

*Qui altam facit domum ſuam, quærit* Prov. 17.
*ruinam.* Ubi Salazar: Qui divitias exædificant abſque juſtitiæ perpendiculo, quo altius eorum molem evehunt, graviorem ſimiliter & certiorem ruinam ſibi acceſſunt. M. conc. 23. aſs. 2. n. 4.

*Divitias, quas devoravit, evomet*: Vomitus e ſtomacho cibos non tantum noxios, ſed & utiles ejicit: ita divitiæ injuſtæ, etiam juſtas deſtruunt. M. conc. 27. aſs. 2. n. 11.

*Subſtantiæ injuſtorum ſicut fluvius ſiccabuntur.* Eccli. 40.
Graphica ſimilitudo! cum in alpibus nives liqueſcunt, & ingentes nimbi decidunt, in noſtris vallibus ingens excreſcit fluvius: Qualis eſt iſte fluvius, an Danubius, an Lycus, an Rhenus? nihil minus! exſpecta una aut altera die

& nihil amplius aquarum videbis. Quare? quia aqua caret fonte ſeu ſcaturigine, & eſt mera tumultuaria colluvies. Sic multi repente diteſcunt, & ex lacrymis pauperum flumen divitiarum ſibi comparant: ſed flumen hoc, quia juſto fonte caret, paulo poſt ſiccatur, pereunt ſubſtantiæ, venitur ad incitas.

Milvus furax volucris primis annis venatur magnas aves, ætate vegetiore parvas, & tertio ætatis anno capit muſcas & culices. VV. art. diſc. font. 48. ex. 1. Sic multi rapaces denique ad muſcas & culices deveniunt.

Qui Toloſam urbem exſpoliarunt, omnes ad incitas redacti ſunt: hinc adagium: Aurum Toloſanum. T. n. 398.

### 210. *Grave initium ducit a furtis levibus.*

Nemo repente peſſimus, quod eluceſcit in Juda: Chriſtus concredidit illi burſam eleemoſynarum, ille ergo, cui per ſe vita inops, & auſtera diſplicebat, ſibi ipſi meliores dies procurabat, & ſub ſpecie neceſſitatis aut defatigationis ſeipſum in eſu, in potu, in veſtitu lautius habebat. Hoc ſepius attentans ex burſa obolum poſt obolum clepere, & in ſuos uſus convertere ſolebat, formabat ſibi neſcio quæ dictamina in ſuum favorem, ſic crevit libertas, & pecuniarum libido, donec tandem ad Sacrilegam Domini venditionem animum adjecit, &c. D. 6. 36.

Urſi dicuntur in ſuis ſpecubus per hyemem ex adipe aut ſucco nutriri, quem ex ſuis unguibus exſugunt. O quam multi ſunt, qui ex eo vivunt, quod unguibus ſuis furaciter clepunt.

Mirum eſt ſtratagema, quod de Studioſis Pragenſibus narrari audivi: Magiſtratus Studioſum, neſcio cujus delicti reum, comprehenſum, in præalta turri captivum concluſit: Academici, ut conſodalem liberarent, hanc ſtropham excogitarunt. Formicæ ex majoribus uni, tenuiſſimum filum ſericum alligarunt, ejuſque frontem modiciſſima mellis guttula tinxerunt. Formica mellis odorem ſecuta, in muro turris recta aſcendens, tandem filum tenuiſſimum ad feneſtram captivi detulit, huic infra conſodales robuſtius filum lineum, huic filo funiculum, funiculo rudentem annexuerunt, quo tandem captivus e turri ſeſe demiſit. Sic ſic in furtis, a minori ad majus, a filo ad funiculum pervenitur, donec tandem ad laqueum perveniatur.

## Detentio rei alienæ.

### 211. *Nocet, & ad incitas redigit.*

D*Ivitias, quas devoraverit, evomet.* Sicut qui venenum hauſit, vomit, ſic fœnerator, ait Olympius. Argentum ſi madeſit, rubiginem contrahit, ſic divitiæ lacrymis aliorum conſperſæ rubiginem contrahunt, ait Nazianzenus. Veſtis madida tineas nutrit: ita veſtis lacrymis pauperum madefacta, ait Nicetas. Sicut qui noxium cibum ſumpſit, una cum illo etiam bonos ac ſalubres evomit: ita bona aliena noxia ſunt, etiam propria auferunt: cur grando vaſtat agros? cur ille depauperatur, &c. S. punct. 65. f. 225.

*Divitias, quas devoravit, evomet, & de ventre illius extrahet illas Deus.* Ex quibus verbis patet, quod bona injuſte parta repente injuſtis poſſeſſoribus pereant; hinc ab Origene vocantur, *fortunæ vomitus*. Sicut enim vinum apud potatores blande intrat, ſed demum vi per vomitum exit; ita divitiæ injuſtæ *ingrediuntur blande, & in fine mordent ut coluber*. D. 7. 26. *Job. 20.*

S. Chryſoſtomus comparat bona injuſte parta fermento: ſicut enim fermentum totam maſſam; ita bonum inique partum totam fortunarum etiam juſtarum ſubſtantiam corrumpit. D. 7. 86.

De agro Haceldama, qui ex argenteis a Juda reſtitutis fuit emptus in ſepulturam peregrinorum, illud mirum narratur, quod aliorum corpora præterquam peregrinorum non patiatur. Imperatrix Helena aliquot naves ea terra oneratas Romam avehi juſſit, & etiam ibi illa terra habet eandem operationem, non patitur corpora Romanorum, ſed tantum peregrinorum, illa ejicit, iſta ſervat. Ecce non vult Deus ut aliena uſurpentur. Quid mirum, quod tu ad incitas redigaris? illud lucrum injuſtum, illa merces defraudata, illa ſacra fundatio uſurpata te ejicit, &c. D. 8. 44.

S. Corbiniano Romam itineranti Uſingo Comes Tridentinus pulcherrimum equum furatus eſt. Cum Corbinianus Roma redux Tridentum veniret, vidit in paſcuis ſuum equum, ſed macilentum ac ſcabioſum, quin imo faſſus eſt Comes Uſingo per equum hunc furto ablatum ſibi quadraginta alios ſcabie fuiſſe infectos. R. cent. 2. par. 1. mir. 9.





### 212. *Sine quiete lancinat animum.*

Fur quidam S. Medardo abſtulit bovem cum nola, & ne proderetur nolam fœno obſtruit: ſed mirum! garrula hæc campanula ſemper ſonuit: reconditur in abſtruſos angulos, ſed neque tunc ſonare deſinit, donec fur bovem reſtituit. Ribaden. Tom. 3. 8. Jun. Simile quid legitur in vita Sancti Corbiniani Epiſcopi Friſingenſis &c. furare quidquid lubet, omnia habent ſuam campanulam.

S. Medardo apiaria quædam furto ablata ſunt, ſed fures ab apibus tamdiu aculeis confixi ſunt, donec ad Sanctum Virum acceſſerint, & veniam rogarint. O quot aculeis configuntur conſcientiæ injuſtorum. Sanch. 6. par. c. 7. f. 776.

*Auctor hiſt. Antill.* In quadam novi orbis Inſula piſcis eſt, ut apparet frigidæ naturæ, ſed qui eum tetigerit, tantum dolorem contrahit, ut brachium uſque ad humerum ferventi oleo immerſum videatur. Dolor augetur uſque ad meridiem, dein decreſcente ſole decreſcit. VV. art. diſc. font. 27. Ex. 14. Sic bona injuſta, in attingentis conſcientia immenſum dolorem cauſant, qui quamdiu prorogatur reſtitutio, ſemper creſcit.

Falco rapax eſt volucris, laborat tamen morbo vermium, a quibus renes illius corrodi ſolent. VV. ar. diſc. font. 48. ex. 1. Sic homines rapaces moleſtantur a verme conſcientiæ.

### 213. *Bona præſertim Eccleſiaſtica detenta nocent.*

Nemo ſibi imaginetur ſe ex bonis ſacris felicem fore: Divina maledictio brevi ſubſequetur, & *abſumet ebria ſitientem*. Henricus VIII. ultra mille Monaſteria exſpoliavit, decimas omnes & proventus beneficiorum ſibi appropriavit, quorum vel decima pars ſuffeciſſet ad luxum magnificentiſſimi Regis, & tamen, ait Sanderus, *Multo pauperior intra paucos annos poſt expilationem illam fuit, quam unquam ante aut ipſe, aut majores ejus fuerint*. D. 11. 22.

Carolus Martellus bona Eccleſiaſtica ſibi appropriat, poſt mortem autem videtur a S. Eucherio ardere in inferno, ex ejus tumulo aperto prodibat terribilis draco, corpus erat in cineres combuſtum. Sanch. 4. par. c. 4. f. 266. J. 57.

Abbas quidam fratri ſuo de bonis Monaſterii multa largiebatur, & hic de die in diem fiebat pauperior. Monitus tandem nihil acceptavit amplius & accepta reſtituit, atque ſic mirum in modum diteſcebat. Sanch. 5. par. c. 9. f. 606.

Ruſticus quidam fundum Monaſterii S. Egvvini ſibi falſo arrogabat, utque litem evinceret, calceos terra ſui horti opplevit, ac tum juravit, fundum illum ſuum eſſe. Ita vicit in judicio, ſed cum tempore meſſis triticum ibi metere vellet, ſubito arcana vi per falcem ſuam graviter ſauciatus, & tanquam injuſtus poſſeſſor agnitus fuit. R. 1. par. mir. 15.

Quidam quanto plura a fratre ſuo Abbate ex bonis Eccleſiæ accepit, tanto pauperior factus eſt: cum autem nihil amplius accepit, & etiam de ſuis pauperibus diſtribuit, mirum in modum locupletatus eſt. E. *Bona injuſta* n. 10. 11.

Carolus Rex Francorum, Pipini parens, bona Deo dicata Eccleſiis ademit, & pro libitu aliis donavit. Poſt mortem a S. Eucherio Epiſcopo Aurelianenſi viſus eſt infernalibus tormentis cruciari. Alius ex proventibus Eccleſiaſticis mirum in modum ditatus eſt, ſed ejus nepotes paulo poſt ad incitas redacti ſunt. J. 57.

### 214. *Punitur poſt mortem ſpirituum inquietudine.*

Plutarchus in vita Dionis perhibet, domum hujus Dionis infeſtatam fuiſſe a muliere inſolitæ magnitudinis, quæ ſcopis pavimentum verrebat. Idem narrat Petrus Poſſinus de domo Antonii Borreti Toloſani. Trithemius in Hiſtoria Monaſterii Hirſaugienſis narrat, in Saxoniæ quodam loco ſpiritum circumiiſſe, quem incolæ pileatum vocabant, is hominibus ſe aſſociabat habitu ruſticali, nova narrabat, in culina ſerviebat, nuntia ferebat: cum autem a calone fuit offenſus, illum diſſectum aſſavit, & plura alia fecit. Amico itineranti ſocius in via obiit, & apparuit, ſuper lectum incubuit, amplexari jacentem voluit, &c. Hujus inquietudinis ſpirituum ſæpe cauſa ſunt bona injuſta &c. D. 11. 55.

Atrebati in Monaſterio cujuſdam defuncti fœneratoris pecuniæ aſſervabantur. Pientiſſimus quidam Monachus aliquando penes illam ciſtulam orans vidit illi diabolum inſidere. Quæſivit quid hic faceret? & dæmon repoſuit: cuſtodio, quæ mea ſunt. E. *Uſura* 2.

Caſtellum Belgio haud procul Bruxellis nocturnis tumultibus infeſtabatur, ita ut inhabitabile fieret. Vir Religioſus adjuravit ſpectra: comparuerunt unum

poſt alterum, & dixerunt, caſtellum injuſte poſſideri a Domino, illudque pertinere ad famulum domeſticum, nomine Joannem: cum hoc tranſactionem fecit Dominus, & ceſſavere nocturni tumultus. T. n. 185.

215. *Privat hominem cœleſti patria.*

*Quid prodeſt homini, ſi mundum univerſum lucretur, animæ vero ſuæ detrimentum patiatur?* Cogita eos, qui feliciſſimi in mundo fuerunt, integra regna poſſederunt, an putas illos delectari apud inferos de theſauris habitis? prorſus non! bonum amiſſum non habet niſi vim cruciandi; quo majus eſt bonum, quo exciderunt, eo major eſt eorum luctus &c. Segn. Manna 26. Febr. n. 2. ſeq.

Antiochus in morte ſanctiſſima concepit propoſita, promiſit etiam reſtitutionem bonorum, quæ inique rapuerat, & tamen periit: Quare? quia ſerio non agebat, alias jam nunc ſtatim capiſſet reſtitutionem facere eorum, quæ ad manus habebat. Ita fit, iniqui detentores nunquam vincunt difficultatem reſtitutionis, &c. D. 9. 10.

Mater Beatæ Mariæ de Ognies poſt mortem apparet, & ſe damnatam eſſe aſſerit, quia bona male parta non reſtituiſſet. E. Verbo *Bona injuſta* n. 4.

Monachus a nauta per Albim tranſvectus cum non haberet, ex quo naulum ſolvere poſſet, promiſit Nautæ, quod proxime illi denarium mittere velit. Interim oblitus denarii moritur, cumque ad æternam quietem aſcendere vellet, vidit in via denarium, qui ſemper magis, magiſque & tandem ita crevit, ut portam cœli obtegeret. Edoctus hujus rei cauſam gratiam habuit redeundi ad corpus, & ſoluto denario beate moriendi. E. Verbo *Bona injuſta* n. 6.

216. *Bona detenta non proſperantur.*

In vita S. Pirminii Epiſc. legitur, quod aliquis nomine VVido Eccleſiæ campanam ademerit, quæ tamen ſonum nullum edidit, donec loco ſuo fuit reſtituta.

Idem habetur in vita S. Lupi de campana, quæ Sancto invito a Rege Clothario fuit Pariſios abducta &c. Hunc ipſum in morem bona male parta non proſperantur, non ſonum, non lucrum edunt. D. 6. 42.

S. Greg. Turonenſis mirum quid narrat de homine Leodii, qui quatuor denariis, ultra quos nihil divitiarum poſſidebat, vinum coemit, illud aqua miſcuit, iterum vendidit, & hanc negationem iniquam tamdiu protraxit, donec centum aureorum ſummam corraſit. Hos aureos in rubro marſupio cuſtodire ſolebat. Aliquando iter faciens, e crumena quatuor denarios expromit, idque dum agit & marſupium penes ſe deponit in terra, ecce! corvus famelicus advolat, qui rubicundum marſupium putans eſſe carnem, illud abripit, & dum homo ille clamorem concitat, in præterfluentem Sequanam decidere ſinit. Periit injuſtum lucrum in aqua, quod ex aqua hauſtum eſt, remanſit nil niſi juſtum pretium quatuor denariorum, & ſic verbaliter verificatum eſt illud: *Ne erigas oculos tuos ad opes, quas non potes habere, quia facient ſibi pennas quaſi aquilæ, & volabunt in cælum.* D. 7. 86. C. cent. 2. par. 1. mir. 36.

Antiquitus erat adagium, *Equum Sejanum habet*: Origo erat iſta: Equus portentoſæ erat magnitudinis, ſed omnes ſuos poſſeſſores infelices reddidit: primus erat Sejus, qui a Marco Antonio Triumviro condemnatus miſera morte periit. Dein equum emit Cornelius Dolabella, & iſte in ſeditione, ac bellis domeſticis in Syria interfectus eſt. Tertius equi poſſeſſor erat Caſſius, & iſte in bello contra Parthos vitam perdidit. Quartus erat Antonius, & iſte ab Auguſto victus & a ſuis derelictus periit. Aliud axioma dici ſolebat de iis, qui paulatim ad incitas vergebant: *Aurum habet Tholoſanum*: animadverſum enim eſt, omnes, qui Tholoſam urbem, ejuſque templa exſpoliarunt, paulo poſt ad pauperiem deveniſſe. Talis infelix equus, tale infelix aurum ſunt bona male parta, non proſperantur, & etiam æqua deſtruunt. D. 11. 22.

Nobilis quidam vi arripuit Monaſterii cujuſdam ſilvam & ſtagnum. Cum ergo Abbas reſiſtere violentiæ non poſſet, exiit ad ſilvam & ſtagnum, eiſque præcepit, ut exareſcerent, & nullos alienis fructus darent. Factum ut præceptum! exaruit utrumque. E. *Excommunicatio* n. 3.

Tanda Gothorum Dux Abbati Libertino equum abſtulit, ſed cum illo tranſire flumen non potuit: ut autem equum reſtituit, ſine difficultate tranſivit. E. *Furtum* n. 1.

Hyæna cæcum ſuum catulum ad S. Macarium detulit, cui Sanctus oculorum uſum reſtituit. Altera die attulit Hyæna pellem ovinam, & Sanctus repoſuit, non accipiam illam, niſi promiſeris, quod pecudibus pauperum non amplius nocere velis. Annuit Hyena, & Sanctus tunc primum pellem accepit. E. *Furtum* n. 6.



217. *Deſtruit bona juſte poſſeſſa.*

Nauclerus gemino naufragio bona omnia & ipſam navim amittens, monetur a Viro Sancto, ut reſtitutionem bonorum iniquorum faciat; fecit, & poſtea mirum in modum adeo ditatus eſt, ut Deus etiam ſtannum ipſius in argentum converterit. E. Verbo *Bona injuſta* n. 7. & 12.

Econtra juſtitia conſervat bona. Vidua cauponiſſa, cum prope ipſius domum incendium orietur, omnia vaſa cereviſiaria ad oſtium domus comportat, dicens: Mi Deus, ſi vides me cum his vaſis injuſtitiam commiſiſſe, fac ardeat domus mea: ſecus conſerva illam! Et domus conſervata fuit. E. *Venditio*.

Monaſterio Namurci fœneratoris pecuniæ centum & ſexaginta librarum delatæ ſunt. Abbas noviter electus Vir pientiſſimus vendidit oves, pecudes, & res utenſiles, & pecuniam reſtituit; quia metuit, ne pecuniæ illæ totum Monaſterium deſtruerent. E. *Uſura* n. 4.

Monetæ argenteæ ſi forſan madefiant, & in ciſtis concludantur, rubiginem contrahunt, ita ut & reliquas pecunias incendant. Eundem in modum bona injuſta, ſi lacrymis miſerorum humectentur, deſtruuntur, & una ſecum etiam bona juſta in ruinam trahunt.

Fit nonnunquam, ut cum apiculæ ex floſculorum ſucco mel colligunt, ſubito examen fucorum in apiarium irrumpat, & mellis favos devoret: Ita avaris contingit: cum diu per fas & nefas congregant, irrumpunt fures, aut infortunium, quod bona injuſta una cum injuſtis deſtruit, & peſſumdat.

218. *Obligat ad reſtitutionem.*

Quidam Sancto Remigio agrum ſubtraxerat, monitus ab Epiſcopo non gerit morem. Cum aliquando equo iter facere vellet, equus immobilis hæſit, metuens ergo Dei ſupplicium, ingentem auri argentique ſummam ad ſepulcrum S. Remigii afferri jubet, ſed Sanctus non acceptavit pecuniam pro agro, & ille defraudator repentina morte concidit. Sanchez 4. par. c. 7. f. 333.

O quam pauci huic obligationi faciunt ſatis: agunt ut Crocodilus, qui cum integrum hominem devoravit, dein in ſabulo procumbens, ſinit ſibi ab aviculæ carnium reliquias e dentibus erui: ſic multi plura non reddunt, quam exiles reliquias, volucri ſine moleſtia, & onere ferendas. Segner. p. 1. diſc. 27. n. 21.

P. Auguſtino de Eſpinoſa S. J. apparet ſpiritus, media nocte e cubiculo, imo etiam ex Collegio, ſciente P. Rectore educit in domum ſuam. Ibi illi dedit chartam cum nominibus creditorum, quibus in vita non ſatisfecit, tantumque auri addidit, quantum neceſſe erat, rogans Patrem, ut ſua debita expungeret. Poſt octo dies rediit defunctus, & pro rebus fideliter geſtis gratias egit. *Ex Faſt. S. J. 4. Febr.*

Mare cum ingentia navigia ingentibus divitiis onuſta naufragio deglutiit, tandem cadavera, confractaſque tabulas in littus ejicit. Ita injuſti Euclione nonnunquam reſtituunt; immenſas opes injuſte devorant, & vacua marſupia ac quiſquilias refundunt.

219. *Fert animæ perniciem.*

Cum quondam S. Regi Eduardo quidam ſacci pecunia tributaria pleni adveherentur, vidit ille in ſaccis dæmones ſedentes ac joculariter ſibi colludentes. Mox præcepit reſtitui ſubditis tributum, quia metuebat eſſe injuſtum. O ſi iiſdem oculis eſſemus præditi, quam in multis rebus videremus ſedere dæmones quas injuſte poſſidemus. Sanch. 5. par. c. 9. f. 598. ſeq. R. cent. 2. par. 1. mir. 45.

Sicut volucribus eſca, & pabulum apponitur, ut ſic in tectos laqueos incidant: ita facit diabolus; rem alienam homini obtrudit, quam cum homo apprehendit, ſtatim illius animam illaqueat. Segn. Hom. Chr. p. 1. diſc. 27. n. 1.

Mercator quidam injuſtus in morte deſperabundum facit teſtamentum: corpus legat terræ, animam vero & animas uxoris ac filiorum tranſcribit dæmoni. March. in explicat. 7. præc. lect. 12. prop. 3. in fine.

Landelinus quidam furibus ac latronibus ſe ſub nomine Mauroſi aſſociat. *Furias in vita.*
Cum autem vidit Deo permittente ſocium ſuum nuper mortuum in inferno ardere, ad S. Aubertum confugit, & pœnitentiam agens ſancte moritur. March. in explicat. 7. præc. lect. 12. prop. 2.

Parens uſurarius videtur jacere in inferno, de cujus ventre excrevit arbor, in cujus ramis filii, nepotes, & neptes erant ſuſpenſi, quia illorum amore injuſtitias exercuit. E. *Uſura* n. 7.

Mul.

Multi fingunt impoſſibilitatem reſtitutionis, putantque ſe coram Deo, & conſcientia excuſatos, cum frigide dicunt: Volo, cum commode poſſum! Verum S. Auguſtinus ait: *Si res aliena, cum reddi poſſit, non redditur, non agitur pœnitentia, ſed fingitur.* Ficta autem pœnitentia quid prodeſt ad ſalutem! *S. Aug. Ep. ad Macedon.*

Falſum teſtimonium.

220. *Proditur per miracula.*

SAnctus Stanislaus Epiſcopus accuſatur de pago male acquiſito, & in ſuæ innocentiæ teſtimonium venditorem a mortuis excitat. C. Deuteron. c. 19. ad fin. *Surius 8. Maj.*

Sanctus Macarius occiſum e tumulo evocat, ut innocentem ſalvaret. Sanctus Brixius, & Broon Epiſcopi fornicationis accuſati infantem diſertum faciunt, & patrem indicare jubent. Sanctus Antonius Paduanus Uliſſiponem ab Angelo transfertur, ut patrem homicidii accuſatum defenderet, qui cum in finem etiam puerum occiſum interrogavit. C. Deut. c. 19. ad fin. col. 2.

Tres conjurati falſo accuſabant S. Narciſſum, & quidem ſub imprecatione, ſi falſum dicerent, aiebat unus, velle ſe vivum comburi, alter, velle ſe miſera morte perire, tertius velle ſe exoculari. Tum S. Narciſſus in exilium quidem abiit, at omnes tres pœna ſibi conſtituta puniti ſunt. Sanch. 6. par. c. 6. fol. 753. E. *Diffamare* n. 6.

Uxor mortuo marito accedit ad debitorem & debitum exigit: iſte reponit, ſe ſolviſſe marito. Mulier rem defert ad S. Donatum Epiſcopum, & iſte ad ſepulcrum viri accedens, quærit, an ille debitor ſolverit? Maritus reviviſcens ait: Non! ſicque mendax ille confutatus eſt. Sanch. 6. par. c. 7. f. 774.

B. Aja donationem Eccleſiæ factam, & ab amicis impugnatam, poſt mortem e ſepulcro prodiens confirmat. C. Deut. c. 19. ad fin.

Mediolani cum a filio defuncti Patris debitum repeteretur, cui pater jam ſatisfecerat, triſtanti filio in ſomnis apparuit pater, illique indicavit, ubi repoſita eſſet apocha ſolutionis jam præſtitæ. Hac inventa filius non tantum propulſavit fallaciam exactorum, ſed inſuper chirographum patris, quod pater non reperierat, recepit. C. Deut. c. 19. ad fin.

S. Macarius hominem homicidii accuſatum in antrum ſuum recipit, occiſique hominis e tumulo evocari teſtimonio innocentem defendit. Abſolvit Magiſtratus accuſatum a crimine, interrogavitque, quis ergo reus eſſet cædis? Reſpondit Macarius, ſe revocaſſe mortuum, ut innocentem defenderet, non ut reum accuſaret. C. Deut. 19. in fin.

S. Antonius Paduanus Patavio Uliſſiponem translatus eſt, ut parentem de cæde pueri accuſatum defenderet. Sanctus puerum occiſum interrogavit, an pater ſuus ipſum occidiſſet? reſpondit puer, patrem hujus cædis nec reum, nec conſcium eſſe. C. Deut. c. 19. in fin.

221. *Punitur graviſſime.*

Quidam Gubernator affectabat vineam alicujus pauperis, & pauper nolebat ei vendere: interim dum pauper moritur, Gubernator it ad ſepulcrum, exhumat cadaver, & illi pretium vineæ in manus tradit ac iterum ſecum ſumit, invocans ſimul duos corruptos teſtes, ut coram judicio deponerent, ſe vidiſſe, quod pretium vineæ fuerit pauperi ſolutum. Sic vendicabat coram Philippo Galliarum Rege vineam: Rex ob lacrymas viduæ reſiſtentis & omnia falſa eſſe jurantis, ſuſpicatus eſt ſubeſſe fraudem: vocat ergo ſeorſum unum teſtem, jubetque ut Symbolum Apoſtolicum recitaret. Tum incluſo hoc vocat alterum, dicitque: Heus tu, tuus ſocius jam mihi locutus eſt tam vere, quam vera eſt Sacra Scriptura: cave jam, ne tu falſitatem dicas: exhorruit iſte putans ſocium jam omnia aperuiſſe, & rem totam, prout erat, enarravit. Tunc impius Gubernator vivus ſepultus eſt. Ardias in expl. 7. præc. inſtr. 47. n. 6. T. n. 334. *Nieremb. ſtrom. 5. c. 24.*

Ipſi gentiles deteſtabantur falſum teſtimonium: Imperator Macrinus morte mulctabat, qui alium falſi criminis accuſabat, aut falſo teſtimonio ad accuſationem concurrebat. Imperator Claudius falſum teſtem e tumulo iterum effodi, & cadaver volucribus ac feris devorandum dari juſſit.

Mendacium.

222. *Quanta damna afferat.*

SUſanna mendaciſſime accuſatur a Senibus Babylonicis, peritura, niſi per Danielem fuiſſet defenſa. M. conc. 33. aſſ. 2. num. 3.

Chriſtus, cum Phariſæis dixit, *ſolvite templum hoc, & in triduo reædificabo illud*,



*illud*, ſtatim ab illis accuſatus eſt, quaſi dixerit, *ſolvam templum hoc*: Quid effecerunt hoc mendacio? Chriſto necem attulerunt, ait Sanctus Auguſtinus. M. conc. 33. aſſ. 2. n. 6.

O quoties ſub ſpecie veritatis proponuntur mendacia, ut tanto gravius noceatur; ſicut Rahab mendacio totam urbem decepit. S. Chryſoſtomus ait: Prius veritatem ædificat Rahab, atque ita mendacium inducit. M. Ib. n. 7.

Mendacium triplex eſt, *Officioſum*, cum uni volo prodeſſe ſine detrimento alterius: *Jocoſum*, cum inter audientes riſum, aut admirationem excitare intendo. *Pernicioſum* cum proximo damnum irrogo. Nullum ex his eſt licitum, ſed lædit, ſaltem mentientis conſcientiam, & nonnunquam etiam famam alterius, aut integritatem audientis. Ipſi naturæ & Deo vim infert homo mendax; quia dum Deus & natura linguam nobis dedit ad communicanda cordis arcana in commodum ſocietatis humanæ, mendax hunc finem evertit, & abutitur lingua ad perturbandam veritatem, confuſionemque facit, qualis fuit inter ædificatores turris Babel.

Qui mendaciis aſſueſcit ſeipſum adeo depravat, ut omnia aliorum dicta ſuſpecta habeat, & nemini credat; quia omnes alios putat mendaces ſicut ſeipſum. Tales fuerunt Phariſæi: Chriſtus Phariſæis juravit: Cur? S. Chryſoſtomus ait: *Quoniam qui mendax eſt, neminem putat dicere veritatem, neque ipſum Deum.* M. conc. 33. aſſ. 2. n. 8.

Mendaces toti mundo ſunt contemptibiles: ſicut horologium, quod aliter ſignat, aliter pulſat horas, vilipenditur; ita mendaces paſſim contemnuntur, ad nullam hominum converſationem admittuntur, & puniente Deo, plerumque in ſuis mendaciis deprehenduntur.

223. *Invenitur per omnes ſtatus.*

Principes fictionibus, aulici adulationibus, Judices falſis ſententiis, Advocati falſis rationibus, Mercatores uſuris, Religioſi hypocriſi, Servi furtis decipiunt &c. M. conc. 33. aſſ. 2. n. 9.

Jam veritas in mundo opprimitur, & regnat ubique mendacium. Paoletti Dom. 2. Adventus.

Ipſa etiam mendicabula plena ſunt fraudibus & mendaciis. S. Epiphanius Epiſcopus rogabatur a mendico, ut liberalem ſibi ſtipem elargiretur pro ſepeliendo ſocio heri mortuo! fraus ea fuit & mendacium ad excuniculandas pecunias. Sanctus Præſul largam ei ſtipem dedit, cum qua reverſus, & jubilans ſocio in tumba ficte jacenti felix nuntium ferre voluit, fraudem ſibi ad vota ceſſiſſe: ſed ille obmutuit, imo mortuiſſimus fuit, Deo impoſturam luculenter puniente. Recte pronuntiat Propheta: Non eſt veritas in terra, falſitas & mendacium inundaverunt. *Oſea 4.*

Quæ autem cauſa eſt, tot mendaciorum in mundo? ſunt plerumque parentes, qui in educatione prolium diſſimulant, aut rident liberorum mendacia; hinc illi mentiendi habitum contrahunt, uſque in canam ſenectutem duraturum. Invigilent itaque parentes, invigilent omnes hominum ſtatus ad illum monitum Chriſti: Sit ſermo veſter eſt eſt; Non Non! &c.

224. *Odibile coram Deo, & hominibus.*

Primo, quia diabolus eſt Pater mendaciorum.

Dæmon Evam decipiens quintuplex mendacium dixit: 1. Non moriemini. 2. Aperientur oculi veſtri. 3. Eritis ſicut Dii. 4. Scietis bonum, & malum. 5. Scit Deus hæc omnia vera eſſe &c. C. Gen. c. 3. v. 4. Sic Chriſtus Dominus exprobravit mendacibus Phariſæis: Vos ex patre diabolo eſtis. Item in Proverbiis Salomonis teſtatur Deus de ſeipſo, quod ſex vitia averſetur, inter quæ eſt lingua mendax. *Prov. 6.*

Ipſi gentiles erubeſcunt, & deteſtantur mendacium: Romani mendaces, ut infames ſigno cauſtico in fronte notabant. Claudius Imperator defunctum, qui vivus erat mendax, e tumulo effodi, cadaver volucribus & feris in pabulum dari, & domum ejus cum omni ſupellectile comburi juſſit. Trajanus Imp. captivum Thraciæ Principem ſuo regno reſtituere cogitabat, ſed quia illum in mendacio deprehendit, a regimine paterno excluſum in exilium miſit.

Chriſtus Dominus omnis generis peccatores convertit, ac benigne recepit: Perſecutores Eccleſiæ, uti Saulum: avaros, uti Matthæum: laſcivos uti Magdalenam: adulteros, uti deprehenſam a Judæis: idololatras, uti centurionem: latrones, uti Diſmam in cruce. Verum de nullo mendace legitur, quod Chriſtus curam illius habuerit. Fornerus in Pſ. 150.

Ratio fundamentalis eſt, quia licet men-

mendacium non ſemper ſit graviter peccaminoſum, ſemper tamen eſt illicitum. C. Exod. 3. v. 19. Item Prov. 10. v. 4. Item Prov. 16. v. 47.

### Inconſtantia.

#### 225. *Quam ingrata ſit Deo.*

CAtharina Suedica cum Matre in exilio Romæ verſata, cum intepeſcere, & patriam ſæpe cogitare inciperet, ſomniavit ſe in mundo circumcirca ardente mediam ſtare: invocans Beatam Virginem hoc ab ea reſponſum tulit, haud facile ſe adjutum iri, niſi Matri conſtanter adhæreret. C. Deut. c. 17. v. 7.

Durand. in Chron. l. 6. c. 8. Ultrajecti in Monaſterio Carthuſianorum Vir magnus & in ſæculo dignitate conſpicuus aſſumpſit habitum Religioſum, qui dein multis tentationibus vexatus, cum divitias & delicias, quibus abundabat, recogitaret, decrevit Ordinem deſerere; proinde prius aviculam, quam artificioſe canentem habebat e cavea dimiſit, & apertis feneſtris ſic eam allocutus eſt: Vola, vola, & in libertatem perge avicula, mox te ſequar! Mirum dictu! avicula ex natura libertatis amans, & clauſuræ impatiens, etſi omnia paterent, noluit e cella emigrare: quod ille advertens Divino inſtinctu fieri, in Ordine uſque ad finem vitæ pœnitens perſeveravit.

Chamæleon a Deo reprobatur tanquam animal immundum: quia omnes colores, quos videt, recipit, excepto albo: hinc proverbium: *Chamæleonte mutabilior*. Talis erat Julianus ex Chriſtiano factus ethnicus, &c. C. Levit. 11. v. 30. Item Prov. 27. v. 8.

Qui audit verba Chriſti & non facit, comparatur arenæ: 1. Sicut arena mobilis, & fluida eſt, ita ut fundamentum ædificii eſſe non poſſit, ita animus inſtabilis & inobediens fundamentum ſolidæ virtutis eſſe nequit, ſed ingruente tentatione corruit. 2. Arena arida & ſicca eſt; ita animus inſtabilis, qui non facit quæ audit, Spiritus Divini ſucco vacuus, & terrenis affixus eſt. 3. Arena vento facile diſſipatur; ita animus levis tentationum æſtu rapitur in omnem concupiſcentiam, &c. C. Matth. 7. v. 26.

#### 226. *Eſt vitium valde commune.*

Milvi, accipitres, & aliæ interdum in aere immobilibus alis in uno loco hærent, & ſic volando ſtant. VV. art. diſc. font. 48. ex. 1. Parem in modum apud multos nihil eſt conſtans niſi ipſa inconſtantia.

In Scotia pro naturæ miraculo habetur, quod aqua in ſpecu Buquania lapideſcat: VV. art. diſc. font. 48. ex. 10. Hoc apud inconſtantes nihil eſt novi; qui enim paulo ante lacrymarum aquis peccata deploraverunt, cum ſpecum, id eſt in occaſionem redeunt, iterum lapideſcunt.

Nihil frequentius, quam quod multi ſua vocatione minus contenti ad alium ſtatum aſpirent, & ſic præſenti non ſatisfaciunt, & futurum non aſſequuntur, ſicque inutiliter tempus terentes, merentur illum ſarcaſmum, qui duos inſectantur lepores, neutrum capit. Arbuſcula, quæ ſæpius nunc in hunc, nunc in alium locum transplantatur, nunquam fructum parit; ſic inconſtantes, nunc huc nunc illuc aſpirantes nullibi utiliter radices agunt, & utrinque deficiunt. Jacob nunquam Liam ſponſam ſuam perfecto amore proſequebatur, quamdiu de Rachele conſequenda laborabat, ait S. Franc. Sales. Direct. p. 3. c. 7. §. 6.

Niſi neceſſitas, utilitas, & pietas excuſet, mutare locum ſemper eſt noxium: 1. Quia talis caret quiete, & ſtatu, ſemper vagus & peregrinus. 2. Quia perdit notos & amicos, & vadit ad incognitos, qui nec illi fidunt, nec ille illis. Hæc variatio, ait S. Baſilius, nihil eſt aliud, quam *vitiorum intemperantia, & laborandi fuga, & judicii corruptela ac inſtabilitas*. C. Prov. 27. v. 8. S. Baſil. Conſt. Mon. c. 21.

### Impatientia in adverſis.

#### 227. *Excluditur e cœlo.*

DEus excluſit in Veteri Teſtamento ab holocauſto piſces, admiſit columbas. Quare? ſi lapidem jacias inter volucres, ſurſum ad cœlum volitant, ſi inter piſces, ii in profundum recedentes inferno fiunt proximiores: ſic homo impatiens excluditur ab holocauſto. B. ſer. 3. n. 32. 33.

*Diſciplinam Domini, fili mi, ne abjicias.* Ubi legit Aquila: *Ne reprobes diſciplinam*: Addit Salazar: Ne te oſtendas reprobum reprobando tribulationes. Impatientia in adverſis conſequenter ſignum eſt reprobationis. S. punct. 46. in fine. Prov. 3. Salaz. hic.

Quæ differentia inter purgatorium, & infernum? Reſpondeo hæc eſt, quod purgantes animæ patienter patiantur, damnati vero cum maxima impatientia: ecce! impatienter pati, damnatorum eſt! S. punct. 117. fol. 359.



Si venator feram vulneret, hæc autem vulnerata alio profugiat, non qui vulneravit, ſed qui capit, legum decreto ſibi vendicat. Deus vulnerat peccatorem, ut eum ſibi lucretur: at ille a Deo profugit, quæritur, obluctatur, quin in furorem & blaſphemias ſolvitur; unde non jam Deus vulneratam hanc feram, ſed dæmon a Deo profugam ſibi vendicat &c. P. p. 3. diſc. 19. n. 17. ad finem.

Iſraelitæ poſt annum & tres menſes ingreſſuri fuiſſent terram promiſſam, ſed propter murmurationem contra Deum, & Moyſen triginta octo annis ab ingreſſu retardati fuerunt. C. Num. 13. v. 21.

#### 228. *Quam frequens inter homines.*

Sanctus Job dixit: *Dominus dedit, Dominus abſtulit.* O quam pauci hodie inveniuntur Jobi: quam multi dicunt: Dominus dedit, diabolus abſtulit, &c. S. punct. 117. fol. 359.

Multi in Deum, in Superiores, in juſtitiæ miniſtros, & in proximos infortunii ſui architectos, verbis bilioſis, & aculeatis invehuntur: Sic filii Iſrael Exod. 14. videntes Ægyptios dixerunt ad Moyſen: Forſitan non erant ſepulcra in Ægypto, ideo tuliſtis nos, ut moreremur in ſolitudine! O quoties, qui adverſitate premuntur, in verba ejuſmodi jurgioſa, & invidioſa erumpunt! &c.

In modico rei temporalis defectu quantæ querimoniæ, & impatientiſſima verba Exod. 16. eructantur! Iſraelitæ nunc contra famem, nunc contra ſitim murmurabant, ita, ut eorum maledicentia nec per fontem aquarum, nec per coturnices, aut Manna facile potuerit compeſci.

Quanta multorum infirmitas, qui ne unum quidem ſiniſtrum verbum conco- 2. Reg. 19. quere poſſunt! En! quia filii Juda paulo durius locuti ſunt ad alias decem tribus, ſeparatus eſt Iſrael a David, & ſecutus eſt Sebam filium Bochri, &c. Cum monuit Tobias de hædo, quem balantem Tob. 2. audivit: Videte, ne furtivus ſit, uxor ejus indignabunde reſpondit. Cum Sara filia Raguelis unam de ancillis propter delictum increpat, illa in furioſa hæc verba erupit: Amplius ex te non videamus filium, aut filiam, interfectrix Virorum tuorum!

Non tantum injuria, ſed & negatio exſpectati honoris hominem in furias agit: Eſth. 3. Amman, quia Mardochæus illum adorare noluit, ita indignatus eſt, ut illius, & omnium Judæorum excidium machinatus ſit.

#### 229. *Quam imprudens ſit.*

Si vas luteum vellet exprobrare figulo, cur in hanc & non in aliam formam ſe figuraverit, nonne mereretur diſrumpi, & pedibus conculcari? *Nunquid dicet lutum figulo ſuo, quid facis? &c.* Iſa. 45. Ait vero Chryſoſtomus: *Tu figulo permittis, ut ex eadem maſſa diſſimilia ac differentia vaſa fingat, nec vitio vertis: a Deo autem rationem exigis tum ſuppliciorum tum bonorum.* A. 1. lect. 5. num. 1. S. Chryſ. Hom. 16. in ep. ad Rom.

Si Dominus Deus diviti exiguam partem boni conceſſi adimit, quanta ejus impatientia, dum potius in exiguam illam partem ablatam, quam in bonum relictum oculos intendit. Deberent dicere cum S. Ambroſio de morte fratris loquente: *Lætandum magis, quod fratrem habuerim, quam quod amiſerim; illud enim munus, hoc debitum fuit.* An non obſequium tibi præſtat, qui equum commodat, etſi veſperi equum repetat? Sic Deus, etſi diu maritum, amicum, divitias dederit, tandem iis amiſſis, ſua repetit &c. P. p. 2. diſ. 14. num. 9.

Sicut milites transfugæ dum propter belli incommoda, contra datam fidem, militiam deſerunt, cum deprehenduntur, in furcam aguntur; ita illi, qui ex impatientia alicujus mali, Deo tergum obvertunt, ordinarie majus malum incurrunt. Agar Ancilla Saræ ſuſtinere non Gen. 16. potens correptionem Dominæ, e domo profugit, ſed in ſilvam delata una cum prole fere ſiti periit, propterea ab Angelo redire juſſa eſt. Sic multi ex inopia, vindicta, libidine aut alio malo opem dæmonis invocant, aut ad heterodoxos tranſeunt, ſed in calamitatem longe miſerabiliorem ſe conjiciunt, &c.

Infelix Achitophel videns, quod non fuiſſet factum juxta conſilium ſuum, in tantum impatiens fuit, ut receſſerit ab Abſalone, & abiens in domum ſuam ſuſpendio interierit.

#### 230. *Denotat tepidum Chriſtianum.*

Vinum fulmine percuſſum, ut tradit Seneca, dolio etiam combuſto non diffluit, ſed ex fumoſa fulminis exhalatione cruſtam ſibi facit, intra quam ſe continet. Econtra dolium aquæ fulminatum cito effunditur. Ita de te loquor, mi Chriſtiane! dicis gravi fulmine adverſitatis te percuſſum eſſe! eſto in nomine Domini! ſed ſi cito in lacrymas, & incon-

condita lamenta diffluas, ſignum eſt quod vinum non ſis, ſed aqua, &c.

Exod. 5. Dum Moyſes modico tempore diutius, quam populus ſperabat, emanſit, ſtatim ad Aaronem cum indignatione convolans ajebat: Surge, & fac nobis Deos, qui nos præcedant. Sic tepidi Chriſtiani, dum in afflictione non ſtatim a Deo exaudiuntur, ad ſuperſtitiones, ad dæmonem confugiunt, & ſic, dum corpore forſan infelices ſunt, etiam animæ infelicitatem incurrere decernunt.

Multi non paucis annis a Domino Deo ingenti proſperitate beantur, verum cum exigua adverſitate affliguntur, omnium beneficiorum obliviſcuntur, & contra malum præſens impatientiſſime exardeſcunt: ſic populus Iſrael cum fame, & commeatus inopia in deſerto affligebatur, murmurabat contra Deum, & Moyſen, ſed de liberatione e duriſſima ſervitute non faciebant mentionem.

Luc. 15. Frater filii prodigi audiens feſtum, quod Pater faciebat adoleſcentiori filio reverteriti, indignatus eſt, & nolebat introire. Quid per hoc indicavit? Nempe, quod fuerit homo invidioſus, & maligni animi.

Ingratitudo.

231. *Meretur privari beneficiis acceptis.*

PEllicanus ſuo ſanguine pullos ad vitam revocat, ſed ſi ingrati ſint, e nido ejicit. B. Serm. 62. n. 4.

David contra Nabal iraſcitur propter ingratitudinem, &c. B. Serm. 81. n. 18. Serm. 6. n. 23. S. punct. 156. fol. 505.

Ezechias, quia pro victoria grates nõn egit, febri correptus ad mortem damnatur. M. conc. 17. aſſ. 2. n. 8.

S. Th. 2. 2. q. 107. a. 4. Sanctus Thomas de ingrato enuntiat: *Si vero ex beneficiis multiplicatis ingratitudinem augeat, & pejor fiat, debemus a beneficiorum exhibitione ceſſare, &c.* A. 1. lect. 3. num. 3.

Beneficia ingratis tolluntur, & aliis conferuntur: ita ſceleratis agricultoribus vinea eſt adempta, & aliis agricolis locata. Beda in c. 20. Luc. Beda ait: *Perdito malo cultore vinea datur alteri, cum dono gratiæ, quod ſuperbus ſprevit, humilis ditatur, &c.* A. 2. lect. 3. n. 6.

Deus beneficiis ſuis eſt valde parcus, eaque etiam juſtis diu rogantibus non ſtatim confert: Quare? *Ne cito data vileſcant*, ait S. Auguſtinus: Si ergo Deus ægre fert cum ſua beneficia non æſtimantur, quanto ægrius feret ſi contemnuntur? tunc certe priſtina beneficia homini adimit, & nova non confert: Atque in hunc ſenſum ait S. Bernar. *Ingratitudo eſt inimica animæ, exinanitio meritorum, beneficiorum perditio.* P. p. 3. diſc. 18. num. 19. S. Bern. in Serm. 35. in Cant.

Quæ cauſa ſubeſt, quod in mundo miſeri homines magno in numero inveniantur, cæci, claudi, ægri, pauperes, ſtupidi, aliiſque infirmitatibus obnoxii, qui olim erant felices? Hoc quidem pertinet ad arcana Dei judicia! verum in illa die videbimus, multos ad miſeriam fuiſſe redactos, qui donis Dei, oculis, manibus, valetudine, fortunis, talentis, aliiſque donis abuſi ſunt, ad Dei donantis injuriam.

232. *Magna eſt, ſi nocetur ipſi benefactori.*

Ariſtophanes pinxit capram, quæ lupum lactat, cum epigraphe: *Mea me poſt ubera paſcet.* B. Serm. 4. nu. 16.

Malchus, poſtquam Chriſtus illi abſciſſam auriculam ſanavit, percutit Chriſtum alapa. S. punct. 8. fol. 565. 566.

S. Joannes Baptiſta vocat Phariſæos, progeniem viperarum, quia ad inſtar viperæ peccator vitam adimere cupit illi, a quo ſuam accepit. B. Serm. 4. n. 20.

Hedera non alio adjutore in altum ſerpit, quam ulmo, & huic tamen vitalem ſuccum exugit, ut emori debeat: ita multi faciunt, utuntur opera benefactoris, & huic nihil aliud rependunt, quam ut illum emungant, &c.

Inter alia motiva fugiendi peccatum mortale illud maximum eſſe debet, quod omne peccatum abominabilem ingratitudinem contineat erga Deum; a Deo enim accepit homo vitam, corpus, animam, uſum rationis, valetudinem, fortunas, & omnia bona: quam enormis ergo eſt ingratitudo, his donis abuti in injuriam Dei Benefactoris? Euſebius Niembergius parabolam adducit de inope femina, quæ in latrones incidens liberatur a Rege, & in ſponſam aſſumitur. Sed illa cum infimæ ſortis calonibus adulterat regium thorum, & ideo a Rege repudiatur. Ita anima a Deo ad dignitatem gratiæ, ſponſamque aſſumpta, per peccatum cum creaturis quaſi adulterium committit, meretur que a Deo reprobari. B. Serm. 29. §. 1. M. conc. 17. aſſ. 2. per totum.

Jacob fideliter, utiliterque ſervivit avunculo ſuo Laban, & iſte multoties in id intendit, ut falleret Jacobum.

Fra-



Frater Ægydius hominem ingratum hoc argumento convicit: Incidi in hominem manibus ac pedibus truncatum, oculiſque orbatum, interrogavi illum, quid vellet mihi dare, ſi manus, pedes, Euſebr. Dom. 6. poſt Pentecoſt. & oculos ipſi reſtituerem? Repoſuit: Servum me tibi perpetuum conſecrarem! Tunc Ægydius: cum ergo Deus tibi manus, pedes, oculos, omniaque membra corporis tibi integra dedit, qua fronte illis in injuriam datoris abuteris?

233. *Cito obliviſcitur beneficiorum.*

Ariſtoteles quæſitus, quid citiſſime exareſcat? Reſpondit: Beneficium. Et Seneca: *Quæ recentia inter eos viguerant, interjecto ſpatio obſoleſcunt.* B. Serm. 83. §. 1.

Corvus ex arca emiſſus non regreditur: ingratiſſimum animal cito beneficii obliviſcitur. B. Ib. n. 6.

Ingratus erat Laban erga Jacobum, Pharao erga populum Iſrael, Pincerna erga Joſephum, Saul erga Davidem, Leproſi erga Chriſtum, Judæi erga Redemptorem. Sanchez 6. par. c. 5. f. 722.

Scala, ut in altum aſcendatur initio humeris portatur, manibus arripitur, erigitur, & applicatur, qui per eam aſcendit, fortiſſime tenet: verum poſtquam obſequium aſcendenti præſtitit, humi proſternitur, abripitur, & in ſordido angulo abſtruditur: Sic multi beneficiorum cito obliviſcuntur, & ſi Benefactoris opera intentum ſuum conſecuti ſunt, illum contemnunt, &c.

Diogenes rogatus, quid apud hominem cito ſeneſceret: Repoſuit, Beneficium. C. Num. 20. v. 3.

Joſeph per prudentiam, & providentiam ſuam conſervavit Ægyptios a fame & interitu, & iſti Benefactoris cito obliti ſunt, opprimentes filios Joſeph, & cognationem ejus. Similiter populus, quod moram faceret Moyſes deſcendendi de Exod. 32. monte, petiit ab Aarone: Fac nobis Deos qui nos præcedant. Ecce! quam cito obliti ſint beneficiorum a Deo, & a Moyſe acceptorum.

4. Reg. 11. Joas Rex Juda non eſt recordatus miſericordiæ, quam fecerat Joiada Pontifex ſecum. Sed interfecit Zachariam filium ejus arguentem illum, eo quod Dominum reliquiſſet.

234. *Quam abominabile vitium ſit.*

Aratores Ægyptii nunquam cælum aſpiciunt, quia humectationem agrorum a Nilo exſpectant. S. p. 156. f. 503.

Tu ingrate, cur fructus ac divitias tuas tuo labori adſcribis, quæ a Deo ſunt: ſtultus ille dixit: *Quo congregem fructus meos?* Quid ais? *meos?* qui tibi a Deo venerunt. S. punct. 156. f. 505.

Joſeph poſtquam ad ſolium evectus eſt, id non ſorti, non Pharaoni, ſed Deo in acceptis retulit. S. Ib. f. 504.

Chriſtus in Evangelio quæſivit: *Novem ubi ſunt?* Ubi Bernardus ait: In vitium ingratitudinis invehitur. S. punct. 156. f. 505.

Ipſe dæmon erubeſcit ingratitudinem: nam Sauli ad occiſionem Davidis non cooperatur, ne videatur cooperari ad ingratitudinem. M. conc. 17. aſſ. 2. n. 4.

Chriſtus Dominus, qui immenſa miſericordia recepit, & vocavit ad ſe peccatores, ſuper ingratitudine populi Judæorum conqueſtus eſt: Filios enutrivi, & exaltavi, illi autem ſpreverunt me. Atque ut oſtenderet, illos beſtiis eſſe minus gratos, addidit: Cognovit bos poſſeſſorem ſuum, & aſinus præſepe Domini ſui.

Quæritur cur Moyſes ingratitudinis vitium non prohibuerit præceptis Decalogi, aut ſaltem Eccleſia non repoſuerit inter peccata capitalia? Reſpondetur, quia judicarunt inutile fore tale præceptum, cum vix credibile ſit tam monſtroſum peccatum, ipſis brutis inferius, in humano genere inveniri poſſe.

235. *Merita compenſat malefactis.*

Quidam Artifex invenit modum, vitrum flexibile & ductile faciendi. Tale vitrum porrexit Tiberio Cæſari, quod ille in pavimentum projecit. Artifex colligit fruſta, & malleolo vitrum reficit. Quærebat Cæſar, an præter ipſum adhuc alius hanc artem calleret? Negante artifice, ipſum decapitari juſſit, ne ars iſta propagaretur. VV. art. diſc. font. 24. Ex. 13. Sic mundus merita coronat.

Plato Ariſtotelem vocabat Mulum, quia mulus cum lacte ſaturatus eſt, matrem calcibus petit. Sic Plato ingratitudinem Ariſtotelis carpit, qui doctus in ſchola ejus Philoſophiam, illam vellicabat. C. Num. 20. v. 3.

Dominus Deus dedit populo in deſerto Manna, omnimodum ſaporem in Num. 11.

ſe continentem, & tamen populus murmurabat ſuper cibum leviſſimum, inquiens, quis dabit nobis carnes? Unde a Deo graviſſime puniti ſunt.

1.Reg.17. Quanta obſequia, beneficiaque recepit Rex Saul a Davide, & tamen pro præmio Saul modis omnibus allaboravit ad eum occidendum.

David ſalvavit habitatores terræ, & tamen eum voluerunt tradere in manus Saul, ipſum perſequi, & in mortem tradere cupientis.

Rex David miſit nuntios ad conſolandum Regem filiorum Ammon ſuper interitum patris eorum, & tamen illi pro beneficio & honore reddiderunt nuntiis contumeliam & vituperia.

236. *Cauſat adverſitates, penuriam, morbos.*

Ezechias ideo ægrotavit, quia poſt victoriam gratias non egit. S. punct. 156. fol. 505. M. conc. 23. aſſ. 1. n. 7.

Deus talis eſt erga nos, quales nos erga ipſum: ideo ait Bernardus: *Ingratitudo exſiccat fontem pietatis.* Unde ſæpe infortunia, penuria, morbi? quia gratus non fuiſti. S. p. 156. f. 506.

Paterfamilias ſervum non objurgavit propter debita decem millium talentorum, ſed propter ingratitudinem, & propter hanc tradidit eum tortoribus. S. p. 156. f. 505. M. conc. 17. aſſ. 2. n. 5.

Joſeph Ægyptum in fame conſervavit, novus tamen Pharao Iſraelitas perſecutus eſt, imo Ægyptii fœcunditatem idolo ſuo Serapidi adſcripſerunt, ideo merito a Deo terribilibus plagis puniti ſunt. C. Gen. 41. & Exod. 1.

Qui variis adverſitatibus in corpore, anima, aut fortunis premuntur, recogitent & examinent ſe, an non Deo, parentibus, aut benefactoribus fuerint in-
Prov. 18. grati: Dicit enim Deus: *Qui reddit mala pro bonis, non recedet malum de domo ejus.* Item: *Ingrati ſpes tanquam hyber-*
Sap. 16. *nales glacies contabeſcet, & diſperiet, tanquam aqua ſupervacua.* Atque in hunc
S.Ber.Ser. 51. ſenſum ait S. Bernardus, *Ingratitudo eſt beneficiorum perditio, ſiccans ſibi fontem pietatis, & rorem miſericordiæ.*

Si Rex miſero cuidam quotannis liberalem pecuniæ ſummam attribueret, ille autem hanc ſummam omnem in venenum, & arma expenderet, quibus Regem e medio tollere cogitaret, nonne mereretur Regis liberalitate privari, & ſuppliciis atrociſſimis affici? Ita puniri merentur, qui Dei dona in ejus injuriam vertunt.

237. *Abutitur beneficiis in injuriam benefactoris.*

Seneca ait: Ingratus eſt, qui beneficia non reddit, ingratiſſimus, qui oblitus eſt. Quid igitur ille, qui beneficiis abutitur in injuriam benefactoris? ille bonum ingenium uſurpat ad ineptias: ille ſanitatem in decumanas potationes, ille divitias in luxum &c. Quid mirum ſi Deus auferat? S. punct. 156. f. 506.

Sicut nebula, aut vapor terræ, poſtquam a ſole elevatus eſt, tonitruis, & fulminibus terram fatigat: ita multi ingratiſſimi homines, poſtquam ad majorem ſortem evecti ſunt, contra benefactores tonitrua, & tempeſtates excitant.

Mare recipit dulces fluminum aquas, illaſque amarulentas facit; quin imo fluminibus ſua nomina adimit, ita ut in mari deſinant vocari Danubius, Rhenus, Sequana, Bœtis &c. Ita multi ipſa beneficia ab aliis accepta in eorum amaritudinem detorquent, & ſi poſſunt, illorum nomina obſcurant.

Rex David recepit Abſalonem in gra- 2.Reg.13.
tiam, & pepercit ei ſuper homicidio fratris. O quantas gratias debebat Abſalon parenti! & tamen nactus libertatem ſurrexit, & rebellionem conflavit contra Patrem.

Dominus Deus evexit Jeroboam ſupra decem tribus populi. Et tamen ille libidine dominandi elatus, poteſtatem omnem a Deo acceptam adhibuit contra Deum, ut nempe populum averteret a cultu Dei.

Deus dedit Hebræis gratiam & facultatem auferendi Ægyptiis aurum, argentum, & omnia pretioſa, illi autem ex his ſpoliis conflaverunt ſibi vitulum aureum, quem pro Deo adoraverunt.

# PARS TERTIA.

## *De Peccatis Alienis.*

### PECCATA ALIENA.

238. *Quid ſint, & quomodo committantur?*

SUnt illa, quæ licet aliorum manibus, operaque perficiuntur, nobis tamen merito imputantur, noſtraſque conſcientias coram Deo reas conſtituunt. Quamobrem monet Scriptura: *Ne communicaveris peccatis alienis.* Et David ro-



gat: *Ab occultis meis munda me, & ab alienis parce ſervo tuo, &c.*

Vocantur aliena, quia ab aliis quidem committuntur, nobis tamen propter aliquam cooperationem aut complicitatem coram Deo imputantur. Loquamur a ſimili: Ponamus præaltam rupem in montibus, tonitru aut fulmine ſolvi! labitur illa, ſed non labitur ſola! per montis enim anfractus, & declivia in ſubjectam vallem devoluta, ſaxa & lapides ſecum vehit, ſimulque arbores ſternit, & in ſubjecta valle domos, pagoſque, unaque homines & pecudes non ſine terribili fragore obterit, & eadem ruina contumulat. Sic habet ſe peccatum Chriſtiani hominis in eminenti gradu conſtituti v. g. Principis, Magiſtratus, aut Patrisfamilias: non ſolus cadit, ſed pravitate exempli alios quoque, præſertim ſubditos in idem aut ſimile ſcelus trahit. Hæc ſubditorum peccata, reſpectu Principis dicuntur aliena; quia licet non ſint ab illo perſonaliter commiſſa, ſunt tamen in aliis ratione ſcandali cauſata, adeoque coram Deo primo peccanti imputata. Hinc pœnitens David rogavit Deum: *Ab alienis parce ſervo tuo*; quia in inferno non tantum cremantur peccata propria, ſed etiam aliena.

Soph. 1. Deus minatur: *Viſitabo ſuper omnes, qui induti ſunt veſte peregrina:* Aliqui veſtem hanc intelligunt eam, qua idololatræ utebantur in cultu idolorum; unde Judæi hanc veſtem induentes ipſo habitu ſe profitebantur cultores idolorum, ſicut qui pileum flavum induit Romæ, profitetur ſe Judæum, aut qui turbantum, Turcam. Theodoretus per veſtem peregrinam intelligit alienam, furto acceptam. Alii proprie per veſtem peregrinam intelligunt illam, quæ non eſt Judaica, ſed Ægyptia, Philiſtæa, Tyria &c. Sic viſitabuntur, & punientur, qui non veſtiuntur veſte Chriſtiana in Baptiſmo accepta, ſed peregrina peccatorum, puta veſte ſuperbiæ, avaritiæ, luxuriæ, gulæ & aliorum ſcelerum, quorum ſe conſenſu, ſuggeſtione, laudatione, aliiſque modis participes reddunt, &c.

### SUADERE PECCATUM.

239. *Eſt peccatum prorſus deteſtabile.*

CAiphas, Achitophel, Jezabel, Herodias conſilio concurrerunt ad occiſionem, hi lucernas gerunt, ut Chriſtus capiatur in horto oliveti. B. Ser. 38. n. 9.

*Creavi fabrum ſufflantem in igne prunas:* flatus follium eſt ſuggeſtio vetularum, *quæ ſunt quaſi ſufflatorium diaboli,* ait Joannes a Sancto Geminiano. B. ſer. 28. n. 10. n. 36.

Roboam per conſilium juvenum, Madianitæ per conſilium Balaam, Ammon per conſilium Jonadab, Abſalon per conſilium Achitophel, Eva per conſilium Dæmonis in peccatum inducuntur. Sanchez 6. par. c. 4. f. 693.

Eudoxia ex infami femina ad magnam vitæ clauſtralis ſanctitatem converſa fuit, quam, cum Philoſtratus ejus amator ſub ſpecie Monachi pervertere tentat, ille repentina morte occiſus, ab illa ad vitam revocatus fuit, eamque de attentata malitia veniam rogat. R. 1. par. mir. 10.

Quæres, quinam hoc peccato delinquant? Reſpondeo 1. Qui aliis pro reparanda valetudine ſuperſtitioſas artes ſuggerunt. 2. Parentes, qui filios ad nefas hortantur, prout Herodias hortata eſt filiam, ut peteret a Rege caput Joannis Baptiſtæ. 3. Mulieres, quæ ſcandaloſo veſtitu utuntur. 4. Qui ſine ſufficienti ſcientia ad officia ſeſe intrudunt, cum periculo damnificandi proximum in vita & bonis. 5. Judices, & Conſiliarii, qui cauſas partium non ſatis diſcutientes, cum damno proximi ſententiam ferunt, prout fecit Caiphas contra Chriſtum: Expedit, ut unus moriatur pro populo. 6. Avari, ſeu intereſſati, qui ſui tantum marſupii lucrum captantes, principibus varias adinventiones pro emungendis ſubditis ſuggerunt. Væ iſtis omnibus, quia, dum forſan ex peccatis propriis non eſſent perituri, pereunt ex alienis.

Deus Legem tulit ad ſalvandas animas; hi autem Legem Dei deſtruunt, ut animas perdant! Quid fit? Theodoſius pro bello, quod contra Maximum decreverat, novas exactiones indixit, quibus irritati Antiochenſes Statuam Imperatoris dejectam in fimo & luto per plateas raptabant: Ea injuria ita exacerbavit Imperatorem, ut miſſis exercitibus reos graviſſime punierit. Domus publicæ claudebantur, complices in carcerem conjecti bonis omnibus ſpoliabantur, multi carnifici tradebantur. Si iſte Imperator tam ſevere ultus eſt injuriam ſuæ imagini illatam, quantum ulciſcetur Deus injuriam, qua anima ejus imago in peccatorum ſordes proſternitur, &c. D. 6. 58.

Huc referendi ſunt, qui alios in peccando inſtruunt, quos S. Baſilius vocat peſtilentes, utpote qui in alios etiam pe-

 ſtem

ſe continentem, & tamen populus murmurabat ſuper cibum leviſſimum, inquiens, quis dabit nobis carnes? Unde a Deo graviſſime puniti ſunt.

Quanta obſequia, beneficiaque recepit
1. Reg. 17. Rex Saul a Davide, & tamen pro præmio Saul modis omnibus allaboravit ad eum occidendum.

David ſalvavit habitatores terræ, & tamen eum voluerunt tradere in manus Saul, ipſum perſequi, & in mortem tradere cupientis.

Rex David miſit nuntios ad conſolandum Regem filiorum Ammon ſuper interitum patris eorum, & tamen illi pro beneficio & honore reddiderunt nuntiis contumeliam & vituperia.

236. *Cauſat adverſitates, penuriam, morbos.*

Ezechias ideo ægrotavit, quia poſt victoriam gratias non egit. S. punct. 156. fol. 505. M. conc. 23. aſſ. 1. n. 7.

Deus talis eſt erga nos, quales nos erga ipſum: ideo ait Bernardus: *Ingratitudo exſiccat fontem pietatis.* Unde ſæpe infortunia, penuria, morbi? quia gratus non fuiſti. S. p. 156. f. 506.

Paterfamilias ſervum non objurgavit propter debita decem millium talentorum, ſed propter ingratitudinem, & propter hanc tradidit eum tortoribus. S. p. 156. f. 505. M. conc. 17. aſſ. 2. n. 5.

Joſeph Ægyptum in fame conſervavit, novus tamen Pharao Iſraelitas perſecutus eſt, imo Ægyptii fœcunditatem idolo ſuo Serapidi adſcripſerunt, ideo merito a Deo terribilibus plagis puniti ſunt. C. Gen. 41. & Exod. 1.

Qui variis adverſitatibus in corpore, anima, aut fortunis premuntur, recogitent & examinent ſe, an non Deo, parentibus, aut benefactoribus fuerint in-
Prov. 18. grati: Dicit enim Deus: *Qui reddit mala pro bonis, non recedet malum de domo*
Sap. 16. *ejus.* Item: *Ingrati ſpes tanquam hybernales glacies contabeſcet, & diſperiet, tanquam aqua ſupervacua.* Atque in hunc
S. Ber. Ser. 52. ſenſum ait S. Bernardus, *Ingratitudo eſt beneficiorum perditio, ſiccans ſibi fontem pietatis, & rorem miſericordiæ.*

Si Rex miſero cuidam quotannis liberalem pecuniæ ſummam attribueret, ille autem hanc ſummam omnem in venenum, & arma expenderet, quibus Regem e medio tollere cogitaret, nonne mereretur Regis liberalitate privari, & ſuppliciis atrociſſimis affici? Ita puniri merentur, qui Dei dona in ejus injuriam vertunt.

237. *Abutitur beneficiis in injuriam benefactoris.*

Seneca ait: Ingratus eſt, qui beneficia non reddit, ingratiſſimus, qui oblitus eſt. Quid igitur ille, qui beneficiis abutitur in injuriam benefactoris? ille bonum ingenium uſurpat ad ineptias: ille ſanitatem in decumanas potationes, ille divitias in luxum &c. Quid mirum ſi Deus auferat? S. punct. 156. f. 506.

Sicut nebula, aut vapor terræ, poſtquam a ſole elevatus eſt, tonitruis, & fulminibus terram fatigat: ita multi ingratiſſimi homines, poſtquam ad majorem ſortem evecti ſunt, contra benefactores tonitrua, & tempeſtates excitant.

Mare recipit dulces fluminum aquas, illaſque amarulentas facit; quin imo fluminibus ſua nomina adimit, ita ut in mari deſinant vocari Danubius, Rhenus, Sequana, Bœtis &c. Ita multi ipſa beneficia ab aliis accepta in eorum amaritudinem detorquent, & ſi poſſunt, illorum nomina obſcurant.

Rex David recepit Abſalonem in gra- 2. Reg. 12.
tiam, & pepercit ei ſuper homicidio fratris. O quantas gratias debebat Abſalon parenti! & tamen nactus libertatem ſurrexit, & rebellionem conflavit contra Patrem.

Dominus Deus evexit Jeroboam ſupra decem tribus populi. Et tamen ille libidine dominandi elatus, poteſtatem omnem a Deo acceptam adhibuit contra Deum, ut nempe populum averteret a cultu Dei.

Deus dedit Hebræis gratiam & facultatem auferendi Ægyptiis aurum, argentum, & omnia pretioſa, illi autem ex his ſpoliis conflaverunt ſibi vitulum aureum, quem pro Deo adoraverunt.

# PARS TERTIA.

## *De Peccatis Alienis.*

### PECCATA ALIENA.

238. *Quid ſint, & quomodo committantur?*

SUnt illa, quæ licet aliorum manibus, operaque perficiuntur, nobis tamen merito imputantur, noſtraſque conſcientias coram Deo reas conſtituunt. Quamobrem monet Scriptura: *Ne communicaveris peccatis alienis.* Et David ro-



gat: *Ab occultis meis munda me, & ab alienis parce ſervo tuo, &c.*

Vocantur aliena, quia ab aliis quidem committuntur, nobis tamen propter aliquam cooperationem aut complicitatem coram Deo imputantur. Loquamur a ſimili: Ponamus præaltam rupem in montibus, tonitru aut fulmine ſolvi! labitur illa, ſed non labitur ſola! per montis enim anfractus, & declivia in ſubjectam vallem devoluta, ſaxa & lapides ſecum vehit, ſimulque arbores ſternit, & in ſubjecta valle domos, pagoſque, unaque homines & pecudes non ſine terribili fragore obterit, & eadem ruina contumulat. Sic habet ſe peccatum Chriſtiani hominis in eminenti gradu conſtituti v. g. Principis, Magiſtratus, aut Patrisfamilias: non ſolus cadit, ſed pravitate exempli alios quoque, præſertim ſubditos in idem aut ſimile ſcelus trahit. Hæc ſubditorum peccata, reſpectu Principis dicuntur aliena; quia licet non ſint ab illo perſonaliter commiſſa, ſunt tamen in aliis ratione ſcandali cauſata, adeoque coram Deo primo peccanti imputata. Hinc pœnitens David rogavit Deum: *Ab alienis parce ſervo tuo*; quia in inferno non tantum cremantur peccata propria, ſed etiam aliena.

Soph. 1. Deus minatur: *Viſitabo ſuper omnes, qui induti ſunt veſte peregrina:* Aliqui veſtem hanc intelligunt eam, qua idololatræ utebantur in cultu idolorum; unde Judæi hanc veſtem induentes ipſo habitu ſe profitebantur cultores idolorum, ſicut qui pileum flavum induit Romæ, profitetur ſe Judæum, aut qui turbantum, Turcam. Theodoretus per veſtem peregrinam intelligit alienam, furto acceptam. Alii proprie per veſtem peregrinam intelligunt illam, quæ non eſt Judaica, ſed Ægyptia, Philiſtæa, Tyria &c. Sic viſitabuntur, & punientur, qui non veſtiuntur veſte Chriſtiana in Baptiſmo accepta, ſed peregrina peccatorum, puta veſte ſuperbiæ, avaritiæ, luxuriæ, gulæ & aliorum ſcelerum, quorum ſe conſenſu, ſuggeſtione, laudatione, aliiſque modis participes reddunt, &c.

### SUADERE PECCATUM.

239. *Eſt peccatum prorſus deteſtabile.*

CAiphas, Achitophel, Jezabel, Herodias conſilio concurrerunt ad occiſionem, hi lucernas gerunt, ut Chriſtus capiatur in horto oliveti. B. Ser. 38. n. 9.

*Creavi fabrum ſufflantem in igne prunas:* flatus follium eſt ſuggeſtio vetularum, *quæ ſunt quaſi ſufflatorium diaboli*, ait Joannes a Sancto Geminiano. B. ſer. 28. n. 10. n. 36.

Roboam per conſilium juvenum, Madianitæ per conſilium Balaam, Ammon per conſilium Jonadab, Abſalon per conſilium Achitophel, Eva per conſilium Dæmonis in peccatum inducuntur. Sanchez 6. par. c. 4. f. 693.

Eudoxia ex infami femina ad magnam vitæ clauſtralis ſanctitatem converſa fuit, quam, cum Philoſtratus ejus amator ſub ſpecie Monachi pervertere tentat, ille repentina morte occiſus, ab illa ad vitam revocatus fuit, eamque de attentata malitia veniam rogat. R. 1. par. mir. 10.

Quæres, quinam hoc peccato delinquant? Reſpondeo 1. Qui aliis pro reparanda valetudine ſuperſtitioſas artes ſuggerunt. 2. Parentes, qui filios ad nefas hortantur, prout Herodias hortata eſt filiam, ut peteret a Rege caput Joannis Baptiſtæ. 3. Mulieres, quæ ſcandaloſo veſtitu utuntur. 4. Qui ſine ſufficienti ſcientia ad officia ſeſe intrudunt, cum periculo damnificandi proximum in vita & bonis. 5. Judices, & Conſiliarii, qui cauſas partium non ſatis diſcutientes, cum damno proximi ſententiam ferunt, prout fecit Caiphas contra Chriſtum: Expedit, ut unus moriatur pro populo. 6. Avari, ſeu intereſſati, qui ſui tantum marſupii lucrum captantes, principibus varias adinventiones pro emungendis ſubditis ſuggerunt. Væ iſtis omnibus, quia, dum forſan ex peccatis propriis non eſſent perituri, pereunt ex alienis.

Deus Legem tulit ad ſalvandas animas; hi autem Legem Dei deſtruunt, ut animas perdant! Quid fit? Theodoſius pro bello, quod contra Maximum decreverat, novas exactiones indixit, quibus irritati Antiochenſes Statuam Imperatoris dejectam in fimo & luto per plateas raptabant: Ea injuria ita exacerbavit Imperatorem, ut miſſis exercitibus reos graviſſime punierit. Domus publicæ claudebantur, complices in carcerem conjecti bonis omnibus ſpoliabantur, multi carnifici tradebantur. Si iſte Imperator tam ſevere ultus eſt injuriam ſuæ imagini illatam, quantum ulciſcetur Deus injuriam, qua anima ejus imago in peccatorum ſordes proſternitur, &c. D. 6. 58.

Huc referendi ſunt, qui alios in peccando inſtruunt, quos S. Baſilius vocat peſtilentes, utpote qui in alios etiam peſtem

ſtem ſuam transferunt; ſunt aliqua peccata ut morbus communis, qui ſine contagio ſoli ægrotanti nocent: alia ſunt ut peſtis, quæ venenum etiam aliis aſpergunt, & late propagant. Væ illis, per quos innocens juventus pervertitur! Beatus Vir, ait Pſalmiſta, qui in cathedra peſtilentiæ non ſedit: Ubi Bernardus: Sedet in cathedra peſtilentiæ, qui docet exemplo aut ſuaſione. B. ſer. 36. n. 11.

Ignis Babylonicus combuſſit eos, qui ignem incenderunt: ita infernus uret eos, qui incenderunt ignem laſciviæ, invidiæ, aliorumque ſcelerum. B. ſerm. 30. n. 26. Serm. 72. n. 16. 17. &c.

Qui innocentem conſilio, aut inſtructione peccare docet, væ illi! Juvenis in turpiſſimo ſodomiæ peccato ſeductus, in mortis articulo terribiliter clamat: Væ illi, qui me ſeduxit. E. *Docere* n. 3.

240. *Maxima mala poſt ſe trahit.*

Homicida occidens parentem tenetur orphanis ſuſtentationem præſtare, quam a patre & quamdiu exſpectare poterant. Similiter qui animam pervertit, tenetur Deo compenſare lucrum ceſſans, & damnum emergens. Et ſi anima illa damnatur, eheu? quis damnum compenſabit pro blaſphemiis infinitis, &c. P. p. 2. diſ. 11. n. 8.

1ˢ Conſiliarius Pariſienſis ſuaſit Regi, ut de omnibus comeſtibilibus, quæ in foro venderentur, obolum inſtar gabellæ acceptaret. Videns dein quantum damnum pauperibus feciſſet, cum non amplius poſſet invalidare legem, petiit, ut in cloaca illius ipſius fori publice ſepeliretur. Ardias in expl. præc. 7. Inſtr. n. 7.

Famuli in aula Julii II. Pontificis Maximi caſtaneas ſub calidis cineribus coquebant, eaſque ferreis inſtrumentis extractas comedebant. Id cum ſimia curioſius obſervaſſet, avocatis famulis, caſtaneas comedere deſiderans, ubi ferramentum extractorium non reperit, felem in foco jacentem arripuit, ejuſque pedem extrahendis caſtaneis pro ferro adhibuit, metuens, ne ſuum ipſa pedem uſtiaret. VV. art. diſc. ſont. 29. Ex. 11. Sic multi qui flagitium per ſeipſos perpetrare non audent, aliis executionem ſuadent: verum coram Deo ſuum & ipſi pedem peſſime adurunt, id eſt, conſcientiam lancinant.

Qui ſuadet peccatum proximo damnoſum, tenetur compenſare damnum ſuaſione cauſatum, & niſi id fecerit, æternam damnationem non effugiet. Deinde ſibi ipſi foveam fodit, quam alteri ſtruxit; nihil enim Deo familiarius, quam ut enſem alteri cuſum in caput auctoris retorqueat. Si Aulicus Amman in furcam actus eſt, quam Mardochæo erexit. Sic artifex Phalaris in aheneo tauro, quem ad excarnandos Chriſtianos ex ære conflavit, primus exuſtus eſt. Sic perduellionis reus, qui Eccleſiis aſylum negaverat, primus ad capitale ſupplicium extractus eſt, &c. Florim. Raymund. l. 7. de ortu, & progr. hæreſ. c. 17.

DERIDERE VIRTUTEM.

240. *Coram Deo ſumme deteſtabile.*

DEus maxime infenſus erat Amalecitis, quia pugnabant contra Iſraelitas, quorum tamen conſanguinei erant. Si infidelis rideat probum, tolerabile eſt, ſed Chriſtianus ejuſdem ſanguinis conſors non ſine enormi crimine deridet virtutem: Abulenſis ait: Amalecitas fuiſſe primos, qui contra Iſrael pugnarunt, & ſic fere cauſarunt, ut Iſraelitæ in Ægyptum redirent: tu tuo riſu cauſas, ut anima necdum in virtute ſatis ſolidata redeat ad Ægyptum &c. B. Ser. 37. nu. 29. Vide Titulum: *Mundus*. B. ſer. 38. n. 27.

Bernard. ait, deriſionem Virtuoſorum eſſe gravius peccatum, quam Deicidium. B. ſerm. 67. n. 9. 10. Serm. 72. n. 18.

Siquis dicat, ejuſmodi irriſiones tantum eſſe jocos, reſpondeo, ſi ex joco aquæductum ſuſflamines, qui in urbem tendit, quid malorum eveniet? molendina impediuntur, ſitis, & fames exſurgit: ita a pari. B. ſer. 37. n. 30. & ſeq.

Quid mirum, quod Mundus, una cum carne & dæmone, reputetur inter inimicos Dei? nihil enim familiarius mundo, quam deridere virtutem.

Cum Carol. V. Imperator regno ſe abdicaverat, indicibile eſt, quam per varias cryſes hoc factum fuerit ſugillatum: aliqui ſpargebant id factum fuiſſe ob impatientiam morborum. Alii quia formidabat felicitatem Henrici Regis Gallorum. Alii dicebant eſſe deſperationem, quia Divodurum (vulgo Metz) expugnare non poterat. Alii putabant fieri ex ambitione, ut videlicet mundo oſtenderet, ſe non ſolum poſſe expugnare, ſed etiam contemnere regna. Alii denique dicebant eſſe remorſum conſcientiæ ob expugnatam Romam & captivatum Chriſti Vicarium. D. 3. 36. Sic fit! qui non vivit ad genium mundi, taxatur, ſugillatur, pro ſimplici, & abſurdo habetur, &c.

241. Gra-



241. *Graviſſime punitur a Deo.*

David fugit Abſalonem, non quia timuit, ſed quia indubitanter credidit eum ſub ſuis oculis interiturum, quia nempe fideles ſubditos pervertit: ita ſine dubio punientur a Deo, qui fideles animas ſua irriſione a Deo avertunt. M. conc. 34. aſſ. 1. n. 3.

Deus præcipit, ut ſiquis hominem lapide, vel ictu lædit, percuſſor omne damnum ſarciat, non tantum medicorum, ſed etiam lucrum ceſſans: ſupra quod Diez: *Si ſceleratus homo aliquem in aliquam ægritudinem ſpiritualem incidere fecerit, perſolvet non ſolum illa ſcelera, quæ alius commiſit, ſed omnia, quæ ipſe lucraturus erat, ſi in peccato non eſſet.* B. Serm. 37. n. 32.

Quidam ſacrificulus gentilis ritus Catholicorum ludificans, & ſuperpelliceo indutus ironice baptiſmum prædicans a milite putatur eſſe verus Catholicorum Sacerdos, & lancea confoditur. R. cent. 3. mir. 32.

*Vincent. Bellvac. l. 13. c. 119.* Cum S. Projectus cum fratribus die Paſchæ jejunaret, ab aliquibus riſui habitus fuit, qui cum moniti a riſu non abſtinerent, corruente ſolario obtriti ſunt. E. Verbo Abſtinentia ex. 10.

MANDARE PECCATUM.

242. *Quomodo fiat & quantum noceat.*

HUjus peccati reos ſe faciunt, 1. Reges ac Principes per bellum injuſtum, quo innumeri miſerabiliter trucidantur. 2. Vindictæ ſtudioſi, qui executionem ultionis alteri demandant, aut mercedem offerunt. 3. Parentes, qui filios rixari, decipere, furari jubent, eiſque ad quævis ſcelera occaſiones præbent. 4. Domini & Patres-familias, qui famulos, & famulas in emendo, vendendo ipſiſque mercibus fraudem facere mandant, inſtruuntque. Hæc peccata duplicem ſemper animam letaliter vulnerant, mandantis, & mandatum exequentis.

Rex David occiſor & latro fuit Uriæ, etiamſi non propria manu illum occiderit, ſed per mandatum Duci Joab datum illum ſuſtulerit. Rex impius Herodes fuit latro infantum, quos a bimatu & infra, ex odio Chriſti Domini interfici juſſit. De eo dicitur: *Occidit omnes pueros*, non per ſe, ſed per ſatellites & lictores.



Pilatus, etiamſi manus laverit, & millies proteſtatus ſit; Innocens ſum a ſanguine juſti hujus! tamen quia iniquam ſententiam ſcripſit, & Chriſtum crucifigi juſſit, occiſor & latro illius fuit. Neque obſtat, quod manus ipſe crucifixioni non admoverit; quia per alienas manus clavos, & malleos arripiens Chriſtum crucifixit, &c.

LAUDARE PECCATUM.

243. *Facit peccatorem audaciorem in malo.*

SAnctus Cyprianus ait, qui peccantem blandimentis adulantibus palpat, peccandi fomitem ſubminiſtrat. B. Serm. 36. num. 13.

Apud crudele ſacrificium Moloch, ne parentes audirent lamenta infantum, flamines fecerunt muſicam: ita adulatores faciunt muſicam, ne peccator audiat clamorem conſcientiæ. B. Serm. 36. n. 14. Serm. 46. n. 15.

Ejuſmodi ſunt, 1. Parentes, & præcipue Matres, qui filias ad omnem vanitatem pronas de ſua venuſtate laudant, iiſque media ad vanos ornatus & illecebras ſubminiſtrant. 2. Illi qui vitia ſub nomine virtutum celebrant, vindictam fortitudinem, impudicos ſales jovialitatem, avaritiam frugalitatem vocant. 3. Præcipue aulici, & paraſitæ, qui principum dicta, facta canonizant, eaque omnia, utut ſint peſſima cum applauſu & adulatione approbant.

Quare hodie tam pauci aut nulli inveniuntur Sancti Reges & Principes? Reſpondit Carolus VIII. Galliarum Rex moriturus; quia ab adulatoribus ſe perverti, & in nefas abripi ſinunt.

Rex Herodes quondam ipſe coram Cæſare in theatro comico comparuit, auro, & adamantibus fulgens, ubi ab applauſu populi aggratulantis ita fuit elatus, ut ſe Deum crediderit, & adorari voluerit. Verum paulo poſt pediculari morbo extinctus, miſerrimum ſe hominem expertus eſt. Idem expertus eſt Henricus Rex, qui ab adulatoribus inflatus, Deo, Deique in terris Vicario ſe oppoſuit, ſed tandem una cum VVilhelmo Epiſcopo, qui Regem in ſua obſtinacia firmabat, miſere periit. *Lucian. Montifort. p. 3. conc. 75.*

Quid frequentius, quam quod laudatur peccator in deſideriis animæ ſuæ, & iniquus benedicitur.

 DE-

### DEFENDERE PECCATUM.

*243. Confortat malos in malitia.*

ID quod tunc fit, cum factum iniquum contra conſcientiam verbis, aut ſcriptis excuſamus, & juſtificamus; contra hos Propheta: *Væ! qui dicitis malum bonum!*

Qui hujus malitiæ reos ſe faciunt, peccatores in malo confortant, & ſimiles ſunt Judæis, qui ſuo clamore Barrabbam abſolverunt, & Chriſtum condemnarunt. Item ſimiles ſunt Pharmacopolæ, qui pyxidi venenoſæ nomen ſuperſcriberet: *Salutaris theriaca.*

Hoc peccatum maxime committunt 1. *Hæretici*, qui falſa dogmata, contra agnitam veritatem, pertinaciter defendunt. 2. Parentes, qui accuſationes contra malitiam filiorum ſibi delatas non audiunt, ſed continuo illos excuſant. 3. Adulatores & aulici, qui fas & nefas Dominorum ſuorum, & facta injuſtiſſima approbant. 4. Cauſidici, & Procuratores, qui cauſis iniquiſſimis patrocinantur, & falſis juramentis, ac teſtimoniis veritatem opprimunt, quæ grandis eſt abominatio apud Deum. S. Athanaſius, S. Goar, S. Narciſſus, S. Stanislaus Epiſcopus; aliique graviſſimi criminis accuſati, malevolorum damnabili aſtutia fuiſſent condemnati, niſi miraculo per Deum fuiſſent
Iſa. 10.5 defenſi. *Væ!* ait Deus, *qui juſtificatis impium pro muneribus, & juſtitiam juſti aufertis ab eo, &c.*

### GLORIARI DE PECCATO.

*244. Facit alios audaciores in malo.*

SEneca ait: *Tunc conſummata eſt infelicitas, ubi turpia non ſolum delectant, ſed etiam placent.* Oza a Deo punitus eſt morte repentina, quia poſt agnitum ſuum errorem arcam lapſuram in curru tenuit, quod eſt quaſi confirmare errorem. Qui gloriantem audit de peccato, magis magiſque perdit peccati timorem: hinc Gregorius: *Quod licitum ſuſpicatur in eo procul dubio multiplicitus mergitur.* B. ſerm. 36. n. 15. & 16.

Chriſtus patiens, captivatus in horto primo ductus eſt ad Annam. Nihil pertinebat ad Annam judicare de cauſa Chriſti, ſed hoc factum eſt ex mandato Judæ proditoris, tum quia domus Annæ fuit in via ad Caipham, tum quia Sacerdotes & Phariſæi ſolutionem proditionis illi aſſignarunt apud Annam, ut igitur Judas demonſtraret ſe pro pecunia promiſſa officium ſuum bene peregiſſe, captivando Chriſtum, qui jam una aut altera vice, in templo & alibi manus Judæorum miraculoſe evaſerat, fecit, ut a turba lictorum Chriſtus primo duceretur ad Annam. *Coſterus de Paſſ.* O quam multi pretio conducti cooperantur ad peccatum alterius, & putant ſe rem egregiam perfeciſſe.

### CONNIVERE PECCATUM.

*245. Confortat, & propagat ſcelera.*

JAcobus Rex Arragoniæ impudenti feminæ adhæſit Berengariæ. Ejus Confeſſarius S. Raymundus de Pennafort graviter interdixit Regi, minatus etiam ſe aula abiturum, niſi feminam dimitteret. Cum non ſequebatur emendatio, S. Raymundus, cui nulla navis ex interdicto Regis admittebatur, pallio mare trajecit. R. cent. 2. par. 1. mir. 43. Sic fugiendum potius cum periculo vitæ, quam diſſimulandum peccatum, præſertim iis, quibus correctio peccatorum ex officio incumbit.

Hoc peccatum committitur 1. ab iis, qui in Senatu, aut publicis negotiis contra juſtitiam ex timore aut reſpectu iniquæ opinioni ſuo voto accedunt. 2. Conjuges, qui uxoris, aut filiorum ſuſpecta conſortia ſciunt, nec impediunt, immo complacentiam oſtendunt. 3. Domini, aut Patres-familias, qui famulorum injuſtitias non compeſcunt, ſed potius fovent,
&c. Hi omnes ſunt muti canes, non audentes latrare; ſicut enim canis, qui ſemper obmuteſcit, & fures ac latrones non allatrat, potius nocet, quam prodeſt domui; ita illi, qui filiorum, & domeſticorum vitia tacendo, & quaſi dormiendo diſſimulant, Deo, ejuſque gloriæ haud parum nocent, ſeque graviſſimæ culpæ ac pœnæ reos conſtituunt. Iſa. 56.

Mater S. Mariæ de Ognies æternum damnata eſt: id ubi in ſpiritu vidit Sancta Filia, interrogavit Chriſtum cauſam damnationis, & ab illo audiit. Periiſſe matrem, quia inter domeſticos multa peccata permiſit, nec debito rigore illis ſeſe oppoſuit. *Jac. de Vitriac. in Vit. l. 3. c. 11.*

Sed quomodo opponere ſe quis debet peccato? Ven. P. Thomas de Turrecremata Ord. S. Dominici eo tempore fuit Regis Hiſpaniarum Confeſſarius, quo Judæi per totum regnum innumerabili multitudine invaleſcentes, ſubditos uſuris & fraudibus emungebant. Huic malo intimius perſpecto Rex remedium daturus juſſit omnes Hebræos e regno ejici & expelli. Verum iſti Miniſtros Regis pecunia corruperunt, iiſque pro reſciſſione ſententiæ triginta aureorum millia obtulerunt. Id ubi innotuit Ven. P. Thomæ, Crucifixi imaginem manu tenens irrupit in Conſilium aulicum, coram Rege inquiens, Judas proditor triginta argenteis vendidit Chriſtum, vos vendere illum cogitatis pro triginta millibus, novi proditores! Et ecce! hæc invectiva adeo commovit cor regium, ut ſententiam ejectionis de novo confirmarit, omneſque Judæos e regno exeſſe juſſerit. *Lucian. Montifont. p. 3. conc. 76.*



### IRRITARE AD PECCATUM.

*246. Quanta poſt ſe trahat ſcelera.*

MUlieres Madian pellexerunt populũ Iſrael ad nefas, ita ut dein a Deo graviter fuerint puniti. B. Ser. 27. nu. 17. 18.

Lucifer ideo vocatur *Princeps* tenebrarum, quia alios Angelos poſt ſe ad tenebras traxit. B. Serm. 27. n. 24. Ser. 58. n. 26. 27.

Hunc in modum mulieres laſcivo habitu pelliciunt ad peccatum. B. Ser. 28. §. 4. Alii malo exemplo. B. Ser. 28. §. 5. Ser. 34. §. 1. Ser. 35. n. 2. 3.

Hic etiam impingunt pictores, qui impudicas picturas conficiunt, poetæ qui tales cantilenas componunt, inſtitores, qui has picturas, & cantilenas vendunt, item illi qui eas decantant: his enim actionibus omnibus videntes, & audientes ad peccatum provocantur.

Hoc peccatum maxime committunt 1. Filii immorigeri, qui parentes ad iracundiam, & juramenta provocant. 2. Petulantes pueri, qui ſeniculos, aut ſimplices ad furorem, & blaſphemias excitant. 3. Qui alios ad decumanos hauſtus, & ebrietatem quaſi cogunt. 4. Qui inter conjuges variis ſuſurrationibus zelotypiam incendunt, &c. Sic uxor Jobi illum in afflictione ad blaſphemandum Deum provocabat. 5. Qui alios aut alias ad luxuriam invitant. Infelix Salomon, olim Deo pergratus, per impudicas mulieres adeo depravatus eſt, ut etiam gentilium idola adorarit, &c.

### TACERE PECCATUM.

*247. Fovet, & nutrit impietatem.*

CUm Henricus D' Effiat, dictus alias Quinque Martius Regis Ludovici Intimus, ut Cardinalis Richelii potentiam ſupplantaret, cum Hiſpanis Galliæ inimicis colluderet, eam conſpirationem amico ſuo Auguſto de Thou confidenter aperuit, & ab eo ſinceriſſime demonitus fuit. Poſtliminio re Regi prodita non tantum Quinque Martius, quia perduellionis reus habitus fuit, ſed etiam Auguſtus de Thou decapitatus fuit, quia tacuit, & rem Regi non prodidit. Theat. Trag. hiſt. 36. n. 32.

Cum Iſraelitæ urbem Jerichuntinam Joſ. 7.
expugnaſſent, ſevere præceptum fuit, ut nemo militum de præda urbis quidquam ſibi proprium faceret. Hoc mandatum prævaricatus Achan, & ſingulari Dei Providentia proditus, dein ab exercitu lapidibus obrutus eſt, imo non ipſe ſolum, ſed & uxor & filii ejus cum ipſo! cur autem uxor & filii innocentes! Non fuerunt innocentes; quia res ablatas occultarunt, ipſumque furtum ſuppreſſerunt.

Qui periculoſum carcinoma, aut morbum peſtilentem occultat, grande malum & ſibi & aliis cauſat, quia illud latius ſerpit, & tandem immedicabile fit: ita occultum proximi ſcelus, cum Superioribus, qui mederi malo poſſent, & deberent, non mature proditur, ſemper augetur, & tandem incorrigibile fit.

Dominus Deus præcipit: cum videris Deut. 22.
bovem aut aſinum fratris tui in via concidiſſe, ne tardes illum ſublevare. Quanto magis igitur ſuccollandus eſt proximus, cum in peccatum inciderit.

Canis latrat pro Domino: quanto magis Parens, Superior, Concionator, Paſtor latrare debet pro Deo contra lupum diabolum, cum agitur de ſalute animæ. Sic Moyſes oppoſuit ſe Pharaoni, Nathan Davidi, Joannes Præcurſor Herodi. Sic omnes Chriſtiani tenentur prævertere aut avertere peccata proximi; ſi enim obligat præceptum caritatis, ut proximum a malo temporali præſervem aut redimam, quanto magis obligabor in periculo ruinæ ſpiritualis?

Hæc taciturnitas in multis caſibus vergit in ruinam multarum animarum: 1. Nonnunquam fit in conſortio hominum, ut impudens blatero turpiſſima verba contra pudicitiam, detractoria contra ho-

honorem proximi, aut blaſphema contra Deum effutiat, & nemo eſt, qui ſceleratæ linguæ ſe opponat. 2. Gliſcit in domo vitium luxuriæ, aut injuſtitiæ, non niſi uni vel alteri notum, qui tamen tacet, reos non dehortatur, nec parentibus, aut Superioribus indicat, dicens apud ſemetipſum: Quid hæc ad me? nolo aliena fuligine denigrari, &c. 3. Nonnunquam tale vitium in tota communitate crebreſcit, & nemo loquitur, omnes tacent! cumque conſcientia arguit, reſpondent, velut Cain reſpondit Domino interroganti, *Ubi eſt frater tuus Abel?* reſpondent, inquam, *Nunquid ſum cuſtos fratris mei?*

Hanc taciturnitatem ægerrime fert Deus, & luculentis etiam ſuppliciis plectit. In prælio illo, quo Iſraelitæ a Philiſtæis fuſi ſunt, Rex Saul, & filius etiam Jonathas interierunt. Quod Saul perierit, mirum non eſt, quia multis peccatis Deum offendit. Verum cur etiam occubuit Jonathas innocens Princeps? S. Iſidorus putat illum occubuiſſe, quia Patrem dum pythoniſſam impie conſuluit, ab hoc peccato non cohibuit, ſed tacuit. Hæc taciturnitas fuit illi cauſa mortis. *S. Iſidor. c. 130.*

O quanta ſolicitudine laborarunt Sancti ad impedienda peccata proximi, ſcientes mercedem, quam Deus promiſit verbis illis: Qui peccatorem converti fecerit ab errore viæ ſuæ, ſalvabit animam ſuam, & operiet multitudinem peccatorum. *Jac. 5.* S. Hieronymus, cum ob auſteritatem verborum, qua in vitia invehebatur, peccatores illi mortem minitabantur, dicere ſolebat: *Mori poſſum, tacere non poſſum!* *S. Hieron. l. 1. adv. Ruffin.* S. Vitalis proſtituti pudoris feminas pecuniis, dapibuſque aluit, ea lege, ut a damnabili quæſtu abſtinerent: Idem fecit S. Joannes de Deo, aliique Dei famuli. Ipſe latro in cruce ſocii ſui blaſphemias, jam cum morte luctatus corripuit, quod Chriſto Domino adeo placuit, ut ea die Paradiſum illi appromiſerit, &c.

### Consentire, seu participare de Peccato.

#### 248. *Alienæ malitiæ participem reddit.*

ID maxime contingit in materia juſtitiæ, 1. ſiquis cum furibus, & raptoribus conſpirat, illis hoſpitium præbet, res furtivas occultat, aſſervat. 2. Ad furta conſilium loci, temporis ſuggerit, viam oſtendit, ſcalam applicat. 3. Legitime interrogatus furtum non prodit, ſed negat. 4. Res furtivas diſtrahit, vendit. 5. A furibus res ablatas emit, aut injuſtas accipit. O quam ſolicitus fuit S. Tobias, cum hædulum in domo ſua balare audiit, clamans: Videte, ne forte furtivus ſit. *Tob. 2.*

An ergo rem furtivam acceptare, aſſervare, aut emere non licet? Non licet! reſtituenda eſt Domino! Cum Propheta Daniel Regi Balthaſar arcanam Scripturam interpretatus eſt, Rex illi inſignia auri & argenti præmia obtulit: verum non acceptavit Daniel! Quare non? quia forſan erant de aureis & argenteis vaſis, quæ Pater ejus e templo Jeroſolymitano, furto aſportaverat. *Dan. 5.*

Præterea conſenſu alienam malitiam participat, qui maligno aliorum conſilio conſpirat: Sic Saulus reus fuit lapidationis S. Stephani, quia in necem ejus conſenſit, & lapidantibus veſtimenta cuſtodivit.

# PARS QUARTA.

## *Peccata capitalia cum filiabus.*

### Superbia.

#### 249. *Eſt vitium periculoſiſſimum animæ.*

PAvones cum in juventute madefiunt moriuntur. Cum criſtam producere incipiunt, languent & ægrotant. VV. art. diſc. font. 48. ex. 1. Ita ſuperbi nihil ſufferre poſſunt, & cum proſpera fortuna caput erigunt, animo langueſcere & ægrotare incipiunt, ac in alia etiam ſcelera cadunt.

Nemo magis a dæmone decipitur, quam ſuperbus. Quidam Valens de ſuis meritis præſumptuoſus putabat ſe Angelorum miniſterio frui, & fuere dæmones, qui illi ſerviebant. Quondam cum noctu acum perderet, dæmon ſub ſpecie Angeli lucis illi lumen attulit. Macarium Superiorem ſuum deſpexit, inquiens, quod ejus directione non indigeret. Cum multitudo Angelorum illi appareret, jubens ut Chriſto adventanti obviam progrederetur, cella egreſſus, dæmon ſub ſpecie Salvatoris adoravit. Demum in vincula datos, extra Monaſterium ejectus eſt. E. *Superbia* n. 2.

*Sicut folium fructificans in arbore viridi*. Homo comparatur folio; ſicut enim arbor, quo magis foliis ſuperbit, tanto minus fructum facit: ita homo, quo magis externo ſplendori ſtudet, tanto ineptior eſt ad bona opera producenda. C. in Eccli. 14. v. 19. *Eccli 14. v. 19.*



Apologus Æſopi eſt de aſino & leone: Cum aſino gallus aliquando paſcebatur, leone autem aſinum aggreſſo, gallus exclamavit, & leo, (ajunt enim galli vocem timere) fugit. At aſinus ratus leonem propter ſe fugere aggreſſus eſt leonem: ut vero procul hunc perſecutus eſt, quo non amplius galli vox perveniebat, converſus leo devoravit aſinum: Hic vero moriens clamabat: *Me miſerum & dementem, ex pugnacibus non natus parentibus cujus gratia in aciem irrui?* Aſinus hic denotat ſtolide præſumptuoſos, qui ex ſuperbia involant in officia, quibus pares non ſunt. C. Eccli. c. 6. v. 3.

#### 250. *Ejus ſigna, ac indicia.*

Inhærere pertinaciter ſuis opinionibus: aliorum conſilia ſpernere: affectare laudes aliorum, aut procurare: triſtari de laude aliorum, aut prælatione: conqueri de ingratitudine: ſuo gradu non contentum vivere: omnem occaſionem captandæ gloriolæ quærere: immodice lætari de bono ſucceſſu negotii in oculis hominum geſti, econtra de malo triſtari. Sanch. 7. p. c. 2. fol. 894. & ſeq.

Quidam ex faſtu, cum ex humili fortuna evecti ſunt, mutarunt ſua inſignia & nomina: ſub Ferdinando II. quidam nomine *Biterkraut* rogavit Cæſarem, ut ſibi nomen mutaret: ſubriſit Cæſar aitque: ſi non vis vocari Biterkraut, vocare mea pace *Sauerkraut*. Auguſtus in infantia vocabatur Thurinus, dein nomen aſſumpſit Auguſtus: Zeno vocabatur Ariomeſins, Eudoxia vocabatur Athenais, Olympias vocabatur Mirtalis. Græci paſſim mutabant ſua nomina, ſic Callimachi, Pomponii, Læti, Actii Sinceri, ſunt ficta nomina. Hodiedum haud minor eſt ſuperborum ſtupiditas: qui vocatur Beck ſcribit ſe Piſtorium, qui vocatur Schneider ſcribit ſe Sartorium, qui vocatur Bluem, ſcribit ſe, de monte florum &c. D. 4. 99.

Severus Sulpitius erudite deſcribit, in quas vanitates ſtatim erumpat, qui ab humili gradu ad altiora aſcendit: dilatat philacteria ſua, ab omnibus vult honorari, ad ſplendorem exornat veſtes, ſupellectilem &c. D. 6. 67. Etiam in roſariis, & ſcapulari elucet ſuperbia.

Libenter audire adulationes, indignari veritati. Cotys Rex Thraciæ delire ſibi imaginabatur, ſe nuptias celebrare cum Minerva: finito ergo pretioſo convivio miſit aulicum in interius conclave, exploratum, an Minerva jam adveniſſet? ferenti nuntium nondum adveniſſe, jaculo cor transfixit: Miſſum alterum, & eadem nuntiantem itidem occidit. Tertius aliorum infortunio cautior illuſit ſtulteſcenti, retulitque adveniſſe Minervam, interim dum Rex inquirit, fuga ſe ſubducit D. 11. 95.

#### 251. *Semper conjunctam habet ſtultitiam.*

In Hebræo Texto legitur: *In Angelis ſuis reperit ſtultitiam:* Qualis hæc ſtultitia? quia Lucifer præeſſe voluit. M. conc. 15. aſs. 1. n. 7.

Sapor Rex Perſarum vocavit ſe Regem Regum, Principem ſyderum, fratrem ſolis & lunæ, nonne ſtolidus fuit? Menocrates Medicus hanc unam mercedem ab iis, quos curaverat, petiit, ut eum Jovem dicerent. Hinc ſcripſit ad Regem hoc titulo: *Jupiter Menocrates Ageſilao Regi ſalutem.* Cui Rex viciſſim: *Ageſilaus Rex Menocrati ſanam mentem.* Neſtorius Hæreticus arrogantia tumens promiſit in concione populo, ſe cuique cælum daturum. Domitianus Imp. primus fuit, qui ſe Dominum ac Deum vocari juſſit. C. Exod. 9. v. 9.

Superbia vocatur ſtultitia; ſicut enim humilitas eſt ſanitas animi, ita ſuperbia eſt ejus inſania; quia humilitas eſt veritas, ſuperbia autem eſt vanitas, falſitas, vanaque de ſe opinio. C. Eccli. 6. v. 3.

In ſchola Chriſti quid poſſet eſſe ſtultius, quam humanas laudes inordinate appetere iiſque vane delectari: Honores & dignitates quærere: Sanctitatem & juſtitiam famæ aucupandæ gratia ſimulare: Inſolenter ſibi attribuere, quæ non conveniunt: Mente inaniter intumeſcere: Elato corde aliquid ultra vires attentare: alios arroganter contemnere. Suo judicio plus æquo & pertinaciter inhærere. Diſcordias cum aliis gerere: Nolle ſe aliis ſubjicere: Acceptum beneficium extenuare aut contemnere: Atqui hi omnes ſunt actus ſuperbiæ. Lohn. Biblioth. h. I. §. 1.

#### 252. *Punitur a Deo.*

Angeli e cælo pelluntur: Ædificatores turris Babel in Sermone confunduntur:

honorem proximi, aut blaſphema contra Deum effutiat, & nemo eſt, qui ſceleratæ linguæ ſe opponat. 2. Gliſcit in domo vitium luxuriæ, aut injuſtitiæ, non niſi uni vel alteri notum, qui tamen tacet, reos non dehortatur, nec parentibus, aut Superioribus indicat, dicens apud ſemetipſum: Quid hæc ad me? nolo aliena fuligine denigrari, &c. 3. Nonnunquam tale vitium in tota communitate crebreſcit, & nemo loquitur, omnes tacent! cumque conſcientia arguit, reſpondent, velut Cain reſpondit Domino interroganti, *Ubi eſt frater tuus Abel?* reſpondent, inquam, *Nunquid ſum cuſtos fratris mei?*

Hanc taciturnitatem ægerrime fert Deus, & luculentis etiam ſuppliciis plectit. In prælio illo, quo Iſraelitæ a Philiſtæis fuſi ſunt, Rex Saul, & filius etiam Jonathas interierunt. Quod Saul perierit, mirum non eſt, quia multis peccatis Deum offendit. Verum cur etiam occubuit Jonathas innocens Princeps? S. Iſidorus putat illum occubuiſſe, quia Patrem dum pythoniſſam impie conſuluit, ab hoc peccato non cohibuit, ſed tacuit. Hæc taciturnitas fuit illi cauſa mortis. *S. Iſidor. c. 130.*

O quanta ſolicitudine laborarunt Sancti ad impedienda peccata proximi, ſcientes mercedem, quam Deus promiſit verbis illis: Qui peccatorem converti fecerit ab errore viæ ſuæ, ſalvabit animam ſuam, & operiet multitudinem peccatorum. S. Hieronymus, cum ob auſteritatem verborum, qua in vitia invehebatur, peccatores illi mortem minitabantur, dicere ſolebat: *Mori poſſum, tacere non poſſum!* S. Vitalis proſtituti pudoris feminas pecuniis, dapibuſque aluit, ea lege, ut a damnabili quæſtu abſtinerent: Idem fecit S. Joannes de Deo, aliique Dei famuli. Ipſe latro in cruce ſocii ſui blaſphemias, jam cum morte luctatus corripuit, quod Chriſto Domino adeo placuit, ut ea die Paradiſum illi appromiſerit, &c. *Jac. 5.* *S. Hieron. l. 1. adv. Ruffin.*

### Consentire, seu participare de Peccato.

248. *Alienæ malitiæ participem reddit.*

ID maxime contingit in materia juſtitiæ, 1. ſiquis cum furibus, & raptoribus conſpirat, illis hoſpitium præbet, res furtivas occultat, aſſervat. 2. Ad furta conſilium loci, temporis ſuggerit, viam oſtendit, ſcalam applicat. 3. Legitime interrogatus furtum non prodit, ſed negat. 4. Res furtivas diſtrahit, vendit. 5. A furibus res ablatas emit, aut injuſtas accipit. O quam ſolicitus fuit S. Tobias, cum hædulum in domo ſua balare audiit, clamans: Videte, ne forte furtivus ſit. *Tob. 2.*

An ergo rem furtivam acceptare, aſſervare, aut emere non licet? Non licet! reſtituenda eſt Domino! Cum Propheta Daniel Regi Balthaſar arcanam Scripturam interpretatus eſt, Rex illi inſignia auri & argenti præmia obtulit: verum non acceptavit Daniel! Quare non? quia forſan erant de aureis & argenteis vaſis, quæ Pater ejus e templo Jeroſolymitano, furto aſportaverat. *Dan. 5.*

Præterea conſenſu alienam malitiam participat, qui maligno aliorum conſilio conſpirat: Sic Saulus reus fuit lapidationis S. Stephani, quia in necem ejus conſenſit, & lapidantibus veſtimenta cuſtodivit.

# PARS QUARTA.

## *Peccata capitalia cum filiabus.*

### Superbia.

249. *Eſt vitium perniciosiſſimum animæ.*

PAvones cum in juventute madefiunt moriuntur. Cum criſtam producere incipiunt, languent & ægrotant. VV. art. diſc. font. 48. ex. 1. Ita ſuperbi nihil ſufferre poſſunt, & cum proſpera fortuna caput erigunt, animo langueſcere & ægrotare incipiunt, ac in alia etiam ſcelera cadunt.

Nemo magis a dæmone decipitur, quam ſuperbus. Quidam Valens de ſuis meritis præſumptuoſus putabat ſe Angelorum miniſterio frui, & fuere dæmones, qui illi ſerviebant. Quondam cum noctu acum perderet, dæmon ſub ſpecie Angeli lucis illi lumen attulit. Macarium Superiorem ſuum deſpexit, inquiens, quod ejus directione non indigeret. Cum multitudo Angelorum illi appareret, jubens ut Chriſto adventanti obviam progrederetur, cella egreſſus, dæmon ſub ſpecie Salvatoris adoravit. Demum in vincula datus, extra Monaſterium ejectus eſt. E. Superbia n. 2.

*Sicut folium fructificans in arbore viridi.* Homo comparatur folio; ſicut enim arbor, quo magis foliis ſuperbit, tanto minus fructum facit: ita homo, quo magis externo ſplendori ſtudet, tanto ineptior eſt ad bona opera producenda. C. in Eccli. 14. v. 19. *Eccli 14. v. 19.*



Apologus Æſopi eſt de aſino & leone: Cum aſino gallus aliquando paſcebatur, leone autem aſinum aggreſſo, gallus exclamavit, & leo, (ajunt enim galli vocem timere) fugit. At aſinus ratus leonem propter ſe fugere aggreſſus eſt leonem: ut vero procul hunc perſecutus eſt, quo non amplius galli vox perveniebat, converſus leo devoravit aſinum: Hic vero moriens clamabat: *Me miſerum & dementem, ex pugnacibus non natus parentibus cujus gratia in aciem irrui?* Aſinus hic denotat ſtolide præſumptuoſos, qui ex ſuperbia involant in officia, quibus pares non ſunt. C. Eccli. c. 6. v. 3.

250. *Ejus ſigna, ac indicia.*

Inhærere pertinaciter ſuis opinionibus: aliorum conſilia ſpernere: affectare laudes aliorum, aut procurare: triſtari de laude aliorum, aut prælatione: conqueri de ingratitudine: ſuo gradu non contentum vivere: omnem occaſionem captandæ gloriolæ quærere: immodice lætari de bono ſucceſſu negotii in oculis hominum geſti, econtra de malo triſtari. Sanch. 7. p. c. 2. fol. 894. & ſeq.

Quidam ex faſtu, cum ex humili fortuna evecti ſunt, mutarunt ſua inſignia & nomina: ſub Ferdinando II. quidam nomine *Biterkraut* rogavit Cæſarem, ut ſibi nomen mutaret: ſubriſit Cæſar aitque: ſi non vis vocari Biterkraut, vocare mea pace *Sauerkraut*. Auguſtus in infantia vocabatur Thurinus, dein nomen aſſumpſit Auguſtus: Zeno vocabatur Ariomeſius, Eudoxia vocabatur Athenais, Olympias vocabatur Mirtalis. Græci paſſim mutabant ſua nomina, ſic Callimachi, Pomponii, Læti, Actii Sinceri, ſunt ficta nomina. Hodiedum haud minor eſt ſuperborum ſtupiditas: qui vocatur Beck ſcribit ſe Piſtorium, qui vocatur Schneider ſcribit ſe Sartorium, qui vocatur Bluem, ſcribit ſe, de monte florum &c. D. 4. 99.

Severus Sulpitius erudite deſcribit, in quas vanitates ſtatim erumpat, qui ab humili gradu ad altiora aſcendit: dilatat philacteria ſua, ab omnibus vult honorari, ad ſplendorem exornat veſtes, ſupellectilem &c. D. 6. 67. Etiam in roſariis, & ſcapulari elucet ſuperbia.

Libenter audire adulationes, indignari veritati. Cotys Rex Thraciæ delire ſibi imaginabatur, ſe nuptias celebrare cum Minerva: finito ergo pretioſo convivio miſit aulicum in interius conclave, exploratum, an Minerva jam adveniſſet? ferenti nuntium nondum adveniſſe, jaculo cor transfixit: Miſſum alterum, & eadem nuntiantem itidem occidit. Tertius aliorum infortunio cautior illuſit ſtulteſcenti, retulitque adveniſſe Minervam, interim dum Rex inquirit, fuga ſe ſubducit D. 11. 96.

251. *Semper conjunctam habet ſtultitiam.*

In Hebræo Texto legitur: *In Angelis ſuis reperit ſtultitiam:* Qualis hæc ſtultitia? quia Lucifer præeſſe voluit. M. conc. 15. aſſ. 1. n. 7.

Sapor Rex Perſarum vocavit ſe Regem Regum, Principem ſyderum, fratrem ſolis & lunæ, nonne ſtolidus fuit? Menocrates Medicus hanc unam mercedem ab iis, quos curaverat, petiit, ut eum Jovem dicerent. Hinc ſcripſit ad Regem hoc titulo: *Jupiter Menocrates Ageſilao Regi ſalutem.* Cui Rex viciſſim: *Ageſilaus Rex Menocrati ſanam mentem.* Neſtorius Hæreticus arrogantia tumens promiſit in concione populo, ſe cuique cælum daturum. Domitianus Imp. primus fuit, qui ſe Dominum ac Deum vocari juſſit. C. Exod. 9. v. 9.

Superbia vocatur ſtultitia; ſicut enim humilitas eſt ſanitas animi, ita ſuperbia eſt ejus inſania; quia humilitas eſt veritas, ſuperbia autem eſt vanitas, falſitas, vanaque de ſe opinio. C. Eccli. 6. v. 3.

In ſchola Chriſti quid poſſet eſſe ſtultius, quam humanas laudes inordinate appetere iiſque vane delectari: Honores & dignitates quærere: Sanctitatem & juſtitiam famæ aucupandæ gratia ſimulare: Inſolenter ſibi attribuere, quæ non conveniunt: Mente inaniter intumeſcere: Elato corde aliquid ultra vires attentare: alios arroganter contemnere. Suo judicio plus æquo & pertinaciter inhærere. Diſcordias cum aliis gerere: Nolle ſe aliis ſubjicere: Acceptum beneficium extenuare aut contemnere: Atqui hi omnes ſunt actus ſuperbiæ. Lohn. Biblioth. h. l. §. 1.

252. *Punitur a Deo.*

Angeli e cælo pelluntur: Ædificatores turris Babel in Sermone confunduntur:

tur: Pharao in mari ſuffocatur: Nabuchodonoſor in bovem mutatur: Balthaſar regno, & vita privatur: Holofernes a femina obtruncatur: Amman in patibulo ſuſpenditur: Antiochus a vermibus abſumitur &c. B. ſer. 13. n. 24. C. Ex. 9. v. 9.

*Fiant ſicut fœnum tectorum:* Fœnum in tectis omnes injurias aeris patitur: ita omnia mala a Deo effunduntur ſuper ſuperbos &c. B. ſer. 71. n. 18. Ex ſuperbia ſunt bella. C. Eccli. 10. v. 8.

Regum quidam, uti narrat S. Antoninus, in Eccleſia audiebat cantare hunc verſiculum: *Depoſuit potentes de ſede.* Dubitabat de veritate hujus textus, & non eſſe in cælo & in terra credebat, qui ſuo ſe regno privare valeret. Poſtliminio in flumine lavabat, venit Angelus, induit formam & veſtem Regis, redit in aulam cum proceribus. Interim miſer Rex obſoletis laciniis inſtar mendicabuli tectus ad aulam rediens ridetur, pro ſtulto habetur, donec bene caſtigatus, & ab Angelo ſuæ ſuperbiæ admonitus regno reſtituitur. D. 9. 3.

Superbiæ pœna ordinarie eſt, quod Deus ſuperbum in alia peccata labi permittat. Monachus illibate caſtus tam devote ſervivit Deo, ut dignus fuerit quotidie cælico pane paſci. Cum autem de ſeipſo magna ſentire cæpit, in turpiſſimas cogitationes lapſus, quanto magis defecit, tanto ſordidiorem panem de cælo accepit, ita ut tandem ad ſæculum redire decreverit. Verum in via cum ad Monaſterium divertit, & fratribus ſalutis monita daret, reſipuit, & Deo miſerante pœnitentiam egit. E. *Docere* n. 1.

Innocent. III. l. de Vilit. hom. *Superbia turrim Babel evertit, linguas confundit, proſtravit Goliath, ſuſpendit Amman, interfecit Nicanorem, peremit Antiochum &c.* C. Exod. 9. v. 9.

253. *Eſt odibilis Deo & hominibus.*

Præſepe Domini cathedra fuit, in qua docuit humilitatem: Bernardus ait: *Jam clamat exemplo, quod poſtea prædicaturus eſt verbo &c.* S. punct. 150. fol. 471. — S. Bern. ſerm. de Nativ. Dom.

S. Ambroſius ait: Recordare omnem vitam Salvatoris a partu Virgineo, uſque ad patibulum crucis, & non invenies niſi ſtigmata paupertatis &c. S. p. 154. fol. 497. Sanch. 7. p. c. 2. fol. 898.

S. Climacus ait: ſicut turpe eſt alienis veſtibus ſuperbire; ita indignum eſt de bonis a Deo acceptis ſeſe offerre. Vitium hoc præſertim triplicem ſtatum hominum afficit, divites, litteratos, & contemplativos, primi de temporalibus, ſecundi de ſpiritualibus, tertii de cæleſtibus bonis gloriantur, omnes tres autem Deo furantur ſuam gloriam. Sanch. 7. p. c. 2. fol. 892.

Deus dona naturalia & ſupernaturalia homini non dedit, ut de iis ambitioſe ſe efferat, ſed ut ea ad Dei gloriam & animarum ſalutem diſtribuat ac impendat. Sanch. 7. p. c. 2. fol. 896.

Eoipſo quod ſit injurioſa Deo, eſt etiam odibilis coram homine; quia ex ea naſcitur injuſtitia & avaritia, quæ duo vitia turbant, & evertunt omnem Rempublicam: S. Gregorius ait: *Cunctis ſuperba cogitatione tumentibus ineſt clamor in locutione, amaritudo in ſilentio, diſſolutio in hilaritate, furor in triſtitia, erectio in inceſſu, rancor in reſponſione.* Quæ omnia ſunt coram homine odibilia. C. Eccli. 10. v. 7.

Maxime ſuperbia inſidiatur Regibus & Principibus, qui nullum, præter Deum Superiorem agnoſcunt: hinc Juſtinianum Imp. admonuit Agapetus Diaconus: *Si honore perfrui vis, præſta te communem omnium benefactorem; nihil enim adeo attrahit benevolentiam, quam beneficii gratia &c.* C. Eccli. 10. v. 7.

254. *Familiarem habet jactantiam.*

Card. Hugo ait: *Pavo habet caput ſerpentis, vocem dæmonis, paſſum latronis, pennam Angelicam, tota pulchritudo ejus eſt in cauda.* In hac deſcriptione præſertim notabilis eſt *vox dæmonis:* quomodo ergo loquitur dæmon? ſemper jactabunde: *Terminos populorum, & principes eorum deprædatus ſum:* a Chriſto voluit credi Dominus totius terræ: *Hæc omnia tibi dabo &c.* Ita faciunt ſuperbi, deprædicant ſua facta heroica, laudant poſſeſſiones &c. Dæmon vult eſſe ſimilis Deo: ita ſuperbi omnibus volunt eſſe ſimiles: cum ſermo fit de arte aut ſcientia aliqua, illi ſtatim omnia noſſe volunt: annuunt oculis, & capite, & volunt videri omnia devoraſſe &c. — Hugo Card. in 3. Reg. c. 10.

Quidam facinora ab aliis audita tanquam ſua narrant: Videntur mihi ſimiles illi Joanni Annio, qui patriam ſuam Viterbium ſupra Romam laudaturus lapidem occultis characteribus inſignitum in ſua vinea defodit: cum lapis poſtea a vinitoribus inventus eſt, ille ad Senatum cum jubilo cucurrit gloriatuſque eſt, ex characteribus lapidis clare deſumi, quod

Vi-



Viterbium bis millenis annis ante Romam ab Iſide, & Oſiride originem ſumpſerit &c. D. 9. 63.

Iſa. 14. Lucifer philautia dementatus jactanter ſibi applauſit: In cælum aſcendam, ſimilis ero Altiſſimo. Sic omnes faciunt, qui ſuperbia dementantur, proponunt ſibi molimina grandia per ſe, non per Deum. Et quid fit? Deus diſſlat eorum conatus inſtar fumi, eum in modum quo Luciferi jactantiam depreſſit: *Verumtamen ad infernum detraheris! &c.*

255. *Quomodo compeſci debeat.*

Quidam Dei famulus, cum a dæmonibus apparentibus ratione ſuarum virtutum laudaretur, ad parietem accurrit, ſcribitque: *Perfecta caritas, puriſſima oratio, incorrupta caſtitas.* Quoties dein vana cogitatio illi inciderat, legit has virtutes, perpenditque, quantum adhuc ab iis diſtaret. Sanch. 7. p. c. 2. fol. 906.

Eccli. 10. Cogitet & perpendat homo motiva, quæ affert Eccleſiaſticus contra ſuperbiam 1. Quia odibilis eſt coram Deo, & hominibus. 2. Quia cauſa eſt injuſtitiæ, rapinæ, contumeliæ & doli. 3. Quia homo, etſi Rex ſit potentiſſimus, ex natura ſua eſt viliſſimus. 4. Quia honor omnis, uti & vita, brevis eſt & vanus. 5. Quia homo poſt mortem erit eſca ſerpentum & vermium. 6. Quia ſuperbia eſt apoſtaſia a Deo. 7. Quia Deus ſubvertit thronos, opes, pompas, & memoriam ſuperborum, humiles autem elevat & firmat. C. Eccli. 10. a v. 7. ſeq.

Septuaginta Interpretes interrogati a Ptolomæo, quo pacto vitare quis poſſit ſuperbiam? Reſponderunt: *Si cogitet, quod Deus ſuperbos deprimit, mites autem, & humiles exaltat.* Sic Deus contrivit ſuperbiam Pharaonis per Moyſen, Goliæ per Davidem, Phariſæi per Publicanum, Abſalomi per Joab, Adoniæ per Salomonem, gigantum per diluvium, quin & Petri gloriantis ſe moriturum pro Chriſto, per ancillam &c. C. Prov. 16. v. 18.

Qui ſibi de externis qualitatibus ſuperbe blandiuntur, cogitent, ſe in id genus qualitatibus vel ab ipſis beſtiis ſuperari! Corporis proceritate major eſt Elephas, fortitudine major eſt leo, cantu & vocis modulatione majores ſunt cygni & luſciniæ. Pulchritudine majores ſunt aves & ſcorta. Ædificandi peritia ſagaciores ſunt apes. Celeritate pedum expeditiores ſunt lepores. Viſu acutiores ſunt capreæ & aquilæ. Auditu ſubtiliores ſunt aſini. C. Jer. 9. v. 23.

256. *Dedocetur apud ſepulcra mortuorum.*

S. Chryſoſtomus ait: *Eſt ſepulcrum noſtræ humiliationis ſchola.* Et Auguſtinus: *Reſpice ſepulcra, & vide, qui ſervus, & qui Dominus, diſcerne ſi potes victum a Rege, fortem a debili.* Diogenes ſtabat ante cumulum oſſium meditabundus: quæſitus ab Alexandro quid ageret, reſpondit: quæro oſſa Patris tui Philippi, & invenire non poſſum &c. B. ſerm. 17. §. 2. & 3. — S. Chryſ. hom. 3. de ſp. Sanct.

Sicut cineres lignorum diſcerni non poſſunt, ita neque cineres hominum: non erit differentia inter doctum & rudem, potentem & debilem, divitem & pauperem &c. B. ſer. 31. n. 31. S. p. 125. fol. 387. & ſeq.

Quidam frater Liſſardus porcis paſcendis adhibitus, iſtud officium ſe indignum eſſe ratus voluit ex Monaſterio profugere: verum a ſpiritu ad ſepulcra mortuorum ductus, & fœtorem putreſcentium cadaverum intuitus non prius reductus eſt, quam promiſerit, ſe a Monaſterio non receſſurum. E. Verbo *Angelus* n. 15.

Rex David numerato populo per cædem ſeptuaginta millium virorum adeo exuit ſuperbiam, ut dicat de ſeipſo: Humiliatus ſum nimis.

Qui viſis mortuorum cineribus faſtum non ponit, eum reprobatum puto: unde infeliciſſimum judico Abimelech, qui percuſſus a muliere vocavit armigerum ſuum, & ait: Percute me, ne dicatur, quia a femina interfectus ſum. Quid enim hæc vanitas in morte, ubi omnes homines humiliantur? — Jud. 9.

257. *Compeſcitur per tribulationem.*

*Depone magnitudinem tuam abſque tribulatione.* Id eſt, ut explicat S. Thomas: antequam tribulatio tibi a Deo immittatur ad tuam humiliationem. S. p. 150. f. 471.

Alphonſus Rex Caſtiliæ blaſpheme jactitare ſolebat, quod, ſi in mundi Geneſi Creatori adſtitiſſet, multa melius ſapientiuſque voluiſſet ordinare. Admonitus tantæ impietatis, cum diu non reſipuit, tandem fulmine in ejus cubiculum decidente ad mentem, humilemque ſubjectionem ac pœnitentiam reductus eſt. D. 9. 3.

Æſopus a Chione interrogatus, quid faceret Jupiter, repoſuit: *Excelſa deprimit, humilia extollit.* C. Ex. 9. v. 9.

Su-

Superbiam gentium humiliavit Deus bellis & cædibus, juxta illud: Regnum a gente in gentem transfertur propter peccata, ſuperbiam & divitias, prout legit verſio Syriaca: ſic Perſæ injuriis affecti ab Aſſyriis eos ſpoliarunt Monarchia, & Perſas Græci, & Græcos Romani. C. Eccli. 10. v. 8.

*Dan. 5.* Cor Nabuchodonoſoris elevatum eſt, & ſpiritus illius obfirmatus ad ſuperbiam, ideo depoſitus eſt de ſolio ſuo, & gloria ejus ablata eſt. Sic Deus ſolet, ut humiliet ſuperbos.

*1. Mach. 5.* Illi quos miſit Judas Machabæus ad cuſtodiam terræ, dum irent ad prælium, dixerunt: Faciamus nobis nomen, & eamus pugnare contra gentes! verum hic faſtus male ipſis ceſſit &c.

*2. Mach. 5.* Antiochus minitatus eſt, quod Hieroſolymam venire, & in congeriem ſepulcrorum illam convertere velit. Verum Deus percuſſit illum inſanabili plaga.

### 258. *Eſt peccatum univerſale.*

Nemo putet ſuperbiam tantum adhærere purpuræ, adhæret etiam laciniis, neque docti ſolum, ſed etiam rudes idiotæ ſibi imaginantur excellentiam, cum fere in modum, quo ſpicæ, quanto magis ſunt vacuæ, tanto altius caput erigunt.

*Eccli. 10.* Superbia, ait Eccleſiaſticus, *initium eſt omnis peccati*; nam 1. ſecundum rationem communem ſuperbia invenitur in omni peccato; quia eſt averſio a Deo, quæ eſt ſuperbia. Alii ita legunt: *initium peccati dicitur omnis ſuperbia*; omnis enim ſuperbia poſt ſe trahit aliud peccatum; quia eſt amor ſui immoderatus, quem S. Auguſtinus vocat amorem inſtantem. 2. Quia peccatum Adæ, quod fuit ſuperbia, initium erat omnis peccati. 3. Alii dicunt primum peccatum fuiſſe Luciferi ſuperbientis, a quo & Adami, & poſterorum peccata omnia orta ſunt. 4. Superbia eſt initium omnis peccati, id eſt, plerorumque peccatorum: imo nonnulli hominum ſuperbia pleni ſunt, nihil cogitant, dicunt & agunt, niſi ut magni ſint. Denique S. Gregor. ait: *Omnis peccati initium eſt ſuperbia, per hanc enim* (diabolus) *ſuccubuit, per hanc ſe ſequentem hominem ſtravit*. Et S. Bernardus: *Superbia ſicut origo eſt omnium criminum, ita ruina omnium virtutum*. C. Eccli. c. 10. v. 7.

*S. Greg. lib. 34. Moral.* *S. Bern. de conv. ad cler. c. 41.*

Protoparentes, cum audierunt a ſerpente: Eritis ſicut Dii, propter appetitum excellentiæ comederunt de ligno. Ex eo maledicti hujus peccati radicem in poſteros propagarunt; quis enim eſt tam abjectæ mentis, qui ſibi non in ſeipſo complaceat?

Præſertim hæreticis & hæreſiarchis familiare eſt vitium; omnes enim dum honoris faſtigium, quod affectabant, non conſequebantur, rebelle caput contra Eccleſiam extollentes, hæreſes conflarunt, uti Valentinus, Marcion, Montanus, Novatianus, Arius, Lutherus & alii. C. 2. Petr. 2. v. 10.

### 259. *Poſt ſe trahit contemptum.*

Docet evidens experientia, quod Deus ſuperbis reſiſtat; nemo enim minus conſequitur affectatum honorem, quam ſuperbus, nemo & magis contemnitur. Sunt in orbe vitioſiſſimi homines, avari, laſcivi, guloſi, & aliis ſceleribus dediti, iſti tamen in converſatione hominum magis tolerantur & amantur, quam ſuperbi.

Rhinoceros corvum in ripa quieſcentem voluit ſuo cornu elidere, ſed ictu, quo potuit validiſſimo in proximam rupem impegit, & cornu ſuum confregit. Cui dein magnis doloribus decumbenti corvus cum riſu reſpondit: Frater, ubi robur tuum ſtupendum? nimirum quia in hoc uno poſuiſti totum, hoc perdito amiſiſti totum! neſciiſti parvam eſſe virtutem corporis, niſi adſit virtus animi! Nempe nihil humilitate fortius, nihil ſuperbia debilius! Samſonis fortitudo non ex oſſibus tantum, ſed a ſpiritu fuit. C. Eccli. 6. v. 3.

Nabuchodonoſor præcepit Holoferni, ut omnes Deos terræ eliminaret, ut ipſe ſolus Deus diceretur. Sed in opprobrium denique ceſſit conſilium. Una femina fecit confuſionem in domo Regia, amputato Holofernis capite &c.

Antiochus aſcendit Hieroſolymam, & intravit ſanctificationem cum ſuperbia, & accepit altare aureum, & minitatus eſt excidium toti genti Hebræorum &c. Verum graviſſima ægritudine correptus & exeſus ita fœtuit, ut fœtorem illius exercitus tolerare non potens, eum inſtar morticini cadaveris deſpexerit. *1. Mach. 1.*

## Ambitio.

### 260. *Appetit rem fluxam, & periculoſam.*

SAul in humili ſtatu erat probus, factus Rex erat ſceleratus: David ut paſtor erat caſtus, ut Rex adulter. B. ſerm. 14. §. 4.

Poſt



Poſt mortem honores non diſtinguent nobilem a plebejo. B. ſerm. 16. n. 8. 9. ſerm. 17. §. 3. ſer. 45. n. 10. M. conc. 15. aſſ. 1. C. Gen. fol. 833. col. 1. & 2. Vide Tit. *Honor Mundanus. Dignit. Eccleſ.*

Ridiculi ſunt tituli, quos affectarunt nonnunquam barbari Principes: Sapor Rex Perſarum ad Conſtantinum in litteris ita ſe ſcribebat: Sapor Rex Regum, Socius ſyderum, Frater ſolis & lunæ &c. Rex Bisnagæ hunc titulum ſibi attribuebat: Sponſus fortunæ, Deus terrarum, Rex Regum, Dominus Nobilium, Magiſter mutorum, Imperator trium Imperatorum, quem octo partes terræ formidant, Victor vincentium, Venator Elephantum, Dominus orientis, occidentis, meridiei, & ſeptentrionis, Dominator univerſi maris &c. Soldanus Ægypti ita ſe nuncupat: Salamandro Omnipotens Dominus Carthaginis, Dominus Jordanis, Dominus Orientis, Dominus Bethleemi, Dominus Paradiſi, Dominus inferni, Dominus liberi maris, Dominus ſolis & lunæ, Defenſor Imperatoris Abyſſiniæ, Dominus Chriſtianorum, Judæorum, & Turcarum, Rex Regum, amicus Deorum &c. Solimannus Carolo V. in hunc ſenſum reſcripſit: Solimmannus inviſtiſſimi & Nobiliſſimi Ottomannorum ſtematis Imperator Turcarum, Rex Regum, Dominus Dominantium, Dominator, & terror orbis &c. D. 2. 55. Vv. art. diſc. font. 91. ex. 4.

Varamus Princeps Perſiæ ad Choſroam Regem ſuum hoc titulo utitur: Varamus amicus Deorum, Sereniſſimus Victor & hoſtis tyrannorum, Supremus Moderator procerum, Dux exercituum Perſarum, Princeps ſapientiſſimus &c. Viciſſim Choſroas reſcripſit: Choſroas Rex Regum, Dominus Dominantium, Dominator populorum, Princeps pacis, ſalus hominum, inter Deos homo, & inter homines Deus &c. D. 9. 52.

### 261. *Eſt ſcandaloſa in homine Chriſtiano.*

Dum Apoſtoli certabant, quis eorum eſſet major, Chriſtus ſtatim parvulum advocare, & de ſcandalo loqui cæpit: Quare? S. Hieronymus ait: *Poterant eos quos ad fidem vocabant, per ſuum ſcandalum perdere, dum viderent Apoſtolos inter ſe de honore pugnare*. B. ſerm. 45. n. 11.

Dum Jacob & Eſau de primogenitura contendunt in utero, quis pati debuit magis niſi Mater? ita Eccleſia patitur ab ambitioſis. S. p. 110. fol. 326.

Chriſtus coronatus eſt ſpinis ob noſtram ſuperbiam, & hodiedum Corpus Chriſti, quod eſt Eccleſia, ſpinis cruentatur ab ambitioſis. S. p. 21. f. 639.

Quid magis indignum Chriſtiano, qui ad Deum creatus eſt, quam adorare diabolum? id autem fit per ambitionem! Dæmon promiſit Chriſto omnia mundi regna, ſi eum cadens adoraverit. Ubi advertit Bern. aitque: Videſne quod ambitionis via adoratio ſit diaboli? S. p. 20. f. 629.

Primates & Satrapæ adorarunt Nabuchodonoſoris Statuam, ut Regi placerent. O quoties ambitioſi adorant idolum Chriſto inimicum, ut altius irrepant. S. p. 20. fol. 360. M. conc. 15. aſſ. 2. n. 1.

Quid turpius in homine Chriſtiano, quam nunquam ſatiari honore? id fit in ambitioſo: Quicunque honorifica munia adminiſtrant, ait Seneca, ſemper habent, quod conquerantur, putantque ſibi plura deberi: Prætor conqueritur, quod non ſit conſul, conſul, quod non ſit primipilus, primipilus, quod non habeat plures reditus, & quæ ſunt ſimilia. Amman habebat omnia, quæcunque deſiderare poſſet, & tamen infelicem ſe reputavit, quia ſatis honoris non recipiebat a Mardochæo. Cæſar noluit pati Superiorem, & Pompejus non parem. D. 12. 24. Et C. Iſa. 14. v. 15.

### 262. *Non aſſequitur honorem, quem affectat.*

*Ambulaverant poſt vanitatem.* Qui umbram fugit, faciem ſoli obvertit: qui vero umbram vult captare, eo ipſo tergum obvertit ſoli, & umbram non deprehendit. Ita a pari &c. B. ſer. 45. n. 10.

*Tota nocte laborantes nihil cæpimus.* Ita merito conqueri poſſunt ambitioſi. S. p. 110. fol. 326.

*Non inveniet fraudulentus finem ſuum*, id eſt ambitioſus, ait Beda. S. p. 110. f. 327.

Ambitioſus multa quærit, pauca invenit, & plurima perdit. M. conc. 15. aſſ. 2.

Sicut in ludis Veterum, cum Imperatores pecunias, veſtimenta aliaque inter populum projiciebant, multi loco munerum nil niſi verbera referebant; ita cum fortuna ſuas dotes diſtribuit, multi quidem ſunt, qui ad ea conſequenda omnem laborem impendunt, nihilominus plurimi nil niſi contemptum & oppreſſiones adipiſcuntur: hinc tot querimoniæ ambitioſorum conquerentium, quod ſua merita, ſua capacitas non condigne coronetur &c. D. 7. 1.

Cardinalis Volſæus in Anglia ſummas dignitates aſſecutus ambiebat Summum Pontificatum: cum vero cerneret Carolum V. Imperatorem ſuis votis obſiſtere, vindictam coquere cæpit, ac Regi

ſuo

ſuo Henrico perſuaſit, conjugium cum Catharina, quæ erat Caroli amica, nullum eſſe. Ea res fuit initium Apoſtaſiæ Regis & totius regni. Poſtliminio Regi exoſus Vollams, bonis omnibus ſpoliatus, cum Londinum captivus ducitur, ſeipſum, ut creditur, veneno interfecit. D. 10. 91.

Frater laicus occulte ſtudio litterarum contra obedientiam ſe occupat. Diabolus illi in ſpecie Angeli apparens dicet, cum a Deo in Epiſcopum Halberſtadienſem deſtinari. Infelix diabolo credens tempore, quo mortuus eſt Epiſcopus, e Monaſterio exiens, cum noctu hoſpitis equum furatur, deprehenſus, & ſuſpenſus eſt. E. Verbo *Apoſtata* n. 6.

### 263. *Multa mala cauſat.*

Jacob & Eſau colluctantur in utero de primogenitura, quis alius propter hoc bellum patiebatur quam Mater? ita ambitioſorum contentione patitur aula, Reſpublica, Monaſterium. B. ſer. 45. n. 11.

Sicut navigantes, dum ventum laxatis velis nimium hauriunt, nonnunquam in ſcopulos alliduntur: ita ambitioſi, ſi favores humanos nimium captant, ſæpe repente in extremam infelicitatem præcipitantur. D. 10. 91.

Monachus ambiens dignitatem Abbatis puero illi miniſtranti venenum dedit, dicens: ſi hos pulveres ſupra cibos Abbatis ſparges, tenerrime te amabit. Puer medietatem tantum cibis injecit, & ſic Abbatem necavit. Succedente in locum æmulo, puer eodem remedio uti volens, alteram medietatem ſuper cibos novi Abbatis ſparſit, & ſic quoque ipſum occidit. T. n. 168.

Recte Climacus de humilitate ait: Superbia ex Angelis dæmones, humilitas ex dæmonibus angelos facit. Monachus de meritis ſuis ſuperbiens in peccatum libidinis cadit, & a dæmone inſultante deridetur, demum deſperans ad ſæculum redit. C. Iſa. 14. v. 15.

Ipſam damnationem poſt ſe trahit; multo enim plures ſalvantur in ſtatu privato, quam in dignitate: tolluntur in altum, ut lapſu graviore ruant; feriuntque ſummos fulmina montes. C. Iſ. 14. v. 15.

Qui in excelſo vitam agunt, multorum detractionibus, invidiæ, cenſuræ, & odiis expoſiti ſunt. C. Iſ. 14. v. 15.

Ambitio ſemper fons & origo fuit hæreſum: cum enim hæreſiarchæ culmen honoris, quod affectabant, conſequi non poterant, contra Eccleſiam rebelle caput extulerunt. C. 2. Petri 2. v. 10.

### 264. *Palliatur prætextu gloriæ Dei, aut Virtutis.*

S. Gregorius ait: Superbiam & ambitionem perſonat facie honoris, & gloriæ Dei. S. punct. 35. fol. 151.

Multi ſub ſchemate humilitatis affectant gloriam, affectare videntur contemptum, ut æſtimentur, de his Plutarchus: *Qui hujuſmodi præcepta tradunt, in ſpecie faſtidientes gloriam, eam ſectantur.* Sunt veluti remiges, qui faciem ad puppim obvertunt retro, & tamen ſe antrorſum remigiis promovent. D. 7. 16.

Multi ut ad ſublimia ſubſellia arrepant, dicunt ſe id facere, ut gloriam Dei promovere, animarum ſalutem procurare, juſtitiam adminiſtrare poſſint. Quanto magis in animo ſuperbiunt, tanto magis exterius humilitatem ſpirant: Ita loquitur de ambitioſo S. Ambroſius: *Ut* *S. Ambr. in Luc. l. 3.* *dominetur aliis, prius ſervit, curvatur obſequio, ut honore donetur, & dum vult eſſe ſublimior, fit remiſſior.*

Abſalon hominibus ad judicium venientibus mirum in modum blandiens, ajebat: Videntur mihi ſermones tui bo- *2. Reg. 15.* ni & juſti, ſed non eſt, qui te audiat conſtitutus a Rege! Quis me conſtituet judicem ſuper terram? Ecce! ingentem zelum videbatur ſpirare pro juſtitia, revera autem ſatagebat lucrari affectum populi, eumque a Patre ſuo avertere, ut tanto potentius proſequi poſſet rebellionis flagitium, & in regale ſolium deturbato parente eluctari &c.

### 265. *Infelicem exitum ſortitur.*

Abimelech filius Jerobaal callide pro- *Judic. 9.* curavit ſe eligi per amicos ex parte Matris ſuæ. Sed poſtea peſſime id ſucceſſit utrique.

Abſalon hominibus ad judicium Regis *2. Reg. 15.* venientibus blandiendo, & parenti Davidi detrahendo, ambiens regnum dicebat: Videntur mihi ſermones tui boni & juſti, ſed non eſt, qui te audiat conſtitutus a Rege. Quis me conſtituat judicem ſuper terram? Sed, o quam infelici exitu luit ſuam ambitionem!

Adonias filius Hagith corde elatus *3. Reg. 1.* ajebat: Ego regnabo! Regnavit: Sed quamdiu? Modiciſſimo tempore: Paulo poſt interfectus eſt!

Jeroboam ad votum, & applauſum *3. Reg. 11.* Ahiæ



Ahiæ Sylonitis ad ſolium regale aſcendit, regnans ſuper decem tribus Iſrael. Sed quomodo ſe habuit? Peſſime!

*3. Reg. 16.* Zambri videns Hela Dominum ſuum Regem Iſrael temulentum occidit eum, & regnavit poſt eum! Quamdiu? tantum ſeptem diebus!

*4. Reg. 15.* Sellum filius Jabes conjurans contra Zachariam Regem Iſrael Dominum ſuum interfecit eum, aſcendenſque ſolium regnavit pro eo. Quamdiu? unico menſe! dein ipſe interfectus eſt. Vid. Tit. *Magnates, Reges, Aulici &c.* Lib. 5.

Vis, mi Chriſtiane, feliciter vivere & mori, & inſuper tam coram Deo, quam coram mundo magnus eſſe? Memento, quod *ſervus Dei* ſit titulus nobiliſſimus, & pretioſior, quam ſint mundi principatus; ſervire Deo regnare eſt. Deut. 34. v. 5.

### 266. *Præcipue regnat in aulis.*

Jacob & Eſau colluctabantur in utero de primogenitura: O quot in aulis colluctantur, ait Hugo, ubi ſe transformant in varias figuras. Amman dum omnes dormiunt, vigilat, nequis vel nocte ſibi gratiam regis furetur &c. S. p. 110. f. 326.

Sicut caritas patiens eſt, benigna eſt &c. Ita ambitioſi patientiam, benignitatem ſimulant, & mille mala perferunt, ut evehantur: ideo Petrus Bleſſenſis ambitionem vocat, ſimiam Caritatis. S. punct. 20. fol. 639.

Multi ambiunt Prælaturas, ipſumque regimen animarum, non conſiderantes onus angelicis etiam humeris formidandum, & periculum ſuam perdendi animam pro alienis. C. Iſa. 14. v. 15.

Sicut in aulis Regum & Principum feminæ ſunt potentiſſimæ, adeo, ut quod ſæpe apud Neptunum Nerei non valent, valeant Syrenes; ita ambitio in magnis Principum aulis maxime dominatur in altero ſexu: Athalia, ut regnaret, omne ſemen regium internecione delevit. Mater Neronis admonita, ut filii exaltationem in thronum Cæſareum exoptare deſineret, fore ut ipſa a filio exaltato ſit occidenda, repoſuit: occidat, modo imperet. Mater Zebedæi petiit filiorum prælationem, ut & ipſa poſſet in filiis imperare. Eva non prius obtulit pomum guſtandum Adamo, ſed ipſa prior guſtavit, ut & ipſa prior in Deam transformaretur. Sic feminæ prærogativam regiminis ſibi arrogant ſupra viros. S. punct. 110. fol. 325.

### 267. *Eſt laborioſa ſervitus.*

Amman totis noctibus vigilat aliis dormientibus, nequis ei vel nocte gratiam regis furetur, & qua tandem mercede id multi faciunt? non alibi, quam uti quis dixit: cruore ventos emimus. *Gigantes gemunt ſub aquis*, ubi Gregorius: Elati omnes dum aſſequi honorum celſitudinem cupiunt, ſub ponderibus populorum gemunt. Et Bernardus: nihil eſt in hac vita laborioſius, quam deſideriis terrenis æſtuare, unde exclamat: O ambitio, ambientium crux, quomodo omnibus places, & omnes torques. S. Ambroſius ad illa verba: *Hæc omnia tibi dabo, ſi cadens adoraveris me*, ita: Habet hoc ambitio domeſticum periculum, ut enim dominetur aliis, prius ſervit. S. punct. 110. fol. 326.

Sicut caritas patiens eſt, benigna eſt, omnia ſuffert, omnia ſuſtinet, ita ambitio multa ſufferre debet, ideo a Petro Bleſſenſi vocatur ſimia caritatis. S. p. 20. fol. 630. M. conc. 15. aſſ. 2. n. 1. C. Num. 26. v. 3.

S. Paulinus ait: *Blandum nomen honor, ſed mala ſervitus.* Et Philo: cogitet qui honorem affectat, tempeſtatem ſe affectare. Et S. Greg. quid eſt poteſtas culminis niſi tempeſtas mentis. Et S. Bern. ambitio ambientium crux, nihil acerbius cruciat, nihil moleſtius inquietat &c. Num. 16. v. 3.

Nunquam vidiſtis fabros murarios, qui per clathra & ſcalas in faſtigia turrium aſcendunt? pauci ſunt, qui ad hanc artem valent; ſæpe enim dum ſupremum cacumen attigerunt, vertigine correpti, in ima delapſi vitam perdiderunt. Ita pauciſſimi ſunt, qui in ſuprema dignitatum faſtigia perperam eluctati, non Dei gratiam, & æternam ſalutem amiſerunt &c.

### 268. *Nullum ſcelus non audet.*

Filius Nabuchodonoſoris mortuum patrem exhumavit, & vulturibus prædam dedit, ne denuo ad thronum, ut antea reſurgere poſſit. S. p. 111. fol. 332.

Abſalon contra patrem rebellia arma induit. S. Ib. fol. 332.

Ipſum diabolum adorat, ait Bernardus, ut regnet. S. punct. 20. fol. 619.

Coſroas Perſarum Monarcha Medarſen natu minorem filium in Regni ſocium adſciſcit, ſed a Sinochio natu majore inter-

ſerficitur. En ambitio etiam ſanguinem contra ſanguinem collidit. A. 1. lect. 2. num. 9.

Quam cœca & ſcelerata ſit ambitio, ex infanticidio Regis Herodis licet conjicere. Paoletti in Feſto Ss. Innocentum.

Aaron abſentem Moyſen forſan interiiſſe putans ambiebat principatum populi, & ideo, ut aucuparetur affectum populi, in ejus petitionem de conflando vitulo facile conſenſit. C. Ex. 32. v. 5.

Ambitio multa peccata poſt ſe trahit; ambitioſi enim quamlibet occaſionem arripiunt creſcendi per fas aut nefas. C. Iſa. 14. v. 15.

Eſt cauſa apoſtaſiæ & hæreſum; ambitioſi enim cum ad ſuas ſpes & dignitates, quas in Eccleſia prætendebant, pervenire non potuerunt, facti ſunt Eccleſiæ hoſtes, & hæreſiarchæ. C. Iſa. 14. v. 15.

Nullum elementum eſt nocivius, quam ignis: huic autem comparatur ambitio: 1. Sicut ignis ſurſum tendit, ita ambitio ut honorum culmina conſcendat. 2. Sicut ignis quo plures materias arripit, eo magis exardeſcit: ita ambitio. 3. Sicut ignis terræ incluſus eam quatit, & terræ motum concitat: ita ambitio omnia movet, omnia turbat. 4. Sicut ignis ſua ſubtilitate omnibus rebus ſe inſinuat, eaſque depaſcit: ita ambitio omnibus actionibus ſe inſerit, eaſque ſibi incorporat. C. Prov. 30. v. 16.

### 269. *Eſt nota ſtultitiæ.*

Multi ex ethnicis Imperatoribus eo inſaniæ pervenerunt, ut pro diis haberi voluerint, uti Caligula, Alexander Magnus, Antiochus, Heliogabalus, Commodus Claudius, & alii. Audierunt forte, quod in terra vices Deorum gerant, & ſtatim hoc elogium attribuerunt perſonæ, quod attribuere deberent officio: contigit illis, quod aſino, qui ſtatuam Junonis gerebat, cum enim vidit populum omnem genua flectere, hunc honorem ſibi deferri putabat. D. 10. c. 97.

Quo magis Chriſtianus ab exemplo Chriſti & Sanctorum recedit, eo ſtultius agit: Chriſtus autem, cum quæreretur ad regnum, fugit, & vitam privatam egit. Sancti dignitates fugerunt, & coacti ingemuerunt: tales fuerunt S. Ambroſius, Chryſoſtomus, Martinus, Gregorius, Malachias, Auguſtinus, Fulgentius & alii. C. Iſa. 14. v. 15.

Nemo hominum eſt, qui non pacem ac quietem amet; ambitioſus autem veluti fluctibus maris agitatur, ob diſtractiones, & curas, quibus honorem aucupari, aut tueri debet contra æmulos. C. Iſa. 14. v. 15.

Bene ambitioſis poteſt aptari parabola illa, quam propoſuit Joathan, quod oliva, vitis, & ficus noluerunt ſibi regnum accipere. Rhamnus vero arbor exigua & vilis regimen uſurpare præſumpſit, infelici ſucceſſu. Si homo vertigini obnoxius fabrum murarium agere, & in altam turrim conſcendere vellet, nonne ſtulteſceret, quia graviſſimi lapſus, mortiſque periculo ſeſe exponeret: Ita multi delirant, qui ſuæ ſibi conſcii incapacitatis ad alta honorum, officiorumque faſtigia aſſurgunt, non ſine periculo, & ſe, & alios præcipitandi in ruinam &c. *Judic. 9.*

### Amor proprius.

### 270. *Plerumque vitiat bona opera.*

SCirpus *Humectus videtur, antequam veniat Sol*: ſic opus bonum ex perverſo amore profectum emarceſcet, ſi ſol juſtitiæ olim erit oriturus. S. punct. 111. fol. 330. B. ſerm. 26. n. 26. & ſeq.

O quot bona opera ibi in judicio invenientur, ex amore proprio, ſubtili malo, vitioſa. B. ſerm. 26. n. 26.

Solus hic amor eſt, qui nos ſeparat a caritate Dei. S. Apoſtolus Paulus interrogat quis nos ſeparabit a Chriſto? an fames, an nuditas, ac perſecutio? ſic enumerat Paulus integrum malorum catalogum, & in fine concludit: Hæc omnia non ſeparabunt nos a Caritate Dei. Quid ergo? Nos ipſi, per amorem proprium: ita ſubnectit S. Bernardus: *attende quanta enumeraverit Apoſtolus, minime tamen adjiciens: Nec nos ipſi*. B. ſer. 43. n. 5. S. punct. 36. fol. 157. Vide Tit. *Voluntas propria*.

Qui ſolum ideo operatur, ut ſibi proſit, merita nulla colligit; ait enim S. Chryſoſtomus: Mercenarius, qui hoc ſolum facit, ut manducet; ſine cauſa ambulat in domo: ſic & nos, ſi ſola hæc facimus, quæ ad noſtram pertinent utilitatem, ſine cauſa vivimus ſuper terram. *S. Chryſ. hom. 33. in c. 10. Matth.*

Sicut parentes putant ſe venuſtiſſimas habere proles, etiamſi multis aliis deformiores ſint: ita quilibet putat, ſua opera eſſe perfectiora aliis &c.

Dicitur de ſimiis, quod præ cæteris animantibus formam ſuam immoderate ament, & dum proles generant, illas præ nimio amore ſtringendo ſuffocent.

Ita



Ita multi in ſuis operibus ſibi adeo complacent, ut iis meritum coram Deo adimant, &c.

### 271. *Quid, & qualis ſit.*

Hic, de quo loquimur, amor non eſt naturalis; tantum enim abeſt, ut hic vitium ſit, ut potius a Deo præceptus, & menſura ſit amoris proximi: Amor, de quo loquimur, eſt privatus, & immodicus, ait Baſilius, quo quis proprium commodum quærit præpoſtere, inordinate, nimio affectu, & tendit in partem ſenſitivam erga honores, divitias &c. Sic primi parentes vitioſe amarunt ſe propter affectum omniſcientiæ: Nimio ſui amore Adam peccavit, ait Auguſt. S. pun. 111. fol. 328.

Petrus dicens: *Tu ſcis, quia amo te*, non excluſit amorem naturalem ſui ipſius, ait Cajet. S. pun. 111. fol. 330.

Signa amoris proprii ſunt 1. Cum noſtra delicta ut levia, delicta vero proximi ut gravia intuemur. Rex David, quamdiu opinabatur a Propheta ſibi alienum delictum proponi, rigidus atque auſterus erat, inquiens: *Filius mortis eſt vir iſte!* verum cum ſe Prophetæ parabola accuſari ſenſit, totus manſuetus miſericordiam imploravit. Si vere & ſancte amamus, *Juſtus modius, æquuſque ſextarius* debet eſſe, quo tam noſtra, quam aliena crimina metimur. S. punct. 111. fol. 329. Secundo, cum commoda noſtra quærimus, proximi vero bona vel mala negligimus, ait hanc in rem Theophylactus: quemadmodum in membris cum unum læditur, & reliqua lædantur neceſſe eſt, ſic in Eccleſia, qui proximum negligit, & ſeipſum curat, ſibi ipſi officit. *Theoph. in 2. ad Tim. 3.*

Sicut falſa amicitia eſt, quæ mea potius quam me diligit: ita falſus amor eſt, qui ſua commoda Deo & proximo præfert.

Formica laborioſum quidem eſt animal, ſed nemini niſi ſibi ipſi laborat: ita multi ſibi dumtaxat conſulunt, & ad bona vel mala proximi minime attendunt.

Nullum animal impenſius amat ſuos fœtus, quam aſinus, & ſimia: ita multi, nonniſi ſuos partus, ſua conſilia, ſuas operationes adorant.

Ut ſuus cuique morbus videtur atrociſſimus: ita ſuum cuique incommodum maxime dolet, &c.

### 272. *Plurima peccata poſt ſe trahit.*

S. Thomas docet, amorem proprium eſſe primam radicem omnis peccati. Hæc peccata enumerat S. Auguſt. quid amor ipſe, inquit, tot rerum vanarum, atque noxiarum? Et ex hoc mordaces curæ, formidines, inſana gaudia, diſcordiæ, lites, bella, inſidiæ, iracundiæ, inimicitiæ, fallacia, adulatio, fraus, furtum, rapina, perfidia, ſuperbia, ambitio, invidentia . . . atque immunditiæ, quas turpe eſt etiam dicere . . . & quidquid talium malorum in mentem non venit, ab illa perverſi amoris radice venit, cum qua omnis filius Adam naſcitur. S. pun. 111. fol. 330. *S. Aug. de civ. Dei 22.*

Malus amor ſui contrarios effectus poſt ſe trahit illis effectibus, qui ex bono amore ſequuntur, uti enumerat S. Aug. Illa in ipſa, hæc in Domino gloriatur: illa quærit ab hominibus gloriam, huic autem Deus conſcientiæ teſtis maxima eſt gloria, &c. S. pun. 111. fol. 328.

S. Paulus: *Erunt homines ſeipſos amantes, cupidi*, (amatores pecuniæ, avari) *elati, ſuperbi, blaſphemi, parentibus non obedientes, ingrati, ſceleſti, ſine affectione* &c. Ecce! quot rami ex una radice, &c. S. punct. 111. fol. 329.

Et quid mirum peſſimos effectus, & peccata ſequi ex amore proprio, quia inimicus eſt Dei. S. Aug. ait: *Si totum hominis bonum eſt amare Deum, totum hominis malum eſt, amare ſeipſum*. S. pun. 111. fol. 328. in fine. B. ſerm. 41. n. 6. *S. Aug. in Man. c. 26.*

Iterum S. Aug. *Fecerunt civitates duas amores duo: terrenam amor ſui uſque ad contemptum Dei, cæleſtem vero amor Dei uſque ad contemptum ſui*. B. ſerm. 41. n. 6. S. punct. 111. fol. 328. *S. Aug. l. 14. de civ. Dei c. 18.*

Dicitur quod equa, conſpecta in aquis ſua forma, adeo amore ſui exardeſcat, ut in rabiem agatur. Ita multi, dum ſuas dotes, & qualitates in ſeipſis admirantur, inſolentes, & intolerabiles fiunt.

### Obſtinacia Judicii.

### 273. *Eſt malum ortus ex ſuperbia.*

SAnctus Bern. ait: In corde duplex eſt lepra, propria voluntas, & proprium conſilium: hæc illorum eſt, qui zelum Dei habent, ſed non ſecundum ſcientiam, ſequentes errorem ſuum & obſtinati in eo, ita, ut nullis velint conſiliis acquieſcere: hi ſunt unitatis diviſores, inimici pacis, caritatis expertes, vanitate tumentes, placentes ſibi, &c. S. pun. 117.

Quod tales judicant, & quod intelligunt, hoc ceu primam ac ſummam æſtimant veritatem: & quod ipſis videtur, in-



quit

quit Balduinus, quaſi ſacroſanctum adorant &c. S. punct. 118. fol. 369.

Cum Henricus Angliæ Rex leges ferret libertati Eccleſiæ præjudicioſas, reſtitit ei Thomas Cantuarienſis Epiſcopus, & propterea fuit Epiſcopatu, & bonis omnibus privatus & in exilium ejectus. Crimen hoc eo magis fuit damnabilis obſtinaciæ, quia Rex ſcire potuit, Thomam in juventute a B. Virgine fuiſſe caſula prodigioſe donatum: cum enim coætanei illius laudarent donaria a ſuis Dominabus accepta, ipſe ſubintulit ſe pretioſiſſimum clenodium (intelligebat caſtitatem) a Domina ſua (ſubaudiebat Beatiſſimam Dei Genitricem) accepiſſe. Cum autem intraret Eccleſiam, ſanctiſſima Virgo illi in capſula pretioſam caſulam attulit, cujus artificium nemo agnovit. E. *Maria*. n. 45.

Unde obſtinacia hæreticorum in ſuis ſectis, & præſertim Lutheri, qui nemini ceſſit: ex inſolentiſſima ſuperbia, qua ſe Doctorem omnium Doctorum, ſupra mille Auguſtinos jactitavit, addens, ſe nec Papæ, nec Cardinalibus, nec Epiſcopis, nec Imperatori, nec Regibus & Principibus ceſſurum, &c. *Tomus. 2 Vitenb. f. 117. To. 2 Viten. f. 158.*

274. *Eſt indecens & præſumptuoſa.*

Sunt, qui ſpiritum contradictionis habent, numquam ſentiunt, quod alii, ac ſi eſſent perpetui interpretes veritatis, Scripturæ gloſſatores, Rabbi ſuper terram, Doctores irrefragabiles, qui ſoli Spiritum Dei haberent. *Plenus ſum ſermonibus, coarctat me ſpiritus uteri mei* &c. gloſſatur ille. S. punct. 121.

Verbis contendere, ait Auguſtinus, eſt non curare quomodo error veritate vincatur, ſed ſuperior evadere velle, quod juvenum eſt, ac elati animi. S. punct. 121. fol. 376.

Joannes Abbas contra omnium conſilia in interiorem eremum ſe recepit, ubi putavit ſe velut Angelum ſine cibo & potu vivere poſſe. Poſt octo dies fame compulſus, redit, & pulſans recipi cupit: quæritur quis eſſet? reponit, ſe eſſe fratrem Joannem. Sed reſpondebatur, fratrem Joannem factum fuiſſe angelum. Ita tota nocte delaſus fuit antequam admiſſus. Sanchez 7. part. c. 2. fol. 913.

*Gen. 4.* Cain poſt increpationem Domini reſipiſcere debuiſſet, ſed pejor factus eſt, ipſumque fratricidii ſcelus commiſit.

Duriſſimæ cervicis fuerunt, qui venerunt ad comprehendendum Dominum; illos unico verbulo Chriſtus ad terram proſtravit, dein auriculam Malchi ſanavit, ſed illi nec miraculi manifeſtatione, nec beneficii pietate ad miſericordiam commoti ſunt, &c.

* Nullus eſt Doctiſſimorum hominum in univerſo orbe, qui non fateri deberet, etiamſi mille libros devoraſſet, ſe plura ignorare, quam ſcire. Item ſe cum omni ſua ſcientia necdum aſſecutum eſſe ſcientiam infimi Angeli, aut etiam ipſius diaboli in rebus naturalibus. Cum ergo ſupercilium ſupra omnes attollere, & nemini cedere cogitat, merito illi exprobratur: qui ſuus ipſe Magiſter eſt, ſtultum habet pro diſcipulo, &c.

275. *Eſt valde periculoſa.*

*Væ qui ſapientes eſtis in oculis veſtris, & coram vobiſmet ipſis prudentes.* *Iſai. 5.* Talis enim, qui neminem conſulit & ſuo ſolius judicio utitur, infelicius impinget, quam ſtultus. S. punct. 122.

Heron, poſtquam Deo diu ſervierat, a dæmone ſeductus, in puteum ſe præcipitat, educitur quidem a fratribus, ſed quoniam obedientiæ ſe ſubjicere noluit, miſere perit. Alius a dæmone perſuadetur, ut filium inſtar Abrahæ ſacrificaret, hanc eſſe Dei voluntatem. Et certe Monachus id feciſſet, niſi filius ſibi fuga conſuluiſſet. Sanch. 7. part. c. 2. fol. 908.

Obſtinacia etiam in rebus bellicis & politicis ordinarie grandem ruinam poſt ſe trahit. Numantia, quæ ſe Romanis dedere, eorumque gratiam acceptare noluit, funditus devaſtata eſt. Par obſtinacia fuit Novæ Carthaginis; cives maluerunt ſe cum ſuis theſauris concremare, quam Scipioni dedere: quin imo cum Princeps Aſdrubal in templo Æſculapii a Scipione genuflexus veniam, ac gratiam rogaret, illius uxor id furioſe exprobrans Marito, filios, & ſe ipſam ante illius conſpectum obtruncavit. Parem in modum obſtinacia in peccatis ordinarie æternam ruinam cauſat. Theat. trag. hiſt. 28. n. 1. 2. & ſeq. *Appian. in bell. Lybic. Plutarc. in vitam Scipion.*

Heron Monachus poſtquam quinquaginta annos in eremo tranſegit, ſui judicii tenaciſſimus non aliud quam ſuum conſilium amplectebatur, adeo ut a dæmone, ſub forma Angeli lucis ſibi comparente deceptus in puteum ſe præcipitavit, putans ſe non poſſe lædi. Extractus a fratribus & tertia die mortuus in ſua obſtinacia perſeveravit. E. Verbo *Conſilium* num. 1.

Mo-



Monachus peccata omnia venialia fugere volens incidit in deſperationem. Sed precibus S. Mariæ de Ognies ſanatus, dum ſub nigros lapillos ſpuit, liberatur. E. *Venialia*.

276. *Punitur a Deo.*

Paſchaſius adeo ſanctus, ut etiam miracula faceret, Laurentium contra Symmachum defendit, & licet unanimi ſententia populi refutaretur, tamen Laurentium digniorem Pontificatu uſque in finem vitæ tenuit. Poſt mortem in thermis ardere viſus eſt a Germano Epiſcopo Capuano, interrogatuſque cur pateretur? repoſuit ſuam obſtinaciam in culpa eſſe. E. *Pertinacia* 3.

Obſtinacia judicii eſt fons & origo omnium hæreſum. Hæreſiarchæ omnes vel ex ſuperbia, vel ex vindicta, quamvis per Pontificum oracula, per Patres, per Concilia, & etiam per prodigia falſitatis fuerint convicti, tamen noluerunt videri erraſſe, maluerunt ſe & innumerabiles animas in æternam perniciem præcipitare, quam ſuum errorem fateri & revocare, &c.

*Exod. 5.* Pharao nec per blandimenta Moyſis, nec per flagella Domini potuit emolliri, tandem in fluctibus rubri maris periit.

Obſtinati ſunt ſequaces Luciferi, qui licet lumine naturali agnoſcere poterat, creaturam non poſſe eſſe creatorem, tamen aſſurgere in ſolium Divinitatis, & ſimilis eſſe voluit Altiſſimo; ideo æterna confuſione in infernum precipitatus eſt. Ita multi, dum contra monita & conſilia omnium ſuo judicio pertinaciter innituntur, tandem ſuiſmet laqueis capti intricantur, & ſine remedio confunduntur, &c.

Voluntas propria.

277. *Eſt fons & origo omnis mali.*

S*Anguiſugæ duæ ſunt filiæ dicentes affer, affer.* Quænam eſt hæc Mater, quæ filiæ? Sanctus Bernardus ait: *Propriæ voluntatis duæ ſunt filiæ inſatiabiles clamantes; affer, affer: ſiquidem nec animus vanitate, nec corpus voluptate ſatiatur.* B. ſerm. 17. n. 27.

*Primum cælum, & prima terra abiit:* olim inter fideles erat cor unum, & anima una, omnimoda fidelitas, ſinceritas, pietas, &c. Quare nunc non amplius? Reſpondet S. Bernardus: *Nonniſi quod propriam ſequamur voluntatem.* M. conc. 8. §. 1. n. 3.

Lucifer propriam voluntatem ſequens ſeipſum de cælo præcipitavit. M. conc. 8. §. 1. n. 8. *Ubi propria voluntas dominatur*, ait Ruffinus, *ſalus eſſe non poteſt, ſed perditio.* M. ibid. num. 8.

Si voluntas propria non eſſet, infernus non eſſet; *In quem inferni ignis deſævient*, ait Bernardus, *niſi in propriam voluntatem?* M. Ibid. n. 13.

Qui voluntatem propriam ſectatur, quaſi vivus ſecum infernum circumfert, nullibi quietem invenit. A. lect. 5. n. 24.

Sicut nequam uxor domum turbat; ita propria voluntas animam innumerabilium peccatorum & imperfectionum onere premit, & aſſidue cruciat; quia Deo & hominibus repugnat, & eam amplectentem quaſi veneno enecat. C. Eccli. 26. v. 10. in fin.

Fortior eſt voluntas fortuna, ait Seneca, *Senec. Epiſt. 72.* in utramque partem ipſa res ſuas ducit, beataque ac miſeræ vitæ ſibi cauſa eſt.

278. *Eſt inimica Deo.*

Primo: quia ſe ejus dominatui ſubtrahit, cui tamquam auctori ſuo jure deberet ſervire. 2. Quia omnia, quæ Dei ſunt, ad ſe rapit per inexplebilem ambitionem. 3. Quia Deum vellet non eſſe Deum: vellet enim Deum peccata ſua aut vindicare non poſſe, aut nolle, aut neſcire, &c. S. punct. 117. fol. 358.

Sanctus Apoſtolus Paulus omnes creaturas provocat ad certamen: *Rom. 8.* quis nos ſeparabit a caritate Dei? &c. Ubi S. Bernardus advertit: *S. Bern. l. de conſc.* *cum tot ac tanta dixiſſet, unum, ſcilicet propriam voluntatem reticuit.* Una ergo propria voluntas ſeparat a Deo. A. 1. lect. 5. n. 11.

Petrus Apoſtolus, quem Chriſtus ob trinam profeſſionem conſtituit Eccleſiæ caput, *Matt. 16.* nihilominus cum Redemptori paſſionem diſſuaſit, audire debuit: *Vade retro ſatana.* Cur ſatanam vocat? quia ſe opponere voluit voluntati Dei. O quot ſunt adhuc Chriſtiani, qui in adverſitatibus contradicunt Deo: *abſit, non erit hoc*, &c. A. lect. 5. n. 18.

Nos Deum ad noſtram voluntatem flectere vellemus, quia nimis addicti ſumus maledicto verbo illi: *Volo*. Paoletti Fer. 4. poſt Dom. 1. Quadr.

Voluntas mala efficitur, quia recedit à Deo, hic ipſe enim receſſus jam eſt injurioſus ſummo Bono, id quod explicant S. Auguſtinus ait: *Nemo quærat cauſam efficientem voluntatis malæ, non* *S. Aug. l. 12. de Civ. Dei.*



eſt.

*eſt efficiens, ſed deficiens, quia nec effectio, ſed defectio eſt.*

*S. Bern. Ser. 5. de Reſurr. Dom.* Propria voluntas Deum impugnat, & adverſus eum extollitur, ait S. Bernar. Ipſa eſt, quæ paradiſum ſpoliat, infernum ditat, ſanguinem Chriſti evacuat, & ditioni diaboli mundum ſubjugat: *Ceſſet voluntas propria, & infernus non erit; in quem enim deſæviet ignis ille, niſi in propriam voluntatem?*

279. *Eſt nocentiſſimus hominis hoſtis.*

Stephanus Cantuarienſis ait: *Homo ſubtrahit tibi terram, tu tibi cælum, nemo magis tibi inimicus te ipſo.* B. ſerm. 24. num. 36. 37.

S. Bern. de voluntate propria: Hæc adverſus Deum inimicitias exercet, quid enim odit, aut punit Deus præter voluntatem propriam? ceſſet voluntas propria, & infernus non erit; in quem enim ignis ille deſævit, niſi in propriam voluntatem? S. pun. 117. fol. 358. & B. ſerm. 69. n. 2.

S. Aug. deplorat, quod a ſua voluntate factus ſit ſervus, & mancipium concupiſcentiæ: ſuſpirabam ligatus non ferro, ſed ferrea mea voluntate: quippe ex voluntate perverſa facta eſt libido, ex libidine conſuetudo, ex conſuetudine neceſſitas, & tandem *homo carnalis ſum venditus ſub peccato.* S. punct. 117. fol. 367. in fine.

*Clim. 29. Gerſon de diſt. Viſ. c. 3.* Quis infenſior homini, quam dæmon? ſed homo propriam ſequens voluntatem ſibi ipſi dæmon eſt: ita Climacus: *qui ſibi ipſi dux eſſe vult ſpreto duce proprio, non jam indiget dæmone tentante, quia factus eſt dæmon ſibi.* A. lect. 5. n. 19.

Non omnia peccata a dæmonis inſtinctu proficiſcuntur, ſed a perverſa voluntate: ſæpe canis dormiens excitatur, ita docet S. Thomas, & Gennadius. A. lect. 5. n. 19.

Inſurgat mundus, caro, & totus infernus, pugnent contra nos omnes tentationes & perſecutiones, nihil eſt, quod hominem malum facere poſſit, niſi propria voluntas accedat; dicit enim S. Aug. *S. Aug. l. 5. de Trin.* *Mala voluntate quiſque miſer efficitur, ſed miſerior poteſtate, qua deſiderium malæ voluntatis impletur.*

280. *Vitiat bona opera.*

*Iſai. 58.* *In die jejunii veſtri invenitur voluntas veſtra.* Non tale jejunium eligit Sponſus, ait Bernardus. Idem eſt de aliis actionibus piis, ſi ex voluntate propria procedant. S. pun. 117. fol. 368.

S. Petrus dum lavari a Chriſto recuſat nonne ſe humiliat, & tamen reprehenſus eſt, quia ſub hac humiliatione voluntas propria ſuberat. Cur Domino Deo placuit Sacrificium Abrahæ; non vero Jephte? Reſpondeo quia hic ex propria voluntate vovit Sacrificium. S. punct. 117. fol. 368.

Grande malum propria voluntas, qua fit, ut bona tua bona non ſint. *S. Bern. ſuper Cantica.*

Propria voluntas mala eſt, niſi tam in proſperis, quam adverſis æqualiter adhæreat Deo: v. g. ſi ſanus es, dulcis eſt tibi voluntas Dei! ſi ægrotas, amara eſt tibi, male agis; *quia non vis dirigere voluntatem tuam ad voluntatem Dei*, ait S. Aug. *ſed voluntatem Dei vis curvare ad tuam.* *S. Aug. in Pſ. 31.*

*Grande malum propria voluntas*, ait S. Bern. *qua fit, ut bona tua tibi bona non ſint.* *S. Bern. ſer. 1. de Reſurr. Dom.*

Voluntas propria ſibi ipſi lex eſſe vult, ſic volens temperari a paſſionibus carnalibus, ut neque velit conatus adhibere neceſſarios, ſine quibus virtutes poſſideri nequeunt. Vult carnis caſtimoniam ſine caſtigatione carnis: vult puritatem cordis ſine vigiliarum labore: vult patientiæ gratiam ſine exaſperatione convitii: vult humilitatem Chriſti ſine mundani honoris jactura: Verbo: Vult conſequi futura bona, ut præſentia non amittat. *Caſſian. in Pſ. 13.*

Sicut uxor litigioſa & tumultuoſa omnia turbat in domo, ita propria voluntas totam interiorem domum ſus deque vertit, hominibus & Deo repugnat. C. Eccli. 26. v. 10.

Effatum eſt Devotiſſimi Ludovici Bloſii: *Melius eſt ſobrie & continenter ad gloriam Dei manducare, quam rigidam antiquorum Patrum abſtinentiam ex propria voluntate ſectari.* Quare melius eſt? quia ille manducans recitando Orationem Dominicam confidentius ad Deum dicere poteſt: *Fiat voluntas tua*, quam iſte jejunans, &c.

281. *Sibi ipſi contrariatur.*

Adamus volens immortalitatem per pomum, mortem invenit.

Jonas Niniven fugiturus illuc deportatur.

Abſalon bellum contra Patrem inſtruens in bello perit: ſic *in circuitu impii ambulant*, quo non volunt, tendunt. M. conc. 8. aſſ. 1. n. 5.





Joſeph venditur, ut pereat, & per hanc ipſam venditionem elevatur. M. Ib. num. 6.

Rachel filios, quos petiit, impetrat, & vitam perdit. M. Ib. n. 7.

Petrus vult manere in monte Tabor, & ſic, ſi ejus voluntas fuiſſet impleta clavos cæli non obtinuiſſet, ait Sanctus Ephrem. M. Ib. n. 9.

Eva voluntatem ſuam quærendo, de Paradiſo expulſa eſt. M. Ib. n. 10.

Qui *in lege Domini meditatur die ac nocte*, juſtus, qui voluntatem Dei in omnibus ſectatur, illi omnia, quæcumque faciet proſperabuntur: jam dicite: nonne juxta Philoſophos *appoſitorum eadem eſt ratio*? homini igitur impio, qui ſuam ſectatur voluntatem omnia infortunate ſuccedunt, &c. A. lect. 5. n. 21.

*S. Greg. l. 9. Mor. c. 2.* S. Gregorius ait: *Quod ſtulte per culpam geritur, hoc in agentis pœnam mirabiliter ordinatur.*

*Oſee 10.* *Confundetur Iſrael in voluntate ſua.* Nam primo confundetur, hoc eſt turbabitur, & nullam quietem inveniet in ſuis conſiliis; ideoque cum caro ſemper concupiſcit adverſus ſpiritum, inter hos litigantes requiritur arbiter. Secundo confundetur, hoc eſt, loco quæſitæ gloriæ ignominiam reportabit: Jonas ſuæ voluntati obtemperans à ceto deglutitur. Segn. Manna 29. Mart. numer. 1. & 5.

Bona voluntas eſt, quæ in omnibus conformis eſt voluntati Divinæ: ſi huic contrariatur, homo in ſe ſemper inquietus, turbulentus, & ſibi ipſi contrarius erit; quia veriſſimum illud: *Et in terra pax hominibus bonæ voluntatis.*

282. *Eſt inſtrumentum dæmonis, quo nos decipit.*

Sicut hamus eſca tegitur: ita dæmon etiam operibus piis noſtram voluntatem propriam inſerit, ait Sanctus Henricus Suſo. M. conc. 8. aſſ. 1. n. 11.

Ciſtercienſis Monachus tranſire ad Camaldulenſes Eremitas petiit. Dimiſſione importune impetrata prius ad Ædem Lauretanam peregrinari conſtituit. Ibi ab homine ignoto amiciſſime ad piſcatum invitatus pergit ad mare, & piratis venditur. Transfertur in Epirum & cuſtos gregum conſtituitur. Demum occaſionem fugiendi nactus ad littus maris, unde venerat, feſtinavit, navim Venetam tranſeuntem invocavit, a qua Venetias deportatus, denique ad ſuum Monaſterium rediit, & veniam delicti deprecatus denuo ſuſceptus eſt. J. 121.

Infernalis tenteor, ut hominem peccatorem audacem faciat in malo, perſuadet illi, nihil eſſe facilius quam converſionem ad Deum; ad hanc enim, ipſamque ſalutem non plus requiri quam ſeriam voluntatem, & hanc utique eſſe facillimam: verum miſere decipit; voluntas enim pravis habitibus occupata, cum vult converti non poteſt, & hæc eſt maxima pœna peccati. Ita S. Auguſtinus inquiens: *Cum vult, non poteſt, quia quando potuit, noluit, ideo per malum velle, perdidit bonum poſſe.* *S. Aug. de Vera Relig.*

Qui primo catenæ annulo ligatus eſt, revera tota catena vinctus, victuſque eſt. Primus annulus in vitiorum catena, propria voluntas eſt, hanc ſi infernalis lictor homini injicit, facile illum in omnia quæcumque vitia trahit, &c.

## Hypocriſis.

283. *Simulat ſanctitatem, nequitiam tegit.*

PIctores, dum forte Crucifixum ſuis livoribus ſpirantem pingunt, ante eum varios actus, & affectus confingunt, ita, ut ab his, qui rem ignorant, ſancti crederentur: ſed ſiquis veniat, & pretium offerat, facile Crucifixum vendunt: ſic hypocrita *dabit cor ſuum in ſimilitudinem picturæ*: etiamſi Sanctus videatur occaſiuncula pretii, aut gloriolæ vendunt Deum. S. punct. 20. fol. 72.

Vix ſcelus eſt, quod ſub hypocriſi non perpetretur: Jezabel ſub prætextu prædicationis, & jejunii vult Naboth occidere: Abſalon ſub ſpecie peregrinationis in Hebron contra Patrem rebellat. Saul ſub ſpecie Religionis & Sacrificii tegit avaritiam. Joab ſub ſpecie oſculi pacis interficit Amaſam, &c. S. punct. 20. fol. 78. ſeq. M. conc. 1. n. 6. 7. ſeq.

Quidam Guido de Lacha per omnem vitam habetur pro Sancto, poſt mortem convincitur de hæreſi, corpus illius exhumatur, & comburitur. Sed ecce! oſſa illius continuo ſupra ignem erant in aere ſuſpenſa, dum autem Epiſcopus ſacrum legit, ceciderant oſſa in ignem, & auditi ſunt dæmones clamare. O Guido! O Guido, jam non poſſumus amplius te ſervare, & defendere. Lucianus Initr. Cath. Serm. 30. in fine. E. *Hæreticus* n. 7.

*3. Reg. 21.* Jezabel voluit ſenatui in Jezrael perſuadere, quod Nabothum juſte occidat,

& ideo illi præcepit: Prædicate jejunium. Heimen. fol. 178.

Judæi in morte Chriſti, cùm viderent centurionem & multos alios converti, novum odium in Chriſtum conceperunt, volentes ei, quem nondum ſciebant jam eſſe mortuum, crura frangere, ſed quem prætextum huic crudelitati obtenderunt? *Ut non remanerent in cruce corpora Sabbato.* *Joan. 19.* En Sabbatum prætexunt! crudelitas fuit. Coſterus de Paſſ. Med. 47.

Triginta argenteos nolunt mittere in corbonam, quia pretium ſanguinis eſt: econtra animam contaminare hoc ſanguine non metuunt. Idem Med. 18.

### 284. *Sibi ipſi maxime nocet.*

Eleazar in prælio Elephantem ſtravit: inſignis victoria! ſed ab Elephante lapſo obtritus eſt: ita hypocrita, licet vitia ſupprimat, ſuperbiendo ſuccumbit. S. punct. 20. fol. 80.

Hypocritæ vocantur arbores autumnales, infructuoſæ, *bis mortuæ*; nempe ante converſionem per opera evidenter mala; & dein poſt converſionem per opera apparenter bona. S. punct. 20. fol. 74.

Quid damnoſius, quam quod hypocrita operum ſuorum merita perdit? Neronis aureo hamo piſcantis prodigalitatem totus mundus deridet; quia ſæpe ob piſciculum unius oboli perdidit hamum centuplo pretioſiorem. Hæc eadem dementia eſt hypocritæ, ob modicam gloriolam, ait S. Hieronymus, amittit meritum operis S. punct. 20. fol. 75.

Aranea ſeſe eviſcerat propter exiguam, quam capere vult muſcam; ita hypocrita vires atterit ob vanam gloriolam, ait Card. Hugo. S. punct. 20. fol. 75.

Dolendum certe, quod cum homo Chriſtianus per opera ſua æternam mercedem mereri poſſet, hanc pro inani laudis humanæ fuco commutet. Quid vanius? *Oculus, qui eum viderat, non videbit, neque ultra intuebitur eum locus ſuus.* Ubi S. Gregorius: Quis eſt locus hypocritæ, niſi cor adulantium? ibi quippe requieſcit, ubi favores invenerit. S. punct. 139. fol. 438.

### 285. *Fugienda tam in ſe, quam in aliis.*

Dum Apollonius Dux miſſus ab Antiocho Hieroſolymam ingreſſus eſt, pacem ſimulans quievit uſque in diem Sabbati, & tunc feriantibus Judæis arma arripuit, omneſque trucidavit. Tu qui pius eſſe cupis, fuge hypocritam; quia aliquamdiu quidem pacem ſimulat; ſed denique vitiorum peſtem tibi afflabit, &c.

Eam habet malitiam hypocriſis, ut culicem exhorreſcat, Camelum autem deglutiat. Judæi, & Principes Sacerdotum conſcientiæ ſibi duxerunt, intrare prætorium Pilati, ne contaminarentur. Sed in mortem Chriſti innocentis conſentire, parum curarunt.

S. Hieronymus ita deteſtatur hypocriſim, ut ajat: *Intus Nero, foris Cato, totus ambiguus, monſtrum eſt, ſicut Leo & Draco chymæra eſt.*

Magna eſt vafrities hypocritæ, vult bene ſervire Deo, ut ſibi tamen non ſit male: una manu cæleſtem, altera mundanam gloriam captare videtur: S. Gregorius illum comparat cum Simone, qui crucem *S. Greg. lib. 8. Mor.* quidem Chriſti portavit, non tamen cum illo mortuus. Sic hypocrita corpus quidem per abſtinentiam affligit, ſed tamen per amorem gloriæ mundo vivit.

Eleazarus, cum ab amicis rogaretur, ut *2. Mach. cap. 6.* comeſtionem carnis porcinæ & fugienda mortis tormenta ſaltem ſimularet, adeo deteſtatus eſt hanc ſimulationem, ut glorioſiſſimam potius mortem, quam odibilem vitam elegerit, metuens, ne alii ſuo ſimulationis exemplo perverterentur.

S. Gregorius ait: Vult hypocrita ſcire *S. Greg. l. 15. Mor.* Divina eloquia, nec tamen facere: vult docte loqui, nec tamen vivere. Eſt duplici corde, melleo & felleo. C. Jac. 1. v. 8.

Herodes, ait S. Chryſoſtomus, devo- *S. Chryſ. in Matt. cap. 7.* tionem promittit, ſed gladium acuit, & malitiam cordis depingit calore humilitatis. Hujus perſonam repræſentant hypocritæ, qui dum ficte Deum quærunt, illum nunquam invenire merentur.

Et S. Bernardus: Hypocritæ volunt eſſe humiles ſine deſpectu, pauperes ſine defectu, bene veſtiti ſine ſolicitudine, delicatæ pacis ſine labore, aliis adulantes, aliis detrahentes, mordaces ut canes, doloſi ut vulpes, ſuperbi, ut leones, &c.

### 286. *Confundetur in Judicio.*

*Confundemini ſicut quercus defluentibus foliis*: quercus in hyeme denudatur foliis: *Revelabit condenſa.* Ubi Titelmannus: ſylvæ condenſæ dicuntur propter frondium & ramorum denſitatem: ita hypocrita nudus meritis ſtabit in judicio. S. punct. 134. fol. 423.

Sterquilinum nive contectum albeſcit, ſed nive ſoluta per ſolem ſordeſcit: ita &c. S. punct. 139. fol. 437.





*Velut ſomnium avolans non invenitur*: ubi Gregorius: Quid eſt vita hypocritæ, niſi quædam viſio phantaſmatis, quæ hoc oſtendit in imagine, quod non habet in veritate. S. punct. 139. fol. 437.

Chriſtus maledixit ficui, quia præter foliorum ſpeciem nihil præſetulit: ita hypocrita maledicetur in judicio. M. conc. 1. n. 8. 9.

Ridiculum quid narrat P. Cherubin de Spoleto: Ruſticus quidam recentia ceraſa attulit Dominationi ſuæ: Domina domus arrepta corbe in interius cubiculum ſecedit, & ita intemperanter in his frugibus helluatur, ut ſex, & ſeptem ſimul & ſemel tumentibus buccis devorarit. Vidit hæc omnia per januæ cardinem ruſticus. Venitur ad prandium, & ecce Domina modeſtiſſime e ceraſis unum poſt alterum arripit, in quatuor partes dividit, pelliculam detrahit, & ori lente inſerit: inſuper auſa jocari interrogavit ruſticum, num & ruri ita compoſite manducentur ceraſa? Ruſticus haud ſibi temperans amplius: Non, ait, non tam compoſite manducantur ceraſa ruri, ſicut gratioſa Domina in menſa, verum neque tam inurbane devorantur ceraſa, ſicut gratioſa Domina fecit in camera. Trauner Gall. cant. anno 4. conc. 6. n. 9. Sunt multæ puellæ coram hominibus pudicæ, & modeſtæ, ſed quid in camera? quid in camera? &c. Hoc patebit in judicio.

*3. Reg. 14.* Uxor Jeroboam mutato habitu venit ad Abdiam Prophetam, cui ille dixit: Quare aliam te ſimulas? Hæc erit ad confuſionem hypocritæ interrogatio Divini Judicis: Audi tu fuiſti lupus, cur ovem te ſimulaſti: fuiſti impudicus, quare te ſimulaſti innocentem? fuiſti ſceleratus, cur te ſimulaſti pium ac devotum? O quanta hæc erit confuſio accuſati! *S. Aug. in Job 27.* de his ait S. Auguſtinus: Hypocrita avarus eſt, qui dum inique agit, deſiderat de ſanctitate venerari & laudem vitæ rapit alienæ.

Opalum gemmam indiſcreta ſimilitudine adulterant Indi: verum experimen- *Plin. lib. 37. c. 6.* tum capitur in ſole. Ita, ait Plinius, vitia quædam adeo imitantur virtutes, ut difficillimum ſit diſcernere, niſi ad ſummam lucem judicii Divini proferantur. *S. Greg. l. 8. Mor.* Hoc facit illud S. Gregorii dicentis: Hypocrita quot vitiis eſt plenus, quaſi tot ſtercoribus in conſpectu æterni judicis illius pectus fœtet.

### 287. *Eſt Deo ſumme odibilis.*

Deus prohibet veſtimentum, *quod ex lana, linoque confectum eſt.* Quia lana ad extra aſperitatem, & linum ad intra mollitiem ſignificat. M. conc. 1. aſſ. 1. n. 6.

Cygnus a Sacrificio excluditur, quia nigredinem cutis albis plumis tegit. M. Ib. num. 7.

Ficus maledicitur, quia tantum folia, non fructus habebat M. Ib. n. 8.

*Abominabile Domino cor pravum.* Per cor pravum intelligitur hypocrita. Tales acerbiſſime habiti ſunt a Domino, in uno ſermone octies ingeminavit: *Væ vobis.* *Matt. 23.* Cum alii peccatores ſolent nominari beſtiæ, uti uſurarii Lupi, ſuperbi Pantheræ, luxurioſi Porci, crudeles Tygrides, iracundi Canes, deſidioſi Cuniculi, loquaces Ranæ: ſoli hypocritæ S. Auguſtino vocantur monſtra. Segn. Manna 7. Maji num. 2.

Deteſtabilis omnino eſt hypocriſis, *2. Reg. 13.* cum ſit tegumentum impietatis. Ammon filius David ſimulabat languorem morbi, ut poſſet decipere Tamar, quam libidinoſe deperibat. Ita nonnunquam vaferrimus nequam pellem ovinam induit, ut poſſit exequi rabiem lupinam, id eſt, ſimulat pietatem, ut nanciſcatur occaſionem impietatis.

Quamvis Divina Sapientia generaliter impios deteſtetur, ſpecialiter tamen in hypocritas auſtere invectus fuiſſe legitur: Væ vobis Phariſæi! Quid me tentatis hypocritæ? &c.

Mirabile pronuntiatum habet S. Hie- *S. Hier. in Iſa. c. 6.* ronym. dicens: In comparatione duorum malorum levius eſt in alium aperte peccare, quam ſimulare & fingere ſanctitatem.

### 288. *Eſt Martyrium diaboli.*

Ventus concuſſit quatuor angulos domus: Quare ſæviit in angulos? Origenes ait, quia hypocritæ in angulis platearum ad orandum conſiſtunt. En ipſe dæmon averſatur hypocriſin. M. conc. 1. aſſ. 1. n. 1.

Dæmon *ædificavit, ſicut tinea domum ſuam*: Tinea tantum ad intra nucleum corrodit, manente externa apparentia arboris; ita dæmon internam devotionem ſatagit deſtruere, de externa ſpecie parum ſollicitus. B. Serm. 70. n. 16. S. punct. 139. fol. 438.

Quid non fecere multi impoſtores ad acquirendum nomen ſanctitatis? Nar-

ratur aliquam puellam triginta menſibus vixiſſe ſine cibo. Vir quidam Melancholiæ deditus ſeptem ſeptimanis nil comedebat. Aliqua mulier octodecim, alia triginta annis impaſta vixit. Quamquam autem hæc jejunia facta ſint partim ope dæmonis, partim ex natura, fuere tamen multi, qui diuturni temporis inediam ſimularunt, ut magnum & admirabile nomen acquirerent. D. 3. 46.

Puella quædam Pariſiis mira miranda facit, a toto regno pro Sancta habetur, in extaſes rapitur: ſed tandem mendacii convicta, negabat ſe litteras ſibi concreditas non aperuiſſe, ac impoſturæ rea inventa parum abfuit, quin ad partes Hugonotarum tranſierit. D. 6. 75. D. 8. 100.

Eheu! quid non fecerunt Sancti pro gloria & amore Dei! ſolitudinem amarunt, vigilias egerunt, opes in egenos liberali manu profuderunt, corpus eſurie extenuarunt: hæc omnia faciunt hypocritæ pro diabolo, ita, ut ſicut Sancti per vitæ auſteritatem fere cum Martyribus æternæ coronæ gloriam merentur; ita illi pro ſuo martyrio non niſi inanem gloriolam, & mortem infelicem adipiſcantur: pendent in Cruce non cum Chriſto, ſed cum ſiniſtro latrone, &c.

### 289. *Punitur a Deo graviſſime.*

S. Greg. Dial. l. 4. c. 48.

Monachus jejunium ſimulans, in occulto autem voracitati deditus, in articulo mortis convocatis fratribus cum ejulatu edixit, ſe in pœnam ſuæ ſimulationis draconi devorandum eſſe adjudicatum. E. Verbo *Abſtinentia* 2.

Quædam Virgo orabat, jejunabat, corpus affligebat, & alia faciebat, ut laudes populi aucuparetur. Poſt mortem apparens, ſe pro ſua ſimulatione damnatam eſſe aſſerebat. E. Verbo *Gloria humana* num. 8.

Act. 5.

Ananias & Sapphira juſtos ſe ſimulabant, totumque agri venditi pretium ſe ad pedes Apoſtolorum attuliſſe mendaciter affirmabant: verum repentina morte à Deo puniti conciderunt.

Infelix hypocritæ pœna eſt obſtinacia, quam Deus ſupra ipſum permittit; ita enim *per arrogantiam depravatur, ut paratior ſit mori, quam corrigi*, ait S. Gregorius.

S. Greg. lib. 8. Mor.

Hæreſiarchæ variorum errorum contra Eccleſiam obſtinatiſſimi incentores, ut in oculis populi famam ſanctitatis ſibi conciliarent, vitam auſteram vixerunt, ſimulata etiam miracula per fraudes, & impoſturas patrarunt. Sed quo fine? tandem coram mundo irriſi, abjecti, & deſpecti omnes, vitam miſerabili morte concluſerunt. Vide Tit. *Hæretici*. O quam alia quondam coram Dei judicio erit rerum facies, cum illi, qui nunc volunt eſſe morum Reformatores, detracta larva hypocriſæ, & impuri ganeones apparebunt! &c.

## Vana gloria.

### 290. *Fugitur a Sanctis.*

SAnctus Pæmen, Ægydius, Jodocus, Alexius, Hilarion, Petrus Telonarius, aliique cupiunt a mundo pro ſtultis haberi. S. punct. 21. fol. 83.

S. Petrus viſionem habuit de variis animalculis in linteo ad ſe demiſſis, & hanc viſionem tamen non revelavit Cornelio, cujus gratia facta eſt hæc apparitio. Quare? *Quia erat alienus a vana gloria* ait S. Chryſoſtomus. Sanctus Joannes caput reclinabat ſupra pectus JESU, ubi tamen id enarrat, non prodit nomen ſuum, ſed ait: *Diſcipulus quem diligebat JESUS*. Idem facit cum recenſet, ſe una cum Petro in Paſſione ſecutum eſſe Dominum: Cur? Chryſoſtomus reponit: *Quia rem præclaram narrat, quod aliis fugientibus ipſe ſequeretur, ideo ſuum nomen ſilet*. Similiter ipſe Chriſtus Dominus cum filiam Archiſynagogi a mortuis excitavit, ex modeſtia dixit illam dormire, non mortuam eſſe, &c. D. 2. 85.

Act. 10.

S. Chryſ. hom. 24. in Act.

S. Chryſ. Hom. 8…

Sancti cum præclarum aliquid geſſerunt, ſemper illud Deo attribuerunt: *In manu feminæ percuſſit illum Dominus*, ajebat Judith, &c. Segn. Manna 29. Aug. n. 1.

Frater in obedientia exercitatus a dæmonibus liberavit energumenum: cum autem ob hoc factum valde æſtimari inciperet à populo, de terra illa receſſit. E. *Obedientia* n. 20.

Lotharius Caroli Magni nepos, recordatus ſermonis quem moriens ipſius pater de mundi vanitate habuit, relicto regno in Pruniacenſe Monaſterium ſe concluſit. S. Fulgentius Romæ cum videret aulæ Theodorici & Romanæ Curiæ gloriam, illam in comparatione gloriæ cæleſtis contempſit. S. Benedictus in uno ſolis radio mundo conſpiciens, illum ut punctum deſpexit. S. Franciſcus ſeipſum ad Deum ut abyſſum vanitatis, & omnem mundi gloriam ut vaporem terræ intuitus eſt. S. Salvius Epiſcopus poſt mortem juſſu Dei ad corpus rediens, convocatis fratribus, quaſi a ſomno evigilans, exclamavit: Dilectiſſimi, nihil eſt, quod in hoc mundo cernitis! omnia ſunt vanitas: &c. C. Eccleſ. 1. v. 2.



### 291. *Bonis operibus adimit meritum.*

Sanctus Baſilius ait: Vana gloria eſt dulcis ſpiritualium operum ſpoliatrix, jucundus animarum hoſtis, tinea virtutum, blandiſſima bonorum noſtrorum deprædatrix. S. punct. 21. fol. 88.

Mox ut Ezechias legatis oſtendit theſauros, audivit: Auferentur omnia, quæ ſunt in domo tua: ita qui gloriantur de bonis ſpiritualibus, perdunt illa &c. S. punct. 21. fol. 80.

Sunt homines, qui caput tam debile habent, ut guſtato modico vino ſtatim inebrientur: ita multi ob modicum opus bonum Sanctos ſe credunt. S. punct. 21. fol. 81.

S. Eleutherius puerum a dæmone obſeſſum liberat, dumque id cum quadam jactantia aliis narrat, & ſibi vane complacet, puer iterum a malo ſpiritu occupatur, & non amplius niſi multis lacrymis expellitur. Sanchez 7. part. c. 2. fol. 912. E. *Jactantia*.

Multi ſunt qui ſua opera debuccinant, & vitia omni opera occultare ſtudent. Paoletti Dom. 1. poſt Epiphan.

Multa poma extrinſecus rubent, intus verminoſa ſunt: ita multa opera erunt in judicio, inutilia, & exeſa a verme vanæ gloriæ: O quot decreta principum in aulis, quot conſilia in curiis, quot conciones in cathedris, quot eleemoſynæ, aliaque opera nihil proderunt ad ſalutem ob vanam gloriam!

Noctu fatui ignes fulgent ut ſydera, & tamen nihil niſi vapor accenſus ſunt. Ita multa opera, quæ in oculis hominum ſplendent, inanis vapor erunt nihil conducens ad cæli mercedem.

Quidam fucci pretioſi, & balſama ad coruſcationem fulguris virtutem ſuam perdunt: ita opera ex ſe bona, ſi in oculis hominum coruſcant, inania & ſine merito ſunt.

### 292. *Eſt mera, & inanis nugacitas.*

Vetula Evangelica, Magdalena, Sancta Paula, Hilarion, aliique abſcondunt ſua opera, & illorum laus in lucem protrahitur. Econtra gloriæ cupidus, *ſi aſcenderit uſque in cælum, quaſi ſterquilinium in fine perdetur*. Sterquilinium nive coopertum pulcrum quidem eſt, ſed cito perdit candorem. S. punct. 20. fol. 77. 78. & ſeq.

Plautus carpit nugas theatri, vocat quotidiana convicia, quæ in lenones & paraſitos jacebantur a comœdiarum actoribus: de his Cicero: *Amicos habet meras nugas*. Idem dicendum de ſectatoribus vanæ gloriolæ. C. Sophon. 3. v. 17.

Corruptio eſt humanæ naturæ, ex qua nugas magis amat, quam ſeria & utilia, ita ut homines a Propheta non jam nugatores, ſed ipſæ nugæ appellentur. Domitianus loco graviſſimorum negotiorum Imperii muſcas capiebat, unde ſarcaſmus: *Nec muſca apud ipſum eſt*. Ita agunt, qui vanam gloriam captant, tempuſque peſſime impendunt, quod animæ ſaluti impendere deberent: *Faſcinatio nugacitatis obſcurat bona, &c.* C. Soph. 3. v. 17.

Sap. 4.

Mundana gloria mera eſt inanitas. 1. Ob brevitatem. 2. Ob mutabilitatem. 3. Ob interitum. 4. Ob mendacium. 5. Ob fraudes & fallacias. Econtra quæ in cælo apud Deum omnia ſunt ſolida, longa, immutabilia, incorruptibilia, vera & fidelia. Sicut ciphra o ſi à numero ſolido ſeparetur, nihil efficit, nec numerus eſt, ſed inanis circulus: ſic omnia quæ ſub cælo ſunt, inania ſunt, & nullius valoris ac pretii. Rurſum quo magis ciphram multiplicas, eo magis inania coacervas, quid enim ſignificant ooooo? Nihil! Ita qui plures opes, honores, & res vanas coacervas, eo inanior & vanior efficeris. C. Eccleſ. 1. v. 2.

### 293. *Non aſſequitur honorem quem quærit.*

Quantumvis homo virtuoſus ſit, tamen malevolorum maledicentiæ expoſitus eſt, qui etiam bona male interpretantur; quia honor eſt in honorante. Formicæ ab ipſo Deo laudantur in Scripturis, & ſunt laudabiles, quia Feſta obſervant, politicum regimen tenent, Architectonicam notitiam habent, & Oeconomicam &c. Et tamen a Petrarcha criminantur, quia horrea depopulantur, & inſtar prædonum de rapto vivunt, &c. VV. art. diſc. ſont. 49. Ex. 4.

Arrogans quidam homo tam faſtuoſe de ſe ſentiebat, ut lemma ſibi attribuerit: *Omnia*. Verum alius tumori caſtigando huic voculæ præpoſuit litteram S, ut loco *omnia* legeretur *Somnia*. VV. art. diſc. ſont. 88. ex. 12.

Qui ſole lucente umbram fugiunt, illam

illam poſt ſe pediſſequam habent, qui vero umbram inſequuntur, illam nunquam aſſequentur: ita res ſe habet cum umbra inanis gloriæ! & in hunc ſenſum ait S. Hieronymus: *Ne nimis religioſus videri velis, nec plus humilis, quam neceſſe eſt: gloriam fugiendo non quæras!* *S. Hier. ad Nepot.*

Pugil ille temerarius, dum ſubtus Elephantum irrepens, illum gladio confodit: a corruente bellua obtritus periit: ita de illis, qui de victoria alicuius vitii gloriantur, ait S. Gregorius, *Sub haſte, quem proſternit, moritur, qui de culpa, quam ſuperat, elevatur.* *S. Greg. lib. 20. Mor.*

## Avaritia.

### 294. *Eſt malum fere univerſale.*

*Jerem. 6.* JEremias conqueritur: *A majori uſque ad minorem omnes avaritiæ ſtudent*, nimirum Agricola, Mercator, Sacerdos &c. B. Serm. 14. n. 26. Serm. 23. n. 39. Serm. 71. n. 19. S. punct. 71. fol. 234.

Plane inſtar miraculi habendum eſt, quod Joſue cum tribubus Iſrael terram Chanaan dividebat, viliſſimum locum, nempe urbem Tamnatſara ſibi reſervarit, quæ inter inamœnos, infructuoſos, & fragoſos montes ablacet, &c. D. 12. 22.

B. Petrus Damianus hortatur Cardinales & Epiſcopos, ut avaritiam a curia Romana & tota Eccleſia extirpent: carpit Prælatos, quorum lectulus ſoporis ornatior eſt, quam ara ſacrificantis. C. in Ezech. 27. v. 13.

S. Hieronymus invehitur in Clericos, dicens, eos intraſſe ad perdendas animas, ad ſectanda lucra: *Cum ad miniſterium Dei acceſſerint, Craſſi divitias congregant.* Sic Bernardus & alii. C. in Ezech. 22. v. 27. Vide Paoletti Dom. 3. Advent. Et C. Amo. 9. v. 1.

Avaritiæ obnoxii ſunt plus quam ceteris vitiis Judices & Prælati; hinc Jethro expreſſe ſuaſit, eligendos eſſe judices, qui oderint avaritiam. *Exod. 36.*

Nemo vult eſſe avarus, pauciſſimi ſunt, qui hoc crimen non erubeſcunt, & tamen quotuſquiſque eſt, qui aliena bona non invidis oculis aſpicit? quam multi, qui ſuo non contenti vivunt? qui de inopia affectare conqueruntur? qui nunquam dicunt ſatis eſt? qui erga pauperes ſunt auſteri & tenaces? qui debita aut omnino non, aut non debito modo ſolvunt? qui operariis ſubtrahunt? qui famulis præſtanda non præſtant? qui vicinorum damna non, ſed unice ſua curant? Hæc ſunt ſigna avaritiæ, & eheu! quam univerſalia?

### 295. *Fugitur a juſtis.*

S. David comparat juſtum ligno, *quod plantatum eſt ſecus decurſus aquarum*: arbor talis non plus aquarum fugit, quam ſibi neceſſariæ ſunt. B. ſerm. 15. n. 27. 28.

In apocalypſi væ dicitur habitatoribus terræ, ſanctus autem non habitator eſt, ſed peregrinus ait Hieronymus. B. ſerm. 21. n. 4. ſerm. 45. n. 14. *S. Hier. l. 2. in Ezech. 7.*

Abraham minime avarus electionem obtulit Lot de poſſeſſione terræ. C. Gen. c. 13. B. ſerm. 45. §. 3.

Cain primus ædificavit civitatem, non autem Abel? quare? quia ſancti non habent hic manentem civitatem ſed futuram inquirunt, ut ait Apoſtolus. *Hebr. 13.*

Patriarcha Jacob pergens e domo paterna ad Laban fratrem Matris ſuæ, nec animal nec famulum legitur ſecum ſumpſiſſe, ſed in baculo ſuo tranſivit Jordanem.

Moyſes paſcebat oves Jethro ſoceri ſui, ex quo patet, quod noluerit habere oves proprias, qui paſcebat alienas.

Elias famem & penuriam patiebatur, quando a vidua Sareptana petiit, ut daret ſibi paullulum aquæ, & buccellam panis.

Chriſtus Dominus a nativitate uſque ad mortem fuit pauperrimus, nihil proprii poſſedit, a paupere Virgine, & paupere fabro nutritus. Denique in Cruce mortuus non habebat, ubi caput reclinaret.

Diſcipuli Domini omnes erant pauperes, fugerunt divitias, vitam ſuſtentabant ex piſcatione, reficiebant retia, & alia opera faciebant.

Petrus mendico eleemoſynam petenti reſpondit: argentum & aurum non eſt mihi.

In primitiva Eccleſia fideles omnes omnia habebant communia, ſuſtentabantur de communi maſſa.

Sic Sancti omnes ad Chriſti exemplum fugerunt dignitates terrenas: maluerunt humilem & pauperem vitam agere, quam divitiis abundare: S. Gregorius, Petrus Cæleſtinus, Ambroſius, Thomas Aquinas, Philippus Nerius recuſant Epiſcopatus oblatos. S. Auguſtinus, Marcus, Gregorius, Theodorus, Franciſcus, Ammonius, aliiſque ne Sacerdotalem quidem dignitatem admittere volebant, ut ab omni applauſu & terrena poſſeſſione eſſent alieni. Vide Tit. *Sancti.*

### 296. *Difficulter ſalvatur.*

Cur Iſraelitæ in fundo, Petrus autem ſuper aquas maris ambulavit? ratio eſt, quia Iſraelitæ auro onuſti erant, Petrus autem reliquit omnia: ſcilicet aurum deprimit in fundum. S. p. 74.

Avari incidunt in periculum damnationis ex duplici capite, videlicet, ab hoſte interno, & externo: *Externus* eſt dæmon; huic facillimum erit avarum capere & captum detinere, offert illi occaſionem lucri injuſti velut eſcam oviculæ, & ubi ſemel ineſcaverit ſine labore tenebit, prout in avibus videmus, ipſe avarus nolet effugere, quia nolet facere reſtitutionem. *Qui volunt divites fieri incidunt in tentationem, & in laqueum diaboli*, &c. Hoſtis *internus* eſt concupiſcentia, avarum ſemel captivum tot brachiis tenet, quot deſideriis, quæ deſideria ſunt multa, ſunt inutilia, ſunt nociva. Sunt multa, quia avari rerum plurimarum amore capiuntur. Sunt inutilia, quia non conducunt ad finem. Sunt nociva; quia animum faciunt inquietum. *Labor ſtultorum affligit eos*, &c. Segn. Manna 15. Junii n. 2. *1. Tim. 6.* *Eccl. 10.*

*Fœnus pecuniæ, funus eſt animæ*, ait S. Leo, apud Segn. Hom. Chr. p. 1. diſc. 27. n. 28.

Sus inter immunda animalia reputatus eſt, quibus Judæis veſci non licuit, nec ad altare offerri. Denotatur per ſuem avarus, quia nunquam oculos in cœlum levat, ſemper in cœno volvitur, in vita nemini prodeſt, ſed primum poſt mortem. C. Lev. 11. v. 7.

Aquila volens excæcare cervum alas ſabulo intingit, quas dein in oculos cervi illidit: Berchorius ait: Aquila eſt diabolus qui cervum, id eſt, avarum ſabulo, id eſt: divitiis excœcat, donec in profundum ruat. B. ſer. 42. n. 26. ſer. 73. n. 18.

### 297. *Corrigitur conſiderando miſerum ſtatum divitum.*

Tobias ex ſtercore cœcus factus eſt, & per piſcem ſanatus: tu piſcem talem exentera, ait Hugo Cardinalis: *conſidera ſtatum divitum: invenies cor, id eſt, ſolicitudinem cordis in cuſtodiendo; vel, id eſt, amaritudinem in amittendo: jecur, id eſt ardentem cupiditatem in acquirendo.* B. ſerm. 14. n. 32. ſerm. 17. §. 5.

Miſera & calamitoſa eſt hominis avari conditio. Paoletti Dom. 3. Adventus.

Nunquam felix eſt avarus, ſemper in labore, ſine gaudio, ſine quiete: *Erubeſce Sidon ait mare:* ubi S. Ambroſius: fatigati elementi hæc vox eſt, quia negotiator inquietior eſt, quam fluctus, & venti. S. p. 65. f. 226.

Aquila in Apocalypſi habitatoribus terræ triplex væ annuntiavit; quia magnus labor eſt in opibus parandis, magna ſolicitudo in conſervandis, & magnus dolor in amittendis. S. p. 72. f. 235.

Quid infelicius Epulone? damnatus eſt, quia pauperis Lazari miſertus non eſt; ubi nota, ſi periit, qui non dedit propria, quanto certius peribit, qui rapuit aliena?

Iſidorus Peluſiota oſtendit, divitem diu noctuque tam dire cruciari, ut inferorum ſupplicium perpeti videatur. Jugi enim terrore agitatur dum latrones timet, potentiores veretur, famulis non credit, & nonnunquam a filiis non ſolum poſt mortem, ſed & in vita ſpoliatur. C. Jac. 5. v. 3. *Iſidor Sel. l. 2. Ep. 146. & 233.*

### 298. *Male affligit in vita, in morte, & poſt mortem.*

In Apocalypſi triplex væ dicitur, ubi Sanctus Thomas Villanova: *Væ in vita, væ in morte, væ poſt mortem: vita laborioſa, mors acerba, & poſt hanc damnatio ſempiterna.* Quem autem tangit illud væ? Reſp. habitatores terræ, qui ſunt avari, ſancti enim non ſunt habitatores, ſed peregrini. B. ſerm. 21. n. 3. 4. 35. ſerm. 23. n. 38. 42. *Job. 27.*

*Dives cum dormierit, nihil ſecum auferet: aperiet oculos ſuos, & nihil inveniet.* Sicut ſomnians ſe poſſidere amplos theſauros dum evigilat, nihil invenit: ita hæc eſt miſeria avarorum, quod primum poſt mortem ſuam ſtultitiam agnoſcant. O quæ tunc erit afflictio? maledicet ſomno, qui finxit eum divitem, ut dein majore dolore ſuſpiraret ſe inopem. O quam tunc vellet bene expendiſſe pecuniam! verum jam redactus eſt ad incitas, atque de omnibus theſauris nec tot obolos poſſidet, quibus poſſet conducere carnificem interfectorem. Segn. Manna 17. Maj. 3.

Aquila illa in Apocalypſi habitatoribus terræ triplex væ annunciavit; quia magnus labor eſt in operibus parandis, magna ſolicitudo in conſervandis, & magnus dolor in amittendis. S. p. 72. fol. 235. Et punct. 75. f. 239.

Aurum eorum non valebit liberare eos in die furoris Domini. C. Ezech. 22. v. 13.

### 299. *Quantum ſit malum, & quæ mala poſt ſe trahat.*

Avaritia vocatur idolorum ſervitus: Radix omnium malorum cupiditas: avarus

ALERE FLAMMAM VERITATIS

rus non poteſt Deo ſervire, & mammonæ, &c. B. ſerm. 45. §. 3. ſerm. 71. num. 19. S. punct. 71. fol. 234. M. conc. 40. aſſ. 1. num. 16.

*1. Tim. 6.* *Radix omnium malorum eſt cupiditas, quam quidam appetentes erraverunt a fide.* Potuit Apoſtolus dicere, quod avaritia generet duritiem cordis erga pauperes, violentias, fallacias, fraudes, proditiones, ſed compendioſe dixit eſſe cauſam infidelitatis, ut indicet, quod corrumpat etiam intellectum. Multi fuerunt, qui metu tormentorum negarunt fidem, uti S. Petrus, ſed fuit malum voluntatis, non intellectus: avaritia plus facit, quam metus: facit, ut non tantum in voluntate, ſed in intellectu ſit malum: *Erraverunt a fide.* Ratio eſt, quia fides Chriſtiana nimium quantum adverſatur votis cupidorum: & ideo cum ferre non poſſint acerbos conſcientiæ remorſus, ſenſim falſo ſibi perſuadent, non adeo eſſe certa, quæ de rebus vitæ alterius ſparguntur: *Venite* *Sap. 2.* *fruamur bonis.* Unde tam grandis fiducia? quia *non eſt agnitus, qui ſit reverſus ab inferis.* Præterea ſicut omni modo laborant ſuſtinere male parta, cum in favorem ſuum non reperiunt doctrinas ſanas, vertunt ſe ad conquirendas laxas, male fundatas, infideles, & ita afficiuntur errore, ut non ſolum complectantur, *Rom. 1.* ſed etiam adorent. *Commutaverunt veritatem Dei in mendacium, & coluerunt.* Segn. Manna 30. Mart. num. 2.

*1. Tim. 6.* Appetentes pecuniam *inſeruerunt ſe doloribus multis.* Per dolores quandoque intelligitur malum culpæ, quandoque malum pœnæ. Utrumque incidit avarus: primum quidem; quia qui volunt divites fieri incidunt in laqueum diaboli. Secundum quia avari tolerant moleſtias in acquirendis, poſſidendis, & perdendis divitiis. Et ſuper hæc omnia ſuperſunt ſupplicia alterius vitæ. Segn. Manna 30. Mart. nu. 4.

S. Auguſtinus alloquitur avarum: An neſcis, quod radix omnium malorum ſit avaritia, ſervitus idololatriæ, mater uſuræ, genitrix ſimoniæ, nutrix gehennæ. C. Amos 9. v. 1.

### 300. *Eſt radix diſcordiarum in mundo.*

Sicut, cum pullus vermem invenit, omnes illum perſequuntur, & ſi alius deprehenderit, ille habet hoſtes ceteros: ita ait Chryſoſtomus, *Meum, ac tuum frigidum illud verbum* cauſa eſt diſcordiarum. B. ſerm. 53. num. 21.

Etiam fratres, & conſanguinei colliduntur propter avaritiam. S. pun. 68. fol. 231. M. conc. 40. aſſ. 1. n. 16. in fine.

*Facta eſt rixa:* ubi Chryſoſtomus: affluxerunt divitiæ, & ſtatim rixæ. C. Gen. cap. 13. col. 2.

Olim Judæi feſtum habuerunt propter mortem Nicanoris ſui inimici, nunc ſæpe proprii filii feſtum habent ob mortem parentum, idque ſolum ob boni paterni hereditatem.

Omnis alius amor cedit amori pecuniarum: duo fratres, qui ob unum ſanguinem, educationem & bona communia deberent eſſe conjunctiſſimi, colliduntur immenſis litibus, quamprimum parentes moriuntur; ſicut duo fluvii ex eodem fonte orti v. g. Tygris & Euphrates, ſtatim infinito terrarum ſpatio ſeparantur. *Neſcit propinquitatis jura cupiditas, ſed propria utilitas, hæc frater eſt,* *Tert. adverſ. Gnoſt.* ait Tertullianus. Segn. Hom. Chr. par. 1. diſc. 27. num. 14.

Deus ſæpe multa bona prodigioſe deſtruxit, ut finis eſſet diſcordiis: In lacu quodam in Anglia nullus invenitur piſcis, ſi piſcatio ſit Domini privati: locus autem piſcibus abundat, ſi piſcatio ſit libera.

Avarus, ait Arnobius, quamvis inte- *Arnob. l. 2. contra gentes.* gras provincias unum rus faciat, pro una tamen arbore, pro ſulco forum litibus terit, cum amicis, fratribus inexpiabiles ſuſcipit ſimultates. C. Amos 9. v. 1.

Poſtquam Iſaac opibus crevit, & lo- *Gen. 26.* cupletatus fuit, paſtores illius & vicinorum jurgari cæperunt.

Chriſtus Dominus noluit ſe intromit- *Luc. 12.* tere in diviſionem hereditatis, propter diſcordias heredum.

### 301. *Nullum ſcelus non audet amore lucri.*

*Num. 22.* Nuncii Balaac implorarunt Prophetam Balaam, ut malediceret populo. An exaudivit propheta impias preces? Omnino. ſed qua de cauſa? quia nuncii donationes & pretium in manibus habebant. Fuit avaritia corruptus.

Avarus auro dementatus, mallet renunciare cælo, quam terrenis opibus! Tribus Ruben & Gad & dimidia tribus Manaſſe, quia ſubſtantiam multam & pecora habebant, noluerunt tranſire Jordanem, ſed in terra alendis gregibus apta morari, ac habitare voluerunt.

Achan avaritia excæcatus adeo fuit, ut *Joſue 5.* etiam de anathemate furari auſus ſit, terribili damno punitus.

Avaritia etiam fidem conjugalem cor-

rum-



*Joſue 16.* rumpit, ac labefactat. Sic Dalila Samſonem maritum ſuum Philiſtæis prodidit, propter dona ac promiſſa ab illis accepta.

Quoties proh dolor! judiciorum æquitas muneribus corrumpitur! judices donis excæcati juſtitiam evertunt, ita ut de illis *1. Reg. 8.* dici poſſit, quod de filiis Samuel: Declinaverunt poſt avaritiam, acceperuntque munera, & perverterunt judicium.

Regi Saul præcepit Deus, ut extirparet Amalecitas cum omnibus eorum utenſilibus, bobus & ovibus: Rex reſervavit ſibi pinguiora armenta & alia. Sic facit avarus; ubi ſpes lucri affulget, Dei præcepta omnia tranſgreditur, etiamſi cum rege Saul Dei gratiam, & cæli regnum perdat.

Apollonius & Rex Antiochus, ubi audierunt, ærarium templi in Hieruſalem *2. Mach. 3.* eſſe pecuniis plenum, non erubuerunt ſanctæ civitati, ipſique templo ſacrilegas manus injicere.

Cetera peccata capitalia videntur in comparatione avaritiæ leviora; quia hæc abominabile ſcelus in venditione Chriſti commiſit.

### 302. *Punitur graviſſime hic & ibi.*

Cuidam avaro damnato dæmones metallum in os infundunt dicentes: aurum ſitiſti, aurum bibe. S. punct. 65. fol. 226.

Sanctus Iſidorus ſuo baculo fontem excitavit, qui nunquam etiam aridiſſimis ſolibus fuit exſiccatus niſi Anno 1575. Ratio erat, quia quidam telonarii Maurorum pro illa aqua pecunias exigebant, &c. R. 1. cent. 2. part. mir. 43.

In Gallia in fronte Eccleſiæ Cathedralis ſtabat inter alias ſtatua avaritiæ cum ſacculo. Ut autem quidam maximus civitatis uſurarius intravit per portam, ſtatua prædicta decidens eum obtrivit. E. *uſura* 1.

Adoleſcens ſuſpicans in domo ſua latere theſaurum, ut illum acquireret, dæmonem conjurat: apparuit iſte, ſed tam terribili forma, ut intra triduum juvenis fuerit mortuus. J. 140.

*S. Ambr. l. 1. offic. c. 49.* Vix major pœna affligit avarum in hac vita, quam cum cogitat effatum S. Ambroſii dicentis: Sæpe quod avarus ſumma congeſſit ſolicitudine, dilapidat heres luxurioſus, & diu quæſita turpis helluo, quadam abſorbet voragine. C. Amos 9. v. 1.

S. Greg. Turon. narrat, e ſepulcro avaræ feminæ audita eſſe lamenta, ſe in aureo igne torqueri, cumque Parochus ſepulcrum aperiri juſſit, vidit aurum liquefactum cum ſulphure in os defunctæ infundi. C. Jac. 5. v. 3.

Triplici igne ardet avarus 1. Cupiditatis. 2. Curarum & ſolicitudinum ad opes procurandas, & augendas. 3. Gehennæ. C. Jac. 5. v. 3.

Achan ex avaritia de anathemate furatus, terribili damno punitus eſt. *Joſue 5.*

Monopolæ, qui tempore Indigentiæ & caritatis frumenta accumulando aſſervant, ordinarie puniuntur, ita ut pro lucro unius floreni, centum perdant, uti patet ab exemplis. C. Amos 8. v. 5.

### 303. *Propter lucrum medicum animam perdit.*

*Abiit parvi pendens, quod primogenita vendidiſſet.* Sanctus Leo ait: anima lucri cupida etiam pro exiguo perire non metuit. S. punct. 1. fol. 532.

Joſeph modo pro 25. aureis, modo pro 30. venditus dicitur, quia Chriſtus non una æſtimatione omnibus valet: huic pretioſior eſt ut Deus, alteri ut Redemptor; peccatori vero pretioſior nummus eſt. S. punct. 1. fol. 532.

Beda ait: Multi hodie ſcelus Judæ exhorrent, & tamen non cavent, &c. S. punct. 1. fol. 533.

Avaritia tam animoſos facit peccatores, ut de factis peſſimis glorientur. Chriſtus in paſſione primo ductus eſt ad Annam. Nihil pertinebat ad Annam judicare de cauſa Chriſti, ſed hoc factum eſt ex inſtigatione Judæ proditoris: quia apud Annam ſacerdotes illi aſſignarunt mercedem proditionis, ideo commendare ſe voluit Annæ, & demonſtrare quod negotium ſuum bene peregiſſet, & pecuniam pactam meritus fuiſſet in captivando Chriſto, qui jam una aut altera vice miraculoſe e manibus Judæorum evaſiſſet. Quanta temeritas avarorum! *Coſterus de paſſ. Dom.*

S. Auguſtinus avarum alloquitur: quare *S. Aug. in Pſ. 52.* invocas Deum? ut det tibi lucrum? Ergo lucrum invocas, non Deum! Miniſtrum lucri tui facis Deum, & hunc minus æſtimas, quam illud! C. Amos 9. v. 1.

Per pecuniam corrupti ſunt cuſtodes ſepulcri, ut falſum teſtimonium dicerent, Dominicum corpus noctu a diſcipulis fuiſſe furto ſublatum. O quot falſa teſtimonia extorquentur per pecunias! ita multis ipſa anima venalis eſt!

304. *Eſt*

304. *Eſt in opprobrium Chriſti & Eccleſiæ.*

Siquis per aurum e captivitate barbarorum redimatur, non foret mirum, ſi aurum amet: at nos per Chriſtum redempti ſumus, ait Chryſoſtomus: *a Chriſto redempti ſumus, & auro ſervimus?* S. pun. 78. fol. 250.

B. Petrus Damianus hortatur Epiſcopos, ut ex Curia Romana, totaque Eccleſia extirpent avaritiæ vitium, utpote omnium Eccleſiæ malorum cauſam & fontem. *Nulla putredo in Dei naribus intolerabilius fœtet, quam ſtercus avaritiæ.* Avaro nihil eſt ſceleſtius, avaritia eſt *idolorum ſervitus*. Item radix omnium malorum eſt cupiditas. Demum invehitur in Prælatos, quorum lectulus ſoporis ornatior eſt, quam ara ſacrificantis. C. in Ezech. 22. v. 13.

Coloſſ. 3.

Avaritia Clericorum in penſionibus nimiis, & pluralitate Beneficiorum redundat 1. in damnum & præjudicium Chriſti, quia patrimonium Chriſti, Eccleſiæ miniſtrantibus deputatum ab iis avertitur, & in extraneos transfertur. 2. In damnum Eccleſiarum particularium, quæ dignos miniſtros non naneiſcuntur. 3. In damnum fidelis populi, qui ab hiſce miſellis digne erudiri, aut formari nequit. 4. In præjudicium fundatorum, qui ſi redire poſſent, certe ſuam voluntatem revocarent, & contra hanc corruptelam proteſtarentur. 5. In Canones antiquos, qui ejuſmodi penſiones prohibent, & damnant. 6. In Eccleſiam univerſalem, cui ingens datur ſcandalum! Rident, & ſubſannant hæretici, cum vident has avaritiæ nundinationes in Prælatis, &c. C. in Ezech. 34. v. 3.

Nullo peccato fere magis contemnitur Chriſtus & ſacratiſſima ejus lex, quam avaritia, quia eſt idolorum ſervitus: 1. quia avari omnem ſpem vitæ reponunt in ſuis opibus. 2. quia colunt ſignatas auri effigies, ſicut idololatræ aureas & argenteas imagines. 3. quia avaritia totum hominem diu, noctuque occupat, ut opes augeat. C. ad Epheſ. 5. verſ. 5.

305. *Eſt malum difficillime ſanabile.*

Joſue ſolem ſtitit, avaritiam militum in diripienda præda ſiſtere non potuit, ait Ambroſius. S. punct. 65. fol. 227. 228. M. conc. 27. aſſ. 2. n. 9.

Apoſtoli delinquentes ad ſe reverſi ſunt, uti Petrus & Thomas: non vero Judas, dicente Chryſoſtomo: *Sola namque avaritia remedium non invenit* ſalutis. M. conc. 40. aſſ. 1. n. 17.

Fulmen tanta vi pollet, quia eſt aliquid mixtum ex igne & terra: igitur & avaritia eſt pertinaciſſimum ſcelus, quia eſt aliquid mixtum inter peccata ſpiritualia, & carnalia. Item quia pro objecto non habet bonum particulare, ut alia vitia, ſed univerſale, juxta illud: *Pecuniæ omnia obediunt.* Præterea aliorum peccatorum objecta nonnunquam mutantur: ver. gr. femina amata moritur: ſed non mutatur objectum avaritiæ, opes, &c. Segn. Hom. Chr. part. 1. diſc. 27. a num. 10. ſeq.

Eccl. 10.

Porro quod avaritia ſit malum violentum præ aliis, habetur ex ejus effectibus, quia collidit fratres, & intimos amicos. Sicut Tygris & Euphrates ex eodem fonte naſcuntur, & ſtatim immenſo terrarum ſpatio ſeparantur: ita nonnunquam genuini fratres diſcordant ob litem rei temporalis. *Neſcit propinquitatis jura cupiditas*, ait Tertullianus. Segn. p. 1. diſc. 27. num. 14.

Tert. adverſ. Gnoſt.

S. Auguſtinus ait: O avaritia abyſſus inſatiabilis! omnia vitia in homine ſeneſcunt, ſola avaritia juveneſcit! C. Amos 9. v. 1.

S. Aug. ſer. 48.

Avarus, ait iterum S. Auguſt. inferno ſimilis eſt: infernus quantoſcunque devoraverit, nunquam dicit ſatis eſt: ſic eſſi omnes theſauri in avarum confluxerint, nunquam ſatiabitur. C. Amos 9. v. 1.

Recte Seneca ait: Multo concitatior eſt avaritia in multarum opum congerie collocata, ut flammæ infinito acrior vis eſt, quo ex majore incendio emicat. C. in Jac. c. 5. v. 3.

Senec. l. 2. de benef. c. 27.

306. *Nunquam ſatiatur bonis.*

*Calcatis torcularibus ſitiunt*: id eſt exſucto pauperum ſanguine non ſatiantur, ſicut Achab tot vinearum dominus, tamen ſitivit vineam Naboth. S. punct. 65. fol. 214.

Inexplebilis eſt cupiditas, quod cernit oculus, deſiderat animus: *quo plus hauſerit, plus ſitit*, ait S. Ambroſius. S. pun. 65. fol. 225.

*Ignis cum ligna acceperit, accreſcit, & unde videtur ad momentum flamma comprimi, inde paullo poſt cernitur dilatari*, ait S. Gregorius. S. ibid. & fol. 226.

Non poterat eos capere terra: ubi Ambroſius: *ſæculare vitium eſt, ut divites terra non capiat.* C. Gen. fol. 150. col. 1.

Sanctus Bernardus ait: iſti, nimirum avari, voraciori ingluvie lucrorum pecunias exigunt infinitas. S. punct. 1. fol. 533. in fine.

Omnes feræ certum magnitudinis terminum habent, non autem crocodilus: ſimilis differentia eſt inter alia vitia & avaritiam; hæc nunquam ſatiatur. Segn. p. 1. diſc. 27. num. 19. ad finem.

Margaritæ, quo magis ſeneſcunt, eo magis conchæ tenaciter, firmiterque adhærent, ita, ut non niſi lima avelli poſſint. VV. art. diſc. font. 48. ex. 11. no. 8. Ita avarus, quanto fit ſenior, tanto fit tenacior, ita ut non niſi morte a ſuis divitiis avellatur.

Homo a Dipſate ſerpente ictus inextinguibili ardore incenditur, ita ut ſitis illius integro flumine extingui non poſſit: quo plus bibit, eo plus ſitit. Dipſas avaritia eſt, quæ inexplebili opum ſiti, æque ac curis & doloribus avaros incendit. C. Amos 9. v. 1.

Avaritia comparatur ſanguiſugæ; quia ſicut iſta duo habet ora, ſcilicet vim & fraudem; nam quod cutem & carnem ſanguiſuga perrumpit, vis eſt, quod autem ſanguinem non copioſe, ſed exiliter, & ſenſim exugit, nec vulneris veſtigium relinquit, fraus eſt. Sic avaritia habet duo ora, ſive duas filias, retinere proprium, & rapere alienum, ſive vendere juſtitiam, & vendere gratiam, uti faciunt avari judices, & præfecti provinciarum, qui iniqua accipiunt, & juſta non tribuunt. Tiberius Imp. noluit mutare præfectos, hoc apologo uſus. Mendici vulneri, ajebat, inſidebant innumeræ muſcæ, has viator quidam abigere volens, rogabatur impenſe a mendico, ut illas relinqueret: cur ita quærebat ille? & iſte reponebat: Hæ muſcæ utcunque ſaturæ jam ſunt, ſi illas abigas, venient jejunæ, quæ necdum ſaturatæ ſunt, & cum majori moleſtia mea ac cruciatu ſanguinem abundantius exſugent, &c. C. Prov. 30. v. 16.

Nabuchodonoſor Rex Aſſyriorum, ubi devicit Arphaxad Regem Medorum, ſtatim regna alia omnia concupivit.

307. *Eget in mediis divitiis.*

*Non videat rivulos fluminis, torrentes mellis, & butyri.* Cajetanus ait, hic deſcribi avarum, qui in ipſa affluentia miſer eſt, & ut Vatablus ait, in magna rerum copia eget. S. punct. 65. fol. 225. M. conc. 20. aſſ. 3. nu. 3.

Rex Achab vineam petit, ut faciat hortum olerum: En! de oleribus ſolicitus eſt in tanto luxu. M. conc. 20. aſſ. 3. num. 3.

Apicius cum numerando pecunias inveniret ſe non ultra centies ſeſtertium habere, id eſt ducenta triginta millia, & trecenta triginta tria ſcutatorum, putabat ſe nimis egenum, & veneno ſe enecavit. D. 10. 77.

Quanta fuit inſatiabilitas Regis Achab: fruebatur regalibus divitiis, & tamen miſerum ſe reputabat, niſi & vinea Naboth potiretur; hunc in finem ſubornavit duos falſos teſtes, & juſſit Naboth poſſeſſorem vineæ occidi.

Divitiæ faciunt divitem idolum, non tantum ideo, quia a mundo velut idola honorantur, ſed maxime ideo, quia ſicut idolum ex oblatis nec manducat, nec bibit, ſic & avarus ex omnibus divitiis nullum fructum & voluptatem percipit. C. Eccli. 30. v. 20. ad finem.

Fingunt Poetæ, Tantalum a Diis ita fuiſſe punitum, ut ſtagno innatans nec poma circumnatantia, nec volam aquæ pro reſtinguenda fame & ſiti prehendere poſſet. Avarus eſt voluntarius ejuſmodi Tantalus, ex omnibus bonis abundanter poſſeſſis nec fami nec ſiti ſatisfacere audet, ex metu, ne depauperetur. Mavult frigoris incommoda, quam expenſas pati, &c.

308. *Eſt ſine miſericordia.*

*Non habentes velamen amplexantur lapides.* Cur? quia in lapidibus plures ſcintillas ad ſe calefaciendum ſperant, quam caritatis calorem in avaro. S. punct. 82. fol. 265.

Job. 24.

Nabal totus erat lapideus, & immiſericors. S. punct. 80. fol. 260.

Tartari homines inculti & feroces merito averſioni habentur; cum enim circum circa equitantes ſiti aut fame ſtimulantur, equis ſuis venas incidunt, & defluentem ſanguinem bibunt. VV. de art. diſc. fonte 40. ex. 5. Quanto autem crudelius eſt haurire ſanguinem pauperum, id quod faciunt avari.

Avaritia divitum in cauſa eſt, quod egeant pauperes. Manna cecidit, & mandatum eſt, ut colligat unuſquiſque *quantum ſufficit*. Quare hæc cautela? rationem reddit Joſephus: *ne ex cupiditate, & guloſitate illi, qui fortiores erant, plus arbitro vellent colligere, & debiliores debito alimento privarentur.* Heumen fol. 170.

Joſeph. ap. Heumenum.

David in neceſſitate conſtitutus commeatum a divite Nabal petiit: ſed iſte

ſubſi-

ſubſidium illi negavit. Periiſſet certe per arma Davidis, niſi prudens ejus uxor Abigail ſua liberalitate iram Davidis placaſſet.

Dives Epulo damnatur, quia miſertus non eſt pauperis Lazari. Ubi nota, ſi periit, qui non dedit ſua, quanto certius peribit, qui rapit aliena?

Utinam avarus commiſerationem, quam indigentibus negat, ſaltem erga ſeipſum haberet? Sed neque hoc! in vita enim corpus affligi permittit propter tenacitatem, & poſt mortem animam infelicem reddit, propter jacturam ſalutis! O quam libenter ibi opes omnes in pauperem profunderet, ſi Dei Miſericordiam emere poſſet!

### 309. *Continet multiplicem ſtultitiam.*

Avarus ſtulteſcit 1. Quia non agnoſcit, quid beneficii a pauperibus habeat. 2. Quia dat verba contumelioſa. 3. Quia in abundantia metuit inopiam. S. punct. 28. fol. 265. Eccleſiaſticus ait: *Laborare non ceſſat, nec ſatiantur oculi ejus divitiis, nec recogitat dicens: cui laboro, & fraudo animam meam bonis.* S. punct. 110. fol. 329.

Balaam ex avaritia vult maledicere populo Dei: Dalila prodit Samſonem, Nabal negat Davidi annonam, Achab affectat vineam Naboth, Giezi vendit beneficia ſui Domini, Judas vendit Chriſtum, Demetrius ſuſcitat perſecutionem Chriſtianorum. Sanchez 5. part. c. 9. fol. 603.

Quid ſtultius, quam quod magis doleat de jactura rei temporalis, quam æternæ? Deus in Veteri Lege nunquam legitur Judæis promiſiſſe æterna præmia, aut intentaſſe æterna ſupplicia, ſed ordinarie tantum mentionem fecit de pœnis temporalibus. Quare? quia illi bonis terrenis adeo erant agglutinati, ut terram plus cælo æſtimarent; ideo etiam longe ſenſibilius dolebant de jactura rei temporalis, quam æternæ. Sic hodiedum fit. D. 1. 36.

Caliphas Mahometanorum Pontifex inter auri acervos volutatus fame periit. Sic & Caligula pecuniæ avidiſſimus inter immenſos auri theſauros volutari ſolitus, iis non diu gaviſus eſt, paullo poſt miſerabili morte extinctus. Sic plures delirant, inter medias divitias famentes, & egentes. C. Amos 9. v. 1.

Lex avaritiæ difficilior eſt lege Chriſti, ait S. Auguſtinus, & tamen illa obſervatur, hæc recuſatur: jubet avaritia, ut mare tranſeas, & obtemperas! jubet ut ventis & procellis te committas, & morem geris! Jubet Chriſtus ut pauperi ante oſtium obolum porrigas, & repugnas! En! jugum avaritiæ durum, onus Chriſti leve eſt, & tamen durum amplecteris, leve excutis! quanta ſtulticia! C. Amos 9. v. 1.

*S. Aug. in Pſ. 12.*

Stulta eſt avarorum vanitas, quam Siracides deſcribit: Nam 1. Avarus fruſtra habet aurum, cum eo uti non audeat. 2. Magno labore illud congregat, quod heredes leviter diſſipabunt. 3. Sibi nequam eſt, dum non audet jucundari, & frui ſuis bonis. 4. Si benefecerit, ignoranter & non volens facit id. 5. Eſt inſatiabilis, nec expletur, donec conſumat vitam. 6. Indiget & triſtatur in mediis bonis. 7. Congregat bona tanquam ſemper victurus, & paullo poſt moritur. 8. Privat ſe merito eleemoſynæ, dum invitus relinquit ſua bona heredibus. 9. Privat ſe honore liberalitatis, & infamat ſe probro avaritiæ. 10. Amittit Dei beneficentiam tam in hac quam in altera vita; Deus enim liberalis eſt erga liberales, & tenax erga tenaces. Præclare S. Chryſoſtomus ait: *Avarus cuſtos eſt, non Dominus pecuniarum, ſervus, non poſſeſſor; facilius enim alicui de propriis carnibus, quam de auro communicaret.* C. Eccli. 14. v. 3.

*S. Chryſ. Hom. 2. ad Pop.*

### 310. *Quomodo ſit ſuperanda.*

Contra avaritiam conatus ingens adhibendus eſt: radix omnium malorum eſt cupiditas: ſicut ergo major labor requiritur in extirpandis radicibus, quam in ſternendo trunco, aut decutiendis ramis, ita major labor in eradicanda avaritia, quam aliis vitiis. Eſt affectus vehementiſſimus, igitur vinci debet per multos actus contrarios, & magnam applicationem, &c. Segn. Manna 30. Mart. num. 5.

Sequere conſilium Apoſtoli: *Habentes alimenta, & quibus tegamur, his contenti ſimus.* Vive ſecundum neceſſitatem, non ſecundum voluptatem, tuo ſtatu contentus eſto, credens, ſi tibi prodeſſet, Deum certo plus opum tibi collaturum fuiſſe: *Inquirentes Dominum non deficient omni bono, &c.* Segn. Manna 15. Junii num. 3.

*1. Tim. 6.* *Pſal. 33.*

Avertendus eſt animus a nimia cupiditate rerum temporalium: Inventor marſupii cum nullum vult acceptare congiarium, Dominus illi totum marſupium donat, dicendo, ſe nihil perdidiſſe. Hoc plane erat prodigium. Segn. p. 1. diſc. 27. n. 15. in fine. Vide ibi plura remedia a n. 25. & ſeq.



Avaritia optime compeſcitur meditatione mortis; dicit enim S. Aug. Avaritia compeſcitur, cum homo, qualis poſt modicum tempus in ſepulcro futurus ſit, conſiderat. C. Amos 9. v. 1.

Cogitet avarus, cæleſtia & terrena bona conjungi non poſſe! vel his, vel illis cedendum eſt! hinc Chriſtus adoleſcenti quærenti, quomodo vitam æternam conſequi poſſet, reſpondit, relinquenda eſſe omnia: quo audito adoleſcens abiit triſtis!

Avaritia eſt ſanguiſuga, ſemper clamans: Affer, Affer! Quid agendum? ſuper os ſanguiſugæ ſpargendum eſt modicum cineris, & tunc illa a ſugendo ſanguine ceſſabit. Sic cogitet avarus, ex omnibus, quæ poſſidet, nil ſibi ſuperfuturum, quam cinerem ſepulcri! ita perdet appetitum ſugendi! &c.

## Divitiæ.

### 311. *Poſſident, non poſſidentur.*

SAnctus Ambroſius alloquitur avarum: Dic, qui agros magis lacrymis miſerorum, quam aqua humectas, tunc Dominus es ſuper divitias, aut divitiæ ſuper te? *Nihil invenerunt omnes viri divitiarum in manibus ſuis.* Bene dicitur *viri divitiarum*, non *divitiæ virorum*, quia pecunia requieſcit, avarus ſemper laborat, & anxius eſt. B. ſerm. 2. n. 19. S. punct. 66. fol. 228.

Seneca ait: *Divitiæ ſapienti in ſervitute, ſtulto in imperio ſunt.* C. Gen. c. 14. v. 23.

Ælianus narrat de cane, qui mercatorem Dominum ſuum ad nundinas euntem comitabatur: factum eſt, ut mercator in via burſam auro plenam amitteret, canis amiſſam videret. Dominus poſt aliquot primum dies advertit jacturam, redit, quærit, & invenit burſam a cane tam ſedulo cuſtoditam, ut canis paulo poſt fame perierit. Quid aliud faciunt avari? pecuniam non poſſident, ſed cuſtodiunt, ac pereunt. D. 4. 56.

Deus habet dominium divitiarum, homo ſolum uſumfructum: Philo ait: Nec gloriam, nec divitias, nec honores, nec imperia, nec aliud quippiam, vel corporis, vel animi proprium poſſidemus, ſed uſumfructum habemus ſolum. Quare hoc mundo nobis utendum eſt, perinde ac canes bibunt e Nilo, lambendo ſimul, & currendo, ne occupentur a Crocodilis. C. Lev. 25. v. 23. & 24.

*Philo l. de Cherub.*



### 312. *Conceduntur a Deo ad opera Miſericordiæ.*

S. Ambroſius invehitur in avaros inquiens: Vitam populi poterat annuli tui gemma ſervare. S. punct. 82. fol. 267. B. ſerm. 21. §. 5. & 6.

Magdalena terſit pedes Jeſu capillis capitis ſui: capilli ſuperfluum quid ſunt: ubi Auguſtinus: *Si habes ſuperflua, da pauperibus, & pedes Domini terſiſti.* Brev. Fer. 2. poſt Dom. Palm.

Salvianus dicit nonnullos hominum a Deo ditari, *ut Dei opes temporarias bene utendo faciant ſempiternas, & duplici bono gaudeant, cum qui divites ſunt in hoc ſeculo, eſſe quoque divites mereantur in cælo.* *Salv. l. 1.*

Regnum Galliarum eſt opulentiſſimum, quia Regi quotannis octoginta florenorum milliones importat. Et tamen tempore Regis Joannis, quando is ab Anglis captus fuit, adeo depauperatum eſt, ut Galli moneta coriacea parvo argenteo clavo notata pluribus annis uterentur. Quæ cauſa egeſtatis? quia Miſericordia erga pauperes forſan e regno exulabat. Vv. art. diſc. Font. 43. ex. 2.

S. Auguſtinus ait: Omnes pauperes potuit Chriſtus paſcere quomodo per corvum Eliam pavit, tamen cum & ipſi Eliæ corvum ſubtraxit, ut a vidua paſceretur, non Eliæ præſtitit, ſed viduæ. Quando ergo Deus facit pauperes, facit ut probet divites. Sicut vitis humi jacens eſt infructuoſa, ſi vero elevetur & ſuſtentetur ab ulmo, tam ſibi quam ulmo fructus profert: ſic pauper & paupertas ſibi relicta inutilis eſt, ſi vero a divite erigatur & ſuſtentetur tam ſibi quam diviti commoda & fructifera eſt. Nempe hic dives eſt propter pauperem, hic pauper propter divitem. C. Prov. 22. v. 2.

### 313. *Sunt fluxæ, & tranſitoriæ.*

Aurum dicitur arena exigua, quia perfluit ſicut in clepſydra: ideo pecunia dicitur S. Auguſtinus ait: *Non immerito pecunia rotunda ſignatur, quia non ſtat.* B. ſerm. 14. n. 30. ſer. 17. n. 14. & ſeq. *Sap. 7.* *S. Aug. Prol. in Pſ. 83.*

*Super maria fundavit eam*, videlicet terram, & omnia mundi bona, quid mirum ſi inſtabilia ſint, nixa tam labili fundamento? . punct. 65. fol. 226.

S. Bernardus ait: quid vobis cum divitiis, quæ nec veræ, nec veſtræ ſunt? ſi veſtræ ſunt, tollite eas vobiſcum. S. punct. 77. fol. 243. punct. 64. fol. 221.

Sicut ſomnium tranſit: ita divitiæ, & bona mundi diſparent. S. p. 82. f. 266. Segn. Manna 23. Aug.

Salomon erat Regum ditiſſimus: ab exteris Regibus pro tributo annuatim recipiebat ſexcenta ſexaginta ſex auri talenta: a Rege Hiram centum viginti: a tribubus Judæorum mille quadringenta, quadraginta &c. D. 5. 30. Et tamen exclamavit Vanitas vanitatum, & omnia vanitas.

Mors ex improviſo aggreditur hominem, ideo inhiandum eſt theſauris cœleſtibus potius, quam terrenis. Paoletti Feria 4. Cinerum.

Divitiæ comparantur mari; bene enim dixit Philo: ſicut affluxum maris ſequitur paulo poſt refluxus; ſic rerum caducarum affluentiam ſequitur mox refluentia. C. Ex. c. 2. v. 14. Item C. Eccleſ. 2. v. 8.

Nobilis ab Annaberg in Miſnia ex metallorum fodinis adeo diteſcit, ut Principi par eſſet. Tandem depauperatus oſtiatim mendicare coactus eſt. T. n. 560.

Anno jubilæi revertebantur bona poſſeſſa ad primævum venditorem: ita in morte tranſeunt ad alios. C. Lev. 25. v. 10.

314. *Libentius expenduntur in vanitates, quam cultum Dei.*

Mulieres inaures ſuas dederunt ad idolum, o quam tarde dediſſent, ſi debuiſſent dare ad cultum Dei: Auguſtinus ait: quomodo contriſtatur, ſi quis tale quid facere jubeatur propter vitam æternam: Et eheu! ad choreas, luſus, comœdias liberales ſumus &c. S. punct. 85. fol. 272. C. Ex. 32. fol. 577.

S. Baſilius ait: Tu quidem, cum aurum das, ut equum compares, animo non angeris, cum vero corruptibilia exponis, ut cælorum regnum accipias, lacrymandum tibi putas. S. Ib. fol. 273.

In India Orientali magnifica ſunt delubra pro ſimiis, hoſpitalia pro ægris avibus, & animalibus, quæ immenſis ſumptibus curantur, & libertati reſtituuntur. Julius Capitolinus equo ſuo pretioſiſſimum Mauſolæum erigit: Adrianus canibus venaticis ſepulcra adornat magnis impenſis. Hortenſius arbuſculas vino humectat. Heliogabalus integros vini lacus portandis navibus pares fieri curat. Quanto melius tantos ſumptus Dei cultui, pauperibus, aut inſtructioni juventutis impendiſſent. D. 4. 80.

Nero Imperator duos exiguos calices
Cæſius l. de Miner. vitreos ſex millibus ſeſterciorum emit. Vv. art. diſc. font. 19. ex. 8.

Gualterius in Anglia viſus eſt in aula Reginæ Eliſabethæ geſtare crepidas ita auro onuſtas, ut ad 6600. aureos & amplius æſtimarentur. Vv. art. diſc. font. 24. Ex. 17.

Terrenæ opes non ad vanitates uſurpandæ, ſed Deo liberalius offerendæ ſunt, quam mundo. Hunc in finem templi menſuræ omnes vulgaribus longiores fuerunt: calamus, quo Angelus menſus eſt, erat ſex cubitorum & palmi. Quare? quia res Dei menſurantur, quæ ſemper liberalius tractandæ ſunt. S. p. 85. f. 273.

315. *Injuſte partæ Deo odibiles.*

Quidam putant, ſi bona male acquiſita ad cauſas pias applicent, rem eſſe ſalvam: verum errant! Uſurarius ædificavit Eccleſiam, cum autem hanc conſecrare vellet Epiſcopus, vidit diabolum habitu Epiſcopali indutum, & ita ſe alloquentem: Quare tu Eccleſiam meam conſecras? mea eſt, quia de rapinis ædificata eſt. Fugiente ergo Epiſcopo diabolus totam Eccleſiam deſtruxit. E. *Eccleſia* n. 8.

Caſtellum haud procul Bruxellis in Belgio a ſpectris infeſtatur, & fere inhabitabile redditur. Vir Religioſus conjurat ſpectra & ab iis edocetur, caſtellum injuſte poſſideri, ejuſque dominum eſſe unum ex famulis domeſticis, nomine Joannem. T. n. 185.

Ferdinandus Rex Neapolis invitatus a Viro Nobili, cum apud eum ingentem ſupellectilis opulentiam videret, uni ſuorum dixit: Hic habet multa mobilia, ſed metuo ne pauca habeat ſtabilia. T. n. 307.

Eo ipſo quod opes injuſtæ Benedictione Divina careant, tangit illas axioma, cito partæ cito dilabuntur. 1. Quia ordinarie collectæ ſunt per uſuras, rapinas & fraudes. 2. Quia cito collectæ liberaliter expenduntur. 3. Quia ſine prudentia collectæ, ſine prudentia diſſipantur. C. Prov. 13. v. 11.

316. *Sunt bonæ, vel malæ juxta uſum poſſidentium.*

Semen Verbi Divini, quod cecidit inter ſpinas, illud eſt, quod a ſollicitudinibus & curis ſæculi ſuffocatur: ubi Theod. in Luc.
Theodoretus: *Non dicit, quod præ divitiis ſuffocetur, ſed præ curis divitiarum, & ſolicitudinibus: non enim divitiæ nocent, ſed ſolicitudo earum.*

S. Ambroſii ſententia eſt: *Non in fa-* S. Ambr. in c. 19. Luc.
*cultatibus crimen hæret, ſed in iis, qui*



*uti neſciunt facultatibus; nam divitiæ, ut impedimenta improbis, ita bonis ſunt adjumenta virtutis.*

Pelagianorum hæreſis eſt, divitem non poſſe Dei præcepta ſervare, adeoque ſi ſalvari velit, neceſſe eſſe, ut divitiis ſe abdicet, fiatque pauper. Hic ipſe articulus Pelagii damnatus eſt in Conc. Dioſp. *Divites Baptizatos, niſi omnibus renuntient, non poſſe habere regnum Dei.* Contrarium ergo docet Siracides, divitem in divitiis poſſe ſalvari, ſi habeat tres conditiones, quarum 1. eſt, ut ſit *ſine macula*, id eſt ſine peccato, obſervando legem Dei, prout fecerunt Abraham, Iſaac, Jacob, Job, & alii. 2. Ut ſit, *qui poſt aurum non abiit*, juxta illud, quærite primum regnum Dei &c. 3. *Nec ſperavit in pecuniæ theſauris.* Qui ſpem ſuam in Deum, non in divitias conjicit, non ſperat in theſauris &c. qui vero plus in divitiis, quam Deo ſperat, de illo enuntiat Veritas: *Facilius eſt Camelum per foramen acus tranſire, quam divitem intrare in regnum cælorum.* C. Eccli. 31. v. 8.

Divitiæ participant bonitatem vel malitiam ex qualitate poſſidentis: *Melius eſt*
Prov. 16. *parum cum juſtitia, quam multi fructus cum iniquitate.* Id eſt 1. Satius eſt parvas opes ex juſto labore colligere, quam multas ex injuſto, v. g. per uſuras & fraudes. 2. Satius eſt modicum cum vita juſta, quam multum cum injuſta & iniqua. 3. Felicius vivit juſtus, Deo diſponente cum modico, quam iniquus ex multo. C. Prov. 16. v. 8.

Ægyptius ex eodem flumine ſanguinem haurit, ex quo Iſraelita aquam: ita divitiæ juxta diverſitatem manuum vel ſanguis ſunt, vel refrigerium: Ambroſius in
S. Ambr. in c. 19. Luc. illud: *Ecce dimidium bonorum meorum do pauperibus*: Diſce, inquit, non in facultatibus crimen hærere, ſed in iis, qui uti neſciunt: *Sicut impedimenta improbis, ita bonis ſunt adjumenta virtutis.* S. punct. 77. fol. 243.

Chryſoſtomus quærit: Nunquid divi-
S. Chryſ. ſerm. 1.11. tiæ per ſe criminoſæ ſunt? & reſpondet, quod non, ſed tantum ex uſu &c. S. p. 77. fol. 244.

Abſalon in capillis ad pœnam ſuſpenſus, & Habacuc capillis ad meritum delatus eſt: capilli ſunt ſuperflua divitiarum: Ecce igitur diſpar uſus divitias vel meritorias, vel damnabiles reddit. S. punct. 85. fol. 273. Multi Sancti ſunt divites. Segn. Manna 23. Aug. n. 3.

Duo ligna contemplare in terra ab-
Simile. ſcondita, primum v. g. palus, alterum radix arborum: illud computreſcit, non iſtud: Quare? quia iſtud vivit, non illud. Ita qui vivit per Dei gratiam a divitiarum putredine non afficitur, bene vero qui vitæ gratia caret &c.

*Appetentes* pecuniam *erraverunt a fide.* 1. Tim. 6.
Non dicitur *poſſidentes*, ſed *appetentes*, quia non eſt malum in poſſeſſione, ſed in cupiditate.

*Nihil eſt iniquius, quam amare pecu-* Eccl. 10.
*niam.* En dicitur: *amare*, poſſeſſio autem poteſt eſſe occaſio multorum bonorum, ſi videlicet diſtribuatur in egenos &c. Segn. Manna 30. Martii n. 3.

Dæmon enormiter mentitus eſt, dum Chriſto Domino perſuadere voluit divitias ſæculi ſuas eſſe, ſeque illas pro libitu ſuis adoratoribus donare poſſe: ſimiliter turpiſſime hallucinati ſunt illi hæretici, qui docuerunt divitias a malo dæmone venire: Non eſt ita! Deus largitor eſt divitiarum, quæ ex ſe malæ non ſunt, ſed ex malo uſu malæ fiunt. P. p. 2. diſ. 14. n. 2.

Piſcis Polypus rupibus, & inſulis in mari adhæret, atque omnem colorem rupis, cui ſe acclinat, induit, viridem, album, nigrum, alioſque. Sic divitiæ ſe habent pro diverſitate poſſidentis: ſi ille bona conſcientia albus ſit, albeſcunt coram Deo, ſi ille niger ſit, nigreſcunt. Servire poſſunt, prout vis, ad cælum, aut ad infernum.

317. *Sunt nutrimentum ſcelerum.*

Raro inveniuntur divitiæ conjunctæ cum pietate; hinc comparantur ſpinis;
quia, ait Didacus Stella, *ſicut ſpinetta* Didac. Stella.
*ſuapte natura ſunt latibulum omnium reptilium venenatorum: ita divitiæ ſunt vitiorum receptaculum & ſedes.*

Latomus, quod duro labore lucrabatur, in pauperes expendebat: igitur rogavit Eremita pro eo Deum, ut illum divitiis augeret, ſe velle fidejubere, quod divitiis bene ſit uſurus. Verum contra accidit; nam latomus invento theſauro ditatus in bellum abiit, oppreſſor pauperum factus. Vocatus ergo Eremita ad tribunal Dei, & pœnas ſubire juſſus, rogavit, impetravitque, ut ad paupertatem redactus latomus ad frugem redierit. E. *Dives* n. 3.

Quia tam periculoſæ ſunt divitiæ, Sancti Patres tot regulas præſcribunt divitibus, quomodo ſalvari poſſint: S. Paulus Apoſtolus vult 1. ut in ſuis opibus ſpem ſuam non defigant. 2. Ut bona opera operentur, & luxum fugiant. 3. Ut ſperent unice in Deo. 4. Ut bonorum operum

merita ſibi accumulent. 5. Ut faciles ſint ad largiendas eleemoſynas. 6. Ut mortales ſe agnoſcant, & non meliores pauperibus &c. Id niſi caute fecerint, aut contrarium fecerint, in varia ſcelera prolabentur, & peribunt, C. 1. Tim. c. 6. v. 18.

*Habac. c. 2.* Divitiæ vocantur *denſum lutum*, quia injuſte acquiſitæ animam conſpurcant, aggravant, & detrahunt in gehennam. S. *S. Greg. p. Paſt. c. 21.* Greg. ait: *Avaro contra ſe denſum lutum aggravare, eſt terrena lucra cum pondere peccati cumulare*. C. Habac. c. 2. v. 6.

318. *Turbant pacem animi.*

Pauper opifex quotidie in ſua officina uſque in ſeram noctem inter labores cantabat, & lætabatur. Id videns dives penes ipſum habitans crumenam auri in domum ejus clam injecit, & ecce! pauper ſolicitus, ne aurum furto perderet, diu noctuque cogitabat, ubi illud tuto recondere deberet. Videns itaque dives illum amiſiſſe lætitiam animi repetiit ſuam pecuniam, & ille iterum lætari cæpit. E. *Dives* n. 2.

Ariſtoteles ait, divitias obeſſe contemplationi ac proin ſummæ felicitati, certe quod turbent animi quietem, omnes experiuntur. Anacreon duobus talentis a Polycrate Samio donatus, cum duas noctes ſomnum capere non poſſet, anxius, ubi pecunias tuto reponere poſſet, ea donatori remiſit, addens, non tanti ea a ſe fieri, quantum ſibi ab iis moleſtiæ provenißet. Plutarchus ait, Divitiis hominem a nullo malo liberari, & ne quidem a ſui cupiditate. C. Eccli. 31. v. 6.

*Beatus* dicitur, *qui poſt aurum non abiit*. Quare? 1. Quia integer & inculpatus; bona enim conſcientia, & juſtitia eſt beatitudo hujus vitæ. 2. Quia magnum, & rarum Dei donum eſt, divitiis cor non apponere, ut iis dominetur quaſi herus, non ſerviat quaſi famulus. 3. Quia talis licet ſit dives cenſu, pauper tamen eſt ſpiritu, cum tamen paupertas prima ſit perfectio Evangelica. C. Eccli. 31. v. 8.

S. Bernardus ait: *Nolite amare ea, quæ amata inquinant, poſſeſſa onerant, amiſſa cruciant*. C. Habac. 2. v. 6.

319. *Magis nonnunquam amantur, quam bona æterna.*

Deus exprobravit Epuloni ſuam ſtultitiam, qua bona terrena pluris æſtimabat quam animam: & quam pœnam illi dictavit? nempe iſtam: *Quæ paraſti, cujus erunt?* cur non infernum illi comminatus eſt? quia homines iſti ſenſuales minùs curant infernum, quam jacturam bonorum: ſi illis intentetur gehenna, effrontes dicunt: Deus faciat, quidquid velit, nullibi ero ſolus &c. ſed cum audiunt eorum opes male perituras, tunc dolent. O ſummam dementiam! Segn. Manna 16. Martii n. 3.

Omnis reatus peccati in eo conſiſtit, quod creatura magis amatur Deo: ſic etiam amor divitiarum fit peccaminoſus, dicente S. Bonaventura: *Creatura non ob aliud periculoſa eſt amatori, niſi quia præponitur creatori*. *S. Bonav. ſer. 2. in Dom. 3. Epiph.*

Mercator in Belgio morbidus & morti proximus in hortum ſe deportari jubet, & ibi verſus cælum clamitat! O Deus nunquam a te cælum petii, cur mihi terram invides? blaſphema vox! T. n. 202.

Dux Albanus inſigni victoria in Germania potitus, cum Galliam tranſiens Franciſcum Regem ſalutaret, ab eo interrogatus, verumne eſſet, quod eo in prælio duo ſoles in cælo comparuiſſent, reſpondit, ſe eo tempore ita fuiſſe occupatum in terris, ut non adverteret, quæ agerentur in cælis. Sic multi immerſi ſunt terrenis, ut non reſpiciant ad cæleſtia. T. n. 371.

320. *Admirando affluxu poſſidentur.*

Salomon ab exteris Regibus pro tributo annuatim recipiebat ſexcenta ſexaginta ſex auri talenta: a Rege Hiram centum viginti. A tribubus Judæorum mille quadringenta quadraginta &c. D. 3. 30.

Reges Perſiæ tantis affluebant divitiis, ut in ſingulari cubiculo repoſita fuerint quinquies mille talenta auri, qui theſaurus vocari ſolebat, pulvinar Regis. In alio cubiculo collocata erant ter mille talenta, & hæc dicebantur Regis ſcabellum. Romanorum annui reditus aſſurgebant ad ſeptuaginta quinque millia talentorum, id quod facit noſtræ monetæ ſexcentos milliones. D. 4. 8.

Reges Perſarum immenſos auri argentique theſauros poſſident; In cubiculo Regis ſuper quinque lecticas quinquies mille talentorum aſſervabantur, quæ dicebantur pulvinar Regis. Theſauri, quos a victo Dario retulit Alexander Magnus, ſunt indicibilis pretii &c. D. 12. 64. C. Dan. 2. v. 39.

Pythius Regem Xerxem una cum toto ſuo exercitu, qui ex duobus millionibus & ultra conſtabat, invitat, eique ad bellicam expeditionem pecunias offert. D. 12. 82. Craſſus unicuique ex Romano po-



pulo triginta argenteos donat, totique populo convivium parat. D. 12. 82.

Divitiæ Salomonis colligi poſſunt ex eo 1. Quia ſingulariter fuerunt a Deo promiſſæ. 2. Quia David Pater ejus pro fabrica templi reliquerit ei mille millia talentorum argenti, & auri centum millia talenta, quod Salianus cenſet confeciſſe 2672. milliones. 3. Ex opibus, quas ipſi deferebant naves ex Tharſis & Ophir. 4. Ex tributis, vectigalibus & donis; nam Hiram dedit ei centum viginti talenta: plura adhuc tribus Iſrael &c. C. Eccli. 2. v. 8. Vide Titulum: Magnates, Principes &c.

321. *Contemnuntur a bonis Chriſtianis.*

Vir quidam invento ſacculo ducentorum aureorum id promulgari fecit, ut in Dominum inquireret. Venit Dominus, & probationem faciens, aureos ſuos eſſe, illos recepit. Voluit autem inventori viginti aureorum congiarium facere. At iſte non recepit. Obtulit decem: non accepit. Obtulit quinque, non accepit. Demum indignatus Dominus, ſi nihil accipias, ajebat, ego nihil perdidi, & totum ſacculum illi projecit: inventor autem in pauperes diſtribuit. E. *Reſtitutio* n. 1.

Utopienſes aurum & margaritas vilipendunt, iiſque ſolum ſervos & pueros ornandos eſſe putant. Cum ergo legati ad eos veniſſent, auro & gemmis graves, putarunt Utopienſes, legatos eſſe moriones aut nebulones, famulos autem eorum habuerunt pro Dominis. T. 221.

Conſtantinus Braganza Architalaſſus Luſitaniæ expugnavit Inſulam Zeilam, ibique exſpoliavit delubrum, in quo dens Simiæ Divinis honoribus colebatur, ipſumque dentem ſecum Goam avexit. Miſſi ſunt a barbaris legati, qui pro dente ter centena millia thalerorum obtulerunt. Verum Conſtantinus deteſtatus eſt lucrum, quod ſine impietate obtineri non poſſet. Dentem in pulverem comminuit & combuſſit. R. cent. 3. p. 2. mir. 28.

Homines ſancti habuerunt animum ab omni re temporali liberum, & prorſus indifferentem. S. Macarius furem, qui cellulam ſuam exſpoliabat, in onerando Camelo adjuvat. R. 1. p. mir. 22.

S. Carolus Borromæus quadraginta aureorum millia, quæ ex vendito Uritano principatu redegerat, una die in pauperes diſtribuit. Nihil novi eſt in vitis Sanctorum, quod paupertatem divitiis præhabentes, integra regna, coronas, & opulentiſſimas hereditates pro Deo reliquerint. Vide Tit. *Paupertas Religioſa*.

322. *Sunt cauſæ diſcordiarum.*

Venit quis ad Chriſtum rogans: *Magiſter, dic fratri meo, ut dividat mecum hereditatem*: Reponit Chriſtus: *Quis me conſtituit judicem inter te, & fratrem?* *Luc. 12.* Cur Chriſtus recuſavit dividere hereditatem? Reſpondeo, quia difficillimum eſt ſalva fratrum concordia hereditatem componere. S. punct. 111. fol. 332.

Frater invidit vitulum ſaginatum fratri reduci: Filius Nabuchodonoſoris exhumavit Patrem, & vulturibus projecit, ne denuo ad thronum, ut antea, reſurgeret. Abſalon Patrem perſequitur propter regnum. S. p. 111. fol. 332.

Mars marſupium auro plenum, quod in prælio prædam fecerat, in conventum Deorum attulit, & ſtatim contentio inter eos coorta eſt, cui ex ipſis competeret adminiſtratio theſauri: Jupiter ut animos mitigaret, & pacem reſtauraret, aurum dedit Neptuno, ut illud in profundum maris demergeret. Et ecce! colliſi ſunt Nerei & Syrenes, diſputantes ad quem pertineret marſupium! Neptunus igitur illud tradidit Vulcano, mandans ut in ignem conjiceret, & contendebant invicem Cyclopes, & malleis, ac forcipibus contra ſe invicem pugnabant. Ubique aurum ſuſcitavit diſcordias! Fabula hæc eſt, ſed revera ſic fit in mundo! unde bella inter principes niſi propter regna & coronas? unde inter fratres, ſorores, & cognatos inimicitiæ, niſi propter hereditates & diviſiones bonorum? unde lites, inſidiæ, duella, homicidia, prædationes niſi propter divitias? &c.

323. *Sunt res vilis & contemptibilis.*

Chriſtus de induſtria cæco illi viſum reddidit per lutum, ut per lutum omnia illi lutea apparerent, ait Irenæus. S. p. 125. fol. 390.

Cum claſſis Hiſpanica Anno 1556. in Americam navigans, vi tempeſtatum in terram Floridam ejecta eſt, Hiſpani immenſam pecuniarum ſummam in littus expoſuerunt, & barbaris adventantibus obtulerunt: illi autem neglecto auro ſaccos abſtulerunt, illorum texturam admirantes. Sic demum pecunia quinque menſibus in littore inobſervata jacuit, donec juſſu Gubernatoris aſportata fuit, a nemine unquam læſa aut diminuta. D. 1. 19.

*Caſſius l. de Miner.*

Nero Imperator vitrum auro prætulit & duos calices vitreos ſex millibus ſeſterciorum coemit. Vv. art. diſc. font. 19. ex. 8.

*Guic-ciard. in orat. pro Germ. fol. 57.*

Divitiæ ſunt res vilis eoipſo, quia a Deo peccatoribus etiam ſceleratiſſimis conceduntur; ſic conſtat, quod infideles fœcundiſſimas, & ditiſſimas regiones poſſideant. Ut de ſolis Hollandis loquamur; illi tantum ex butyro & caſeo in exteras regiones divendito, annuatim decies centena aureorum millia conficiunt. Vv. art. diſc. font. 36. ex. 3. Captura halecum, & aſellorum quotannis tres milliones importat. Vv. art. diſc. font. 36. ex. 1.

*Kirb. de contrib. c. 1. n. 342.*

Divitiæ comparantur fœno: *Quoniam ſicut flos fœni tranſibit*. 1. Quia ſicut herba viridis a ſole cito ſiccatur; ita divitum opes tranſeunt, & evaneſcunt. 2. Sicut herba, cum ſiccatur, amareſcit; ita ubi divitis gloria tranſierit, amara eſt ejus memoria. 3. Sicut ſol ſuo æſtu florem arefacit; ita incendium, rapina, naufragium ſubito aufert diviti opes, & ſuam gloriam &c. C. Jac. 1. v. 10.

Contemnendæ ſunt opes, quia vita eſt brevis, quia aurum non eſt niſi terrea maſſa ſemper in terra manſura, & quia poſt mortem nos non comitatur. C. 1. Tim. 6. v. 7.

### 324. *Ambiuntur avide, ſed inepte.*

S. Joannes vidit beſtiam ſepticornem, & ſupra eam mulierem cum aureo poculo in manu, circa quam flectebant reges, & principes: qui fieri poteſt, ut tot ſitibundi ex uno calice bibant? vix ſtilla uni cedit: & hæc ſtilla, quanto labore conſtat? S. p. 65. f. 223. p. 74. f. 238.

Divitiæ comparantur ſpinis, quæ pungunt, & quo tenacius ſerves, eo magis pungunt. M. conc. 24. aſſ. 2. n. 10.

*S. Aug. l. 1. de ſerm. Do. in mont. c. 3.*

Quantum affligunt divitiæ in morte? ait enim Auguſtinus: Non amittitur ſine dolore, quod cum amore poſſidetur. S. punct. 128. fol. 399.

*Cardin. Hugo in Pſ. 31.*

*Spinæ ſunt divitiæ*, ait Card. Hugo, *pungunt per laborem dum acquiruntur: pungunt per timorem dum poſſidentur: pungunt per dolorem dum amittuntur.*

*S. Aug. ſerm. 15. de divers.*

Pulcherrima eſt ſententia S. Auguſtini: *Omnis terrena poſſeſſio ſupplicium eſt cupiditatis, ut in ipſis bonis crucietur animus, cui viluit, qui ea largitur.*

Vanitas diviciarum patet ex quinque cauſis. 1. Quia aurum & argentum non ſunt niſi terra rubra & alba, cui ſola hominum æſtimatio dat pretium. 2. Quia mille curis, timoribus & angoribus divitem cruciant. 3. Quia cupiditatem augent, non ſatiant. 4. Quia gulæ, luxuriæ, ſuperbiæ, aliorumque ſcelerum ſunt occaſio & ſtimulus, uti Salomoni fuerunt. 5. Quia hominem periculo mortis præſentis, & æternæ exponant. C. Eccl. c. 2. v. 8. in fine.

Dormierunt ſomnum ſuum omnes Viri divitiarum, & nihil invenerunt in manibus ſuis. Nunc Viri divitiarum arctiſſimis manibus concludunt, at cum ſomnum mortis dormire incæperint, aut potius cum a vitæ hujus ſomno his in morte evigilaverint, nihil ex omnibus divitiis invenient in manibus ſuis!

Aſinus cum in ſtabulo vidit equum optima avena paſci, ſibi autem ſterilem paleam in pabulum dari, triſtatus eſt. Aliquando cum equus ſuperbe ornaretur, & a ſeſſore milite in campum educeretur, aſinus curioſe exploraturus, quid rei futurum ſit, ſubſecutus eſt, viditque militem, & equum pugnare contra hoſtes, ſed infeliciter, miles enim ſimul & equus globis trajecti ceciderunt in arena. Hoc viſo aſinus ad ſtabulum ſuum reverſus contentiſſime cum palea ſua vixit &c.

## Pecunia.

### 325. *Multa mala cauſat.*

MUndus forum eſt, ubi omnia venduntur: datur non bene merenti, ſed plus offerenti: non digniori, ſed ditiori. M. conc. 24. aſſ. 2. n. 12.

O aurum, exclamat Conſtantinus Hiſtoricus, tu leges frangis, jus fas proteris, honorem & verecundiam fugas, omnia prodis, omnia venalia habes &c. D. 7. 100.

In toto Abiſſiniæ regno nullus eſt pecuniæ uſus, ſed res ipſæ invicem commutantur, citra dubium ideo, quia pecunia multa mala cauſat, uti furta, homicidia, latrocinia &c. Vv. art. diſc. font. 40. ex. 6.

Tantas ineptias ac abſurditates poſt ſe trahit cupiditas pecuniæ, ut talem indignum cenſeat S. Petrus Damiani, qui ad Prælaturas promoveatur, ordinarie tales ſunt ſtupidi & indocti, hinc antiquitus lignei aut ſaxei Mercurii vocabantur. C. Prov. 26. v. 8. ad fin.

Sitis divitiarum multorum animos ita inſtupidat, ut pecunias præ ſapientia quærant, id quod deteſtatur Sapiens ubi di-



cit: *Melior eſt ſapientia cunctis opibus*. C. Prov. 8. v. 10.

Pecunia omnia evincit, fas & nefas, corrumpit animos ſapientum & inſipientum; hinc gentiles pecuniam vocarunt Jovem, eo quod Jupiter pecuniæ, & per illam rebus omnibus dominetur. C. Eccli. 10. v. 9.

Pecunia juſtitiam corrumpit, pervertit etiam corda regum, ut propter aurum divitem præferant pauperi, ſe pro divite ſententiam, licet iniquam contra pauperem proferant: quanto magis pecunia pervertet corda teſtium, & judicum, ut contra æquitatem pronuncient? C. Eccli. 8. v. 3.

Nullum propugnaculum tam munitum, quod auro non expugnatur. Unde Chilo recte dixit: *Aurum cotibus expugnari, mentes hominum auro*. C. Nu. 22. v. 7.

### 326. *Quando incæperit cudi, & ſignari.*

Priſci Judæi, & Romani rudem maſſam auri, & argenti vice pretii adhibebant: poſtea etiam ſignarunt, & conflarunt pecuniam ſignatam. Plinius ait, Romanos primo argento ſignato uti cœpiſſe poſt Pyrrhum devictum, quod fuit anno urbis 585. ideoque ante primum bellum Punicum: aureum deinde nummum poſt annos 62. cuſum fuiſſe. C. Ex. 30. v. 13.

S. Steph. Act. 7. ait, Jacobum agrum prope Sichem emiſſe *pretio argenti*: Scriptura autem Gen. 33. affirmat, Jacobum emiſſe pro centum agnis. Quomodo hæc concordant? nimirum nummi primitus notabantur figura pecudum, hinc nomen pecuniæ. Poteſt ergo dici Jacobum emiſſe pro centum nummis figura agni ſignatis, uti teſtatur Plutarchus: unde patet uſum pecuniæ jam tempore Jacobi forſan fuiſſe. C. Gen. 33. v. 19. Item Prov. 27. v. 24. Item Eccli. 14. v. 3.

Ducentis & bis millenis circiter annis poſt mundi Geneſim tum Chananæi tum Babylonii ſub Aſſyriorum & Chaldæorum Monarchis, item Philiſtæi aureos, argenteoſque nummos cuderunt. Ita Script. l. 1. Moyſ. c. 13. 20. & 23.

Monarchia Romani Imperii initio nummos non habuit, ſed commercia rerum commutatione fecit. Tandem Servius Tullius VI. anno mundi 3394. nummos ex cupro ſeu ære formare cœpit: unde nomina *æs*, & *ærarium*. Sæculo tertio Germani pecuniam cudere cœperunt. Sæculo quarto Suevi pecuniis effigiem Mercurii, quem Deum adoraſſe dicuntur, impreſſerunt.

Nummi ſortiti ſunt nomen a Numa Pompilio ſecundo rege Romano, qui eos primo apud Latinos imaginibus notavit, & titulo nominis ſui præſcripſit. Dicuntur *Moneta* quod monerent homines, quo pretio, & quo auctore cuſi ſint. C. Prov. 10. v. 2.

Pecunia dicitur a pecore, quia ovis aut bovis figura fuit ſignata &c. C. Eccli. 14. v. 3.

### 327. *Mire contemnitur a ſanctis & ſapientibus.*

Indi in terra Florida non acceptant pecunias ab Hiſpanis oblatas, & loco harum mirantur ſaccos, quorum texturam plus auro æſtimant. Quin imo rident Hiſpanos, quod illos videant aurum aſportare &c. D. 1. 19.

Mediolani inventor burſæ, non ſolum intactam reddit Domino, ſed congiarium violenter illi obtruſum confeſtim in pauperes elargitur. Tamerlanes videt ruſticum in eruendo theſauro occupatum: jubet ſibi unam vel alteram monetam ſpectandam afferri: ruſticus deſperabat de poſſeſſione theſauri, at Tamerlanes intuens monetam, in hoc metallo, ajebat, non invenio ectypon meorum progenitorum: igitur tuum eſt omne. His dictis reſtituit ruſtico totum theſaurum. D. 2. 18. D. 10. 74.

Sapientes contemptim loquuntur de pecunia. Seneca ait: Pecuniæ imperare oportet, non ſervire. Pecunia, ſi uti ſcias, ancilla eſt, ſi neſcias, Domina eſt. Pecunia non ſatiat avarum, ſed irritat. Quæ ſunt maximæ divitiæ? non deſiderare divitias. Quis plurimum habet? qui minimum cupit. Inopiæ pauca deſunt, avaritiæ omnia &c. C. Eccli. 14. v. 3.

S. Franciſcus de Paula oblatum a Rege auri theſaurum ne oculo quidem, multo minus manu dignatus eſt. Monetam argenteam inſpectante Rege mediam diffregit, ex qua ſanguis effluxit. Monere hoc facto regem voluit tyrannidis erga ſubditos, & emunctiones uſque ad ſanguinem.

Phocio, cum ad eum Alexander centum auri talenta miſiſſet, rogavit, cur inter Athenienſes ad ſe ſolum hæc mitteret Alexander? reſponderunt Legati: quod eum probum putaret. Tum Phocio: Sinat ergo me probum eſſe; totamque pecuniam remiſit. S. Antonius ingenti auri maſſa in itinere conſpecta, confeſtim quaſi incendium refugeret, in mon-

montem ſe proripuit. Abbas Pambo trecentas auri libras a Melania ſibi oblatas repudiavit. B. Barlaam ajebat, quia pecuniam exitioſam eſſe ſcio, nec ſocios, nec me talibus laqueis implicabo. S. Franciſcus vidit ex crumena reperta in via ſerpentem prodire, tum fratribus dixit: Ecce! famulis Dei pecunia nihil aliud eſt, quam venenoſus ſerpens &c. C. Nu. 22. v. 7. in fine.

## Immiſericordia in pauperes.

### 328. *Eſt cauſa ſterilitatis & paupertatis.*

QUoddam Monaſterium locuples depauperatur: tunc angelus in veſte peregrini ad portam venit, dicens ſe probe callere cauſam depauperationis: duos fratres fuiſse in hoc monaſterio, unum fuiſse dimiſsum, & alterum dein ultro abiiſse: quæſitus ulterius reſpondit: primum fratrem vocari: *date*, & alterum: *Dabitur vobis* &c. Unum ſine altero eſse non poſse. B. ſerm. 63. n. 15. &c.

Nautæ mendico ſtipem roganti, reſpondens, ſe nihil vehere præter lapides: & ecce! confeſtim omnes panes converſi ſunt in lapides. B. ſer. 63. n. 18. Sanch. 6. p. c. 4. fol. 713.

Dives Epulo, quia pauca dare noluit, ait Auguſtinus, in inferno ad petenda minima pervenit. S. punct. 80. fol. 260.

S. Severinus admonet populum, ut egentibus ſuccurrerent, hoc dum facere moniti negligunt, irrupere ethnici milites, qui omnes fortunas civibus diripuerunt. Sanch. 6. p. c. 4. fol. 713.

Quidam cum rogaretur, ut aquam ſitientibus fratribus neceſsariam ſuo camelo ad Monaſterium portari permitteret, negavit id obſequii genus facere, ne camelum ſupra vires gravaret. Illi ergo aquam manibus portabant, & ecce! camelus divitis ſubito extinctus corruit. E. Verb. *Caritas* n. 5.

### 329. *Punitur a Deo graviſſime.*

David obſeſsus a Saule miſit decem milites ad Nabal pro annona: Nabal nec fruſtum panis dedit: quo facto Deus ita indignatus eſt, ut intra decem dies Nabal contabuerit, & factus eſt quaſi lapis. Cur intra decem dies? Reſp. Lyranus, quia tot famelicos milites crudeliter depulit. S. p. 130. f. 260.

Sodomorum peccatum aggravatum eſt nimis: quare? *Manum egeno, & pauperi non porrigebant.* B. ſerm. 73. n. 16.

Abbas Theodoſius præcepit annuatim certam quantitatem frumenti in pauperes diſpertiri: tempore caritatis nihil fuit diſtributum, & ecce! frumentum omne in monaſterio computruit, ita ut inutile in uſus humanos abjici debuerit. Sanch. 5. p. c. 5. fol. 487.

Advocatus quidam tempore cariſtiæ, ut pauperum ante fores clamantium voces non audiret, in interius cubiculum ſe recepit inquiens, ſe non poſse audire latratus horum canum. Sed mox adfuit nuntius a Deo miſsus, qui eum ad Divinum tribunal citavit; ægrotare cæpit advocatus & ſine ſacramentis continuo mortuus eſt. E. Verbo Advocatus n. 5.

S. Vvilibrordus in Friſia Evangelii cauſa itinerans, & in campo juxta viam equos paſcens, ab homine divite abire juſsus & injuratus eſt. Verum dives ille intolerabili ſiti exareſcere cœpit, nec remedium ſiti levandæ invenit, donec S. Vvilibrordus in itinere redux illi ſupplicanti ex ſuo calice potum præbuit. E. *Maledicere*. 3.

Civitas luxuriæ & immiſericordiæ dedita pauperes omnes repulit: venit ad portam Angelus ſpecie miſeri & ægrotantis peregrini, a nemine receptus & cibo confortatus eſt niſi a conſule. Huic revelavit, totam urbem flammis comburendam, ipſius vero domum conſervandam eſse. Ridebant ad hoc incolæ, veſperi autem terribilis tempeſtas exorta totam civitatem, excepta conſulis domo, exuſſit. E. *Miſericord. in paup.* n. 18.

Antiſtes liberaliſſimus ad ſuaſionem amicorum ſit parcus, & ſtatim infirmari, valetudinemque magis ac magis amittere cœpit, donec demum e vita deceſſit: ex amicis ſuaſoribus nemo triennio ſupervixit. J. 2.

### 330. *Non habet excuſationem.*

Dic quæſo, an raptores aut homicidæ ſuam malitiam coram Deo aut hominibus excuſare poſsunt? Minime vero! jam audi S. Thomam de Villanova. *Qui abundaverit, indigentium penuriam ſuppleat: ſi non ſupplet, raptor & homicida eſt! quia non paviſti, occidiſti, quæ non dediſti, rapuiſti.* B. ſer. 23. n. 38. & 42. Item ſer. 21. n. 34. Item ſer. 23. n. 36. S. Th. de Villan. ſer. de S. Mart.

Quot menſes aut annos potuiſset pauper vivere ſolum ex iis, quæ vana mulier ex collo, & humeris portat. B. ſer. 41. n. 27. Item ſerm. 73. n. 16.

Dicunt avari, ſe nihil habere; interim habent ad luſus, ad luxum, ad vanam ſupellectilem: Caligula ad ædificandos



dos muros dixit ſe nihil habere, & eadem die 1000. ſeſtertios dedit ad veſtem alicujus pellicis. Mulieres Iſraelitæ monilia dedere Aaroni ad conflandum idolum: O ſi debuiſſent dare ad obſequium Dei, certe dixiſſent ſe nihil habere. B. ſerm. 24. n. 27. 28.

Judas unguentum Magdalenæ trecentis denariis æſtimat, & Chriſtum triginta: ita avari pro ſuis vanitatibus multa expendunt, pro Chriſto nec obolum. B. ſerm. 24. n. 30. ſerm. 41. n. 27. ſerm. 63. §. 5. ſerm. 73. n. 18. & ſeq.

### 331. *Fruſtra excuſatur per hoc:* Non poſſum.

Eccli. 15. Spiritus Sanctus ait: *Odivit anima mea divitem mendacem*: S. Aug. hic. *Dives mendax eſt, quia in his, quæ ad Deum pertinent toties dicit: non poſſum*. B. ſerm. 73. num. 18. S. Aug. ap. Labbat. V. Eleemoſ. prop. 25.

Si non potes: cur ergo potes ad vanitatem, ad delectationem? Petrus in monte Tabor pro Elia, & Moyſe tabernaculum quidem ædificare voluit, ſed Joannis, & Jacobi oblitus eſt: ita habes quidem ad hoſpitandos nobiles, & magnos, non vero ad pauperes. B. ſerm. 73. n. 19.

Balthaſar tantum optimates, non vero pauperes convivio excepit. B. ſerm. 73. n. 20. & ſeq.

Populus Iſrael habuit armillas ad conflandum vitulum, ſi debuiſſet dare ad bonum opus, omnes ſe excuſaſſent. B. ſerm. 73. n. 24.

Sæpe avarus plus canes venaticos, quam pauperes alit: Amadæus dux Sabaudiæ pauperes vocat ſuos canes venaticos, quibus cælum venari ſperaret. C. Exod. 25. v. 23. ad finem.

In India Orientali delubrum eſt ſimiarum ſeptingentis columnis magnifice extructum. Præterea hoſpitalia pro ægrotis volucribus, & animalibus: hæc immenſis impenſis undique conquirunt, ſanant, & in libertatem aſſerunt: cum tamen Patrem, amicos, & quoſvis homines ægros ſub dio doloribus interire ſinant, &c. D. 4. 80.

### 332. *Perdit cæleſtem benedictionem.*

Epiſcopus Troylus poſtquam S. Joanni Eleemoſynario triginta libras auri pauperibus diſtribuit, facti pœnitens flevit, & S. Joannes illi pecuniam reſtituit: Noctu videt Epiſcopus inſigne palatium, cujus aureæ portæ inſcriptum erat: *æterna manſio Troyli*. Dum lætatur, venit famulus, delet verba illa, & ſubſtituit iſta, æterna manſio, quam Joannes eleemoſynarius a Troylo Epiſcopo emit. Evigilans reſipuit, & factus eſt inſignis pauperum patronus. Sanchez 6. part. c. 4. fol. 713.

Senator dives precioſum caſtrum in via publica ædificavit, ab ejus aditu autem pauperes omnes excluſos voluit, divites vero & nobiles admitti juſſit. Quondam raptus eſt ad viſionem judicii, audiitque a judice, quia tu mihi caſtrum tuum claudis, ideo tibi cælum occluſum volo. Periiſſet miſer, niſi apud B. V. auxilium inveniſſet, quæ ipſum interrogavit, an pauperibus caſtrum ſuum aperire vellet? affirmavit ille, & deinceps factus pauperum adjutor ſalutem invenit. E. *Miſericord. in paup.* n. 17.

Prælatus quidam in jejunio auſterus ab omni carne abſtinuit, erga ſubditos tamen immiſericors illos multis exactionibus depeculavit: cum aliquando viduæ hereditatem eriperet, venit illa ad Prælatum duos filiolos in brachiis geſtans, aitque: tu quidem a carnibus pecorum abſtines, carnes autem hominum devoras, age, hos duos filios meos comede & ſanguinem illorum bibe &c. Territus his verbis Prælatus erga ſubditos factus eſt miſericordior. E. verbo abſtinentia ex. 14.

## Injuſtitiæ ac Fraudulentiæ in Officio, contractibus, &c.

### 333. *Sunt frequentes in omni ſtatu.*

JUdex protrahit litem, ut emungat crumenam pauperis & ſuam ſaginet. Mercator ultra dimidium merces vendit. Alius frumentum accumulat, ut carius vendat. Alius debita non ſolvit. Alius mercedem ſubtrahit, &c. B. Serm. 38. n. 46. M. conc. 21. aſſ. 2. n. 12.

Atque in hoc ſenſu verum eſt effatum Gellii dicentis: *Privatorum fures in nervo & compedibus ætatem agunt, publici in auro & purpura viſuntur.* D. 7. 17. Gellius l. 11. cap. ult.

Quas fraudulentias, exceptiones, tergiverſationes, moroſi debitores faciant, fuſe deſcribit Eccleſiaſticus. Multi quaſi inventionem æſtimaverunt fœnus, & præſtiterunt moleſtiam his, qui ſe adjuverunt: donec accipiant oſculantur manus dantis, & in promiſſionibus humiliant vocem, & in tempore redditionis poſtulabit tempus, & loquetur verba tædii & murmurationis, &c. D. 9. 68.

Publicani ex officio debebant exerci-

tui

tui providere de frumento & annona: iſti ergo ſæpe naves onerabant variis quiſquiliis, & cum nautis conventionem faciebant, ut naufragium procurarent, dein de damno tanquam de perditis navibus frumentariis querebantur, ita ut damnum illis ex ærario publico compenſaretur. D. 10. 50.

Plane inſtar miraculi habendum eſt, quod Joſue, cum tribubus Iſrael terram Chanaan dividebat, viliſſimum locum, nempe urbe Thamnathſara, quæ inter inamœnos montes abjacet, ſibi reſervarit. Nunc cum partitio eſt in teſtamentis, in donis, in dotibus quilibet affectat optimam partem &c. D. 22. 22.

Quid frequentius, & quid turpius quam monopolia tempore neceſſitatis, coacervantur frumenta, ut pretium illorum augeatur. *Cur ad fraudem convertis naturæ indulgentiam*, ait S. Ambroſ. *cur affectas inopiam? latrocinium hoc, an fœnus appellem? lucrum tuum damnum publicum eſt? Joſeph Sanctus omnibus aperuit horrea, non clauſit*. C. Amos 8. v. 5. S. Ambr. l. 3. offic. c. 6.

## 334. *Sunt edibiles coram Deo.*

In Veteri Teſtamento prohibitum erat Judæis: *Non fœnerabéris fratri tuo ad uſuram,.. ſed alieno*. Quanto ergo magis damnabile erit coram Deo, ſi Chriſtianus Chriſtianum fallaciis, & uſuris decipiat? Quæris, quomodo Deus licentiam dare potuerit fœnerationis contra alienum: *ſed alieno*. Reſp. Quia Dominus eſt omnium bonorum; ſic contulit Iſraelitis jus ad vaſa aurea, & argentea, quæ ex Ægypto aſportaverant, &c. D. 9. 60.

S. VVolfoldus Parochus ſingulis noctibus ad matutinum cantandum ibat, janua templi miraculoſe aperta: aliquando montem aſcendens palum e ſepe extraxit, & hoc leve damnum obfuit, quo minus Eccleſia illi deinceps fuit reſerata, donec pœnitentiam egit. In Vita.

Quamquam autem omnes indiſcriminatim peccent per injuſta lucra, nihilominus abominabiliora ea ſunt in iis Chriſtianis, qui ſatis bene fortunis ditati ſunt. S. Franciſcus lupum, qui gregibus infeſtus erat, cicurat, & cum eo in urbem ducto pactum facit, ut a rapinis abſtineret, viciſſim ſe illi nutrimenta appromittere. Adſtipulatus eſt lupus paci ſeentiæ, & deinceps in urbe liber circuibat, ac nutriebatur. Ponamus, quod non obſtante hac proviſione rapinas feciſſet, nonne merito morte fuiſſet mulctatus? Ita etiam Chriſtianus, cui Deus abunde providit, per injuſtitias graviſſimam Dei iram meretur. R. 2. cent. 2. p. m. 29.

Id etiam legitur de S. Abbate Tornellio, qui lupum amanter nutrivit ea lege, ut a rapinis abſtineret, & revera abſtinuit lupus. R. 1. cent. 2. par. mir. 19.

Stellio reprobatur a Deo tanquam animal immundum; quia ſignificat hominem fraudulentum. Cutem enim, quam quotannis exuit, confeſtim devorat, ut eripiat homini præſentiſſimum morbi comitialis remedium. C. Levit. 11. v. 30. fol. 668.

Ananias & Saphira, ligati voto paupertatis, quia de pretio agri ſacrilege defraudarunt, repentina morte puniuntur. C. Act. 5. v. 2.

## 335. *Sunt fugiendæ amore juſtitiæ.*

Quoniam filii Jacob in ſaccis ſuis una cum frumento, quod ex Ægypto attulerant, etiam pecunias retulerunt, juſſit altera vice Jacob, ut duplicatum pretium ſecum ſumerent, ne forte error in ratiociniis interveniat. Sanch. 6. par. c. 7. f. 772.

Multi in venditione fraudes, mendacia, ac juramenta uſurpant perperam: ideo S. Epiphanius quoties aliquid emerat ſtatim petitum pretium præſtabat, ſine licitatione, ne anſam daret multis falſitatibus, & fallaciis. Sanc. 6. par. c. 7. f. 772.

S. Sabinus Epiſcopus, cum fluvius Padus illi agros devaſtaret, per notarium illi denunciari juſſit, ut ſtatim ſe in alveum ſuum reciperet. Recepit ſe fluvius, nec deinceps cum damno agrorum exundavit. O quoties ſic moneri indigerent Chriſtiani, qui ſe invicem in agris & limitibus damnificant, & Dei præcepto minus obedientes ſunt, quam iſte fluvius. R. 1. par. mir. 43.

Vidua cauponiſſa cum prope ſuam domum incendium oriretur, omnia vaſa cereviſiaria ad oſtium domus comportavit, dixitque: Mi Deus ſi vides, me his vaſis minimam injuſtitiam commiſiſſe, fac ardeat domus mea: ſin minus conſerva illam! Et domus conſervata fuit. E. *Venditio*.

Cum uxor Tobiæ hædulum domum referret, & animal balaret, audiens cæcus Tobias anxie exclamavit: Videte, ne forte furtivus ſit! O ſi bona injuſta domum allata inſtar hæduli balarent, quantus clamor nonnunquam hic aut ibi perſonaret. Adeoque ut non lædatur juſtitia, quilibet Chriſtianus illam gnomen



men cordi habeat: Quod tibi non vis fieri, alteri ne feceris.

Duplex eſt Juſtitia, qua mundus regitur, Divina & humana: Divina, quæ peccatum punit, & merita præmiatur. Humana, quæ in hominum commercio eſt vinculum pacis, & fundamentum ſeu columna publicæ tranquillitatis. Utraque in manu tenet lancem, ut ſignificetur, quod quilibet tam ſibi, quam proximo res ſuas una eademque lance trutinare debeat, juxta principium illud, quod tibi non vis fieri, alteri ne facias. Igitur amore juſtitiæ tam Divinæ, quam humanæ homo Chriſtianus in conſortio, commercio, & contractibus ita proximum habeat, ſicut viciſſim ab illo haberi cupit. Quid eſſent humanæ communitates, quid regna ſine juſtitia? Reſpondet S. Auguſt. Regna & imperia ſine juſtitia, quid ſunt niſi magna latrocinia, &c.

## 336. *Frequentes in rerum adminiſtratione, negotiis, teſtamentis, &c.*

Uſurarius a Patre ſpirituali perſuadetur, ut in Hoſpitali mori eligeret, & bona omnia per quatuor executores reſtituere juberet iis, quos defraudaverat. Ea nocte vidit Vir hic ſpiritualis dæmonem aliquem lugere, & ejulare, quia hanc uſurarii animam perdidiſſet. Verum alius dæmon hunc ſolatus eſt inquiens: Eſto boni animi! nihil perdidiſti: loco unius quatuor lucratus es; nam hi quatuor executores non facient juſſa, ſed pecuniam ſibi reſervabunt, &c. R. cent. 2. par. 1. mir. 27.

S. Baſſanus Laudenſis Epiſcopus vidit in bilance cujuſdam mercatoris puſillum Æthiopem, qui lancem alteram deprimebat, & de injuſto lucro mercatoris gaudebat. Monuit illum, ut lucrum male partum in pauperes diſtribueret. Paruit ille, & miram Dei benedictionem expertus eſt. J. 115.

Mater pro defuncta filia certum ſacrificiorum numerum legi curabat, & pecuniam pro iis ad æditurum mittere per privignum ſolebat. Apparuit autem filia in ſomnis Matri, indicavitque a privigno partem illius ſtipendii retineri, quod & ex æditui catalogo, quem Mater deſuper explorabat, patuit. J. 142.

Ruricola moriturians rogavit uxorem, ut poſt mortem, adipatum bovem in ſtabulo venderet, & pro redacta pecunia ſibi piacularia ſacra in æternitatem ſubmitteret. Promiſit uxor! Poſt mortem mariti bovem, & una ſimul gallinam ad forum duxit. Interrogata quanti venderet bovem, reſpoſuit, viginti quinque crucigeris! Bene eſt, ajebat licitator, en habes, quod petis! Mi Bone ſubinferebat femina, mihi conſtitutum eſt, nec bovem vendere ſine gallina, nec gallinam ſine bove! ſi vis, utrumque emas! Quanti ergo gallina? viginti quinque florenis! ſic emptio, venditio concluſa! uxor viginti quinque florenos pro gallina inſaccavit, & viginti quinque crucigeros pro bove Sacerdoti dedit pro ſacris in opem defuncti mariti. Quanta nequitia!

## 337. *Puniuntur a Deo.*

Etiamſi fraudem agens non fiat ditior, aut bonum alienum ſibi arroget, tamen damnum injuſtum graviter peccaminoſum eſt, & punibile. S. Florentius Eremita habebat Urſum, qui illi in paſcuis ovium cuſtodem agebat, aliaque obſequia mirum in modum præſtabat: aliqui Monachi hanc gratiam miraculorum invidebant S. Viro, & Urſum occidebant. Et ecce! ſtatim omnes elephantiaſi a Deo puniti ſunt. D. 10. 55.

Multi ex mera petulantia deſtruunt res proximi ſine ſuo lucro: ſic S. Auguſtinus in juventute poma aliorum furto abripuit, quamvis ipſe domi haberet multo meliora, id quod amare fatetur, & deplorat. D. 11. 84. S. Aug. l. 2. conf. c. 6.

Pinxit quidam imaginem ad exprimendas fallacias in negotiis & contractibus: In medio ſedebat magnæ auctoritatis Princeps, e cujus latere tam dextro quam ſiniſtro ſtabant variæ perſonæ, quælibet cum ſua epigraphe: Nempe hic Aulicus in habitu magni Miniſtri, cum inſcriptione: *Ego huic ſoli ſervio, & hoc ſolo me ſervo*. Ex altera parte Miles, cum dicto: *Dum ego furor, mihi furantur iſti duo*. Hic Agricola: *Ego ſuſtento, & me ſuſtentant iſti tres*. Illic Artifex: *Ego decipio, & me decipiunt iſti quatuor*. Hic Mercator, *Ego ſpolio, quando veſtio iſtos quinque*. Illic Doctor, *Ego deſtruo, quando defendo iſtos ſex*. Hic Medicus, *Ego occido quando curo iſtos ſeptem*. Hic Confeſſarius, *Ego damno, quando abſolvo iſtos octo*. Denique diabolus extendens dentes & ungues in rapinam, *Ego rapio hos omnes novem ad infernum*. Sic nempe deceptiones & fraudulentiæ in omnibus ſtatibus tandem deſinunt in æternam miſeriam.

Duo mendici expeculare ſtudebant S. Epiphanium, unus ſimulabat ſe mortuum, S. Sancher. l. Acta. Ste p. 4. c. 7.

tuum, alter pro ejus funere componendo mendicabat. Sanctus Epiſcopus liberalem mendicanti ſtipem conferebat: at dum redit ad conſodalem, revera illum mortuum invenit.

Quidam a S. Spiridione emerat centum oves pro centum thaleris, & quoniam S. Spiridion in uſu habebat pecuniam non numeratam bona fide acceptare, pro centenis thaleris tantum præſtitit nonaginta novem. Quid fit? una ovis ad gregem redit, nec poterat ad partes emptoris compelli. Subriſit Sanctus dixitque, forſan pro hac reluctante pretium non ſolviſti. Pudefactus emptor protulit adhuc unum thalerum & ecce! ſternax ovicula ſine tergiverſatione eum ſecutus eſt. Sanchez 5. par. c. 9. f. 599. R. 2. cent. p. 1. m. 25.

Putant aliqui ſe fraudibus, ac juramentis ſine conſcientia in emptione, ac venditione rerum uti poſſe: ſed male! Chriſtianus a Judæo pecunias mutuo acceptas denegabat, ad judicem juramenti cauſa citatus cannam ſibi conficit intus cavam, & in ea aurum recondit. Tum coram judice juramentum nuncupaturus cannam Judæo tradens rogat ut ſibi interim teneret, juratque ſe pecunias Judæo reddidiſſe. Sed male ceſſit illi fraus; domum enim redux in via obdormiit, & a prætereunte quadriga obtritus, canna confracta, & fraus inventa fuit. Sanch. 6. par. c. 6. fol. 755.

Sanctus Ephrem, quia vaccam pauperis occidit, & etiam pauperem illum inſuper luſui habuit, juſto Dei judicio ob falſo imputatum crimen incarceratur, ac male habetur. R. 1. par. c. 7.

Inter pœnas Dei punientis hæc eſt, quod fraudulentiam detegat. Mercator a vidua ſeptingentos aureos recepit, & repetente pecuniam femina eoſdem accepiſſe negavit. Produxit illa coram judice apocham, & nihil in ea ſcriptum erat, quam totum *Salve Regina*. Judex vocat Mercatorem, dicens, ſi res tibi foret cum alio, mitius procederem, ſed quia cum Beatiſſima rem habes, attende tibi, deferam rem ad Pontificem (Romæ enim erant tempore Pauli V.) & te interim carceri dabo. Sic territus Mercator faſſus eſt omnia, & debitum ſolvit. J. 145.

Quid frequentius & quid turpius, quam monopolia frumenti, tempore caritatis & indigentiæ? Deus in pœnam his avaris pro uno modio deſtruit decem ſcaphas, uti patet ab exemplis. C. Amos 8. verſ. 5.

## Defraudatio decimarum.

### 338. *Multa mala invehit in communitatem.*

ABulenſis ait: *Eos qui non ſolvunt decimas, multa mala conſequuntur.* Nam Deus in pœnam ſæpe tantum decimam partem fructuum creſcere ſinit, ait Auguſtin. dein ſequuntur hoſtium irruptiones, deprædationes, aliaque mala. B. ſer. 38. n. 35. Corn. Malach. 3. v. 10. c. 2.

Canutus Rex Daniæ Sacerdotibus decimas aſſignat, & a Blaccone poſtea trucidatur: quo facto tanta frumenti penuria Daniam invaſit, ut maxima populi pars fame periret; finitimis populis crevit uberrima ſeges, ut manifeſte eluceret Dei ultio ſupra Daniam.

Boleslaus Rex Poloniæ nobiles nolentes ſolvere decimas partim verberibus, partim morte mulctat. C. Num. c. 18. v. 32. ad finem.

S. Severinus Noricorum Epiſcopus a Lauriacenſibus decimas exigit: negantibus illis, illico pulcherrimas ſegetes rubigo invaſit: at cum illi pœnitudine ducti veniam rogant ab Epiſcopo, ſegetes reſloreſcunt. C. Deut. 14. v. 22.

Ipſimet Judæi, ſaltem Religioſiores, defraudatione decimarum timent puniri a Deo: ideo habent proverbium: *Da decimas, ut diteſcas.* C. Deut. 14. v. 22.

Deus accepit oblationem Abelis, Caini non reſpexit: Quare? quia Abel optima, Cain viliſſima obtulit. B. ſer. 84. n. 8.

Eutropius Eques Alexandrinus duo vaſa argentea unum pro ſe, alterum pro S. Martyre Menna confici curat: cum vero illud S. Martyris elegantius fuit confectum, illud ſibi ſervare, vilius S. Martyri dare conſtituit. Quid fit? utrumque perdidit; nam famulus vaſculum pretioſius lavare volens illud in mare decidere ſinit, & cum ipſe fere aquis fuiſſet ſuffocatus, Eutropius pro ſalute famuli utrumque vas S. Martyri devovit. R. cent. 2. par. 1. mir. 35.

### 339. *A Deo punitur graviſſime.*

Cum Sanctus Bellinus Epiſcopus Paduanus Thomam Capivacium divitem Virum ad ſolvendas decimas cogeret, ab eo in itinere interfectus eſt, poſtea ab Eugenio IV. in Sanctorum numerum relatus, & ædificata Eccleſia honoratus eſt. Homicida vero a Deo punitus ad ſummam egeſtatem redactus, in carcere miſere vitam finiit. Poſteri vero illius in templum Sancti Bellini nunquam ingredi potuerunt, & paulo poſt defecerunt. C. Num. 18. v. 32.



Catanenſes Epiſcopum ſuum Alexandrum decimas exigentem, in culina combuſſerunt: Comes vero Catanenſium, qui Epiſcopo opem ejus invocanti non ſuccurrit, a famulis, qui eum ob auſteritatem oderant, in lecto trucidatus, & in propriis ædibus concrematus fuit. C. Num. 18. v. 32.

Halberſtadienſis Epiſcopus Burcardus Monaſterio Herſveldenſi decimas ſubtrahens de equo labitur, & ſub mortem decimas reſtitui jubet. C. Num. 18. v. 32.

Defraudans Decimas ne dimidiam quidem fructuum partem colligit, quam aliis annis. Econtra Miles in dandis decimis ſupra modum accuratus, bis vineam in uno anno vindemiat. E. *Decimæ* 1. & 2.

Juvenis Brabantinus in articulo mortis ſubito ad ſe revocatus petiit Confeſſarium, inquiens, ſe B. V. ope ad mentem rediiſſe, qui alias propter tria peccata certo fuiſſet damnandus: 1. Quia decimas defraudaſſet. 2. Quia alicui Monaſterio piſces abſtuliſſet. 3. Quia venatione ſegetes deſtruxiſſet. Dein confeſſus, & damna reſarciens mortuus eſt. E. *Verbo: Bona injuſta* n. 3.

## Deufraudatio Mercenariorum.

### 340. *Quam Deo odibilis.*

NOn *negabis mercedem indigenti, ſed eodem die reddes.* Ubi S. Ambroſius: Qui non patitur te dicere: cras dabo: quomodo patietur dicere: Non dabo. S. punct. 81. f. 263.

*Væ qui ædificat domum ſuam in injuſtitia, . . . & mercedem non reddet ei.* Cur væ minatur Deus? Quia domus, prout textus Hebræus explicat, fuit ſpatioſa, pomposa, laquearis cedrinis fulta, minio picta, &c. Væ igitur ſi merces, & debita non ſolvantur. S. p. 81. f. 263.

Deut. 24. In veteri lege expreſſe prohibuit Deus, ne creditor pro pignore ſummæ mutuo datæ accipiat ſuperiorem aut inferiorem molam; quia debitor ſine illis vivere, & lucra diurna facere non poteſt. Præterea præceptum erat, ut creditor debitori, ſi iſte pauper ſit, pignus ſuum ante ſolis occaſum in domum remittat, ne iſte forſan ſine ſtragula, & lecto dormire cogatur. Quanto ergo magis Deo erit odibile mercenariorum ſtipendia defraudare tanquam eorum ſuſtentationem. D. 9. 61.

Clamor vindictæ tam mercenarii, quam uxoris & liberorum penetrat nubes, & Deum ad iracundiam commovet; hinc ſæpe plagæ, incendia, rapinæ, morbi & mortes, quibus corraſæ avarorum opes conſumuntur. Imo vindicta Dei in totas urbes & communitates ſeſe effundit, ubi debita non ſolvuntur, pauperes non curantur, mercenariis & famulis ſtipendia non præſtantur, & hæ injuſtitiæ paſſim a ſuperioribus tolerantur, &c.

## Luſus.

### 341. *Quanta mala poſt ſe trahat.*

SAnctus Cyprianus & Chryſoſtomus ajunt: Luſum eſſe ſobolem avaritiæ, ſed prorſus contrariæ indolis cum Matre: hæc enim coacervat, iſte prodigit, &c. B. ſerm. 42. §. 5.

Luſus ordinarie poſt ſe trahit blaſphemias, & juramenta. Venerabilis P. de Betanzos Inquiſitor Mexicanus abrogavit luſum, ut abrogaret blaſphemias, cumque aliquot aulici non obſtante hac prohibitione occulte luderent, fulmen in medio eorum decidens menſam luſoriam ex integro combuſſit. R. cent. 3. mir. 38.

Quidam impius ex luſu teſſeratum pecunia ſpoliatus eo proterviæ progreſſus eſt, ut inter blaſphemias ſagittam surſum jacularetur, quaſi ipſum cæli Dominum percuſſurus. Sagitta reverſa eſt ſanguine tincta, tunc ille pœnitentiam egit. E. *Luſus* n. 4.

Putant aliqui, luſum quantumvis immoderatum, nunquam eſſe peccatum grave, ſed falſo: Nepos S. Cyrilli Epiſcopi poſt mortem apparens, ſe propter luſum æternaliter damnatum eſſe aſſeruit. E. *Fætor* n. 2.

Ludus alearum & taxillorum odia, inimicitias, & rixas, cum periculo cædium & vulnerationum poſt ſe trahit, ideo S. Antoninus Archiepiſcopus Florentinus de aleis dicere ſolebat: *Quot puncta, tot ſcelera.* S. Anton. in ſumma Theol. p. 2. tr. 1. c. 23. §. 6.

Luſores turpem ludendi habitum contrahunt vere inſuperabilem ac incorrigibilem, ſcitur, quod aliqui calceos ipſa hyeme, alii capillos, alii dentes pro ludo, cum pecunia defecti, pacti ſint, Hinc etiam clepaces manus acquirunt, & domi parentibus, aut Dominis utenſilia domus ſuffurantur, ut ludum proſequi poſſint. Hinc Philoſophus triplex ſce-

ſceleratorum genus in unam faſcem colligavit, inquiens: *Aleator, & ſpoliator, & latro ex illiberalium genere ſunt.*

## L U X U R I A.

### 342. *Facit animam hominis ſervam carnis.*

Gen. 39. INjecit uxor Domini oculos in Joſeph: Quare dicitur uxor Domini? nonne erat Domina Joſephi mancipii? erat: nonne ergo compendioſius dici poterat: injecit Domina oculos in Joſeph? Reſpondet S. Ambroſ. *Recte uxor Domini, non Domina dicitur, quomodo Domina, quæ dominandi non habebat affectum, quæ ſervilis libidinis incentiva præſtabat.* (S. Ambr. l. de Joſeph. c. 5.) Pudeat te, quod anima tua nobilis Domina ſerviat carni mancipio: quid diceres, ſi videres equum ſuperbe phaleratum, ſeſſorem autem in centonibus, &c. B. ſerm. 2. n. 22. 23.

Jo. 8. *Qui facit peccatum ſervus eſt peccati.* Vide Tit. Peccator: Graviſſime laborat in ſervitute dæmonis. Quin imo non tantum in ſervam carnis mutat animam, ſed etiam in beſtiam transfigurat. Rex Tiridates, trucidans Virginem ſuæ impudicitiæ conſentire nolentem, in porcum mutatur. Quæ differentia eſt inter hunc Tiridatem & luxurioſum? illa, quod ille extrinſecus, luxurioſus ſolum intrinſecus habeat formam ſuillem, &c. P. p. 2. diſc. 12. n. 16. 16.

Imo luxuria non tantum hominem facit ſervum carnis, ſed omnino animalem & brutum: videmus hoc in libidinoſis, qui licet aliquando pœniteant, & miſeriam ſuam deplorent, tamen viſo objecto amato mox, quaſi mente carent, in priſtinas fœditates relabuntur. Id quod Propheta affirmat: *Fornicatio, & vinum & ebrietas auferunt cor.* (Oſea 4.)

Feminæ impuræ recte aſſimilantur ſui, ſeu porco: 1. Quia ſus eſt animal plane ſtolidum; ideo Ægyptii ſapientem repræſentarunt per Elephantem, & ſtultum per ſuem. 2. Sues tota die in cœno ſe volutant: ita femina laſciva non niſi impudicitia delectatur. 3. Sues ſunt pronæ in Venerem, ſic & femina laſciva. 4. Sus eſt animal impudens, & indocile: ita femina impudica, &c. C. Prov. 11. v. 22.

### 343. *Illius voluptates ſunt falſæ, & deceptoriæ.*

*Appropinquavit luctus ſe extendentium in lectum. Inclinata eſt ad mortem domus meretricis.* Poſſent nunc loqui, qui propter voluptates carnis damnati ſunt, o quomodo maledicerent illi plateæ, ductori, januæ &c. M. conc. 37. aſſ. 3. n. 6. B. ſerm. 14. n. 34. n. 35. Serm. 18. n. 13. S. punct. 64. f. 223.

Quid aliud relinquunt carnales voluptates, niſi afflictionem, & miſeriam. Abſalon rebellans dum ilicem pertranſit, frondibus inhæret, & tribus lanceis confoditur: (2. Reg. 18.) quercus libido eſt, quia non alios fructus generat quam ſordidorum animalium: ubi Cardinalis Hugo ait: *Abſalon peccator eſt, ſenſualitas mulus: Mulus tranſit & ipſe remanet ſuſpenſus:* Animæ reddendæ rationis onus imponitur, quæ triplici lancea id eſt triplici pœna punitur: pœna damni, ſenſus, & remorſus. A. lect. 6. n. 19.

Quam deteſtabilis eſt voluptas luxuriæ, quæ multiplicem miſeriam, & amaritudinem poſt ſe trahit. Prima eſt & conſiſtit in ſordibus, nauſea & morbis, præſertim lue Neapolitana, qua Deus fornicationem caſtigat. Secunda conſiſtit in damnis fortunæ, quia meretrices emungunt opes. Tertia in infamia nominis. Quarta, in litigiis, rixis, & pugnis cum meretrice impudenti. Quinta in reatu peccati, ira Dei, & morte tam præſenti quam æterna. C. Prov. 5. verſ. 4.

De Lyſimacho Rege narratur, quod ſitiens propter unicum hauſtum aquæ regno ceſſerit. Unde poſtmodum ſine fine lamentabatur: Me miſerum, qui propter unius poculi voluptatem coronam perdidi! Hæc lamenta luxurioſorum erunt in inferno!

### 344. *Raro emendatur ſerio.*

In Hiſtoriis mira narrantur de hominibus aquaticis. In Hollandiæ lacu capta eſt mulier marina, quæ docilis apparuit ad nonnulla humana, ſed loqui diſcere non potuit. In Friſia Vir barbatus & piloſus aliquot annos vixit, ſed mutus manſit. In Norvegia ejuſmodi Vir in mari captus ſtatim in navi mortuus eſt, in mare autem projectus revixit. (Jonſton. Thaumat. claſſ. 10. Libavius l. 6. de natur. rerum.) VV. art. art. diſc. font. 4. Ex. 3. Mare dicitur patria Veneris; ſicut ergo homines illi aquatici, ita etiam conſtituti ſunt luxurioſi, in duobus præſertim capitibus: Inprimis ſicut homines aquatici, utut in terra bene habeantur, tamen retro tendunt ad mare: Ita luxurioſi, utut in gratiam Dei revocentur, tamen ſemper ad ſpurcas voluptates retroſpiciunt. Secundo, ſicut illi aquatici, licet alias artes



humanas, nunquam tamen loquelam addiſcunt: ita luxurioſi raro in confeſſionali aperte & ſincere loquuntur. Quis ſperabit emendationem?

In Imperii Sinici mari invenitur piſcis, nomine *Hajul*, cujus adepsſi ſemel accendatur, nulla aqua vel arte amplius extingui poteſt. (Martin. Martinius in Atlan. Sinic.) VV. art. diſc. font. 28. Ex. 13. Sic ſi impurus ignis aliquando cor hominis corripuerit, raro perfecte extinguitur.

Non mirum eſt luxurioſos raro converti; quia inter omnes peccatores nullus minus capax eſt bene apprehendere motiva converſionis: luxuria enim ipſa comminuit cerebrum: Balthaſar Bonifacius teſtatur, in capite cujuſdam mulierculoſiſſimi hominis exiguam cerebri portiunculam invẽtam eſſe. (Balth. Bonif. in Hiſt. ludicr. lib. 6. c. 6.) VV. ar. diſc. font. 44. ex. 1.

Speciali, & vix non prodigioſa Dei ope opus eſt, ut laſcivus peccator emendetur. Quidam relicta uxore in eremum ſecedens graviſſimis tentationibus vexatur. Patres ergo occuparunt illum decumanis adeo laboribus, ut infirmaretur. Veniens autem ad eremum peregrinus, & cauſam illius infirmitatis agnoſcens ſuaſit illi, ut extraordinarium Dei auxilium imploraret, quod ſolum illi remedium profuit. E. *Indiſcretio* n. 1.

### 345. *Vinci debet per fugam occaſionis.*

Homines ſancti nil magis formidabant, quam occaſionem. S. Antonius cum millenis dæmonibus fuit colluctatus, & eos tanquam imbecilles deriſit: ubi vero mulier ad cellam ſe ſtitit, tunc cohorruit, tunc ad orationem confugit, tunc vectes in poſtibus duplicavit, &c. P. part. 1. diſc. 15. n. 12.

S. Franciſcus Saleſius a femina tentatus in faciem illi exſpuit, & tergum obvertit. P. p. 1. diſc. 23. n. 19.

B. Evagrius, quamvis in urbe Conſtantinopolitana Scripturarum eruditione floruerit, tamen in converſatione cum Nobili muliere in extremum pudicitiæ periculum incidit. Verum ecce! quondam Angelus in ſpecie militum præfecti ad eum venit, illumque catenis ligatum in carcerem traxit: anxius Evagrius, utut nullius culpæ publicæ conſcius eſſet, tamen ob peccatum ſuum agnovit Divinam ultionem, metuebatque, ne maritus illius Matronæ eum accuſaſſet. Incarcerato auxit terrorem, quod e vicinis cuſtodiis ſtrepitum & voces aliorum audiret, qui pro criminalibus cauſis a Judice diverſis ſuppliciis torquebantur. Dum ſic anxius tormenta & ſententiam metueret, rediit ad eum Angelus figuram amici indutus, atque lamentanti ac multum oranti promiſit, quod ſi juramento ſuper Evangelia ſe obſtringere velit, quod urbe Conſtantinopolitana abiturus eſſet, eum e carcere, & tormentis liberare vellet. Sic attulit Angelus Evangelium, Evagrius juravit, & dein Hieroſolymam abiit, ubi a B. Melania Senatrice Romana exceptus eſt. En quam neceſſarium ſit procul ab occaſionibus profugere. Spec. Ex. tit. *Converſio* n. 3.

Rogerius per integrum trientium non aſpiciens feminam, rogatus a fratre cauſam, repoſuit: Deus tantum dat caſtitatem cooperantibus: quod ſi aſpectus & occaſiones non fugias, Deus non tenetur te defendere, &c. E. *Oculi* n. 8.

Aliis ſceleribus jubemur reſiſtere fortes in fide, vitium autem luxuriæ oportet ſuperare fuga. S. Auguſtinus ait: *Apprehende fugam, ſi vis obtinere victoriam.* B. ſerm. 58. n. 17.

Moyſes Amalecitas eminus vincit, non cominus: ita luxuriam eminus vincere oportet. S. punct. 32. f. 139. Sego. Manna 25. Jul. n. 3.

Joſeph fugit Putipharis uxorem, & vincit: Samſon autem vincitur, quia non fugit. S. punct. 33. f. 141.

S. VVenefrida Virgo in Anglia a Cadoco Regis Alani filio in ſuo cubiculo occupatur: Virgo ſub prætextu minus decentis veſtitus exitum impetrat, ſed in Eccleſiam fugit. Cadocus deſpici ſe videns fugientem inſequitur, & capite truncat. Eo loco, qui a venerando capite tactus fuit, pulcherrimus fons erupit, Virgo vero ad preces ſancti Sacerdotis Benoji ad vitam fuit revocata. Sic fugiendæ occaſiones. R. cent. 2. par. 1. mir. 16.

Neo-converſi Chriſtiani in China proh quantam hac ex parte fortitudinem exhibuerunt. Quidam juvenis a famula domus diu, & demum etiam donis ſolicitatus, dona ad Dominum defert, & ei denunciat, ſe e domo abiturum, niſi contra impudicam ſe defenderet. Mirum id erat in gente voluptatibus nimium dedita. Pudeant noſtri Chriſtiani, qui ex occaſionibus pravis millies moniti non exeunt. R. cent. 3. mir. 45.

Elias perſecutionem Jezabelis fugiens, & in ſolitudinem delatus ſubter unam Juniperum quievit, & *petivit animæ ſuæ, ut moreretur.* (3. Reg. 19.) Mira petitio! ſi mori cupis mi Elia, cur perſecutionem fugis, ſi ſerio agis tantum ingredere urbem, irata

Je-

ſceleratorum genus in unam faſcem colligavit, inquiens: *Aleator, & ſpoliator, & latro ex illiberalium genere ſunt.*

## LUXURIA.

### 342. *Facit animam hominis ſervam carnis.*

*Gen. 39.* I*Njecit uxor Domini oculos in Joſeph*: Quare dicitur uxor Domini? nonne erat Domina Joſephi mancipii? erat: nonne ergo compendioſius dici poterat: injecit Domina oculos in Joſeph? Reſpondet S. Ambroſ. *Recte uxor Domini, non Domina dicitur, quomodo Domina, quæ dominandi non habebat affectum, quæ ſervilis libidinis incentiva præſtabat.* (*S. Ambr. l. de Joſeph. c. 5.*) Pudeat te, quod anima tua nobilis Domina ſerviat carni mancipio: quid diceres, ſi videres equum ſuperbe phaleratum, ſeſſorem autem in centonibus, &c. B. ſerm. 2. n. 22. 23.

*Jo. 8.* *Qui facit peccatum ſervus eſt peccati.* Vide Tit. Peccator: Graviſſime laborat in ſervitute dæmonis. Quin imo non tantum in ſervam carnis mutat animam, ſed etiam in beſtiam transfigurat. Rex Tiridates, trucidans Virginem ſuæ impudicitiæ conſentire nolentem, in porcum mutatur. Quæ differentia eſt inter hunc Tiridatem & luxurioſum? illa, quod ille extrinſecus, luxurioſus ſolum intrinſecus habeat formam ſuillem, &c. P. p. 2. diſc. 12. n. 16. 16.

Imo luxuria non tantum hominem facit ſervum carnis, ſed omnino animalem & brutum: videmus hoc in libidinoſis, qui licet aliquando pœniteant, & miſeriam ſuam deplorent, tamen viſo objecto amato mox, quaſi mente carent, in priſtinas fœditates relabuntur. Id quod Propheta affirmat: *Fornicatio, & vinum & ebrietas auferunt cor.* (*Oſeæ 4.*)

Feminæ impuræ recte aſſimilantur ſui, ſeu porco: 1. Quia ſus eſt animal plane ſtolidum; ideo Ægyptii ſapientem repræſentarunt per Elephantem, & ſtultum per ſuem. 2. Sues tota die in cœno ſe volutant: ita femina laſciva non niſi impudicitia delectatur. 3. Sues ſunt pronæ in Venerem, ſic & femina laſciva. 4. Sus eſt animal impudens, & indocile: ita femina impudica, &c. C. Prov. 11. v. 22.

### 343. *Illius voluptates ſunt falſæ, & deceptoriæ.*

*Appropinquavit luctus ſe extendentium in lectum. Inclinata eſt ad mortem domus meretricis.* Poſſent nunc loqui, qui propter voluptates carnis damnati ſunt, o quomodo maledicerent illi plateæ, ductori, januæ &c. M. conc. 37. aſſ. 3. n. 6. B. ſerm. 14. n. 34. n. 35. Serm. 18. n. 13. S. punct. 64. f. 223.

Quid aliud relinquunt carnales voluptates, niſi afflictionem, & miſeriam. Abſalon rebellans dum ilicem pertranſit, frondibus inhæret, & tribus lanceis confoditur: (*2. Reg. 18.*) quercus libido eſt, quia non alios fructus generat quam ſordidorum animalium: ubi Cardinalis Hugo ait: *Abſalon peccator eſt, ſenſualitas mulus: Mulus tranſit & ipſe remanet ſuſpenſus:* Animæ reddendæ rationis onus imponitur, quæ triplici lancea id eſt triplici pœna punitur: pœna damni, ſenſus, & remorſus. A. lect. 6. n. 19.

Quam deteſtabilis eſt voluptas luxuriæ, quæ multiplicem miſeriam, & amaritudinem poſt ſe trahit. Prima eſt & conſiſtit in ſordibus, nauſea & morbis, præſertim lue Neapolitana, qua Deus fornicationem caſtigat. Secunda conſiſtit in damnis fortunæ, quia meretrices emungunt opes. Tertia in infamia nominis. Quarta, in litigiis, rixis, & pugnis cum meretrice impudenti. Quinta in reatu peccati, ira Dei, & morte tam præſenti quam æterna. C. Prov. 5. verſ. 4.

De Lyſimacho Rege narratur, quod ſitiens propter unicum hauſtum aquæ regno ceſſerit. Unde poſtmodum ſine fine lamentabatur: Me miſerum, qui propter unius poculi voluptatem coronam perdidi! Hæc lamenta luxurioſorum erunt in inferno!

### 344. *Raro emendatur ſerio.*

In Hiſtoriis mira narrantur de hominibus aquaticis. In Hollandiæ lacu capta eſt mulier marina, quæ docilis apparuit ad nonnulla humana, ſed loqui diſcere non potuit. (*Jonſton. Taumat. claſſ. 10. Idem tit. l. 6. de naturſ. rerum.*) In Friſia Vir barbatus & piloſus aliquot annos vixit, ſed mutus manſit. In Norvegia ejuſm odi Vir in mari captus ſtatim in navi mortuus eſt, in mare autem projectus revixit. VV. art. art. diſc. font. 4. Ex. 3. Mare dicitur patria Veneris; ſicut ergo homines illi aquatici, ita etiam conſtituti ſunt luxurioſi, in duobus præſertim capitibus: Inprimis ſicut homines aquatici, utut in terra bene habeantur, tamen retro tendunt ad mare: ita luxurioſi, utut in gratiam Dei revocentur, tamen ſemper ad ſpurcas voluptates retroſpiciunt. Secundo, ſicut illi aquatici, licet alias artes humanas, nunquam tamen loquelam addiſcunt: ita luxurioſi raro in confeſſionali aperte & ſincere loquuntur. Quis ſperabit emendationem?



In Imperii Sinici mari invenitur piſcis, nomine *Hajul*, cujus adepaſi ſemel accendatur, nulla aqua vel arte amplius extingui poteſt. (*Martin. Martinius in Atlan. Sinic.*) VV. art. diſc. font. 28. Ex. 13. Sic ſi impurus ignis aliquando cor hominis corripuerit, raro perfecte extinguitur.

Non mirum eſt luxurioſos raro converti; quia inter omnes peccatores nullus minus capax eſt bene apprehendere motiva converſionis: luxuria enim ipſa comminuit cerebrum: Balthaſar Bonifacius teſtatur, in capite cujuſdam mulierculoſiſſimi hominis exiguam cerebri portiunculam invētam eſſe. (*Balth. Boniſ. in Hiſt. ludicr. lib. 6. c. 6.*) VV. ar. diſc. font. 44. ex. 1.

Speciali, & vix non prodigioſa Dei ope opus eſt, ut laſcivus peccator emendetur. Quidam relicta uxore in eremum ſecedens graviſſimis tentationibus vexatur. Patres ergo occuparunt illum decumanis adeo laboribus, ut infirmaretur. Veniens autem ad eremum peregrinus, & cauſam illius infirmitatis agnoſcens ſuaſit illi, ut extraordinarium Dei auxilium imploraret, quod ſolum illi remedium profuit. E. *Indiſcretio* n. 1.

### 345. *Vinci debet per fugam occaſionis.*

Homines ſancti nil magis formidabant, quam occaſionem. S. Antonius cum millenis dæmonibus fuit colluctatus, & eos tanquam imbecilles deriſit: ubi vero mulier ad cellam ſe ſtitit, tunc cohorruit, tunc ad orationem confugit, tunc vectes in poſtibus duplicavit, &c. P. part. 1. diſc. 15. n. 12.

S. Franciſcus Saleſius a femina tentatus in faciem illi exſpuit, & tergum obvertit. P. p. 1. diſc. 23. n. 19.

B. Evagrius, quamvis in urbe Conſtantinopolitana Scripturarum eruditione floruerit, tamen in converſatione cum Nobili muliere in extremum pudicitiæ periculum incidit. Verum ecce! quondam Angelus in ſpecie militum præfecti ad eum venit, illumque catenis ligatum in carcerem traxit: anxius Evagrius, utut nullius culpæ publicæ conſcius eſſet, tamen ob peccatum ſuum agnovit Divinam ultionem, metuebatque, ne maritus illius Matronæ eum accuſaſſet. Incarcerato auxit terrorem, quod e vicinis cuſtodiis ſtrepitum & voces aliorum audiret, qui pro criminalibus cauſis a Judice diverſis ſuppliciis torquebantur. Dum ſic anxius tormenta & ſententiam metueret, rediit ad eum Angelus figuram amici indutus, atque lamentanti ac multum oranti promiſit, quod ſi juramento ſuper Evangelia ſe obſtringere velit, quod urbe Conſtantinopolitana abiturus eſſet, eum e carcere, & tormentis liberare vellet. Sic attulit Angelus Evangelium, Evagrius juravit, & dein Hieroſolymam abiit, ubi a B. Melania Senatrice Romana exceptus eſt. En quam neceſſarium ſit procul ab occaſionibus profugere. Spec. Ex. tit. *Converſio* n. 3.

Rogerius per integrum trienium non aſpiciens feminam, rogatus a fratre cauſam, repoſuit: Deus tantum dat caſtitatem cooperantibus: quod ſi aſpectus & occaſiones non fugias, Deus non tenetur te defendere, &c. E. *Oculi* n. 8.

Aliis ſceleribus jubemur reſiſtere fortes in fide, vitium autem luxuriæ oportet ſuperare fuga. S. Auguſtinus ait: *Apprehende fugam, ſi vis obtinere victoriam.* B. ſerm. 58. n. 17.

Moyſes Amalecitas eminus vincit, non cominus: ita luxuriam eminus vincere oportet. S. punct. 32. f. 139. Sego. Manna 25. Jul. n. 3.

Joſeph fugit Putipharis uxorem, & vincit: Samſon autem vincitur, quia non fugit. S. punct. 33. f. 141.

S. VVenefrida Virgo in Anglia a Cadoco Regis Alani filio in ſuo cubiculo occupatur: Virgo ſub prætextu minus decentis veſtitus exitum impetrat, ſed in Eccleſiam fugit. Cadocus deſpici ſe videns fugientem inſequitur, & capite truncat. Eo loco, qui a venerando capite tactus fuit, pulcherrimus fons erupit, Virgo vero ad preces ſancti Sacerdotis Benoji ad vitam fuit revocata. Sic fugiendæ occaſiones. R. cent. 2. par. 1. mir. 16.

Neo-converſi Chriſtiani in China proh quantam hac ex parte fortitudinem exhibuerunt. Quidam juvenis a famula domus diu, & demum etiam donis ſollicitatus, dona ad Dominum defert, & ei denunciat, ſe e domo abiturum, niſi contra impudicam ſe defenderet. Mirum id erat in gente voluptatibus nimium dedita. Pudeant noſtri Chriſtiani, qui ex occaſionibus pravis millies moniti non exeunt. R. cent. 3. mir. 45.

Elias perſecutionem Jezabelis fugiens, & in ſolitudinem delatus ſubter unam Juniperum quievit, & *petivit animæ ſuæ, ut moreretur.* (*3. Reg. 19.*) Mira petitio! ſi mori cupis mi Elia, cur perſecutionem fugis, ſi ſerio agis tantum ingredere urbem, irata Je-

Jezabel ſtatim tibi mortis gratiam faciet. S. Ambroſius hic ſubintrans ait, S. Ambr. lib. de fug. ſæc. c. 6. Eliam non fugiſſe mortem corporis, ſed animæ, propter periculum perverſionis quam metuebat ex præſentia feminæ: *Utique non mortem, ſed mulierem fugiebat, converſationis maculoſæ contagionem.* Si periculum eſt ex muliere perſequente, quantum ex blandiente?

### 346. *Abſcondi non poteſt.*

Eſau tantum in corde ſuo dixit, ſe velle occidere fratrem: & tamen hæc nuntiata ſunt Rebeccæ. Per quem? credibile eſt, quod Eſau familiarem habuit amicum, cui ſecreto concredidit ſuam intentionem, hic alteri donec ad Rebeccam devenerit: ſic fit in peccato luxuriæ. B. ſerm. 58. n. 13.

*Tegi nequit vitium*: in domo Pharaonis erant ranæ innumeræ coaxantes: cur venerunt ex aquis? Reſp. quia ibi ſuffocati ſunt infantes. O quot miſeri infantes perempti ſecreto tuum ſcelus ex aquis coaxant. B. ſer. 58. n. 14. In domo tua multæ ranæ ejuſmodi ſunt, ſatis clamoſæ, uti famuli, ſocii, qui ſentiunt te meticuloſum, ancillæ, quæ ſchedas, & munuſcula ferunt, extranei, qui veſtium luxum obſervant, quem ex tuiſmet fortunis procurare non potuiſti. B. Ib. n. 15.

*Lapis de pariete clamabit, & lignum* Habac. c. 2. *quod inter juncturas ædificiorum eſt, reſpondebit*: ubi Ludovicus de Ponte: ſcilicet peccata occulta reſpondebunt. M. conc. 6. aſſ. 2. num. 7. Vide Lucianum Dom. 8. poſt Pent.

Herodes necem Joannis non poterat occultare, ſed videns Chriſtum, exclamavit: Vere hic eſt Joannes Baptiſta, &c. M. conc. 9. aſſ. 2. n. 2. & ſeq.

Jonæ in facie videri, & notari poterat, quod fugeret contra Deum. M. conc. 9. aſſ. 2. nu. 2. & ſeq. Vide Titulum: *Peccatum*.

Impurus amor comparatur igni: ignis tam arcte concludi, & occultari non poteſt, ut non flamma, fumo, calore, aut ſtrepitu ſe prodat.

### 347. *Dedocetur memoria mortis.*

Prov. 30. *Sanguiſugæ duæ ſunt filiæ dicentes affer, affer*: ſub nomine ſanguiſugæ intelligitur cupiditas carnis: ſed quomodo Vinc. Belluac. l. 30. ſpec. c. 155. compeſcenda eſt? Vincentius Belluacenſis ait: *Parum cineris aſſume, & pulveriza ſuper os ejus, ſtatim enim contrahit ſe, & ab appetendo ceſſat.* Cinere mortuorum ſtatim libido compeſcitur. B. ſerm. 17. nu. 29. S. punct. 125. f. 389. Vide Titulum: *Memoria Mortis.*

Juvenem innocentiſſimum ſcelerati ſocii pervertere conantes in ejus cubiculum clam impudentem feminam includunt, eamque inſtruunt, quomodo juvenem ad nefas adducere deberet. Redux juvenis cum blandam ac pulchram meretricem invenit, mox arripuit calvariam, qua ad pias meditationes utebatur, eique dixit: En impia, tua formoſa facies paulo poſt ad iſtius ſimilitudinem aſpicientibus horrorem incutiet. Et vero flens mulier converſa eſt, & deinceps caſte vixit. J. 14.

Remedium contra luxuriam efficax & optimum eſt abalienatio animi a rebus terrenis, quæ eſt quaſi mors voluntaria animæ, ſeu ſpiritualis: ſtudeat homo adhærere Deo, & affectum avellere a rebus tranſitoriis, etiam licitis, & erit ſecurus contra graves tentationes: Joſephum Ægyptium Domina domus ad pudendum ſcelus pellexit, ſed ille relicto pallio aufugit, & vicit. Quid illi opportunum maxime commodumque extitit ad victoriam? Nempe illud, quod pallium nec fibulis, nec nodis, nec ligaminibus corpori arctius adſtrictum habuerit, ſicque illud tanto expeditius a ſe abjicere potuerit, cum laſcivis manibus a Domina teneretur. S. Franc. Saleſ. in Direct. c. 4. §. 3. Cogitet infelix peccator, quam inania, tranſitoria, & nociva ſint mundi bona, paulo poſt per mortem abripienda, ſicque diſcat affectum prior ab illis abripere, ac contemnere, quod hactenus perperam amavit.

### 348. *Iram Dei concitat ſuper regna & urbes.*

Spirneus ait: *Qui fieri poteſt, ut regna, & Reſpublicæ, in quibus luxuria, & deliciæ vigent, diuturna proſperitate fruantur?* Spirn. l. 5. de tranquil. ani.

Et Salvian. ubi de excidio urbis Carthaginenſis loquitur: *Quid aliud talis populus agebat, niſi cum eum Deus perdere adhuc fortaſſe nollet, tamen ipſe exigeret, ut periret.* Salvian. l. 6. de gubern. Dei. Diluvium orbis, incendium Sodomæ, excidium Sichimitarum, cædes tribus Benjamin propter luxuriam facta ſunt, &c. B. ſerm. 71. n. 21. & ſeq.

Quin etiam innocentes patiuntur propter impuros. In diluvio etiam ſuffocantur nepotes Seth, quia permixti erant nepotibus Cain impudicis, ait Theodoretus. B. ſer. 38. n. 42.





Supplicia Dei punientis tanto ſunt certiora ac graviora, cum impudentia luxuriæ fit publica: Deus magis iratus fuit Davidi, cum Bethſabæam duxit in uxorem, quam cum peccavit cum illa; quia ducendo in uxorem publicum ſcandalum dedit. &c. B. ſerm. 23. n. 34. Item ſerm. 21. n. 16. Vide Tit. *Peccatum*: Publicum cauſat iram Dei.

Sed cur peccata luxuriæ adeo invaleſcunt, ut etiam publica non amplius erubeſcantur? ideo quia a ſuperioribus, & Patribusfamilias non coercentur. Cur autem non coercentur? quia illi ejuſdem ſunt, aut fuerunt furfuris. Villicus ille iniquitatis ſcelerate egit, & tamen fuit laudatus ab hero. Quare laudatus? quia forſan hic ipſe Herus olim, dum famulum agebat, eadem iniquitatis pice fuit inquinatus. Multi Patresfamilias ad ſcelera famulorum tacent, quia eodem Noſocomio laborarunt. Quid mirum ſi Deus totam communitatem puniat?

### 349. *Si in conſuetudinem creſcat, difficulter corrigitur.*

Sanctus Paulus Felicem illum non potuit a latere Druſillæ avellere. Dæmoniacus ille modo in ignem, modo in aquam raptus Divina virtute debuit curari. &c. S. punct. 116. fol. 357.

Corvus dum ex arca exit, & redit, dum circumvolitat, & a cadaveribus abſtrahitur, tandem merſus eſt: ita a pari evenit cum luxurioſis. S. punct. 38. fol. 140.

Quidam Encrates erat Diſcipulus Magi Ægyptii, a quo omnia arcana Magica addiſcere ſatagebat. Quondam in urbe Mempheos dimiſſis, quos habebat, famulis Ægyptius ſcopam pallio, & veſtibus induit, eique verbum aliquod magicum quaſi in aurem inſuſurrat: ecce res mira! ſcopa humanam ſpeciem induit, & omnia famuli ſervitia facit, ſtravit menſam, co- Mart. Del. Rio lib. diſq. Mag. in annot. cap. numer. 4. quebat cibos, portabat aquam. Finito ſervitio magus iterum quædam verba huic famulo in aurem dixit, & iterum factus eſt ſcopa. Abſente igitur Mago Encrates ille putabat ſe verbum illud incantatorium obſervaſſe, veſtit igitur ſcopam, verbum enunciat, eique præcipit, ut aquam portaret. Portavit, atque ingens vas complevit: jubet Encrates, jam deſineret, ſatis eſſe, ſed quia verba ultima pacificatoria ignoravit, ſcopa integram domum, fere ad ruinam uſque, aquis complevit: arripit igitur aſciam & diffindit ſcopam, ſed ſuo malo; quippe ubi prius erat unus jam erant duo portitores: nec ceſſavit malum antea, quam vocatus Magus quietem præcepit. Mi peccator, tu putas unicum obſequium, & unica vice velle acceptare a diabolo, verum non deſinet ille tibi obtrudere aquam libidinis uſque ad ſuffocationem. &c. D. 4. 100.

Lutum ex natura ſua molle ſi in ignem veniat, inſtar lapidis indureſcit: ne quære cur ille, qui antea animum habebat flexibilem, nunc ad omnia monita ſit duriſſimus? ignis impurus eum induravit. Vultur tam pertinaciter cadaveri inhæret, ut baculo poſſit occidi, ita laſcivi nec morte emendantur. P. p. 2. diſc. 10. n. 13.

Sacerdos ad ægrotantem vocatus, adhibita omni opera efficere non potuit, ut ille concubinam dimitteret: dicebat enim, ſe multa beneficia ab illa accepiſſe, & nunc maxime indigere ejus auxilio: ſi convaleſceret, viſurum ſe, quid ſtatuendum eſſet, & quæ ſunt ſimilia. Sicque mortuus eſt. J. 53.

Her & Onan mariti Thamar propter peccatum mollitiei a Deo terribiliter puniti, & occiſi ſunt. Ita fit! hoc peccatum non finitur niſi morte; cum enim in aſſuetudinem creſcit, inemendabile fit, niſi mira, rara, & extraordinaria Dei gratia eis ſuccurrat. C. Gen. 38. v. 7.

Cur luxuriæ ſcelus fere ſit inemendabile, ratio eſt. 1. Infirmitas naturæ lapſæ ex Adamo; hæc enim ingens eſt in appetitu concupiſcibili. 2. Inſatiabilis cupiditas peccati voluptuoſi. 3. Blanditiæ meretricum, quæ mille artes norunt devinciendi amaſios. 4. Fraus dæmonis, qui lapſo ſpecies refricat voluptatis præteritæ, & ad eam iterato captandam impellit. C. Prov. 2. v. 19.

S. Vincentius Ferrerius ait: *Ex quo mulier prima vice perdidit verecundiam, non habet faciem reſiſtendi.* Eccleſiaſticus ait: *qui diſſipat ſepem, mordebit eum coluber.* Et alibi: *ubi non eſt ſepes, diripitur poſſeſſio.* Quid nomine ſepis veniat, explicat Laurentius, inquiens: *Sepi pudorem virginalem ſignificare poteſt.* B. ſerm. 36. n. 32. & ſeq.

### 350. *Punitur a Deo graviſſime.*

Ruben quia cum Bala uxore ſecundaria patris ſui Jacobi turpiter peccavit, perdidit primogenituram: *Effuſus es ſi-* Gen. 49. *cut aqua.* Quemadmodum aqua effuſa in vaſe nihil relinquit, non odorem, non ſaporem, non colorem; ita luxuria hominis vires, judicium, ſapientiam, fa-

mam, opes, bonaque omnia effundit & profundit. C. Gen. 49. v. 4.

Amantis jecur dicitur ſagitta transfigi. 1. Quia jecur eſt ſedes amoris. 2. Fons ſanguinis & conſequenter & ſeminis. 3. Quia dum jecur ſagitta transfigitur, ſubinde fit, ut homo rideat, & ridendo moriatur. 4. Quia jecur eſt Symbolum voluptatis, & felicitatis, quo transfixo illico homo concidit & moritur. &c. C. Prov. c. 7. v. 23.

Gen. 6. Tempore, quo omnis caro corruperat viam ſuam, Dominus Deus totum mundum diluvio obtexit, ut eum quaſi ab inviſo conſpectu ſuo removeret.

Gen. 18. Urbes Sodoma & Gomorrha turpiſſimo luxuriæ vitio adeo infectæ ſunt, ut ne decem quidem juſti in eis inventi fuerint, & ipſi etiam Angeli ad ſtupra, & impietatem invitati ſint. Ideo Deus urbes cum tota regione terribili incendio vaſtavit.

Isboſeth filius Saul corripuit Abner, eo quod auſus fuiſſet ingredi ad concubinam Patris ſui. Id ægerrime ferens Abner, procuravit illi auferri regnum, & paulo poſt uterque amiſit vitam, & patriam.

Ammon & Abſalon filii Davidis deteſtabili flagitio ſe contaminarunt. Primus cum ſorore ſua Tamar, alter cum concubina Patris ſuis, & uterque paulo poſt infelici morte extincti ſunt. Sic Dei vindicta cito ſubſequitur hoc ſcelus.

Prima plaga Ægypti fuit in flumine Nilo, dum omnis aqua in ſanguinem converſa eſt: cur? quia Ægyptii Nilum pro Deo ſuo habuerunt: O juvenis, nunc caducam formam pro Dea habes: at hæc tibi materia pœnæ erit. M. conc. 8. aſſ. 2. n. 1.

Abſalon dum in comis deliciatur, in comis perit: a decem armigeris occiditur, quia ad decem concubinas patris ingreſſus eſt. M. conc. 8. aſſ. 2. n. 8. 10.

Phaon, Livia, Valentinianus Imperator, Bias, aliique ob turpitudinem morte violenta pereunt. C. Num. 25. v. 6.

Carolus I. Rex Navarræ luxurioſiſſimus lepram contrahit, a qua cum linteis vino aduſto tinctis ſanari vellet, ſubito lintea, quibus medicus candelam incaute admoverat, flammam conceperunt, & Regem miſere concremarunt. D. 11. 32.

Propter ſcelus luxuriæ mundus punitus eſt diluvio, Sodoma & Gomorrha exuſtæ, urbs Sichem devaſtata, David graviter punitus, Mariti Saræ ab Aſmodæo ſtrangulati, Judices Suſannæ lapidati, Salomon omni honore privatus, populus Iſrael multis plagis confectus, Ruben a patre maledictus, Onan ob mollitiem repentina nece extinctus, alii aliis pœnis obruti ſunt. Sanch. 5. part. c. 8. fol. 573.

Valentinus Patricius Brixiæ, homo luxurioſus in templo S. Fauſtini poſt mortem ſepultus eſt. Monitus fuit Epiſcopus, ut indignum cadaver exhumaret, quod cum ille facere negligeret, trigeſimo die mortuus eſt. Dæmones autem cadaver Valentini, laqueis ad pedes alligatis, extra Eccleſiam traxerunt, & in loco profano ſepelierunt. E. *Luxuria* n. 2.

Pictor artificioſiſſimus ſed impurus, poſtquam tota die cum ſcorto impudentiſſime converſatus eſt, veſperi in morbum & mortem incidit. &c. J. 76.

Eudoxia ex infami femina fit pœnitens, Philoſtratus ejus amator vult eam ſub ſchemate Monachi pervertere, ſed repentina morte moritur. R. p. 1. Mir. 10.

351. *Excluditur e cælo.*

Deus columbas excluſit ab holocauſto, non vero pullos columbarum: quia columbæ ſunt luxurioſæ: *Quia libidinoſa avis eſt*, ait Bernardus. B. ſerm. 51. §. 5.

Perverſiſſimus mundus hodie peccata immunditiæ vocat jocum. Verum expedite poteſt reſponderi illud S. Chryſologi; *Qui jocari voluerit cum diabolo, non poterit gaudere cum Chriſto.* S. Chryſ. ſer. 134.

Dominus Deus leporem inter immunda animalia reputavit, quibus veſci non licebat Judæis, nec ad altare offerri poterant. Quare? quia lepus eſt animal valde luxurioſum, unde tot fœtus ſimul concipit & parit, imo juxta aliquos utrumque ſexum habet. C. Lev. 11. v. 6.

Salomon per mulieres adeo depravatus eſt, ut ſimulacra gentium adorarit, & magnum hodiedum dubium ſit, etiamſi Deo templum ædificarit, & multa bona præſtiterit, an non æternum perierit.

Turpiſſimum hoc ſcelus præ cæteris exiguam aut nullam ſpem ſalutis habet, quia raro ſolum eſt, ſed plura ſcelera poſt ſe trahit. Davidis adulterium, poſt ſe traxit Uriæ homicidium, luxuria duorum ſenum calumnioſam accuſationem innocentis Suſannæ, impudicitia Herodiadis occiſionem S. Joannis Baptiſtæ. Et ſic hoc ſcelus raro ſolum eſt, ut non cauſet inimicitias, detractiones, temeraria judicia, ſcandala, lites, inſidias, cædes, & alia enormia crimina. Per alia delicta diabolus piſcatur hamo, per luxuriam, reti & ſagena.

Inter convivas ad cœnam invitatos, ille,



ille, qui uxorem duxit, impoſſibilitatem

Luc. 14. obtendit: *Non poſſum venire!* ex quo patet, quam procul luxurioſi abſint a Cœna Domini, &c.

352. *Perducit tandem ad deſperationem.*

Juvenis inſano amore pulcherrimæ Monialis captus adiit Magum rogans, ut ſuis incantationibus Monialem ad reciprocum amorem accenderet. Magus evocatum ex orco dæmonem ad cellam Monialis miſit, ſed iſte ob imaginem S. Hieronymi cubiculum intrare non potuit. Miſit Magus alterum dæmonem, & iſte a S. Hieronymo catenis conſtrictus cum miſerum in modum clamaret, convocatis monialibus deluſus & egregie percuſſus eſt. Dimiſſus igitur involavit in Magum, & eum fere ad mortem verberibus contudit; periiſſet ille, niſi voto melioris vitæ fuiſſet a S. Hieronymo liberatus. Juvenis autem amans & amens cum ſe oleum & operam perdere vidit, deſperans, laqueo ſe ſuſpendit. E. *Imago* n. 1.

Juvenis laſcivus, cui Confeſſarius denegationem abſolutionis minitabatur, reſpoſuit, Bene facis Pater: fateor enim ſi apertum infernum ex hac parte, & ex altera perſonam familiarem cernerem, peccarem cum illa, etſi ſcirem, eo momento me a dæmonibus rapiendum. E. *Sodomia* n. 9.

Mulier nobilis & forma præſtans in juventute ex morbo in periculum vitæ adducta, Deum enixe rogitabat, ut ſibi vitam prorogaret. Cum vero deficientibus viribus ſe morituram ſenſit, latrare contra Deum cœpit, & dicere: quandoquidem tam immature mihi vitam eripis, ego quoque meam tibi animam eripio, ac dæmoni una cum corpore trado: præſto adfuit dæmon & eam abripuit. J. 141.

Dæmones a Chriſto Domino ex energumenis expulſi petierunt licentiam invadendi gregem porcorum. Cur ita? ut incolæ regionis illius ex jactura porcorum in mari ſubmerſorum odium conciperent contra Chriſtum, quod & factum eſt: nam accedentes Geraſini ad Dei Filium rogarunt eum, ut a ſua vicinia recederet. Ita faciunt luxurioſi, malunt perdere Chriſtum, quam porcinas ſuas voluptates. D. 5. 24. P. part. 2. diſ. 1. n. 8.

353. *Permittitur in pœnam ſuperbiæ.*

Monachus de ſuis meritis nimium confiſus & arrogans a dæmone, mulieris ſpeciem induto, & ſero veſpere ad cellam Monachi veniente adeo decipitur, ut jam ille poſt delectationes internas in illius amplexum involare voluerit. Tum autem diſparuit dæmon & eum ludificans clamavit, o Monache, qui te uſque ad cælum extollebas, quomodo demerſus es uſque ad infernum? Ille autem pœnitentiam non egit, ſed in peccatis ſordeſcere perrexit. E. *Luxuria* n. 6.

Monachus ex energumeno dæmonem ejecturus juvenem caſtiſſimum ſecum in auxilium ſumpſit. Cum ergo dæmonem quæreret, cur non exiret cum juvenis iſte præciperet, reſpoſuit dæmon: Non illum timeo, quia ſuperbus eſt, &c. E. *Superbia* n. 3.

Deus præcepit, ut altare non ædificetur cum gradibus: ubi Rupertus, in altari cordis tui non facias gradus, ideſt, non extollaris de tuis profectibus; quia ſuperbiam mentis comitatur contumelia carnis. C. Exod. 20. in fine.

Verum quidem eſt, quod libido nutriatur commoditate vitæ, defectu mortificationis, libertate ſenſuum præſertim oculorum, eſu & potu, vino & ebrietate, converſatione incauta cum altero ſexu, aliiſque periculis, ſed ubi ſuperbia acceſſerit, qua homo ſuis meritis aut propriæ virtuti continentiam ſuam adſcribit, proximus eſt lapſui, ut diſcat humiliari, & in ſeipſo confundi.

Multi in hoc vitio infirmi, poſtquam aliquo tempore adhibitis remediis continenter vixerunt, jam invincibiles ſe putant, & ad priſtinam occaſionem reverti audent. Monet conſcientia de periculo? Illi autem elicito prius firmiſſimo propoſito audacter pergunt. Ecce, hæc ipſa audacia, & ſuperba præſumptio meretur a Deo derelinqui. Cadunt iterum miſeri, & ſemper infirmiores toties cadunt, donec non amplius reſurgant.

354. *Ad inſaniam ſtulteſcit.*

Adulter audita adulteræ morte ſeipſum voluit occidere, ſed impeditus a famulis, cum gemino amaſiæ ſuæ ectypo in ſolitudinem abiit, continuo lacrymans, & cum amaſia colloquens, donec vi doloris exhauſtus, Veneris & dæmonis martyr obiit. T. n. 365.

Puella amantis cineres in clepſydra adhibuit, die noctuque ad eam lacrymans. T. n. 367.

Bruta eſt libido, quæ præ aliis vitiis homini, etiam ſapienti cor & mentem eripit; idcirco Diogenes ſcorta vocavit

*regum reginas*: quia Reges dementant, populus enim a Rege non ſemper impetrat quod petit, impetrat autem ſcortum, cui nihil negatur. Salomon ſua experientia doctus edixit: *Vinum & mulieres apoſtatare faciunt ſapientes*. Ægroti ex febre nonnumquam delirant: *Febris autem*, ait S. Ambroſius, *libido eſt*, quæ infatuat, imo eripit cor, ut libidinoſus inſtar epileptici æſtuare & furere incipiat. Theotimo, oculorum ægritudine laboranti ſuaſum eſt a Medico, ut a mulieribus abſtineret: non acquievit ille conſilio, & oculos amiſit. C. in Oſee 4. v. 11.

Oſee 7. *Ephraim quaſi columba ſeducta non habens cor*. Columba eſt vecors & ſtupida volucris, 1. etiamſi centies pullos furto perdat, tamen ad priſtinum nidum revertitur, quod non faciunt aliæ volucres. 2. Reliquæ aves fugiunt retia & aucupem; columba propter eſcam, præſertim tempore nivis, ſponte in rete incurrit. &c. C. Oſee 7. v. 11.

Cervus pro ſtultitiæ ſymbolo habetur; quia dum hominem venantem cernit, illius ſagittas, & arcum miratur. Sic homo impurus ſtulteſcit, dum feminæ ſpeciem, quæ arcus eſt & ſagitta, quibus transfigitur, miratur! C. Prov. 7. v. 23.

355. *Semper vereundeſcit, niſi omnia incentiva extirpentur.*

Judicha conopæum Holofernis in anathema oblivionis obtulit, quia erat ab amante: cur tu reſervas annulum, epiſtolam, munuſcula?

Cum populus Iſrael in captivitate Babylonica propter organa & cantos derideretur, ſuſpenderunt organa, quin imo Levitæ præciderunt ſibi pollices, ne amplius uti poſſint his inſtrumentis: ſic ſic fugiendæ, ac impoſſibilitandæ ſunt occaſiones. S. punct. 33. fol. 143.

Luxuria ſemel incepta, ni ſtatim abrumpitur in abyſſum ſcelerum ducit. Pſalm 57. Propheta de peccatoribus dicit: *Ad nihilum devenient velut aqua decurrens*. Quid fit cum aqua decurrente? intuimini rivum præterfluentem hujate, primo fluit in Vindam, ex Vinda venit in Lycum, ex Lyco in Danubium, ex Danubio in Savum, & tandem in Mari mergitur. Sic peccatum luxuriæ ſemper creſcit: tandem in mari inferni demergitur. &c.

Homo in juventute laſcivus ſucceſſu temporis reſipuit. In ſenectute autem cum ea uno oculi ictu cum vidua familiaritatem ſalutando & reſalutando contraxit, in priſtina peccata, non ſine ingenti animi afflictione relapſus eſt. J. 54.

Deus præcepit populo, ut ſibi altare ædificarent non ex ſectis, ſed crudis lapidibus. Quare? Nimirum ſi populus lævigare debuiſſet lapides, indiguiſſent ad hoc ferris, ſcalpris, cultris &c. quibus inſtrumentis facile etiam uti potuiſſent ad ſimulacra ſcindenda. Ut igitur Deus periculum omne præverteret idololatriæ, maluit crudum quam politum altare. C. c. 20. v. 25.

356. *Excæcat, & diſponit ad Atheiſmum, Apoſtaſiam.*

Abimelech excuſavit ſe erga Abrahamum, quod Saram rapuerit ignarus, conqueritur que de fictione: cui Abraham: *Cogitavi, forſitan non eſt cultus Dei in loco iſto*: Credere id poterat, quia cultus Dei non eſt, ubi eſt luxuria. S. pun. 116. f. 356.

*Dixit inſipiens in corde ſuo non eſt Deus*: Talis inſipiens eſt luxurioſus. &c. S. punct. 9. fol. 574.

*Vinum & mulieres apoſtatare faciunt ſapientes*. Nicolaus ille Diaconus primo bonus, deinde ita inſanuit, ut doceret carnis voluptatem eſſe ad ſalutem neceſſariam. Salomon propter voluptatem mulierum idola coluit. Meretrix Babylonica habebat poculum aureum, id eſt ait Hugo, ſcientiam Scripturarum, quam perverſe ad ſuam voluptatem exponit. S. punct. 9. fol. 573. P. Hom. Chr. p. 1. diſ. 2. n. 14.

Hæretici ſuas Sectas ut plurimum propagarunt per mulieres, uti Simon Magus, Nicolaus Antiochenus, Marcion, Montanus, aliique &c. S. punct. 9. fol. 574.

Religioſus graviſſimi criminis accuſatus e Monaſterio dimiſſus, dein in ſæculo ſacerdotio initiatus, cum Legato Gallico Byzantium venit, ibi cum puella e gynecæo turpiſſime converſatus, ut pœnam intentatam fugeret, ad Turciſmum tranſiit, ſed ibi paulo poſt per ſicarios trucidatus periit. T. n. 176.

*Radix omnium malorum eſt cupiditas* 1. Tim. 6. (ſpurcæ voluptatis) *quam quidam appetentes erraverunt a fide*. Vide quomodo luxuria non tantum voluntatem, ſed etiam intellectum depravet: multi ſunt qui metu tormentorum fidem negarunt: malum hoc non fuit intellectus, ſed voluntatis, quam nempe metus tormentorum debilitavit, uti factum eſt in S. Petro. Cupiditas plus facit, quia etiam excæcat intellectum. Ratio eſt, quia fides Chriſtiana nimium quantum adverſatur votis impurorum, & ideo cum ferre non poſſunt acerbos conſcientiæ remorſus, ſenſim falſo ſibi perſuadent, non eſſe adeo certa, quæ de rebus alterius vitæ ſparguntur. Dicunt: *Non eſt qui agnitus ſit reverſus ab inferis*. Segn. Manna 30. Mart. n. 2. Et 6. Sept. n. 3.



357. *Unde plerumque initium trahat.*

Primo: Luxuria trahit initium a levi familiaritate: ideo Chriſtus diſcipulis prohibuit; neminem ſalutaveritis, quia ab ejuſmodi ſalutationibus ſæpe noxia familiaritas contrahitur. B. Serm. 28. n. 14. M. conc. 5. aſſ. 2. n. 2.

Secundo: a curioſa evagatione: Dina Jacobi filia a Principe Sichem opprimitur: Bernardus ait: *Quid neceſſe eſt, ut videas mulieres alienigenas? etſi tu otioſe vides, non otioſe videris*. B. Serm. 28. n. 16. Serm. 36. n. 21.

Tertio: a familiaritate primitus laudabili: Putipharis uxor, teſte Linconienſi, primo ad ſe vocavit Joſephum ſub prætextu Religionis: *Ut ſub pietatis ſpecie ſic frequentior eſſet familiaris acceſſus*: Tu dicis, quod propter emolumentum ſpirituale hanc perſonam frequentes? cave! latet anguis in herba. B. Serm. 58. n. 41. Serm. 79. n. 11. ſeq.

Quarto: a proſperitate, & affluxu rerum mundanarum. B. Serm. 65. n. 19.

Davidis peccatum ab uno aſpectu initium traxit: unde etiam, quæ primitus levia videntur, vitanda ſunt. Lapis a fulmine excuſſus duriſſimus eſt: unde tanta durities? initio levis vapor fuit. Ita quædam levitas, invitatio, viſitatio initium eſſe poteſt, ut talis anima in lapidem induretur, quo diabolus alias animas ſternit: fit publicum ſcandalum, dedecus familiæ, & domus ruina: omnes ictus ad illam emolliendam ab animarum curatoribus adhibiti, magis eam inducant, ſicut incudem mallei. Igitur S. Job cum oculis ſuis fœdus pepigit, quia etſi aſpectus necdum grave quid ſit, tamen cogitationes, concupiſcentias & conſenſus poſt ſe trahit. Aſpidis ovum nocivum non eſſet ſi ſemper maneret ovum, ſed ſi parvo calore foveatur, fit aſpis: ita modica familiaritas damnabilis nondum eſt, ſed pedetentim perducit ad damnabilia peccata. P. p. 2. diſc. 10. n. 4. J. 54. Oculi mulieris ſunt quaſi rete capiens aſpicientes. C. Prov. 6. v. 25.

Periculoſæ ſunt illecebræ mulierum ſeu meretricum: Primus eſt ornatus, & habitus impudens; nam uſu gentium meretrices incedunt habitu ab honeſtis matronis diverſo, ornant ſe ſuper opes, & ſtatum. 2. Præparata eſt ad animas capiendas, quia mille excogitat artes, & fucos, quibus incautos ſeducat. 3. Eſt garrula, vaga, ſuperba; agitur enim æſtu cupiditatis. &c. C. Prov. 7. v. 10.

Meretrix eſt foſſa, in quam amaſii præcipites trahuntur. 2. Eſt mors, quia amaſiorum animas interficit, qui nonnunquam digladiando ſeſe invicem occidunt. 3. Eſt ſepulcrum dealbatum, quia exterius compta, interius ſordida eſt. &c. C. Prov. 23. v. 27.

358. *Relinquit peſſimos effectus in anima. Præſertim trahit ad plura peccata.*

Luxuria cauſat cæcitatem intellectus, inconſiderantiam, inconſtantiam, præcipitantiam, amorem proprium, contemptum Dei, inordinatum amorem vitæ, terrorem æternitatis. His ita ſe habentibus quis non videt difficillimam eſſe emendationem illius, qui aliquando incæpit turpiſſimo hoc peccato ſe inquinare. B. Serm. 58. n. 2.

Veteres magnis ſumptibus ædificarunt labyrinthos, uti in Ægypto, in Inſula Candia, in Inſula Lemnos, & alibi, in hos quiſquis auſus eſt ingredi non amplius inveniebat reditum, ſed tamdiu circuibat, donec in prædam cederet Minotauro. Parem in modum qui aliquando ingredi audet viam immunditiæ, raro regreditur, ſed pergit, donec pereat. D. 5. 30.

*Telas araneæ texuerunt*: ſicut enim aranea ſtatim intricat muſcam, ita diabolus luxurioſum captivat poſt primum ſtatim peccatum. Quid fit? id quod Raulinus ait: *Inde multi ita involvuntur, quod nunquam poſſunt ſe inde retrahere*. Raulin. Itin. Ser. 11. de Matrim.

Innocentius quidam, cum ejus filius in peccatum luxuriæ lapſus eſt, rogavit Deum, ut a malo dæmone obſideretur, ne porro in talia peccata incideret, quod & factum eſt. Sanchez 6. par. c. 2. fol. 650.

Multi ſunt, qui putant tantum unica vice ſe velle guſtare voluptatem obſcenam: Verum mi bone hæc unica guſtatio tantum veneni relinquit, ut jam caro aperte rebellet: non ſatiatur libido, ſed irritatur. Intuere leonem cicuratum, ſi ſemel irritatur, proh quanti moliminis eſt iterum compeſcere: expedit ergo nunquam irritare. Multi putarunt ſe uno vel altero peccato velle eſſe contentos, ſed in mille alia abrepti experti ſunt, ſe non eſſe du-

dominos, ſed mancipia peccati. Homines illi, qui aliquando crus, aut brachium fregerunt, per omnem vitam præſertim turbida tempeſtate ſentiunt dolorem: ita qui ſemel luxuria lapſus eſt, ſemper erit imbecillis, præſertim oriente turbine tentationis. &c.

### 359. *Male dicitur amor, quia amor non eſt.*

Ammon ægrotabat propter amorem ſororis Thamar: poſtea eam odio habuit *magno nimis*: ita ordinarie fit, *ut qui ſe priùs ardentius diligere videbantur, eo ſe poſtmodum vehementiori odio proſequerentur*. Ait Hugo Cardinalis. B. Serm. 58. n. 21. 22.

Figura Bethſabææ amatæ erat ovicula rapta, & aſſata: ſic multæ mulieres in inferno aſſantur propter ſuos amatores: an hic amor eſt? B. Serm. 58. n. 23.

Putiphar prius amare viſa Joſephum, deinde eum accuſavit: O quoties iſte amor in accuſationem deſinit. B. Serm. 58. n. 24.

Amatores ſibi mutuo jurant fidem: ſed quomodo fidem ſperas a muliere, quæ infida eſt Deo? Rahab exploratoribus fidem ſpondet, deinde prodit. B. Ib. n. 25. S. punct. 106. fol. 356. in fine. M. conc. 8. aff. 2. n. 6.

Dominus Deus mulierem impudicam punire volens tradidit eam in manus amaſiorum, qui *diſcooperuerunt ignominiam ejus, & occiderunt gladio*: ſic denique amor perverſorum in atrocem inimicitiam migrat: ait Philo: *Tradidit Deus hanc in manus amatorum: horum enim omnium pernicioſiſſima eſt amicitia: hi enim letalis æſtro voluptatis capti ſibimet crudeliſſimi ſunt inimici, omniſque talis amor, & amicitia, in ſempiternas vertetur inimicitias, odiumque peſtiferum*. Et quid mirum? ſtabilis non poteſt eſſe amicitia, quæ ob voluptatis, & carnis amorem orta eſt. M. conc. 35. aff. 1. n. 12. 13. &c.

Luxurioſi ſibi jurant mutuam fidelitatem, & putant ſe ſerio amari, verum fallacia eſt. Conſtantinus Chlorus promiſit munera militibus, qui idolis eſſent ſacrificaturi: inter hos cum aliqui milites Chriſtiani ad cultum Deorum accederent, eos ab exercitu relegavit, inquiens, fieri non poſſe, ut fidem ſervaret Imperatori, qui eam fregiſſet Deo.

Theodoricus Arianus Rex ex eadem cauſa gladio confodit Chriſtianum, qui in gratiam regis ad hæreſim Arianam tranſiit. D. 12. 40.

### 360. *Devitari debet ex motivo paſſionis Chriſti.*

Chriſtus Dominus per totam noctem acerbiſſima patitur, cur? ut luat peccata hominum, quæ nocte fiunt. S. punct. 14. fol. 590.

*Chriſto paſſo in carne, & vos eadem* [1. Petr. 4.] *cogitatione armamini*. Si Chriſtus ad vincendam carnem, non ſuam, ſed tuam, tantis ſe armavit ſuppliciis, quanto magis ad eam vincendam te armari oportet, qui ab ipſa quotidie tanta accipis damna? Hæc cogitatio paſſionis Dominicæ ſerviat tibi pro armatura tam defenſiva quam offenſiva: defenſiva, qua inſultus tentationum repellis: offenſiva, qua carnem modeſtam, & ſpiritui obedientem reddis. Et certe ſi Dei Filius nil paſſus eſſet aliud, niſi v.g. amaram fellis potionem guſtando, oporteret te in continua amaritudine vivere, & reſpuere delicias, quid nunc factu opus eſt poſt tantum paſſionis mare? ſicut Tobias ductori filii ſui voluit quidem dimidium facultatum rependere, ſed cum Angelum fuiſſe cognovit, ſubito quaſi exanimis credidit, aliud ſe agere non poſſe, quam ad ejus pedes exſpirare; ita te quoque commoveri oportet in eo contemplando, quod Chriſtus paſſus eſt: at cum cogitas non fuiſſe hominem ordinarium, ſed Dei Filium, te oporteret promptum eſſe ad dandum pro eo ultimum ſpiritum. Et tu nihilominus deliciis frueris, & quidem illicitis? Segn. Manna 15. Jul.

Sicut Chriſtus Dominus propter avaritiam venditus, propter ſuperbiam peccatorum ſpinis coronatus, propter ingluviem guloſorum felle & aceto potatus; ita propter luxuriam ignominioſiſſime denudatus, & crudeliſſime flagellatus eſt. Illud etiam notatu dignum, quod die Veneris mortuus ſit: O miſeranda dies, qua propter peccata Veneris Dei Filius vitam & ſanguinem fudit! &c.

### 361. *Eſt cauſa diſcordiarum & bellorum.*

In Belgio haud procul ab urbe Leodienſi in ſublimi rupe Falco ſibi nidum paraverat. Hunc multitudo corvorum loco deturbavit, ovis effractis, & turbatis. [Æneas Sylv. c. 55.] Poſtridie falcones & corvi quaſi ex toto orbe ad pugnam vocati, hi ſeptentrionem, illi Meridionalem plagam occupantes ordinatis aciebus atrociſſimum in aere prælium commiſerunt, in quo cum



cum modo corvi, modo falcones ſuccumberent, totus ſubjectus ager pennis & cadaveribus repletus eſt. Demum victoria penes falcones ſtetit, qui illatam injuriam aſperrime vindicantes corvos omnes internecione deleverunt. VV. art. diſc. font. 29. Ex. 6. Sic fit inter luxurioſos: ſæpe nigricantes corvi, & impuri noctis falcones bella incendunt multarum animarum interitu horrida, & innumerabilium peccatorum feracia, prout habetur ab experientia.

Troja propter raptum Helenæ evertitur: Ammon ob inceſtum cum ſorore occiditur: tribus Benjamin ob corruptam uxorem Levitæ ſtrage afficitur: Sichimitæ ob ſtuprum Dinæ trucidantur, &c. C. Gen. 34. v. 25.

[Gen. 34.] Cum Dina Jacobi filia ex curioſitate videndi gentem alienigenam in urbem Sichem aſcendit, Princeps urbis illam turpiſſimo crimine corrupit: & Ecce! filii Jacob injuriam ſuæ ſororis ulturi, armata manu involarunt in urbem, omneſque cives & incolas ſanguinolenta cæde ad internecionem deleverunt. B. ſerm. 36. num. 21.

[Judic. 19.] Propter uxorem Levitæ a Viris Belial in Gabaa Benjamin libidinoſe inhonoratam, occiſa ſunt plus quam ſexaginta quinque hominum millia.

### 362. *Eſt turpiſſimum ſcelus.*

Ipſi dæmones erubeſcunt luxuriam propter naturæ ſuæ nobilitatem. Lucifer tentat Chriſtum gula, ad vilitatem enim luxuriæ noluit ſe demittere: ſicut princeps latronum inter ſuos auctoritatem quamdam obſervat, & non propriis manibus ſpoliat: ita Lucifer alios dæmones ſubornat ad tentationes luxuriæ, & hi non ſine horrore ac nauſea munus ſuum [Cantip. l. 2. c. 39.] exequuntur. Aliquis dæmon, dum femina turpiter ſe pollueret, exclamavit: pfui! pfui! Dicis: quomodo ergo dæmones tentant ad luxuriam, ſi eam horrent? Reſpondeo: ſicut venatores pantheræ humanum ſtercus, quod maxime affectat, in arbore ſuſpendunt, ita ut illa ex ſaltibus fatigetur & pereat: ita dæmones luxuriam proponunt homini, quamvis ipſimet hoc ſcelus non approbent. P. p. 1. diſc. 23. n. 14.

Deus & Sancti maxime ab illo abhorrent. Cum in feſto S. Franciſci de Paula dens illius populo exoſculandus daretur, accedente impura muliere dens non ſine ſonitu ruptus diſſiliit. J. 69.

Ipſi gentiles deteſtati ſunt luxuriam, quia homini etiam ſapienti cor, & mentem eripit. Quocirca Diogenes dicebat: *Scorta eſſe regum reginas*, quod reges dementarent, & ab illis, quidquid peterent, impetrarent, adeoque in reges quaſi dominium, imo tyrannidem exercerent. Demetrius Phalaræus videns juvenem luxurioſum aiebat: *En, quadratam ſtatuam habentem ſyrma, ventrem, & barbam!* &c. Hæc gentiles, quid dicant Chriſtiani, quibus major a Chriſto puritas indicitur, quibuſque magis nota eſt libidinis turpitudo & Dei vindicta? C. Oſee. 4. v. 11.

Tam turpe eſt peccatum luxuria, ut ipſi luxurioſi illud deteſtentur: Sic Judas dixit de Tamar: Producite eam, ut comburatur.

### 363. *Non habet excuſationem.*

Quid dicis: Non poſſum? nonne caſte vivere potuerunt Joſephus Ægyptius, Suſanna, Juditha, Lucia, Caſimirus, Leo, qui manum ſibi amputavit tactam a femina: Urſinus, qui in articulo mortis juſſit abeſſe ſuam uxorem, ajens ſtramen ab igne amovendum. Franciſcus, Bernardus, Thomas Aquinas, Thecla, Catharina, Margaritha, Barbara, Columba, Marciana, Irene, Flavia Seraphia, Urſula &c. *Delicati potuerunt, pauperes non poſſunt!* ait Surius in Vita ſancti Urſi. B. ſerm. 45. §. 5. per totum.

Maritus adulter ad nundinas proficiſcens ab uxore juſſus eſt Sapientiam emere, qua a concubinis abſtraheretur. In urbe ergo, ubi celebrabantur nuptiæ indagans in Sapientiam, ab hoſpite ſic inſtructus eſt: cum domum redieris, occide gallum gallinaceum, & ſanguine illius totam faciem conſpurca, ſicque in obſoleta tunica vade ad primam amaſiam lamentans, quod vulneratus, & omnibus exſpoliatus ſis, deinde vade etiam ad alteram, & denique ad propriam uxorem. Ivit, & ab utraque concubina cum ignominia rejectus eſt: veniens autem ad uxorem, omnem commiſerationem expertus & receptus eſt. Sic ſapere didicit, & repudiatis concubinis uxori adhæſit. H. Verbo *adulterium* Ex. 9. O quoties hic aut ille dicit: Non poſſum! cum autem perſona complex ægritudine, aut calamitate corripitur, ſtatim poteſt, quod antea propter Deum ſe non poſſe putabat.

Carolus Calabriæ Dux Nobilem, qui puellam vitiaverat, ad ſolvendos puellæ cen-

centum florenos condemnat, clam tamen nobilem ſubornat, ut puellam diſcedentem invaderet, ceu pecuniam ablaturus. Quod dum facit, illa vociferans recurrit ad judicem. Is puellam increpat: ſi ita obſtitiſſes pudicitiam auferenti; Virgo manſiſſes! & pecuniam juſſit nobili reddi. T. n. 403.

### 364. *Inficit fere omnes ſtatus.*

Sanctus Philippus Nerius odore diſcernebat incaſtos: ſi nos omnes odoraremus, brevi mercatores tabaccarii omnes diteſcerent. Stabulum Augiæ, quod purgavit Hercules, magnum fœtorem habuit, ſed immundior eſt mundus, quia mera ara Veneris: *Omnis caro corrupit viam ſuam.* Omnes ſtatus peccato luxuriæ infecti ſunt. B. ſerm. 50. n. 25.

Matrimonium inſtitutum eſt in remedium luxuriæ, ſed nunc conjugati fere ſunt impudentiores ſolutis. Olim apud Thraces nova nupta ſubtiliſſimo ferro candente per quemdam characterem in fronte notabatur. VV. art. diſc. font. 34. Ex. 3. Nunc non minus ejuſmodi charactere opus eſſet, ut ſciretur hanc, & illam non eſſe generis communis. &c.

Tempore perſecutionis VVandalicæ Arianus Rex Epiſcopis, qui veritatem contra hæreſin defendebant, linguas radicitus exſcindi præcepit: & tamen famuli Dei ſine lingua inaudito prorſus miraculo loquebantur. Cum autem unus ex iis (quis credat?) in luxuriæ peccatum incidiſſet, hanc mirabilem loquendi gratiam perdidit. E. Lingua n. 2.

Adamas nobiliſſimus unionum nec ferro, nec igni cedit, & tamen dicitur per ſanguinem hirci diſſolvi & deſtrui poſſe. Ita multi, qui diu ſunt adamantes, fulgent & eminent, tandem hircinis fœtoribus diſſolvuntur.

S. Cypr. de ſing. cler. Præcipue hæreticis & hæreſiarchis familiare eſt ſcelus. Audi S. Cyprianum: *Inſaniunt prorſus, ardent deſiderio feminarum, & obſcœnitatibus hinnientes malunt mori, quam a lateribus mulierum divelli.* Talis fuit Lutherus, inquiens: *Feminæ ſociari tam eſt neceſſarium, quam edere & bibere.* Et Zvvinglius, faſſus, ſe totum in eo fuiſſe, ut carnis furori ſatisfaceret. Sic & alii hæretici. Vvigandus apud Surium ait: Tunc ſcortationes, & ebrietates multo magis quam unquam in Germania invaluiſſe, ita ut luxuria jam omnes verecundiæ fines perruperit, & exceſſerit. C. 2. Pet. 2. v. 14. Philoſophi antiqui turpiſſimi. C. ad Rom. c. 1. v. 26.

## Adulterium.

### 365. *Malum grande quanta mala poſt ſe trahet.*

IN Veteri lege adulter debebat a tota communitate lapidari, quia adulterium *in damnum totius communitatis vergit, & Reipublicæ*: ait Villaregius. B. ſerm. 46. n. 17. C. Levit. 20. v. 10.

Propter adulterium Paridis & Helenæ Troja & regnum Trojanum interiit: ob Tarquinii adulterium cum Lucretia Reges a Romanis in æternum ejecti ſunt. David cum Betſabæa peccans graviſſime punitus eſt. &c. C. in Gen. c. 26. v. 11.

Sæpe eſt cauſa cædium & parricidiorum. Euridice Macedonum Regina, Philippi Mater, ut adultero regnum traderet, Alexandrum & Perdiccam veneno ſuſtulit, idemque Viro feciſſet, niſi filio ſcelus prodidiſſet. &c. C. Num. 5. v. 28.

Quintuplicem injuriam irrogat adulterium, ſeu adulter. 1. Deo cujus authoritatem violat, dum ejus legi fidem & obedientiam promiſſam non præſtat. 2. Conjugi, cui fidelitatem in contractu Matrimonii ſtipulatam violat. 3. Matrimonio, cujus jura & ſanctitatem lædit. 4. Filiis legitimis, quorum hereditas ad nothos, ſeu adulterinos ſeu ex toto, ſeu ex parte tranſit. 5. Corpori & animæ, quæ cum deberet eſſe templum Spiritus Sancti, adulterio profanatur. C. Eccli. 23. v. 33.

Quintuplicem etiam pœnam poſt ſe traxit. 1. Quod adultera in Eccleſiam ſeu cœtum populi fuerit adducta tanquam rea lapidationis. 2. Quod in filiis etiam fuerit infelix, qui tanquam ſpurii ad hereditatem non admittebantur. 3. Quod eorum proſapia non propaganda, ſed eradicanda ſit. 4. Quod ſteriles & illiberes moriuntur. 5. Quod memoria eorum erit in maledictione. &c. C. Eccli. 23. v. 36.

Adultera 1. fallit fidem conjugalem. 2. Violat Matrimonium. 3. Violat Sacramentum. 4. Facit injuriam proli. 5. Facit injuriam populo ſeu Reipublicæ. C. Prov. 2. v. 18.

### 366. *Punitur graviſſime a Deo.*

In Veteri teſtamento puniebatur lapidatione, & quidem facta ab omni populo, quia omnibus nocuit. C. Levit. 20. v. 10.

Debebat probari per aquas maledictionis,



quæ, ſi mulier erat rea, uterum ejus diſrumpebant. C. Num. 25. v. 5.

Apud omnes gentes etiam barbaras ſevere plectitur adulterium. Ægyptii adulteros virgis cædebant ad mille plagas, mulieri naſum abſcindebant, ad æternam ignominiam. Apud Arabes, Parthos aliaſque nationes adulteris pœna capitis fuit. Cumani adulteram aſino circumvehebant, ut tota vita eſſet infamis. Saxones cogebant adulteram, ut ſe ſuſpendio necaret. Turcæ adulterum publice fuſtigant ad centum ictus. Braſili adulteras in ſervas vendunt, &c. C. Gen. c. 38. v. 23.

Pharao punitur propter raptum Saræ, cum tamen neſcierit eſſe uxorem Abrahæ: quanto magis punietur ſciens, &c. C. Gen. 12. v. 17.

Virgo Veſtalis cum fuit impudicitiæ convicta, velatis oculis rapiebatur ad foſſam, ſacerdos averſa facie dicebat ſuper eam aliquas maledictiones, tum impudica præcipitabatur in foſſam ac viva tumulabatur, urbs autem integra ea die lugebat. D. 4. 50. in fine.

Ipſa etiam bruta videntur damnare adulterium: Memorabile eſt, quod Ciconiæ facto conventu damnarint, & roſtris confoderint unam aliquam, quæ cum altero mare, niſi ſuo rem habuit. D. 5. 31.

S. Ambr. l. 5. Hex. c. 3. S. Ambr. ait: Piſcium nullus alteri miſcetur: thymallus thymallo, lupus lupo, ſcorpœna ſcorpœnæ caſtitatem generi ſuo ſervat. Ex avibus palumbes, & columba ab omni ſtupro abſtinet. Elephantes etiam adulterum occidunt. C. Eccli. 23. v. 30.

Vir quidam ab adulterio domum rediens, facie in formam diaboli mutata, ab uxore & liberis, imo a brutis exhorretur, tandem pœnitens priſtinam formam recuperavit. E. Verb. Adulterium. n. 5.

### 367. *Eſt cauſa cædium & parricidiorum.*

David Uriam occidit propter adulterium cum Bethſabæa. C. Num. 5. v. 28.

Phaon, Livia, Valentinianus Imperator, Bias, & alii ob hoc ſcelus occiduntur. C. Gen. fol. 884. col. 1.

Erat Romæ honeſtus civis Maximus nomine, cui uxor fuit admodum venuſta: hujus forma accenſus Imperator annulum Maximo aliquando detractum ipſius uxori nomine Maximi miſit, cum mandato, ut ad Cæſaris Gynæceum properaret: venit illa, & vim a Cæſare paſſa eſt. Maximus injuriam ulturus Valentinianum Imperatorem interfecit. Eodem modo Beglerbegus ſupremus Aſiæ ſub Turca præfectus a Cajaſſio, cujus filiam defloraverat, enectus eſt. Conviv. Aparat. fol. 185.

Corvi Falconem e ſuo nido expellunt; ea res terribile bellum inter corvos & falcones excitavit, facta eſt ingens cædes inter has volucres. O quoties propter unum nidum diaboli oriuntur inimicitiæ, rixæ & cædes. D. 12. 55.

Mulier a marito adulterio offenſa, ſicarios ſub certis ſignis a marito dari ſolitis in domum adulteræ mittit, a quibus illa nil tale metuens, & oſtium domus aperiens capite truncata, & abſciſſum caput ad mulierem offenſam deportatum eſt. Illa ad maritum in lecto ex ægritudine jacentem accedens exprobravit illi impudicitiam, & caput adulteræ in faciem ejus projecit, ac fugit. J. 94.

## Cogitationes impuræ.

### 368. *Quomodo compleantur conſenſu.*

TRia ſunt, ait Aug. quibus completur peccatum: ſuggeſtione, delectatione, & conſenſu: figura habetur in peccato protoparentum: ſerpens ſuggeſtor eſt diabolus: caro ſenſibiliter delectans eſt Eva: Spiritus conſentiens eſt Adamus. B. ſerm. 22. §. 4.

Ad Judæam Dominus per Jeremiam dicit: quouſque morabuntur in te cogitationes noxiæ? neque enim reprehendit cur veniunt, ſed cur morantur, ait S. Greg. Flores Doct. V. Tentatio. n. 13.

Quidam Monachus conqueſtus eſt ſe infeſtari cogitationibus: ſenex dixit illi: exi in campum & inhibe ventos. Dicente juvene, id ſibi non eſſe poſſibile, ſubintulit: ſicut ventos inhibere non vales, ita nec cogitationes: verum ſi cogitationibus libere aditum permittas, tunc peccas. Qui gladium humi jacentem non attollit, nunquam vulnerabitur: ita qui ſuggeſtiones diaboli non curat, non inquinabitur. Sanch. 5. part. c. 6. fol. 515. in fine.

Conſtat ex Hiſtoriis, quantum imaginatio Matrum prolibus noceat. Cuidam partui figura fragi, alteri, & quidem puellæ facies jubati leonis impreſſa eſt. W. art. diſc. font. 87. ex. 2. Parem in modum ex cogitationibus malis anima monſtroſa fieri poteſt, ſi conceptæ foveantur.

Deus præcepit Regi Saul, ut Amaleci-

lecitas extirparet, etiam pueros & infantes, &c. Sunt aliqui, qui opera quidem impura fugiunt, cogitationes autem, turpiloquia, & pericula non curant. Quid fiet? Regnum perdent ſicut Saul. S. punct. 32. fol. 139.

Peccata cogitationis, ſi foveantur, & non confeſtim expellantur, peccatum fiunt, & graviora peccata poſt ſe trahunt. B. ſerm. 43. n. 9. S. punct. 11. per totum, & punct. 158.

Prov. 26. *Abominatio Domini cogitationes malæ.* Tales ſunt: 1. Machinationes malæ contra proximum. 2. Simulationes, doli & fraudes. 3. Præcipue cogitationes obſcenæ & luxurioſæ; quia ſumme contrariantur puritati & ſanctitati Dei, & facile illiciunt, trahuntque voluntatem ad conſenſum, idque ob concupiſcentiam innatam, quæ in rebus venereis eſt vehementiſſima. Sicut ergo qui tangit picem, inquinatur ab ea, & qui luctatur cum ſordibus & ſtercore ab eo ſordidatur: ita qui diſputat, & luctatur cum cogitationibus impudicis, ab iis inquinatur. C. Prov. 15. v. 26.

## Familiaritas utriuſque ſexus.

### 369. *Eſt cauſa multorum peccatorum.*

Illa ingredientia, ex quibus conficitur atramentum, ſecundum ſe albeſcunt, uti gallæ, aqua, vitriolum; ſed ſi conjungantur nigreſcunt.

Silex & chalybs ſecundum ſe frigeſcunt, ſed ſi colliduntur, flammam dant. Ita ſe res habet cum familiaritate utriuſque ſexus. B. ſerm. 35. n. 26. P. p. 2. diſc. 10. n. 2. 3. 4.

Florenus recenter cuſus ſplendeſcit, ſed ſi per multas manus vagatur, mucidus fit.

Per vulpes colligatas Samſon combuſſit ſegetes: vulpes colligatæ ſunt perſonæ amantes, hæ late incendium turpis amoris propagant. B. ſerm. 36. n. 18. ſerm. 42. §. 3. ſerm. 79. n. 11.

Neque dicas; periculum non eſſe, conſanguineos vos eſſe, nam etiam inter conſanguineos flamma libidinis ardet: in Veteri lege etiam conſanguinei, frater a ſorore, ſoror a fratre in templo ſeparabantur. B. ſerm. 42. n. 8. & ſeq. Vide Titulum: *Occaſio mala. Societas mala*, &c.

S. Ephrem olim urbem Edeſſam ingreſſus ab impudica femina per feneſtram proſpiciente ſalutatus eſt: quærebat illa, quid tibi vis Pater? quid imperas? Reſpoſuit ſanctus, tres coctos lateres deſidero, ut hæc feneſtra obſtruatur. Quod ſi Sanctus Vir judicavit de proſpectu unius feminæ per feneſtram multa mala oriri, quid fiet per conſortia, & familiaritates? A. lect. 7. n. 22.

B. Jordanus ex Ordine Divi Dominici Generalis, cum aliquando Religioſus apud ipſum accuſatus fuiſſet, quod feminæ collapſæ manum porrexerit, iſte autem prætexeret, fuiſſe feminam oppido piam, repoſuit: Terra ex ſe bona eſt, aqua pluvialis itidem eſt bona, ſi vero conjungantur, immundam ſorditiem efficiunt. D. 3. 52.

S. Hier. graviſſime conqueritur, quod pane & aqua vivat, nil cocti obſonii guſtet, metu inferni in ſolitudine ſe abſtrudat, ſocius ſcorpionum ac bufonum vivat, vix carne & oſſibus hæreat, & tamen cum ſtimulo carnis continuam luctam habeat. Quid fiet inter delicias? D. 8. 6.

### 370. *Fugienda eſt, ne inficiat.*

Joſeph etiam relicto pallio fugit: ubi Ambroſius: *Contagium judicavit, ſi diutius moraretur*, &c. S. punct. 33. fol. 143.

Ægyptii depravant Iſraelitas, Judæi in atrio Petrum. Etiam Angeli inter malam ſocietatem converſantes eſſent peccaturi; ſolius enim Dei proprium eſt, inter malos verſari, & non depravari. M. conc. 5. aſſ. 1. n. 7. 8. & ſeq.

Dicit aliquis: Jacobus quatuordecim annis verſatus eſt in domo ſponſæ: cur ergo mihi non liceat? Reſp. Jacobus tam modeſte verſatus eſt, ut puellas nec ex voce dignoſceret, primum enim Liam mane agnovit, quam tota nocte putabat eſſe Rachelem. Tu autem nonne manum, characterem, vocem ſponſæ exploratiſſimam habes? B. ſerm. 35. n. 24.

Abraham filium ſuum Iſaac noluit ipſummet ire in Meſopotamiam, ut ſponſam adduceret, *Ne*, ut ait Oliva, *ſcintilla quædam præpoſteri amoris excitetur in Virgine*. B. ſerm. 35. n. 26. Oliva in Gen.

Quod initio jocus erat, fit demum tragœdia: hinc Spiritus Sanctus mulierē comparat muſcipulæ: ſicut mus putat ſe inveniſſe lata paſcua, & invenit carcerem; ita incautus amator, &c. B. ſerm. 42. §. 2.

De ſolitudine Veterum Monachorum mira narrantur. S. Antonius in crypta quadam caſtelli ſe concludit, ex hac viginti omnino annis non exit, aditum non per portam, ſed ſupra per tectum admittit, quo victus neceſſaria illi portabantur, nec tamen cum portitore vel verbulum loquitur. S. Hier. teſtatur ſe in deſerto Syriæ vidiſſe Monachos, qui triginta annis concluſi ſolo pane hordeaceo, & ſordida aqua victitabant, &c. Cur autem tam arcto carcere ſe concluſerunt? propter fugienda peccati pericula; & fragilis homo in media mundanorum familiaritate non timeat? D. 8. 55.

taban-



Non eſt dicibile quantum valeat familiaritas ad formandos mores: licet filii ſint argento candidiores, non durabunt: etiam argentum, cum manibus tractatur, nigreſcit. Quanta differentia inter Mariam & Evam! Maria turbatur ad vocem Angeli, Eva etiam ad vocem Serpentis non movetur. Sic filiæ, quæ ingenuæ ſunt, etiam domeſticos verentur: ſtultæ vero etiam perſonatum diabolum abſque timore contuentur. P. p. 1. diſc. 15. n. 10.

Præſertim hæc familiaritas in popinis & cantharis conflata mater eſt luxuriæ: Africa infamis eſt ob monſtrorum geneſin: quæ cauſa eſt hujus rei? Nempe Africa eſt regio aridiſsima, ubi paucæ ſunt flumina; hinc cum feræ apud arenoſa littora conveniunt ſitim reſtincturæ, conſuetudine quaſi domeſtica leones cum tygridibus, crocodili cum draconibus, partus ejuſmodi prodigioſos parturiunt, &c. P. part. 1. diſc. 15. n. 13.

Non eſt magis infrænata paſsio, quam amor, decepit ſanctiſsimos, ac ſapientiſsimos Adamum, & Salomonem: quin etiam Ariſtotelem, qui eo dementiæ venit, ut amaſiam mortuam, tamquam Deam in cælos receptam adoraret. Quis ergo credat, quod illa paſsio, quæ eſt vehementiſsima, juvenes & puellas fragiles non de ſtatu dejiciat? Nemo hoc poteſt credere; hinc peccant parentes, ſi id genus familiaritates non tollant. P. part. 1. diſ. 15 n. 14.

Ne fidite in conſtantia illius puellæ: nulla femina invicta eſt, quam quæ non fuit oppugnata. Cælum incorruptibile eſt, quia contrarium non habet; ſic multi ideo ſolum boni ſunt, quia occaſionem non habent, qua mali fiant. P. par. 1. diſc. 15. n. 16. & ſeq.

Dicis forte illos homines eſſe valde urbanos, prudentes, artificioſos, &c. Quid tum? Falcones in Iſlandia ſunt albi coloris, & tamen prædantur ac rapiunt columbas. Vv. art. diſc. font. 48. ex. 10.

Monachi famulam ad ſervitia vilia ſuſcepturi monentur ab Abbate de periculo: iiſque cauſantibus, feminam eſſe deformem, puteum & cellam occludit: cum igitur Monachi ob ſalſas dapes ſitirent, & nec e puteo, nec e cella hauſtum habere poſſent, e lacuna ſordida biberunt. Quo facto Abbas illis periculum demonſtravit, quid tentatio etiam in ſordida muliere poſsit. T. n. 128.

Serpens per Evam ſeduxit Adamum, omneſque poſteros. Eſt ergo mulier organum diaboli, incentivum libidinis, pulchrum, ſed magnum malum. C. in Apoc. 2. v. 20.

### 371. *Corrumpit mores etiam bonorum hominum.*

De agro illo Haceldama, qui ex argenteis a Juda reſtitutis pro ſepultura peregrinorum fuit emptus, illud mirum narratur, quod corpora ſepultorum ſtatim intra viginti quatuor horas penitus abſumere & corrumpere ſoleat. Imperatrix Helena juſsit aliquot naves ejus terræ Romam avehi, & etiam Romæ ea terra id operatur. Simili modo mala ſocietas, & periculoſa familiaritas ſtatim corrumpit mores hominum, &c. D. 8. 44.

S. Greg. Nazianz. ait, modicum fellis ſufficit ad amaricandam magnam quantitatem mellis, dum econtra magna portio mellis dulcorare non poterit urceum fellis. Sic longe facilius eſt perverſos mores ſociorum, quam bonos induere. Theodora impudens femina objecit Socrati, quod omnes ejus diſcipulos facile vellet pervertere, quorum ipſe dein nec unicum valeret reducere. Socrates repoſuit: crediderim, facilius eſt enim hominem deorſum, quam ſurſum trahere. Ægroti a ſanis non attrahunt ſanitatem, ſed iſti ab illis ægritudinem, &c. D. 12. 28. S. Greg. Naz. 1. orat. apolog.

Abbas Elias poſtquam octoginta annis in ſolitudine Deo ſerviit, feminæ ſitibundæ hauſtum porrexit, & ejus aſpectu ita fuit depravatus, ut cum femina abiit, e cella exierit illam conſectaturus & peccaturus. Territus autem fuit terribili terræ hiatu. Si hoc in ſenibus, poſt diuturnum ſervitium Dei, quid fiet in juvenibus? Sanchez 4. part. c. 7. fol. 315.

Multi dicunt, quod ex familiaritate nullum periculum ſentiant. Sed falſo. Quidam Monachus videns juvenem inter compotatores in caupona helluari, monuit illum de periculo: at ille repoſuit: Deus tantum intuetur munditiem cordis. Tum ſenex per ironiam ſubintulit. Deus Bone quadraginta novem annis in eremo

vivo,

vivo, & necdum bene munditiem cordis inveni: at iſte vult eam in gurguſtiis, & compotationibus invenire. Sanchez 5. part. c. 3. fol. 399.

Semita per fertiliſſimos campos ducta, tamen ſterilis eſt; quia continuo pedibus teritur: ita homo inter continuas converſationes hominum nulla bona opera producit. Et inter malas converſationes etiam mala.

Senex quidam ægrotans abiit in Ægyptum, monitus de periculo impudicitiæ riſit: cum ergo illi in ægritudine ſerviit fidelis Virgo, illam corrupit, & rediens dein ad eremum cum infantulo, quem illa peperit, accuſavit ſe apud fratres inquiens: Ecce! filius inobedientiæ. Si hæc in ſene & quidem ægroto, quid in juvene? E. Verbo amor illicitus n. 6.

*De veſtimentis procedit tinea, & a muliere iniquitas Viri*, verba ſunt Eccleſiaſtici. Appoſita ſimilitudo, qua libido comparatur tineæ: nam 1. ſicut tinea inaſcitur veſtibus: ita in ipſo mulierum aſpectu, & converſatione inſita eſt iniquitas Viri, quæ inde velut naturaliter progignitur, non minus mentem hominis corrumpens, quam tinea veſtem. 2. Sicut naturale eſt ex veſte oriri tineam, ita ex femina naſcitur Viri concupiſcentia. 3. Tinea inſenſibiliter in veſte naſcitur, & ſine ſenſu eam erodit: ſic inſenſibiliter ex converſatione Viri cum muliere oritur libido, etiam inter caſtos & Religioſos. 4. Sicut tinea veſtem, & cum veſte ſeipſam conſumit: ſic & libido cum libidinoſo ſe interimit, & perdit. C. Eccli. 42. v. 13.

## Laſciva colloquia.

### 372. *Propagant innumera peccata.*

Sanctus David ait: *Beatus Vir, qui in cathedra peſtilentiæ non ſedit.* Qualis hæc cathedra? Bern. ait: *Sedet, qui docet, docens ſuo exemplo peccare alios.* Cur autem vocatur peſtilentiæ? Ideo: ſunt aliqua peccata ut morbus communis, qui ſolum nocet ægro: alia ut peſtis, quæ ſe late diffundit. Baſilius ait: *Peſtilentes ſolet Scriptura vocare, qui non ſolum ſeipſos perdunt, ſed etiam alios, &c.* Et Greg. *Corrumpunt bonos mores colloquia prava; ſicut malus aer . . . . inficit corpus &c.* B. ſerm. 36. n. 11. 12.

Pſalm. 1. S. Bern. Ser. 25. ex Parv. S. Greg. hom. 9. in Ezech.

Id etiam periculi eſt apud laſciva colloquia, quod audientes facetias auditas apud alios, alioſque enarrando repetant, & iſti iterum apud alios propagent, cum ingenti damno animarum. Qui a rabido cane mordentur, in rabiem incidunt: ſed hæc non eſt mali ſumma, verum & alios & alios mordent, & venenum in plurimos diſpergunt.

Quidam ad convivium invitatus impura verba blaterat, ſubito foras negotii cauſa vocatur, & a larvis infernalibus circumdatur: periiſſet, niſi extracto Roſario dæmones fugaſſet. R. cent. 3. p. 2. Mir. 46.

Nec dicas: tantum eſſe jocum: apud Oſeam Deus prohibet ſe vocari *Baali*, quamvis Baali ſecundum ſuam ſignificationem idem ſit, ac *Dominus meus*. Quare? propter æquivocationem verbi. Ubi Sanchez advertit: *Ne quod verbum loquamur, quod aliquid oleat aut magis liberum aut minus pudicum, qualia ſunt verba, quæ licet non nefaria, tamen propter paranomaſiam aut ſoni affinitatem aliquid poſſunt olere nefaris, &c.* B. ſer. 72. n. 19. (Sanch. in Oſeæ c. 1.)

Salvianus ait: *Cætera mala ſolum agentes polluunt, carnalia vero videntes, & audientes.* M. conc. 37. aſſ. 1. n. 5. (Salv. lib. de Guber. Dei.)

Diabolus per ſe ſatis agit officium ſuum in depravandis animabus, o quanto cum conatu & ſtuduit & hodiedum ſtudet propagare laſciviam; non igitur neceſſe eſt, mi Chriſtiane, ut ei adjutorem agas. Aut dic, qua mercede conductus es a diabolo, ut eum juves in ruina animarum?

Cum Imperator Heraclius cum Rege Perſarum Siroe pacem compoſuit, militeſque dimiſit, aderant & Saraceni qui ſua ſtipendia pro ſervitiis bellicis exigebant. Commiſſarius Cæſaris repoſuit; ſe non habere pecunias pro canibus Saracenis: ob hoc unicum verbum iſti rebellarunt, & ſub duce Machomete Imperio Turcico initium dederunt. En quantum nocere poſſit unicum verbulum! poteſt facere Saracenos.

### 373. *Depravant audientium animos.*

Dicit aliquis: Non malo fine fieri hæc colloquia: Verum unde ſcis an non malum aliquod eveniat apud audientem? innocens Suſanna nec verbum ad ſui defenſionem loqui volebat, ne de impudico conatu ſenum differens audientibus noceret. Interdum ex muro excreſcit arbuſcula: Quare? quia forte volucris illuc granulum fructiferum roſtro tulit, quod ſucceſſive radices egit: ita forſan verbum in cor cadit, quod poſt diuturnum tem-



pus in peſſimos fructus excreſcit. Seneca ait: *Horum ſermo multum nocet, nam etiamſi non ſtatim officit, ſemen in animo relinquit, ſequiturque nos etiam cum diſceſſerimus, reſurrecturum poſtea malum.* B. ſerm. 36. n. 22. 23.

Monachus quidam David pſalmodiam quidem cantare poteſt, ſed ad omnes alios diſcurſus mutus eſt. Utinam multi eſſent muti extra laudes Dei, o quot animarum depravationes impedirentur. R. 1. part. mir. 38.

Quæritur, quam linguam homo eſſet locuturus, ſi in ſilva aut ſolitaria turre educatus nullum unquam hominem audiret loqui? Aliqui putant eum locuturum linguam Hebræam, ſed veriſimilius eſt, quod ſit futurus mutus, ſicut illi, qui a nativitate ſurdaſtri ſunt. Parem in modum, quam malitiam noſſe poſſet infans, ſi ſemper ſolus conſtitiſſet: certe nullam: atque hunc in ſenſum dicit Seneca: *Erras, ſi putas vitia nobiſcum naſci, ingeſta ſunt.* P. part. 1. diſc. 15. n. 10.

Interdum primo vere parva nubecula ſereno cælo apparens incipit tonare. Ridetur ad tonitru tantillæ nubis. Mox vero iſta ſeſe dilatat, totum cælum obducit, & fit tempeſtas grandinoſa, qua ſegetes longe lateque obteruntur. Sic una parva impura loquela, aut cantilena ſeſe propagat, & innumerabilium animarum innocentiam proterit. Unde fit, quod hodie infantes decennes & duodennes jam ſciant quod ſcire vicennes non deberent; ex impuris loquelis.

### 374. *Debent compeſci ac interrumpi.*

In præſentia S. Ludovici Epiſcopi ob ejus modeſtiam ac gravitatem nemo audebat impudens verbum proferre.

Idem habetur de S. Bernardino Senenſi, ubicumque ille advenire videbatur, dicebant impuri blaterones: ſilete, Bernardinus adeſt. Sanch. 5. part. c. 10. fol. 616.

S. Oringa Virgo, ſi turpe verbum in ejus præſentia fuit prolatum, in deliquium cadere ſolebat. R. cent. 2. part. 2. mir. 26.

Verum valde diſcrete hæ admonitiones uſurpandæ ſunt, & bene attendendum utrum ſint frugis: dantur homines tam petulantes, qui tanto inſolentius obſcena garriunt, quanto importunius monentur: in officina fabrili cum ignis follibus animatur, faber nonnunquam ignem madefacta ſcopa conſpergit: quem in finem: an vult flammam extinguere; nihil minus: ſed inſperſa aqua ignis tanto violentius urit. Parem in modum, ſi tu turpem garrulitatem compeſcere cupias, illa magis exardeſcet: hoc ſi tu timeas libentius tace, &c.

S. Franciſca Romana Vidua, quia vana quarumdam colloquia ob reſpectum humanum compeſcere auſa non fuit, ab Angelo colapho percuſſa eſt. N. 9. Mart.

Tempore contagioſæ luis homo hominem fugit, ne ex alterius halitu peſtem contrahat: ſic fugiendi ſunt laſcivi, quia ex eorum diſcurſibus contrahitur peſtis animæ.

### 375. *Non habent excuſationem.*

Putant aliqui, ejuſmodi impuros blaterones eſſe tantum homines joviales: Errant; ſunt ſcelerati; qui graveolentia anhelitus laborant, iis ſuadetur, ut in converſatione hominum aurum in os ſumant; quia aurum in ore contentum tollit graveolentiam. W. art. diſc. font. 48. Ex. 7. Aurum eſt ſymbolum caritatis, illi ergo, qui fœtulentiſſimos diſcurſus eructant, ſatis produnt, quod de caritate tam Dei, quam proximi nihil in corde habeant. (Ceſar. l. 7. Mirac.)

Dicis forte, te ejuſmodi diſcurſibus aſſediſſe, & tamen nihil mali in animo ſenſiſſe. Volo tranſmittere, Deus te ſpeciali gratia pro tunc protexit; an autem putas, etiam deinceps ex his diſcurſibus nil mali in animo tuo oriturum? Dubito! Nunquam audiſti, quæ ſymptomata accidant homini, quem rabidus canis momordit? ſcribit Albertus, ſe hominem vidiſſe, quem ejuſmodi canis momorderat, anno autem ſeptimo intumuiſſe cicatricem, hominemque intra biduum interiiſſe. Avicenna quoque cum aliis docet, nonnullos duodecimo anno a morſu canis in rabiem incidere. W. Art. diſc. font. 11. Ex. 13. Sic fit cum colloquiis impuris; poſt multos annos recrudeſcent, & facient tibi multas tentationes, ac perturbationes.

Dicis iterum: ejuſmodi ſermones ex ingenio, & facetia fuiſſe productos. Tanto pejus. Globi e bombardis exploſi, ſi oleo fuerint inuncti profundius penetrant: ita impuræ voces ingenioſe & facete propoſitæ profundius in cor audientis immerguntur. W. Art. diſc. Font. 11. Ex. 23.

Can-

## Cantus Laſcivus.

376. *Depravat audientium animos.*

FIlii Dei ſumpſerunt filias hominum in uxores, quia Tubal pſalterium, & cytharam inventit. M. conc. 22. aſſ. 1. n. 3.

Beſtiæ alliciuntur cantu, & cervi muſica in rete trahuntur. M. Ib. n. 4.

Salomon per cantatrices in tranſverſum agitur. M. Ib. n. 5. & ſeq.

Lucas Marentius Optimus, ſed impudens Muſicus, cum morti proximus eſſet, vocato ad ſe Sacerdoti edixit: O mi Pater, utinam modos, quos compoſui, nunquam edidiſſem, aut nunc meo ſanguine revocare poſſem! ſic anxius propter ſcandalum deceſſit. J. 102.

In Sacrifio Moloch, cum parentes infantulos ſuos idolo ex ære fuſo, & igne candenti, inter brachia immolantes reponebant, ſacrificuli cum tympanis & lituis faciebant muſicam, ne miſerabilia infantum lamenta ac ejulatus audirentur. Idem facit cantus & muſica in rebus laſcivis, ne audientes conſcientiæ lamenta, & Dei minas percipiant, & commoveantur.

Syrenes in mari navigantibus non vi, ſed blanditiis inſidiantes, tam amæne cantillant, ut nautas, & navigantes obdormiſcere faciant; id ſi impetrent, navim ad ſcopulos trahunt, & evertunt. Idipſum proh dolor! operatur cantus Syrenum laſcivientium! ſæpe innocentem animam obſopiunt, ut illa minus caute incedat, ad ſcopulos peccatorum impingat, & pereat, &c.

## Laſcivi libri.

377. *Legi non poſſunt ſine peccato.*

SAnctus Hier. Ciceronem lectitans in ſomnio citatur ad judicium. Interrogatur a Judice quis eſſet? Reſpondet Chriſtianus ſum! verum objicitur illi quod Ciceronianus ſit. Jubetur flagellari, & ille quidem lacrymans veniam rogabat, verum evigilans, ait, *Liventes fateor me habuiſſe ſcapulas, plagas ſenſi poſt ſomnum.* Si Deo tam diſplicuit lectio libri profani, quomodo diſplicebit lectio laſcivi? D. 3. 88.

Continuo mos erat libros noxios comburendi, idque non tantum apud Chriſtianos, ſed etiam apud ethnicos: Narrat

*Valer. Max. l. 1. c. 1.* Valerius Maximus, olim Romæ inventos eſſe libros, qui omnem Deorum Religionem abolere contendebant, & hi juſſu Senatus publice combuſti ſunt. Protagoras Philoſophus ab Athenienſibus in exilium ejicitur, quia contra Religionem Deorum ſcripſit. Inter Chriſtianos, cum Apoſtolus Paulus prohibet familiaritatem cum hominibus perverſis, uti cum hæreticis, utique etiam hæc familiaritas cavenda eſt cum noxiis libris. Multi ſuamet ſcripta honeſtati aliquantum contraria igni dari jubent, uti moriturus fecit Picus Mirandulanus, & alii. D. 4. 20.

Vir Nobilis ægrotans lectione libri impuri tempus fallebat. Ad hunc veniens Cardin. Hoſius dixit, non mirum eſſe quod ægritudine affligeretur, hanc unam lectionem id malum promereri! Æger abjecit librum, & eo momento a febri liberatus eſt. J. 70.

Focus in officina fabrili follibus animatur. Tales folles ſunt libri impuri, ſæpe concupiſcentiæ ignis extinctus videtur, ſed a maledicto carmine aut cantu iterum ſuſcitatur, &c.

## Laſcivus habitus.

378. *Eſt illicium peccatorum in intuentibus.*

MUlierem compte ornatam ait S. Ephrem eſſe volucrem, quæ alias cantu allicit ad retia diaboli. *Sicut perdix comprehenſa pro eſca illis proponitur, quæ nondum laqueo captæ ſunt.* B. ſer. 36. n. 20. 21. Serm. 41. n. 39. in fine.

Mulier compta laqueus Venatorum eſt, ait Cardin. Hugo. M. conc. 22. aſſ. 2. n. 6.

Arbor illa in Paradiſo a Gregorio Nazianz. vocatur exitioſa, homicida, &c. quia ejus aſpectus Evam ſeduxit: ita laſcivus habitus exitioſus eſt, quia aſpicientes ſeduxit. B. ſerm. 41. n. 42.

S. Paulus præcipit, ut mulieres in templo ſint velatæ propter Angelos, id eſt Sacerdotes. Mulieres in Arabia etiam faciem obnubunt. Sulpitius uxorem dimiſit quia capite aperto foris progreſſa fuit. Quodſi tanta cautela inter gentiles, & etiam in templo fuit, conjiciendum facile eſt, quantum ſit periculum laſcivi habitus, &c. D. 3. 42.

In littoribus, ſinubuſque maris Arabici multi prominent montes magnetici: propterea qui ibi navigant, ſua navigia abſque omni ferro ædificare ſolent, ne a magneticis montibus attrahantur, & naufragium faciant. Tu mi Chriſtiane ſi naufragium animæ metueres, negligeres vanitatem habitus, qui ſæpe cauſa fuit, ob quam ab oculis animiſque intuentium anima fuerit tracta ad impudentiam, & ruinam. D. 3. 91.



Puella a Confeſſario ob vanitatem veſtium ſæpe correpta, precata eſt Deum, ut ſiquid in corpore veſtium gereret, quod oculis illius diſpliceret, permitteret a dæmone abripi. Et ecce! mox terribilis umbra adfuit, quæ puellam veſtibus exſpoliavit uſque ad interiorem tunicam. E. *Ornatus veſtium* n. 1.

379. *Adverſatur Deo, Chriſto, Beatæ Virgini, Sanctis &c.*

Deus fecit protoparentibus *tunicas pelliceas, & induit eos*: cur, & in quem finem? nonniſi ad tegendam nuditatem, & defendendum corpus contra injurias aeris: tu igitur quiſquis veſtimenta in alium finem, & præſertim in irritamentum libidinis uſurpas, Dei voluntati adverſaris, &c. B. ſerm. 41. §. 2.

Denudatio Chriſti ante flagellationem cauſatur ab impuro habitu, ait Tertull. S. pun. 18. fol. 610. Laſcive veſtita nonniſi irreverenter accedit ad ſacram Communionem. Vide Titulum *Sacra Communio.*

Beatiſſima Virgo cantum duabus tunicis utebatur; interior a collo uſque ad pedes defluebat, exterior inſtar pallii uſque ad poplites. Calceis communibus incedebat, non chirothecas uſurpabat nec annulos, non ſerico, ſed lana &c. B. ſerm. 41. §. 4.

S. Catharina Sueca cum Gida fratris ſui uxore peregrinatum iret ad Taumaturgam B. V. Iconem, ecce B. V. benignis oculis Catharinam, auſteris Gidam intuita eſt, cauſam interrogante iſta repoſuit Dei Mater, ſibi placere vilem habitum in Catharina, pompoſum autem diſplicere in Gida. R. 1. cent. par. 2. mir. 22.

Dum aves in ſacrificio immolabantur, plumæ debebant rejici inter cineres: Quare? quia plumæ ſignificant veſtes delicatas, *quas abjicere debet, qui holocauſtum Dei fieri vult.* C. Lev. 1. v. 16.

*Iſai. 3.* Deus per Iſaiam minatur: *Erit pro ſuavi odore fœtor, & pro zona funiculus, & pro criſpanti crine calvitium, & pro faſcia pectorali cilicium. Pulcherrimi quoque viri tui gladio cadent.* Nota, ſi veſtium luxus adeo diſplicuit Deo in Judæis, itaut tota gens fuerit punita excidio, quanto magis diſplicebit in Chriſtianis, &c. Non placet Deo, quod non ipſe produxit. C. Iſa. 3. v. 26.

Dominus Deus in judicio dicet, teſte Cypriano: *Hoc opus meum non eſt, nec hæc imago noſtra eſt.* Et S. Ambr. *Non agnoſco vultum, quem ipſe formavi.* Et Orig. *Tanquam ſi non prudenter iſtam faciem conſtituerit, creatoris opus volunt emendare.* B. ſer. 41. n. 12. M. conc. 22. aſſ. 2. n. 4. 5.

Sancti homines hac ex parte omne ſcandalum etiam remotum declinarunt. Ille juvenis, teſte S. Ambroſio, cum metueret ex ſua venuſtate apud alterum ſexum peccata oritura cultellis faciem deformavit. S. Birgitta a Deo impetravit, ut deperdita venuſtate in oculis & facie deturparetur. Sanch. 6. part. c. 11. fol. 869.

380. *Affert damna temporalia.*

Deus creans mulierem olim dixit: Non eſt bonum homini eſſe ſolum, *faciamus ei adjutorium ſimile ſibi.* Si nunc iterum creare deberet feminam, diceret: *Bonum eſt hominem eſſe ſolum, non faciamus ei deſtructorium ſimile ſibi*, ait Vincentius Ferrerius; quia videlicet luxus uxorum Viros, & totam familiam ad incitas redigit. B. ſerm. 41. n. 26.

Laſcivus habitus invehit bella, & peſtes in patriam, uti de urbe Florentina expreſſe prædixit Simon de Caſſia.

Rodericus Rex Hiſpaniarum Filiam Juliani Comitis Cabal male nudatam de feneſtra intuens eam conſtupravit, unde bellum ortum eſt, quo fere integrum regnum in cineres redactum eſt.

Taulerus Germaniæ patriæ ſuæ 160. annis prædixit ſtragem per Martinum Lutherum, idque ex ſignis luxurioſarum veſtium. B. ſerm. 41. n. 29 ſer. 72. §. 5. Vide titulum: *Mundana pompa.*

Dominus ille juſſit ſervi uxorem, totamque familiam venumdari. Quid peccarunt illi? Nempe quia maritus propter luxum uxoris, & familiæ contraxit magna debita. B. ſerm. 50. n. 27.

Rex Abimelech Saræ dedit mille argenteos in velamen oculorum. Itane omnino mille argenteos pro velamentis? nimirum quia mulieres opus habent. Iterum indigeremus tam liberali Rege, qui daret mille pro velamentis; nam nihil carius eſt, quam velamenta. Aurei, & argentei radii, monilia, & torques levi pretio habentur: tantum velamina cara ſunt, alias mulieres bene contectæ incederent. S. punct. 33. fol. 143.

*Perit ſimul Vir in tua forma, o mulier, & tu facta es gladius illi*, ait Tertull. C. Iſa. 3. v. 26.



UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

### 381. *A Sanctis Patribus graviſſime improbatur.*

Laſcivum habitum vocat S. Clemens Alexandr. genitricem peccaminoſarum cogitationum, præcipitium honeſtatis. S. Cypr. venenum caſtitatis, pugionem virtutis. Tertullianus cathedram libidinis. Gregorius Nazianz. prodromum adulteriorum. Petrus Eremita ruinam honeſtatis. S. Ambr. fomitem ſcelerum. S. Chryſoſt. irritamentum luxuriæ. S. Hieron. ignem, quo juventus aduritur. Petrarcha vexillum dæmonis. Amianus hoſtem animæ, Philo obcæcationem fragilium &c. B. ſerm. 41. n. 39.

Iterum Tertullianus formæ Lenam, laſciviæ notam, extremam negationem verecundiæ, conflationem illecebræ. S. punct. 21. fol. 638.

S. Gregorius Nazianzenus ait: *Nobilibus feminis non aurum & purpura ornamentum afferunt, ſed morum probitas: domi ut plurimum manere, fuſo ac lanæ operam dare, ancillis opera mandare.* S. Ambroſius: *Quanto femina hominibus ſplendidior videtur, tanto magis deſpicitur a Deo.* Et maxime Tertullianus invehitur in hunc luxum veſtium, inquiens: *Tu es diaboli janua, & arboris illius reſignatrix, tu Divinæ legis prima deſertrix, pro te Filius Dei mori habuit. De frontibus draconum gemmæ eruuntur: An Chriſtiana de ſerpente cultior fiet? an calcabit diaboli caput, dum de capite ejus ſua ornamenta ſtruet?*

Videbo libenter in illa die exultationis, ait Tertullianus, *an cum ceruſſa, purpuriſſo & croco, in illo ambitu capitis reſurgatis? an taliter expictas Angeli in nubila ſublevent obviam Chriſto?* C. Iſa. 3. v. 26.

*Nefas eſt*, ait S. Cyprianus, *Virginem ad ſpeciem formæ ſuæ comi, aut de carnis pulchritudine gloriari, cum nulla ſit illis magis quam adverſus carnem colluctatio, & vincendi corporis certatio.* C. Iſa. 3. v. 26.

Et iterum: *Feminæ manus Deo inferunt, quando id, quod ille formavit, reformare contendunt; neſcientes, quia opus Dei eſt omne, quod naſcitur, diaboli omne, quod mutatur.* C. Iſa. 3. v. 26.

### 382. *Denotat feminam proſtituti pudoris.*

*Quid eſt capiti feminæ corona, quam formæ lena, quam ſummæ laſciviæ nota, extrema negatio verecundiæ, conflatio illecebræ?* ait Tertull. S. pun. 27. fol. 683.

Thamar pro meretrice habetur, dum teriſtrum accipit, mutato habitu viduitatis. M. conc. 22. aſſ. 2. n. 1.

Quod David adulterio peccaverit, grave utique peccatum, & inexcuſabile fuit. Sed Bethſabæa hujus peccati origo & magis rea fuit, imo pro impudente femina haberi potuit, quia in horto ſe lavit, ubi facile advertere poterat, quod e ſolario regalis palatii conſpectus pateret.

S. Cypr. ait: *Virgines ſericum, & purpuram indutæ Chriſtum induere non poſſunt: auro & monilibus ornatæ, ornamenta cordis perdiderunt.* C. Iſa. 3. v. 26.

S. Hier. comptas feminas in publico comparentes comparat lupanaribus: inter alia dicit: *Palliolum* (de induſtria) *interdum cadit, ut candidos nudet humeros, & quaſi videri voluerit, celare feſtinat, quod volens detexerat.* C. Iſa. 3. v. 26. *S. Hier. Ep. de Virgin. contuber.*

*Non venit de conſcientia ſtudium placendi per decorem, quem naturaliter invitatorem libidinis ſcimus*, ait Tertull. C. Iſa. 3. v. 26.

*Ornamentorum & veſtium inſignia, & lenocinia formarum nonniſi proſtitutis, & impudicis feminis congruunt*, ait S. Cypr. C. Iſa. 3. v. 26.

### 383. *Punitur a Deo temporaliter & æternum.*

S. Hier. narrat, quod Angelus feminæ, nomine Prætextatæ mortem æternam denuntiarit, quia Virginem Euſtochium vane ornavit. S. Henricus Suſo ait: *Ob tot peccata in morte in deſperationem pertrahuntur, mortemque obeunt ſempiternam.* B. ſerm. 41. n. 37.

Comitiſſa quædam, alias pia, damnatur propter laſcivum habitum, & in ſingulis partibus corporis, ubi ſingulariter ſe ornaverat, ſingulares pœnas patitur. B. ſerm. 41. n. 39. ſerm. 50. n. 26.

S. Jacobus Niſibenus, cum iter faceret, vidit feminas penes fontem lavare ſua veſtimenta, illaſque minus decenter compoſitas, quæ, utut viderent Sanctum Virum prætereuntem, tamen parum curæ habuerunt, ut ſe honeſtius contegerent. Maledixit igitur Sanctus Vir fonti, & ille ſtatim exaruit, maledixit mulieribus, & hæ adhuc juvenes inſtar vetularum conſenuerunt. Dein ad inſtantes preces civium loci reduxit quidem fontem, formam autem mulieribus non reddidit. D. 10. 55.

Concionator quidam detonabat contra veſtium, & calceorum luxum: ſutor quidam, putans ſibi in ſua arte damnum irrogari conviciabatur Concionatorem: & ecce! exiens e concione a diabolo arreptus, & capilli illi cum cute, inſtar coronæ, abrepti ſunt. E. Verbo *Calcei*, n. 2.

Quatuor feminæ, quæ ſua vanitate multorum peccatorum cauſæ extiterant, a Deo ita puniuntur, ut una in juventutis flore mortua, alteri manus præciſa, tertia a cancro ſeu gangræna exeſa, quarta poſt extremam pauperiem tabe confecta fuerit. J. 60.

### 384. *Peccata plurima poſt ſe trahit.*

Primo: Mariti coguntur ad varias fraudes, & uſuras, ut luxus veſtimentorum in uxore poſſit prorogari: Non fruſtra inter invitatos ad convivium ille, qui uxorem duxit, impoſſibilitatem allegavit, ait Sanctus Vincentius Ferrerius. B. ſerm. 41. n. 35.

Secundo: Ejuſmodi evanidæ mulieres non flectuntur exhortationibus: comparantur templo ornato tapetibus: *Filiæ eorum compoſitæ circumornatæ ut ſimilitudo templi*, quia ibi vox concionatoris obtuſius ſonat. B. ſerm. 41. n. 35.

Sanctus quidam vidit januam cæli per Chriſti paſſionem aperiri: & ecce! mox venerunt duo dracones qui ſupra januam rete expanderunt, ut nemo poſſet intrare. Quæſivit Sanctus, quodnam eſſet hoc rete? & reſponſum eſt, eſſe laſcivum & vanum ornatum feminarum, cujus allectatione plures damnentur, quam ſit numerus dæmonum. E. Verbo *Cæleſtis gloria* n. 16.

Laſcivum habitum comitatur ſuperbia: ideo enim adeo vane ſe ornant, ut laudentur, & præcellant. Invidia: quia invident æqualibus, aut comptioribus. Ira: quia indignantur, ſi non omnia illis ſubminiſtrentur, quæ ad vanitatem ſuam neceſſe habent. Avaritia: quia tanto tenaciores ſunt in egenos, quanto profuſiores in ſuum luxum. Gula: quia delicatiſſimas cupedias affectant ad conſervandum nitorem. Luxuria: quia caſtitas non invenitur inter mollitiem veſtimentorum, ſed in cilicio. Acedia: quia, ut ait Auguſtinus, qui nimis ſoliciti ſunt ad ornatum corporis, deſides ſunt in ornanda anima, ante ſpecula diuturno tempore ſuam formam explorant, econtra in officiis divinis impatienter hærent. &c. B. ſerm. 41. n. 34. C. Iſa. 3. v. 16.

### 385. *Variè excuſatur, ſed fruſtra.*

Evanidæ ejuſmodi veneres objiciunt 1. Non eſſe peccatum mortale ita vane ornari. Reſp. Multi Doctorum tenent eſſe mortale, & qui mitioris ſunt ſententiæ dicunt ſaltem eſſe incentivum peccatorum mortalium: quid autem prodeſt, non quidem damnari ob vanum ornatum, damnari autem propter ejus peſſimas conſequentias? &c. B. ſerm. 41. n. 40.

Dicunt 2. Ex ſolo intuitu faciei poſſe oriri periculum libidinis, quin propterea ſit obligatio occultandi faciem; ergo quamvis ex vano ornatu ſurgat periculum libidinis, tamen non eſt obligatio eum abolendi. Reſp. Magnam eſſe differentiam: nam naturalis venuſtatis auctor eſt ipſe Deus, vani ornatus autem auctor eſt diabolus; ita Tertullianus: *Quod naſcitur opus Dei eſt: ergo quod fingitur diaboli negotium eſt.* Dein faciei intuitus neceſſe eſt ad diſcernendas perſonas, ad quid autem neceſſaria eſt pudenda nuditas? &c. B. ſerm. 41. n. 43.

Dicunt 3. Se non habere malam intentionem alios pervertendi: Reſp. S. Gregorius hanc excuſationem ſuſpectam eſſe mendacii, ad quid enim faciem pingis, niſi ut aliorum oculos attrahas? deinde licet non habeas malam intentionem, ſufficit tamen quod habeas cognitionem malorum quæ ſequuntur: quid autem prodeſt, quod, etſi non damneris ob malam intentionem, damneris tamen ob peccata conſequentia, & eorum prævisionem. B. ſerm. 41. n. 45.

Dicunt 4. Nunc ita eſſe moris. Reſp. Breviter Taulerus: ergo nunc etiam moris eſt damnari, &c. B. ſerm. 41. n. 47. *Tauler. ſerm. 2. in ejus Vita.*

## Laſcivæ Picturæ.

### 386. *Innumera cauſant animarum nocumenta.*

DÆmon non ſemper habet poteſtatem homini impudica ſuggerendi: conſequenter impudica pictura magis nocet, quam ipſe dæmon. Dic, quid ſentiendum de illo, qui aditum munitæ urbis per picturam hoſti proderet! aut aditum ad regales theſauros? aut clavem depingeret, quæ omnes portas reſeraret?







UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

ret? nonne proditor eſſet? Ergo & tu proditor es, qui dæmoni viam facis ad gratiarum theſauros abripiendos. Charides ex intuitu Veneris in Gnido ad turpem amorem pellectus eſt, teſte Plinio. Juvenis in templum ſe noctu includi ſinit, ex amore marmoreæ ſtatuæ, teſte Luciano. Alia tragœdia contigit cum infauſto Cherea, dum impuram picturam Jovis, & Danae aſpexit. B. ſerm. 36. n. 34. 35. 36. Vide Lucianum Tom. 2. conc. 8. n. 3.

In Concil. Conſtantienſi graviſſime prohibentur impuræ imagines. B. ſer. 41. n. 42.

Quidam Pictor pie defunctus poſt mortem totus igneus apparet, dicitque ſe interceſſione Sanctorum ægre ab inferno fuiſſe ereptum: non poſſe tamen ſalvari, niſi impudica pictura, quam in juventute fecerat, combureretur; quia propter eam picturam multæ animæ fuiſſent damnatæ. D. 5. 28.

*Vita B. Dom. a JESU Mar. l. 2. c. 12.*

Simillima Hiſtoria legitur in vita B. Dominici a JESU Maria Ordinis Carmelitarum: Defunctus eſt Pictor, ceteroquin pius, qui ſuas picturas ornatui templi idoneas Monaſterio ejuſdem Ordinis legarat. Cum igitur dictus B. Dominicus nocte pro defuncto orat, ecce iſte illi apparet terribili & ignita ſpecie: cohorruit Dei famulus, & ſpiritum quæſivit cauſam tormentorum: Repoſuit ille, ſe fuiſſe accuſatum ob impuram picturam a multis animabus, quæ propter aſpectum hujus imaginis peccarunt & damnatæ ſunt, ſe etiam fuiſſe damnandum, niſi interceſſione Sanctorum in vita ſeriam penitentiam egiſſet; ſed nunc ſe non poſſe e purgatorio liberari, niſi illa imago, quæ nunc eſſet in manu illius Domini (quem nominabat) combureretur.

387. *Vehementer afficiunt animum.*

S. Petrus Damiani fatetur de ſe, quod viſæ ſemel pulchritudinis imaginem e memoria abolere in ſero ſenio non potuerit, & myſteria ſacræ Scripturæ facilius oblitus ſit. S. punct. 114. fol. 344.

Quantum picturæ ſacræ proſunt ad virtutem? Sanctus Gregorius de ſe narrat, quod holocauſtum Abrahami, & Iſaac ſine lacrymis intueri non potuerit: ita viciſſim nocent picturæ impuræ. C. Gen. c. 22. v. 10. ad fin.

Leonardus Vincius celebris pictor picturas ſuas ad vivum repræſentare ſolitus, aliquando depinxit menſam corridentium, tanta vivacitate, ut nemo picturam aſpicere potuerit, quin ad riſum moveretur. T. nu. 226. Si hoc affecit pictura ridicula, quid efficiet impura?

Dum Patriarcha Jacob in domo Labani ſervitia opilionis obibat, pactum cum Domino pepigit, vi cujus agni unicolores ad Dominum, bicolores autem ad ſe pertinerent. Hac conventione facta Jacob in fontem, ubi adaquari ſolebant greges, diverſicolores, aut ſemidecorticatas virgulas injecit, quarum intuitu gravidæ ovium matres, diverſas naſcituro fœtui maculas ex imaginatione imprimebant, & ſic Jacobus ex hac arte ſeu dolo mirum in modum ditatus eſt; quia in grege plures maculoſæ quam unicolores oves inveniebantur. Eandem vim, quam habuerunt decorticatæ virgulæ, habent & picturæ laſcivæ: intuentium animas peccaminoſis imaginationibus maculoſas reddunt, & quis ex his maculis magis diteſcit, quam infernalis inimicus? O quam gravis ratio danda incumbet Nobilibus, evanidiſque hominibus, in quorum cubiculis pictura omnes, & ipſa periſtromata adeo laſciviam ſpirant, ut fere nemo, qui illuc venerit, anima illæſus revertatur. Quid mirum, quod Chriſtianiſmus maculoſis gregibus abundet? &c.

388. *Dignæ ſunt gravi ſupplicio.*

S. Ambroſius narrat, eos, qui imaginem Bruti & Caſſii, a quibus Cæſar occiſus fuit, in anulo ſigillari aut charta gerebant, morte mulctatos fuiſſe, quia credebantur eſſe de partibus homicidarum, aut ſaltem eorum facinus approbare. Et quid denotant laſcivæ leones? Plinius putat periculoſum eſſe, ſiquis imaginem alicujus Principis gerat, eſſe enim talem imaginem *Magnam criminum occaſionem*. Et quid dicendum de imaginibus impuris? D. 2. 25. in fine.

*Vita B. Dom. a JESU Mar. l. 2. c. 12.*

B. Dominicus a JESU Maria Ordinis Carmelitarum quondam pernoctabat in arce Nobilis Domini. Noctu in oratione vigilans videt numeroſam dæmonum turbam in proximam aulam ingredi, & ibi aliquam imaginem thuribulis, ſuffitibus, & genuflexionibus honorare: adjuravit aliquem e dæmonibus, ut ſibi panderet, cur id facerent? Invitus dæmon, & coactus repoſuit, hanc eſſe imaginem impuram, & ſibi jam plurium peccatorum & animarum lucrum tuliſſe. Altera die narravit B. Dominicus Nobili nocturnum viſum, illique ſuaſit, ut imaginem aboleret. Nobilis reputavit hanc ſuaſionem pro ſcrupulo, dixit ſe hanc iconem præ ceteris omnibus æſtimare, tum quia ab artificioſiſſimo pictore eſſet elaborata, tum quia a Magno Principe ſuo Genitori eſſet donata, &c. Dominicus inſtabat motivis & precibus; verum cum nihil efficeret, prædixit Nobili, quod, niſi conſilio obſequeretur, brevi & hanc & omnes alias picturas morte eſſet amiſſurus, quod & evenit; cum enim miſer poſt duos menſes in domo & occaſione ſuſpectiſſima verſaretur, tribus vulneribus confoſſus, & vitam & animam perdidit, æternum infelix.



Pictor in pauperes Religioſos alicujus cœnobii admodum liberalis poſt mortem in flammis apparet confeſſario, ingemiſcens, quod ad purgatorium damnatus ſit propter imaginem impuram, quam in juventute pinxerat, nec antea ſe penis eximendum, quam imago aboleretur. Rogabat confeſſarium, ut iret ad illum Dominum & deſtructionem imaginis urgeret: ut autem verbis fidem haberet, nuntiaret illi, duos filios ejus intra menſem morituros. Quod ſi renuat obedire mandatis cum paulio poſt repentina morte filios ſecuturum. Dominus his auditis perterritus imaginem flammis dedit, &c. T. n. 206.

Comœdiæ obſcenæ.

389. *Plurima mala poſt ſe trahunt.*

*S. Cypr. l. de ſpect.*

SAnctus Cypr. ait, non eſſe dubium, quod talium ſpectaculorum *diabolus artifex* ſit, & ipſa ſpectacula *Inventio dæmoniorum, ſacrarium Veneris, & impudicitiæ conſiſtorium*. Nazianzenus vocat, *ſcholam fœditatis & omnis laſciviæ*. Chryſoſtomus, *Fornicationis Gymnaſium, intemperantiæ ſcholam, turpitudinis exhortationem, inhoneſtatis exemplar*, &c. &c. B. ſerm. 42. §. 4. per totum.

*Naz. a. 2. Jam. 1. S. Chryſ. hom. 62. ad pop.*

*Gulielm. Perald. tract. de lux. c. 2.*

Dicet forte, te ex intuitu talium ſpectaculorum nullum ſentire detrimentum Virtutis? Reſp. Lugdunenſis: *Etſi murus a candela juxta ſe poſita non comburatur, tamen denigratur*. B. ſerm. 42. n. 21.

David feminam videt, & honeſtam, & domi: tu in theatro, inhoneſtam, abſque verecundia, & negas te cum detrimento videre? S. punct. 33. fol. 143.

Gentilis Seneca damnat obſcena ſpectacula, inquiens, nihil eſt damnoſius bonis moribus, quam ſedere in ſpectaculis. Homines crudeliores, inhumaniores, & laſciviores recedunt, &c. D. 9. 75.

Comœdiæ etiam honeſtæ imminuunt devotionem, & animum infrigidant, præſertim ſi inordinatus earum affectus in animo dominetur: cervi cum pingueſcere ſe ſentiunt in dumetis, & denſa arborum ſolitudine ſe abſcondunt, quia minus expeditos ſe advertunt ad currendum: ita anima his affectibus impinguata minus expedita eſt ad currendum in via devotionis. Hæc omnia S. Franc. Saleſ. in Philoth. c. 23. Quid Sanctus hic ſenſiſſe cenſendus eſt de comœdiis obſcenis? &c.

390. *Puniuntur a Deo.*

Circumforaneus cum pellice Mima circuibat urbes Italiæ, & in medio foro, excitato ſuggeſtu juventutem improbiſſimis luſibus ac ſermonibus pervertebat. Honeſti quidam juvenes hanc peſtem everſuri induto flagellantium habitu, prævia cruce, cum flagellis theatrum circuibant, & populum omnem ad pœnitentiam commotum abire fecerunt. Circulator lucri ſui defectum deplorans apud Magiſtratum conqueritur, efficitque ut juvenes illi fuerint puniti. Verum & ille ſupplicium Dei non effugit, in ipſo juventutis flore mortuus. J. 49.

Rogatus quidam Romæ a ſocio, ut ſecum ad fabulam in vicinia habendam pergeret, id recuſavit. Paullo poſt audiit terribilem ſtrepitum ac clamorem, interrogansque edoctus eſt, aulam ubi fabula habebatur, concidiſſe, & multos obtriviſſe, alios vulneraſſe. J. 92. T. n. 198.

Cometæ ſunt cæli minæ, quæ plerumque grandia mala poſt ſe trahunt, uti patet ex omnium ſæculorum hiſtoriis. Idem ſunt obſcenæ comœdiæ, quæ ubi a Principibus, & Magiſtratibus libere permittuntur, ſæpe grandia mala, famem, bella, peſtes, incendia, aliaque cauſant. Vide C. in Ezech. 21. v. 9.

Invidia.

391. *Solet etiam bonum male interpretari.*

DEus in terra Chanaan morte ademit homines, ut Iſraelitis locum pararet: & ecce! ſtatim dixerunt: *Terra devorat habitatores ſuos*: ita invidi bonum in ſiniſtram partem interpretantur. S. punct. 115. fol. 350.

Judæi Chriſtum occidunt, *quia multa ſigna facit*, putant ſuæ gloriæ decedere, quidquid accedit Chriſto. S. punct. 24. fol. 650. D. 9. 50.

Moyſes habebat mille ſplendores, & tantum populus intendebat in æthiopiſſam uxorem. S. punct. 115. fol. 351

ret? nonne proditor eſſet? Ergo & tu proditor es, qui dæmoni viam facis ad gratiarum theſauros abripiendos. Charides ex intuitu Veneris in Gnido ad turpem amorem pellectus eſt, teſte Plinio. Juvenis in templum ſe noctu includi ſinit, ex amore marmoreæ ſtatuæ, teſte Luciano. Alia tragœdia contigit cum infauſto Cherea, dum impuram picturam Jovis, & Danae aſpexit. B. ſerm. 36. n. 34. 35. 36. Vide Lucianum Tom. 2. conc. 8. n. 3.

In Concil. Conſtantienſi graviſſime prohibentur impuræ imagines. B. ſer. 41. n. 42.

Quidam Pictor pie defunctus poſt mortem totus igneus apparet, dicitque ſe interceſſione Sanctorum ægre ab inferno fuiſſe ereptum: non poſſe tamen ſalvari, niſi impudica pictura, quam in juventute fecerat, combureretur; quia propter eam picturam multæ animæ fuiſſent damnatæ. D. 5. 28.

*Vita B. Dom. a JESU Mar. l. 2. c. 12.* Simillima Hiſtoria legitur in vita B. Dominici a JESU Maria Ordinis Carmelitarum: Defunctus eſt Pictor, ceteroquin pius, qui ſuas picturas ornatui templi idoneas Monaſterio ejuſdem Ordinis legarat. Cum igitur dictus B. Dominicus noctu pro defuncto orat, ecce iſte illi apparet terribili & ignita ſpecie: cohorruit Dei famulus, & ſpiritum quæſivit cauſam tormentorum: Repoſuit ille, ſe fuiſſe accuſatum ob impuram picturam a multis animabus, quæ propter aſpectum hujus imaginis peccarunt & damnatæ ſunt, ſe etiam fuiſſe damnandum, niſi interceſſione Sanctorum in vita ſeriam penitentiam egiſſet; ſed nunc ſe non poſſe e purgatorio liberari, niſi illa imago, quæ nunc eſſet in manu illius Domini (quem nominabat) combureretur.

387. *Vehementer afficiunt animum.*

S. Petrus Damiani fatetur de ſe, quod viſæ ſemel pulchritudinis imaginem e memoria abolere in ſero ſenio non potuerit, & myſteria ſacræ Scripturæ facilius oblitus ſit. S. punct. 114. fol. 344.

Quantum picturæ ſacræ proſunt ad virtutem? Sanctus Gregorius de ſe narrat, quod holocauſtum Abrahami, & Iſaac ſine lacrymis intueri non potuerit: ita viciſſim nocent picturæ impuræ. C. Gen. c. 22. v. 10. ad fin.

Leonardus Vincius celebris pictor picturas ſuas ad vivum repræſentare ſolitus, aliquando depinxit menſam corridentium, tanta vivacitate, ut nemo picturam aſpicere potuerit, quin ad riſum moveretur. T. nu. 226. Si hoc affecit pictura ridicula, quid efficiet impura?

Dum Patriarcha Jacob in domo Labani ſervitia opilionis obibat, pactum cum Domino pepigit, vi cujus agni unicolores ad Dominum, bicolores autem ad ſe pertinerent. Hac conventione facta Jacob in fontem, ubi adaquari ſolebant greges, diverſicolores, aut ſemidecorticatas virgulas injecit, quarum intuitu gravidæ ovium matres, diverſas naſcituro fœtui maculas ex imaginatione imprimebant, & ſic Jacobus ex hac arte ſeu dolo mirum in modum ditatus eſt; quia in grege plures maculoſæ quam unicolores oves inveniebantur. Eandem vim, quam habuerunt decorticatæ virgulæ, habent & picturæ laſcivæ: intuentium animas peccaminoſis imaginationibus maculoſas reddunt, & quis ex his maculis magis diteſcit, quam infernalis inimicus? O quam gravis ratio danda incumbet Nobilibus, evanidiſque hominibus, in quorum cubiculis pictura omnes, & ipſa periſtromata adeo laſciviam ſpirant, ut fere nemo, qui illuc venerit, anima illæſus revertatur. Quid mirum, quod Chriſtianiſmus maculoſis gregibus abundet? &c.

388. *Dignæ ſunt gravi ſupplicio.*

S. Ambroſius narrat, eos, qui imaginem Bruti & Caſſii, a quibus Cæſar occiſus fuit, in anulo ſigillari aut charta gerebant, morte mulctatos fuiſſe, quia credebantur eſſe de partibus homicidarum, aut ſaltem eorum facinus approbare. Et quid denotant laſcivæ leones? Plinius putat periculoſum eſſe, ſiquis imaginem alicujus Principis gerat, eſſe enim talem imaginem *Magnam criminum occaſionem*. Et quid dicendum de imaginibus impuris? D. 2. 25. in fine.

B. Dominicus a JESU Maria Ordinis Carmelitarum quondam pernoctabat in arce Nobilis Domini. Noctu in oratione vigilans videt numeroſam dæmonum turbam in proximam aulam ingredi, & ibi aliquam imaginem thuribulis, ſuffitibus, & genuflexionibus honorare: adjuravit aliquem e dæmonibus; ut ſibi panderet, cur id facerent? Invitus dæmon, & coactus repoſuit, hanc eſſe imaginem impuram, & ſibi jam plurium peccatorum & animarum lucrum tuliſſe. Altera die narravit B. Dominicus Nobili nocturnum viſum, illique ſuaſit, ut imaginem aboleret. Nobilis reputavit hanc ſuaſionem pro ſcrupulo, dixit ſe hanc iconem præ ceteris omnibus æſtimare, tum quia ab artificioſiſſimo pictore eſſet elaborata, tum quia a Magno Principe ſuo Genitori eſſet donata, &c. Dominicus inſtabat motivis & precibus; verum cum nihil efficeret, prædixit Nobili, quod, niſi conſilio obſequeretur, brevi & hanc & omnes alias picturas morte eſſet amiſſurus, quod & evenit; cum enim miſer poſt duos menſes in domo & occaſione ſuſpectiſſima verſaretur, tribus vulneribus confoſſus, & vitam & animam perdidit, æternum infelix. *Vita B. Dom. a JESU Mar. l. 2. c. 12.*



Pictor in pauperes Religioſos alicujus cœnobii admodum liberalis poſt mortem in flammis apparet confeſſario, ingemiſcens, quod ad purgatorium damnatus ſit propter imaginem impuram, quam in juventute pinxerat, nec antea ſe pœnis eximendum, quam imago aboleretur. Rogabat confeſſarium, ut iret ad illum Dominum & deſtructionem imaginis urgeret: ut autem verbis fidem haberet, nuntiaret illi, duos filios ejus intra menſem morituros. Quod ſi renuat obedire mandatis cum paulio poſt repentina morte filios ſecuturum. Dominus his auditis perterritus imaginem flammis dedit, &c. T. n. 206.

Comœdiæ obſcenæ.

389. *Plurima mala poſt ſe trahunt.*

*S. Cypr. l. de ſpect.* SAnctus Cypr. ait, non eſſe dubium, quod talium ſpectaculorum *diabolus artifex* ſit, & ipſa ſpectacula *Inventio dæmoniorum, ſacrarium Veneris, & impudicitiæ conſiſtorium*. Nazianzenus vocat, *ſcholam fœditatis & omnis laſciviæ*. Chryſoſtomus, *Fornicationis Gymnaſium, intemperantiæ ſcholam, turpitudinis exhortationem, inhoneſtatis exemplar*, &c. &c. B. ſerm. 42. §. 4. per totum. *Naz. a. 2. Jam. 1. S. Chryſ. hom. 62. ad pop.*

*Gillielm. Perald. tract. de lux. c. 2.* Dicet forte, te ex intuitu talium ſpectaculorum nullum ſentire detrimentum Virtutis? Reſp. Lugdunenſis: *Etſi murus a candela juxta ſe poſita non comburatur, tamen denigratur*. B. ſerm. 42. n. 21.

David feminam videt, & honeſtam, & domi: tu in theatro, inhoneſtam, abſque verecundia, & negas te cum detrimento videre? S. punct. 33. fol. 143.

Gentilis Seneca damnat obſcena ſpectacula, inquiens, nihil eſt damnoſius bonis moribus, quam ſedere in ſpectaculis. Homines crudeliores, inhumaniores, & laſciviores recedunt, &c. D. 9. 75.

Comœdiæ etiam honeſtæ imminuunt devotionem, & animum infrigidant, præſertim ſi inordinatus earum affectus in animo dominetur: cervi cum pingueſcere ſe ſentiunt in dumetis, & denſa arborum ſolitudine ſe abſcondunt, quia minus expeditos ſe advertunt ad currendum: ita anima his affectibus impinguata minus expedita eſt ad currendum in via devotionis. Hæc omnia S. Franc. Saleſ. in Philoth. c. 23. Quid Sanctus hic ſenſiſſe cenſendus eſt de comœdiis obſcenis? &c.

390. *Puniuntur a Deo.*

Circumforaneus cum pellice Mima circuibat urbes Italiæ, & in medio foro, excitato ſuggeſtu juventutem improbiſſimis luſibus ac ſermonibus pervertebat. Honeſti quidam juvenes hanc peſtem everſuri induto flagellantium habitu, prævia cruce, cum flagellis theatrum circuibant, & populum omnem ad pœnitentiam commotum abire fecerunt. Circulator lucri ſui defectum deplorans apud Magiſtratum conqueritur, efficitque ut juvenes illi fuerint puniti. Verum & ille ſupplicium Dei non effugit, in ipſo juventutis flore mortuus. J. 49.

Rogatus quidam Romæ a ſocio, ut ſecum ad fabulam in vicinia habendam pergeret, id recuſavit. Paullo poſt audiit terribilem ſtrepitum ac clamorem, interrogan ſque edoctus eſt, aulam ubi fabula habebatur, concidiſſe, & multos obtriviſſe, alios vulneraſſe. J. 92. T. n. 198.

Cometæ ſunt cæli minæ, quæ plerumque grandia mala poſt ſe trahunt, uti patet ex omnium ſæculorum hiſtoriis. Idem ſunt obſcenæ comœdiæ, quæ ubi a Principibus, & Magiſtratibus libere permittuntur, ſæpe grandia mala, famem, bella, peſtes, incendia, aliaque cauſant. Vide C. in Ezech. 21. v. 9.

Invidia.

391. *Solet etiam bonum male interpretari.*

DEus in terra Chanaan morte ademit homines, ut Iſraelitis locum pararet: & ecce! ſtatim dixerunt: *Terra devorat habitatores ſuos*: ita invidi bonum in ſiniſtram partem interpretantur. S. punc. 115. fol. 350.

Judæi Chriſtum occidunt, *quia multa ſigna facit*, putant ſuæ gloriæ decedere, quidquid accedit Chriſto. S. punct. 24. fol. 650. D. 9. 50.

Moyſes habebat mille ſplendores, & tantum populus intendebat in æthiopiſſam uxorem. S. punct. 115. fol. 351

Sanctus Gregorius ait: *Dum bonum, quod vident, accuſare nequeunt, cæcati malitia malum, quod non vident, ad accuſationem quærunt*. C. Gen. c. 19. v. 11.

*Putredo oſſium invidia*, ait Sacer Proverbiaſtes: putredo malum eſt, quod naſcitur de bono non ſuo: imo quo partes ſunt magis delicatæ, carnoſæ, & pingues, eo magis illam producunt: ſic invidia naſcitur de bono alieno: nec ſolum corrumpit & dolet, ſed & nauſeam procreat: Inde ſumit occaſionem triſtandi, unde deberet maxime lætari. Sed peſſime! Nonne ſi multi ſunt, qui gloriam Deo reddant, eo melius eſt? *Quis tribuat, ut omnis populus prophetet?* Ajebat Moyſes, cum audivit ſpiritum ſuum multis aliis communicari: ita te quoque loqui oportet, &c. Segn. Mann. 7. Febr. n. 5.

Mali Chriſtiani ex ambitione & invidia prædicabant contra Paulum vinctum, dicentes: Pereat Paulus, pereat Eccleſia, dummodo ad breve tempus ſimus in ho-
S. Chryſ. hom. 41. in Matt. nore, & gloria. En! ait S. Chryſoſtomus: *Invidia peſtiferum malum, hominem in dæmonem immaniſſimum convertit*. C. Philipp. c. 1. v. 18.

392. *Diu in corde nutrit livorem.*

*Sagittæ potentis acutæ, cum carbonibus deſolatoriis*, alii legunt cum carbonibus Juniperorum: habent hoc carbones juniperi, quod ſub cinere ſæpe per annum conſervare ignem poſſint. S. punct. 115. fol. 350.

Invidia, & odium in eo differunt, quod is, qui odit, triſtetur directe ob malum, quod vult adverſario: Invidus autem ob amorem, quo fertur in ſeipſum; cum putet alterius exaltationem cedere in ſui depreſſionem. Iratus eſt Saul nimis, & di-
1. Reg. 18. xit: *Dederunt David decem millia, & mihi mille dederunt, quid ei ſupereſt niſi regnum?* hinc ait S. Auguſtinus, æqualis invidet æquali, quia videt ſibi parem, inferior ſuperiori, quia videt ſe illi imparem, ſuperior inferiori; quia metuit ſibi fore æqualem. Segn. Manna 9. Sept. nu. 1.

Invidus eſt puſillanimis, & invidia ipſa puſillanimitas, cujus ſigna phyſiognomica recenſet Philoſophus: *Qui oculos parvos habent, ſunt puſillanimes*. Et S. Bernardus: *Invidia eſt animi tinea, ſenſum comedit, pectus urit, mentem afficit, cor hominis quaſi quædam peſtis depaſcit, & cuncta bona peſtifero ardore devorat. Invidus alienum bonum, ſuum facit invidendo peccatum*. C. Eccli. 14. v. 8. ad finem.

Invidus ſimilis eſt *vulturi*, & *muſcis*: ſicut vultur ad ea, quæ male olent, majori impetu fertur, & muſcæ neglectis ſanis corporis partibus ad ulcera contendunt: ita invidus. Deinde ſimilis eſt *Pantheræ*: ſicut Panthera tanta adverſus hominem rabie ardet, ut etiam in ejus imaginem involet: Ita dæmon invidorum anteſignanus ita contra Deum invidia flagrat, ut cum ipſum Deum attingere nequeat, in hominem, ejus imaginem, iram ſuam exoneret. C. Eccli. 31. v. 16. in fine.

393. *Sibi ipſi maxime nocet.*

Florentius Eremita vir prodigioſus ab obſequiis habebat urſum, qui ejus oves in paſcuis cuſtodiebat, aliaque ſervitia mirum in modum faciebat: aliqui Monachi hanc miraculorum gratiam invidebant Sancto Viro, & urſum occidebant: verum omnes ſtatim elephantiaſi puniti ſunt. D. 10. 55. E. *Maledicere* 5.

Aetius ſupplantat Comitem Bonifacium, & dein a Theodoſio Imperatore pariter ad mortem damnatur, puniendus citius niſi precibus uxoris fuiſſet ſervatus. Loh. v. Invidia, §. 4. n. 10.

Invidus pallorem in facie, maciem in corpore, vigilias noctu ſibi conſciſcit, & ſuummet ſupplicium eſt. Hinc ab Ægyptiis, aliiſque Mythologis comparatur 1. *Baſiliſco*; Baſiliſcus enim ad funera terrarum natus, ſerpens exitialis, ſolo aſpectu auras inficit. Quodſi ſeipſum intueatur in ſpeculo, repercuſſo in ſe halitu propriis ſe telis enecat. 2. *Sirenibus*; Sirenes enim ſæviente tempeſtate ſuaviſſime canunt, contra ſereno cælo, & tranquillo mari triſtes obmuteſcunt. 3. *Polypo*; Polypus enim edaciſſimus, cum alienis cibis indiget, ſua ipſe membra conficit. Sic invidus aliorum vitæ & fortunis invidens, ipſe tabe conficitur, ſuiipſius interfector. C. Eccli. c. 14. v. 8.

Invidia ſimilis ophtalmiæ, quæ rebus valde ſplendidis & lucentibus offenditur & læditur; ſic enim invidia aliorum bonis, virtute, & gloria acerbatur, & tabeſcit. Inquietum malum, quia ut ait Ariſtoteles, eſt antagoniſta fortunatorum. C. Philipp. 1. v. 18.

394. *Invidum infelicem reddit.*

Hebræi cæcum Chriſtum glorificantem audire non poterant, quia invidus plus torquetur a proximi bono quam a proprio malo. Paoletti Fer. 4. poſt Dom. 4. Quadr.

Invi-



Invidia octo conditiones ſeu mala habet: 1. Similis eſt ophtalmiæ, quæ rebus valde ſplendidis & lucentibus offenditur; hinc invidia vocatur Antagoniſta fortunatorum. 2. Quanto magis creſcit virtus & gloria, tanto magis creſcit invidia. 3. Neminem magis lædit, quam ſeipſam: ſicut rubigo ferrum, ſic invidia invidum conſumit. 4. Feliciorem plerumque facit eum, cui invidet; ſic invidia fratrum occaſio fuit Joſepho exaltationis ad thronum, &c. C. Gen. 37. v. 4.

Homo invidus omnibus eſt exoſus & ſuſpectus. Rex Balthaſar Danielem, ad accuſationem Optimatum ſuorum in lacum leonum mittit, ſed orificium lacus ſuo annulo ſignat. Quare? an non ſperavit, Danielem inter leones incolumem fore? ſperavit; ſed invidis optimatibus minus fidit quam leonibus, metuens, ne Danielem, etiamſi a leonibus maneret illæſus, e medio tollerent.

Invidia vitium non tam humanum, quam ferinum eſt: Sic *Stellio*, dum membranam hibernam exuit, eam devorat, quia ſcit, eam homini prodeſſe contra comitiales morbos. *Cervus* item ſciens, dextrum ſuum cornu prodeſſe hominibus ad multos uſus, invidia flagrans, illud in terra occultat. *Equa* non ignorans ſe una cum pullo amoris veneficia parere, id agit, ut carunculam in pulli fronte innatam, nuncupatam hypomanes, voret. *Vitulus marinus*, cum captum ſe videt, coagulum evomit, quod epilepticis auxiliatur, &c. C. Eccli. 14. v. 8.

395. *Quomodo curanda ſit, aut ſuperanda.*

Remedium contra invidiam duplex eſt, unum ex parte *cognitionis*, conſiderando infelicitatem invidi, qui omnia aliorum bona convertit in ſuum malum. Alterum ex parte *operis*, bene loquendo, & bene faciendo proximo, &c. Segn. Manna 9. Sept. num. 4.

Efficaciſſimum remedium contra invidiam, ait S. Baſilius, eſt contemptus gloriæ, & omnium bonorum temporalium; opes enim & honores plerumque conciliant hominum invidiam, &c. C. Gen. 37. v. 4.

Aſſueſcat Chriſtianus, qui invidiæ malo tabeſcit, hoc vitium domare per contrarios actus, ſæpe gratias agendo Deo pro bonis, quæ proximo contulit, & ſibi ipſi hæc & ſimilia inculcando: ſi Deus mihi has opes, & honores contuliſſet, quos proximo contulit, forſan illis ad Dei ignominiam & animæ meæ interitum abuterer, cum tamen ille aut iſte eos uſurpet ad Dei gloriam, & ad animarum ſalutem, &c. Præterea bene conſideret mala, quæ invidus ſibi ipſi irrogat, animum inquietudine turbando, corpus ad maciem redigendo, ſeipſum etiam aliorum vilipenſioni exponendo, quia ex ipſo oculorum contuitu, multiformi, truci, torvo, ac flagrante, latentem invidiam prodit. Huc facit Apologus onagri, & ſimiæ deſcri-
ptus a S. Cyrillo: Sereno cælo ſimia cum S. Cyrill. l. 1. Apolog. mor. c. 29.
ſolitudinem læta percurreret, invenit onagrum lugubri contuitu, & livida facie in terra jacentem, interrogavitque: Quæ cauſa tuæ triſtitiæ? Repoſuit ille: Ex aeris ſerenitate conſtringor, ejus enim lucem oculi mei non ferunt! præplacet mihi tempeſtas turbulenta! His auditis notavit Simia, livoris vitium eſſe ipſius tormentum, dixitque: Maledictus ſit oculus, qui turbatur in lumine, & in turbine delectatur! &c. C. Eccli. 14. v. 8. &c.

Si quæras tandem, quomodo ſuperanda ſit aliorum invidia? Reſpondeo, remedium unicum eſt, animi conſtantia ac celſitudo, omnem calumniam non tam dictis, quam factis confutans: videmus ſæpe in plateis, quod rabidi canes, equos & rhedas inſolenter, ac impetuoſe allatrent, id tamen & equi, & auriga & ipſe Dominus tam parum curant, ut curſum ſuum ſine mora proſequantur: ſic pergendum eſt in ſtadio virtutis, ut invidorum latratus deſpiciantur. Quocirca hoc adverſus viros ſapientes & claros poteſt invidia, quod nebula adverſus ſolem: breviſſimo tempore nocet, & ea diſſipata ſol clariores radios emittit. C. Eccli. 14. v. 8.

396. *Eſt fomes multorum aliorum ſcelerum.*

*Sciebat, quod per invidiam tradidiſſent* Matt. 27.
*eum*: Ecce! invidia Chriſtum interemit. Chryſoſtomus ait: Radix homicidii invidia, & fructus invidiæ homicidium, unde Apoſtolus connectit utrumque ſcelus: *Plenus invidia, & homicidio*. Abel, Chriſtus, & alii propter invidiam interfecti ſunt. S. punct. 25. fol. 653.

S. Auguſtinus ait: Hæc eſt, quæ Angelum de cælo projecit, quæ hominem de Paradiſo exulavit, quæ filios Iſrael in deſerto percuſſit, quæ contra Joſeph fratres armavit, quæ Danielem in lacum leonum miſit, quæ caput noſtrum cruci affixit. S. punct. 125. fol. 654.

Ubi eſt invidia, *ibi inconſtantia, &* Jac.

*omne opus pravum*. Inconſtantia eſt ex parte intellectus, quia invidia non tantum obfuſcat affectus, *Non rectis oculis Saul aſpiciebat David*: ſed etiam pervertit; ita ut qui primo videbatur dignus omni bono, poſtquam cœperis illi invidere, jam videatur omnino diverſus ab eo, qui erat: quod in eo antea dicebas devotionem, jam vocas hypocryſin, quod antea generoſitatem, jam audaciam, &c. *Omne opus pravum* ſe tenet ex parte voluntatis; quia invidia rapit ad quemvis exceſſum malitiæ, quod impetrare non valet verbis, efficere conatur factis, id eſt impoſturis, fraudibus & latrociniis: *Factuſque eſt Saul inimicus David cunctis diebus*. Revera invidia eſt quoddam compendium iniquitatis; ſicut diabolus ex invidia omnia mala adornat in mundo: ita invidus facit, &c. Segn. Manna 9. Sept. n. 2. 3.

Invidia ferax eſt mendaciorum, Judæi Chriſtum apud Pilatum accuſant, quod ſe Regem faciat, quod ſubvertat gentem, quod prohibeat tributa dare Cæſari &c. hæc ſunt aperta mendacia. Coſterus de Paſſ. Dom.

### 397. *Eſt vitium commune.*

S. Aug. l. 11. in Gen. ad litt. ſ. 14.

S. Auguſt. ait: *Invidet par pari, quia ei coæquatur: invidet inferior majori, quia ei non coæquatur: invidet ſuperior inferiori, ne ei coæquetur*. D.6. 91. D.11. 82.

Odium, & invidia quamvis videantur eſſe fratres, ſunt tamen diverſæ indolis. Odium oritur ex viſis aliorum vitiis, invidia ex bonis; ideo fortuna dicitur comitem habere invidiam. Odium ferri poteſt etiam contra animantia, & res inanimatas, invidia ſolum contra homines. Odium nonnunquam laudabile eſt, uti contra ſceleratos, invidia nunquam poteſt eſſe laudabilis. Odium infelicitate aut felicitate aliorum non minuitur, invidia autem mitigatur in infelicibus, quia cauſa invidendi deſinit, in felicibus, quia invidiam tranſcendunt, &c. D.9. 99.

Præſertim regnat invidia inter eos, qui ſunt ejuſdem profeſſionis, juxta illud: figulus figulum, mendicus mendicum, & cantor cantorem odit: proprium intereſſe, & lucri deſiderium facit, ut unus alterum contemnat: male loquuntur contra æmulos, *invidis enim ſermones obſonii loco ſunt*, ait Pindarus. Accedit quod machinationes mutuas faciant, unus alterum opprimendi, & quidem ſub ſpecie juſti fervo-

Num. 11.

ris: ita Joſue ſuaſit Moyſi, ut prohiberet viris Eldad & Meldad, ne prophetarent: cui Moyſes: *Quid æmularis pro me? quis mihi tribuat, ut omnis populus prophetet, & det eis Dominus ſpiritum ſuum?*

Invidia Chriſtum Dei Filium in crucem egit, id quod unus ex Crucifixoribus publice faſſus eſt, ſciens, quod per invidiam tradidiſſent eum, &c.

## Detractio.

### 398. *Quantum ſit malum.*

SAnctus Jacobus Apoſtolus merito vocat linguam univerſitatem iniquitatis: id maxime verum eſt de detractoribus. Similes ſunt Gallo, qui dum vermiculum reperit, magnum clamorem facit, ſi vero adamantem invenit, ſilet. *Deus conteret dentes eorum, molas leonum confringet*: Cur *leonum*? quia leo habet dentes fœtidos, quidquid tangit fœtet: ita detractor fœtere facit famam alterius. B. Serm. 22. §. 5. Serm. 23. n. 43.

S. Bern. de tripl. cuſtod.

Detractionem Bernardus comparat viperæ, quæ uno ictu tria vulnera facit, loquenti, audienti, & illi de quo loquitur. B. Serm. 36. num. 26. Serm. 50. n. 31.

*Detrahentia labia ſint procul a te*; Quia ſcilicet detractio peſtis eſt, quæ eos, qui prope ſunt, facile inficit. S. punct. 115.

Sanctus Ephrem dicit: Ex teterrima Mariæ lepra docemur quam grave, & deteſtabile vitium ſit obtrectatio, &c. C. Num. 12. v. 10.

Certum eſt apud omnes Theologos furtum aurei eſſe letale peccatum: jam curre per omnem mundum, & quære cui ſuus honor venalis ſit pro aureo? imo qui judicium temerarium habet de proximo in re gravi ex motivo levi peccat letaliter, & tamen hic honorem tantum adimit proximo quoad ſe: multo ergo magis peccat, qui adimit quoad alios.

Carnifices Antiochi Regis juveni Machabæo cutem ſupra caput detraxerunt, ita ut agnoſcibilis non amplius eſſet. Detractor ſæpe proximum ita deformat, ut a ſeipſo, qui antea bonæ famæ erat, non amplius ſit agnoſcibilis, &c.

### 399. *Mala maxima poſt ſe trahit.*

*Sepulcrum patens eſt guttur eorum*. Quare ſepulcrum? quia ſicut ſepulcrum peſtilentem halitum evaporat; ita detractio ſcelera propagat. B. Serm. 36. nu. 27. S. punct. 115. fol. 349.

S. Chryſoſtomus ait: Detractio pacis vincula diſſolvit, magnæ caritatis nodum in-



fringit. Qui detractioni ſtudet, diabolo ſervit. Et S. Bernardus: Lingua detractoris eſt vipera ferociſſima, tres lædit uno ictu, detrahentem, audientem, & eum, cui detrahitur. Sermo detractorius leviter penetrat animum, ſed non leviter exit. C. Num. 12. v. 10.

Bonamicus celeberrimus pictor, ſacellum Epiſcopi Aretini noviter extructum artificioſiſſime pingere juſſus, cum operi manum admovit, altera die advertit, viditque picturam ſuam aliena manu, abſurdiſſimis coloribus eſſe deturpatam. Dum in auctorem, conſtitutis etiam cuſtodibus inquirit, deprehendit, ſimiam domeſticam, in ſui abſentia colores & penicillos arripuiſſe, & has lituras feciſſe. Detractor talis ſimia eſt, qui templa Dei, id eſt, homines turpiſſime deongit. ille Judex eſt juſtitiæ tenaciſſimus, venit infernalis ſimia, aut detractor, qui illum tanquam iniquiſſimum munerum captatorem deſcribit. Sunt honeſtiſſimi conjuges, qui bonis virtutum exemplis proximum ædificant, venit detractor, & utrique avaritiæ, & luxuriæ maculas aſpergit. Eſt Virgo pudiciſſima, procul ab omni immunditie aliena, venit detractor, & illam ut carnalem, & libidinoſam pingit. Sic paſſim innocentes perſonæ in ſtatu tam ſacro quam profano denigrantur. Quanta damna! Lucian. p. 3. conc. 19. num. 6.

S. Chryſ. Hom. in Pſ. 100.

Sanctus Chryſoſtomus ait: *Grave malum eſt detractio, turbulentus dæmon, nec unquam pacatum hominem reddens: Ex ea odia pullulant, odia conflantur, diſſidia ortum trahunt, ſuſpiciones malæ procreantur, ſine ulla cauſa hoſtem reddit, qui prius amicus erat: univerſas domos ſubvertit, & pacatas urbes ad bellum excitat, &c.* C. Num. 12. v. 10.

Detractiones, & convitia multos ad laqueum adegerunt, ait Chryſoſtomus; ideo Judas ſe ſuſpendit, ne audire porro debeat: En hic eſt proditor! S. punct. 15. fol. 595.

Etiam patientiſſimus Job propter convitia amicorum turbatus eſt. S. punct. 15. fol. 595.

Plutarchi gnome eſt: *Silentium in maledicto res gravis, & Socratica*. S. punct. 15. fol. 597.

Pſ. 118.

Sanctus Rex David rogat Dominum: *Redime me a calumniis hominum, ut cuſtodiam mandata tua*. Quid? an ergo David non poteſt cuſtodire mandata inter medias hominum calumnias? poteſt quidem: ſed *calumnia perturbat ſapientem & perdit robur cordis illius*, ait Eccleſiaſtes: homo quantumcunque probus perturbatur, tœdioſus fit, in ſanctis operibus remiſſus, &c. Et damnum hoc omne ſarcire debet apud Deum detractor. Ita Bellarminus in hunc Pſalmum.

*Noli arare mendacium*, monet Sapiens: ſicut qui arat, e terra radices, germina, flores eruit, & exareſcere facit; ita qui famam proximi arrodit, e corde ipſius virtutum radices, bona propoſita, fervorem, & intentiones evellit & debilitat. C. Eccli. c. 7. v. 13.

Detractio illi, cui detrahitur, cauſat infamiam: infamia autem comparatur putredini: ſicut ergo putredo, cum unam partem corrumpit, facile ad alia membra ſe extendit; ita ſi detractor virum honeſtum de uno vitio diffamat, facile illum plurium vitiorum ſuſpectum reddit. Putredo generat vermes; o quot vermes generantur in cerebro audientium contra eum, cui detrahitur, licet ſit innocentiſſimus. C. Prov. 10. v. 7.

### 400. *Illa graviſſima quæ primo detraxit.*

Si lapis in ſtagnum projicitur, circulum primo modicum facit, dein majores, & majores, donec ſe circuli per totum lacum extendunt: quis cauſa eſt omnium? ille, qui lapidem projecit: ita qui contumelioſum verbum projicit contra proximum, ille præ ceteris pœnam Dei experietur. Maria & Aaron murmurarunt contra Moyſen: lepra infecta eſt Maria: cur non & Aaron? Nota effatum Scripturæ: *Maria, & Aaron*. Areſius ait: *Quia illa prima fuit in murmuratione, & Aaron ſecum in eandem traxerat, &c.* B. Serm. 36. num. 28.

Ares. de Trib. diſc. 18. n. 26.

Detrahens malitiam maledictionis etiam aliis africat: hinc Apologus Plutarchi: cum gallina ægrotabat, acceſſit ad eam felis, interrogavitque: quomodo valeret? repoſuit illa: ſat bene valeo, ſi tu a me diſcedas! ſic reſpondendum detractori, ſic ab eo recedendum eſt. C. Prov. 25. v. 23.

Semper prima peccata in quocunque genere malitiæ ob pravitatem exempli plura poſt ſe trahunt. Unde fit, quod palmare mendacium totam urbem, aut regionem pervadat? ex pravitate illius, qui illud primo confinxit. Unde fit, quod milites in hoſtilem aggerem fere inexpugnabilem inſiliant? ex audacia ducis præeuntis. Unde fit, quod ranæ omnes in lacuna ad veſperam clamitent coaxantes? ex coaxatione primæ clamantis! Sic fit in detractione:

eſt perſona honeſtiſſima, cui nemo maculam vel minimam aſpergere audet. Verum cum impudens quidam contra illam coaxare incipit, jam omnes nigrum theta ſciunt, quod illi inurant, imo cum auxeſi nigrorem depingunt, quam primus ille deſcripſit, &c. Hæc autem tota culpa in primum illum blateronem recumbit! &c.

### 401. *Nos parcit vivis nec mortuis.*

*Poſuerunt in cælo os ſuum, & lingua eorum tranſivit in terra*. Ideo detractio dicitur peccatum ſine lege. S. punct. 115. fol. 349.

Detractores vocantur canes ſepulcrales, qui cadavera devorant. S. punct. 115. fol. 350.

Nihil omnino intactum relinquit detractoris lingua: præterit honeſta puella, ſtatim dicitur eam jam ſemel navigaſſe in Cyprum: præterit juvenis uxor, ſtatim dicitur eam habuiſſe nuptias in plenilunio. Præterit litteratus, ſtatim dicitur eum gradum ſumpſiſſe in Italia. Et quod magis eſt, nec ſacri oratores in pulpito a detractionibus ſecuri ſunt: ſiquis ferventer detonat contra vitia, ſtatim dicitur: iſti popæ ipſimet non ſunt melioris farinæ! Quid dicam de mortuis? Vix vir aliquis honeſtus oculos clauſit, jam confinguntur debita, impugnatur teſtamentum, exprobrantur illi vitia jam diuturna oblivione ſepulta, fiunt prætenſiones, & accuſationes injuſtiſſimæ. Opus ſæpe foret, ut, quod in vita Sancti Stanislai Epiſcopi Cracovienſis legitur, defunctus e ſepulcro evocetur ad dandum coram judice teſtimonium.

Num. 22. Quamvis Balaam fuerit admodum in ſe malus, tamen generoſe repoſuit, quod nollit maledicere populo, cui benedixerat Dominus. O quam multi ſunt illo pejores, qui tam Clericis, quam Laicis, tam Sacerdotibus, quam conjugatis, tam bonis quam perverſis detrahunt, & maledicunt.

### 402. *Debet neceſſario revocari.*

Anno 1642. vidit Gallia & præſertim urbs Toloſana generoſam mortem Ducis Henrici Montmorancii, qui perduellionis reus ad capitale ſupplicium fuit condemnatus. Indicibile eſt, quanta fortitudine exceperit Dux letalem ſententiam: in ultimo examine cum jamjam e camera juſtitiæ exierat, iterum intromitti petiit, habere ſe quod antea ex oblivione nondum revelaſſet: admiſſus edixit, ſe in proceſſu judiciali negaſſe, quod perduellionis ſyngrapham ſubſcripſiſſet, & imputaſſe Secretario Guillimet, quod manum ſuam imitatus fuiſſet, velle ſe nunc hoc revocare, & dictum Secretarium pro innocente proclamare. Plane generoſum facinus Chriſtiani Ducis! quare autem hoc fecit? quia ſcivit, ſalutem ſine revocatione detractionis obtineri non poſſe. Theat. Trag. hiſt. 36. n. 29.

*Qui detrahit alicui, ipſe in futurum ſe* Prov. 13 v. 13.
*obligat*, ait Sacer Proverbiaſtes. Ex detractione enim, ſicut ex furto oritur obligatio reſtitutionis. Terribile eſt illud monitum Eccleſiaſtici: *Attende, ne forte labaris* Eccli. 28.
*in lingua, & ſit caſus tuus inſanabilis*. Quare inſanabilis? quia magna eſt reſtitottonis difficultas, ita ut rariſſimo ad rigorem juſtitiæ reſtituatur. Nobilis quidam detrahens honeſtæ feminæ a Confeſſario ſententiam accipit: conclamatum eſſe de ipſius ſalute, quia damnum illatum aut omnino non, aut certe non ex æquo eſſet compenſaturus. B. Serm. 50. n. 32.

Tanta eſt difficultas reſtitutionis, ut detractores etiam in ipſo confeſſionis Sacramento raro ſe ſincere accuſent. Ranæ, quæ ſunt ſymbolum detractorum, ſunt loquaciſſimæ, in menſe Auguſto autem os habent adeo clauſum, ut manu vel baculo difficulter aperiri poſſit. VV. art. diſc. font. 48. ex. 2. Sic ſe habent detractores, ſunt in defectibus proximi garruliſſimi: cum autem veniunt ad confeſſionale, muteſcunt & os claudunt. Si millies quærantur, dicunt, nihil nocumenti in fama fuiſſe cauſatum, &c.

### 403. *Eſt peccatum ſingulariter a dæmeue ſubornatum.*

*Quid detur tibi aut quid apponatur tibi ad linguam doloſam? Sagittæ potentis acutæ cum carbonibus deſolatoriis*. S. Chryſ. legit, *cum carbonibus in lecti formam conſtructis: diaboli quippe lectus eſt, omnis lingua convitians*. Sicut enim in lecto diaboli, hoc eſt in inferno, eſt omnis iniquitas; ita in lingua omnis perverſitas. M. conc. 35. aſſ. 2. n. 1. 2.

Dæmon Sancti Epiſcopi Silvani formam aſſumit, & in ea mulierem ad nefas ſolicitat, quæ res Sanctum Virum coram omni populo ignominioſiſſime denigravit, donec Deus ejus innocentiam detexit. Petr. Sanchez 2. p. c. 1.

Cum S. Juniperus in urbem ingrederetur, dæmon gubernatori urbis edixit, illum ingredientem eſſe latronem; quare Juniperus in captivitatem datus, & equuleo tortus fuit, donec a S. Franciſco liberaretur. Petr. Sanchez 2. p. c. 1.

Gau-



Gaudet infernalis inimicus, ſi diffametur Sacerdos, quia ſcit ejus verba, exhortationeſque nullam amplius efficaciam habituras. Gaudet ſi diffametur Superior, qui ad clavum regiminis ſedet, quia ſcit illum ad compeſcenda ſubditorum vitia nullam habiturum auctoritatem. Gaudet ſi diffametur Paterfamilias, quia ſcit, quod in coercendis domeſticorum exceſſibus, riſum potius, quam ſubmiſſionem ſit reportaturus. Imo quia ſcit, quod ſubditi potius majorum exempla, quam verba ſint æmulaturi. Unde ſicut Magi & Sagæ per grandines, & fulmina, agrorum ſata deſtruere ſatagunt, ut famem populorum procurent; ita inimicus in iis, qui præſunt, virtutum famam extinguere laborat, ut deſint virtutum exempla, quibus ſubditorum pietas deberet nutriri, &c.

### 404. *Fit nonnunquam ſub ſpecie laudis.*

Duplex eſt ſerpentum genus, ait Plinius, alii habent cuſpidatos dentes, & acriter mordent: alii tantum lambunt, & intoxicant: ſic aliqui aperte detrahunt, alii occulte: Eſt aliquis, qui ſub ſpecie innocentiſſimæ laudis detrahit: v. g. Loquuntur duo honorifice de tertio: alius ſupervenit, & dicit, omnino eſt homo bonus, ſed ſi vos ſciretis, quæ ego ſcio, non autem volo aliquid dicere. Alius dicit: iſti homines ſunt pientiſſimi: tantum dolendum eſt, quod ita turpiter errarint, Deus bone: ſi hoc faciunt homines tam probi? &c. Nonne hic detractor eſt? Eſt utique. Quæſo ſi panegyricum de aliquo velles facere, & alapa concludere? &c. Vide C. Num. 12. v. 10.

Aliquis tam pathetice, & ſignificanter loquitur de erroribus proximi, ut poſſit dici *flumen eloquentiæ*. Et bene flumen: flumina communi adagio vocantur æquiſſimi fures; quod enim in uno littore abrodunt, id alteri littori adjiciunt. Sic faciunt detractores, abrodunt aliquid de fama proximi & putant ſe excuſari, ſi aliquid laudabile econtra intermurmurent.

Ruſtici carpenta agreſtia in axibus rotarum liberaliter inungunt, ut ea tanto gravius fimo onerari poſſint. Ita multi adeo ſunt inculti & ruſtici, ut proximum prius laudis unguento impinguent, ut tanto impudentius illum ſcomatis, & calumniis onerare, & diffamare poſſint.

### 405. *Compeſcitur recordatione propriorum ſcelerum.*

Judæi accuſabant adulteram: Chriſtus ſcribit in terra, & ſubito accuſatores muti abierunt. Quare? quia, ut putat Haymo, Chriſtus talem ſcripturam fecit, ex qua omnes ſua ſcelera poterant legere. Ita qui ſuorummet vitiorum recordatur, facile perdit pruritum detrahendi aliis. D. 5. 99.

Quidam Monachus in pariete ſcribit ſua peccata, in altero pariete obligationes ſui ſtatus: oriente tentatione convertit ſe ad parietem legendo, & ſic facile vicit dæmonem. Sanchez 5. part. c. 4. fol. 450.

Ranæ loquaciter veſperi obſtrepentes accenſa ad ripam lucerna mox conticeſcunt. VV. art. diſc. font. 48. ex. 2. Sic detractores, ſi a Deo illuminentur ad cognoſcendos proprios errores, utique os compriment.

S. Hieronymus ait: Magis vitam tuam ordinare diſce, quam alterum carpere. C. Num. 12. v. 10.

Abbas Pœmen rogatus, quomodo homo poſsit vitare, ne male loquatur de proximo ſuo? reſpondit: tunc alteri non detraho, ſi ſemper meipſum reprehendo. Eundem in ſenſum reſpondit Abbas Joannes: Sui inſpector, proximi eſt laudator. C. Prov. 25. v. 22.

Simia ubi forte in ſpeculum incidit, & ſuam deformitatem conſpexit, indignata ſpeculum baculo in fruſta comminuit. Ita peccator, dum ſuam deformitatem in ſpeculo conſcientiæ conſiderat, ſibi ipſi potius, quam proximo indignatur.

Ponamus æthyopem ex Abyſsinia in noſtram venire Germaniam, ille quidem ad conſpectum albarum facierum utcunque erubeſcet: ſed ſi forſan incidat in camineutam, qua fronte huic ſuam nigredinem exprobrare poterit? &c.

### 406. *Oritur ex invidia, & defectu caritatis.*

Ancilla quædam, nomine Lupa, Dominæ offenſa eam Marito a venationibus redeunti violatæ fidei accuſat: Paulus comes Carinthius is erat, qui audito flagitio ſtatim in arcem properat, & uxorem re non magis explorata per feneſtram præcipitat: uxor incolumis ſervatur, ancilla Dei ſupplicio in ſaxum, prout pejeraverat, tranſmutatur. R. 1. cent. 2. part. mir. 21.

Aurum hoc habet, utut tractantium manus nullo colore tingat, ſicut alia metalla: aurum eſt Symbolum caritatis: qui ergo famam alterius denigrat, ſatis prodit, quod de caritate nihil in corde habeat. VV. art. diſc. font. 48. ex. 7. n. 8.

Apud Abbatem Ammon accuſatus eſt Monachus, quod in cellam ſuam recepe-

rit

rit feminam, ſcivit Abbas id eſſe verum, nihilominus de calumnia redarguit fratres, ivitque cum illis ad cellam accuſati & ſuper dolium ſedit, ſubtus quod femina delituit, ſic & accuſatores confudit, & fratrem benigne admonitum ejecta femina correxit. E. Verb. *Caritas* num. 14.

Gen. 39. Putipharis Uxor innocentem Joſeph ad turpiſſimum ſcelus pellexit, cum autem caſtiſſimus Juvenis invicta magnanimitate illi reſtitit, illa amore in odium converſo ejuſdem criminis eum apud maritum accuſavit, & in carcerem conjici fecit. Sic fit, ex odio etiam injuſto, ex diſſidiis domeſticis conſurgit altercatio, in qua injuſtiſſimæ, mendaciſſimæque detractiones effutiuntur.

Quis neget, quod hæretici Romanæ Eccleſiæ, totique Clero turpiſſima delicta tam in moribus, quam in doctrina exprobrent? quare? Ex inveterato a teneris odio! eum in modum, quo Pharao exprobravit Moyſi, inquiens: Cui dubium eſt, Exod. 10. quod peſſime cogitetis? Nempe ex hoc patet, malignos hoſtes nonnunquam Viris optimis iniquas, & falſas impoſitiones audacter & impudenter imputare.

### 407. *Confutatur mirabiliter a Deo.*

S. Joannes Damaſcenus falſo accuſabatur, quaſi per litteras promiſerit Leoni Imperatori proditionem urbis Damaſci, ideo Rex urbis illi manum amputari juſſit. Verum amputata illi a B. V. iterum fuit reſtituta. Sanch. 6. p. c. 6. fol. 751. Vide Tit. *Perſecutio.* Calumniæ Deum defenſorem habent.

Femina pecuniis ſubornata accuſat S. Athanaſium de vi ſibi illata. Diaconus ſancti Viri in Concilio apparens quærit accuſatricem: Ego femina tibi vim feci? Ita tu, reponit illa cum juramento, qua re fraus & calumnia agnita fuit. Sanchez 6. part. c. 6. fol. 752. Alia vice accuſatus fuit Athanaſius, quod Arſenio manum amputaſſet, at ille Arſenium incolumem adducit. Ibid. fol. 753.

Abbas Daniel ſuas corbes venditurus in urbe frequenter inviſebat apud pios conjuges: hi infœcundi rogabant Abbatem, ut illis heredem impetraret. Impetravit: cumque uxor uterum ferret, frivole dictum fuit eam concepiſſe ab Abbate Daniele: at ille natum infantem coram omni multitudine interrogat: Dic quis eſt pater tuus? Infans alta voce reponit, iſte, ſimulque digito ſignat ſuum genitorem. Sanchez 6. part. c. 7. fol. 781. Vide Tit. *Falſum teſtimonium.*

Detractorum, qui aliorum delicta in lucem protrahunt, pœna eſt, ut & ipſi ob ſua delicta confundantur. Ruſticus Archiepiſcopus Trevirenſis Sanctum Sacerdotem Goar miracula operantem pro venefico habet. Accidit ut infans expoſitus afferretur, & tum Epiſcopus, ſi Sanctus es, utique ſcies parentes hujus ſpurii? S. Goar tum quæſivit ex infantulo vix triduano, quis eſt pater tuus? & ecce infans Epiſcopum digito ſignans, hic ajebat eſt pater meus, & Mater Flavia, &c. R. 1. cent. 2. part. mir. 35.

Mulier ſanctum Fiacrium pro venefico proclamat, & Deus ad orationem Sancti ordinat, ut deinceps nulla Mulier fines Monaſterii S. Fiacrii tranſire poſſit. Una auſa eſt pedem inferere ſupra limites, & pes ſtatim ambuſtus fuit, altera cæca facta eſt. R. cent. 2. part. 1. mir. 47.

### 408. *Magna malitia apud audientem.*

S. Auguſtinus ait, inter detrahentem, & audientem non eſſe aliud diſcrimen, quam quod primus habeat diabolum in lingua, alter in aure. Si non eſſet audiens, non eſſet detrahens: hinc cum quidam Thomæ Moro diceret, quod heſterna die peſſime fuerit traductus, reſpondit, alius non tam libere detraxiſſet, niſi tu tam libenter audiiſſes. Ejuſmodi detractores cum ſuis detractionibus non veniunt ad conſcientioſos, ſed ad perverſos, ſicut mercator, qui pannos crudos vendit, non ad aulas principum, ſed ad caſas ruſticorum vadit, quia ibi ſperat venditionem; qui furtiva emunt, æque puniuntur, quam fures: ita auditor æque punietur, quam detractor. Immo ſi infenſus es proximo, forſan adhuc laudas detractorem, rogas, ut ultra inquirat, imo mercede compenſas, &c. Ex auditis.

Achitophel quamdiu erat in aula Davidis, non auſus eſt malignum conſilium proferre propter probitatem Regis. Verum quamprimum tranſiit ad partes Abſalonis ſuaſit peſſima: quia vidit Abſalonem per ſe propendere ad ſcelera. Ita detractores non veniunt ad probos, ſed ad malignos, qui amant detractiones audire, &c. D. 8. 36.

Sunt ex audientibus nonnunquam aliqui, qui de induſtria expiſcantur ex detrahentibus quæ audire vellent, ſuntque tanquam folles ad ignem: ſed peſſime! S. Paulus raptus in tertium cælum ait ſe audiiſſe *arcana verba, quæ non licet homini loqui.* Fuere auctores qui divinabant, quænam ſint hæc



hæc arcana verba? ſed reſpondet S. Au- S. Aug. in Pſ. 36. guſtinus, quid quæritis ea, quæ non licet homini loqui? ſi non licet illi loqui, an alicui licebit audire? D. 8. 51.

Huc quadrant verba ſacri Proverbiaſtis: *Princeps, qui libenter audit verba mendacii, omnes miniſtros habebit impios.* D. 11. 10.

Principes in uſu habent, ut nonnunquam diſſimulata perſona ſe plebi immiſceant, & ejus ſenſum de ſeipſis explorent, ita fecit Obertus Marchio Florentinus, &c. Hæc res hodie omnibus communis eſt: quæritur, quid dicunt homines? D. 12. 6.

### 409. *Denotat ſceleratum hominem.*

Dic o detractor, an nihil boni & laudabilis noſti in proximo tuo? noſti utique: cur ergo tantum profers vituperabilia, & non etiam laudabilia? nempe hoc tuam denotat perverſitatem, & ignobilem animum: Ponamus ſitibundum Viatorem tranſire per hortum, videt ſubter arborem jacere pomum ſed ſemiputridum: quid agit? guſtat pomum ex ea parte, qua bonum eſt. At veniat in hortum porcus: ex qua parte ille arrodit pomum? ex ea, ubi putreſcit. Ecce! quam beſtialem animum in te deſignet detractio. Trauner Gall. cant. Anno 4. conc. 6. n. 5.

Detractores ſunt loquaces & garruli homines, qui nullum ſecretum poſſunt occultare; hinc ſunt ſicut dolium recenti muſto oppletum, quod niſi aperiatur, rumpitur. Homo ſtolidus, cum arcanum quid reſcit, non poteſt conquieſcere, donec illud effutiat, &c. D. 10. 42.

Quidam juvenis eremita narrabat ſeni, ſe a quodam amico magna ſcelera inaudiiſſe contra aliquem: ſenex quærebat, credis? ita, reponit juvenis, credo; quia amicus ille eſt fidelis homo, ſi fidelis eſſet, ſubinfert ſenex, non proderet defectus proximi. Sanchez 6. part. c. 7. fol. 780.

Pſittacus eſt loquaciſſima volucris, & tamen etiam eſt infirmiſſima: graciles habet pedes & nihil firmum, niſi ſolum noſtrum, &c. VV. art. diſc. font. 48. ex. 1. Sic detractores ſunt garruli circa aliorum defectus, & tamen ipſi ſunt mendoſiſſimi.

Ranæ ſunt Symbolum detractorum, quare? an ideo quia loquaciſſimæ ſunt, & tamen ipſæmet in ſordida lacuna habitant? Eſt aliqua ratio: ſed maxime ideo: Ranæ cum ſol occidit, ſtatim hunc defectum cælo clamoribus exprobrant, ejuſque obſcuritatem mundo deprædicant: verum ſi lucerna ad ripam lacunæ collocatur, mox omnes tacent. Sic faciunt detractores: ſi defectum in illo notant, ſunt clamoſiſſimi, ſi vero aliquid ſplendens ac luminoſum in eo conſpiciant, tacent. VV. art. diſc. font. 48. ex. 2.

Inter nociva animalia impietatis & ingratitudinis Symbolum eſt vipera, quæ in utero materno tempus pariendi non expectans, viſcera matris corrodit, & ſic viam egrediendi ſibi aperit cum morte matris. Tales ſunt, qui in aliqua communitate, aut collegio internis obtrectationibus, & odiis pacem, ac diſciplinam turbant, non ſine ingenti damno totius corporis. C. Jerem. 9. v. 4.

Detractores graphice perſtringuntur: 1. *Extenderunt linguam ſuam, quaſi arcum mendacii*; quia linguam inſtrumentum veritatis faciunt arcum maledictionis. 2. *Confortati ſunt in terra;* quia ſua dicacitate & mendaciis alios poſt ſe trahunt. 3. *De malo ad malum egreſſi ſunt*; quia ab una calumnia ad aliam procedunt. 4. *Omnis amicus fraudulenter incedet*; quia ſimulant ſe amicos coram, ſed a tergo oſtendunt ſe hoſtes, &c. C. Jer. 9. v. 4.

### 410. *Punitur graviſſime a Deo.*

*Converſi ſunt in arcum pravum*: ubi Hieronymus: arcus pravus eſt, qui dum contra inimicos ſagittas putatur jacere, ſauciat tenentem. S. punct. 115. fol. 350. ad finem.

Maria murmurando contra Moyſen cui plurimum nocuit? ſibi ipſi, quia lepram contraxit. S. punct. 115. fol. 350.

Duo ſacerdotes conjuncta malitia Sanctum Sydonium ſuo Epiſcopatu privarunt, unus eorum miſerabili morte ſtatim medius crepuit, & paullo poſt etiam S. Sydonius obiit. Sacerdos ſuperſtes, ut in defuncti Epiſcopatum ſe intruderet convivio excepit fautores: interim unus ex famulis vidit S. Sydonium coram Divino tribunale ſtare, & ſuos oppreſſores accuſare: Sacerdos defunctus damnatus eſt, & ad alterum citandum circumſpexit Judex, quem mitteret? Miſſus eſt iſte famulus, cui Divinus Judex in commiſſis dedit, ut ſacerdotem citaret. Hæc dum altera die famulus ſupra menſam enarrat, ecce Sacerdos in convivio repentina morte concidit. Sanchez 4. part. c. 4. fol. 256.

Sancta Virgo & Martyr Eugenia diſſimulato ſexu in monaſterium Virorum ingreſſa ſancte vivit. In urbe Alexandria tum erat femina nomine Melantia, quæ ſub ſchemate ægritudinis Monachum Eugenium vocabat, ut ab eo ſanaretur: venientem ad laſciviam invitat, & quoniam ille

ALERE FLAMMAM VERITATIS

ille reluctatur, eum accuſat, tanquam ſibi vim inferre voluiſſet. Eugenius ad judicem citatus, qui erat Philippus ejus Pater, & ſe & nomen & ſexum prodit: declaratur innocens, & Melantia ab igne cęlitus depluo comburitur, &c. Sanchez 5. part. c. 3. fol. 408.

Mulier quædam perperam deperibat S. Vincentium Ferrerium: ſimulans ergo morbum eum ad confeſſionem excipiendam vocat, & ſic ad nefas ſolicitat: reluctante illo incæpit horrendum vociferari & Vincentium accuſare quaſi ſibi vim inferre voluiſſet: ſed ſtatim a dæmone fuit obſeſſa, nec potuit ab alio niſi ab ipſo Vincentio liberari. Sanchez 5. part. c. 8. fol. 561.

S. Fiacrius ab Epiſcopo Meldenſi rogat fundum pro conſtruendo Monaſterio, Epiſcopus tantum fundi ei donat, quantum propriis manibus poſſet una die foſſa circumvallare. Fiacrius baculo lineam ducit, & quocunque ducit ſtatim terra effoditur, arboreſque recedunt. Videns hoc mulier eum pro venefico accuſat, multis etiam calumniis impetit. Ea injuria commotus ſanctus Vir rogat, & impetrat apud Deum, ut deinceps nulla mulier fines illos tranſire queat, quod & factum eſt: una temeraria auſa eſt pedem ſupra limites inferere, & pes ſubito ambuſtus fuit, altera cœca facta eſt. R. cent. 2. part. 1. mir. 47.

S. Arnulphus Metenſis Epiſcopus in munere ſuo fuit forma gregis & Pater pauperum. Amabatur a toto populo excepto uno lurcone, Noddo Nomine, qui Sanctum Virum tanquam hypocritam, & Reginæ turpiter familiarem conviciabatur. Sed ecce vindictam Dei! repente veſtes illius ardere cæperunt, nec poterant aqua extingui. Volutabat ſe in terra & horrendum ululabatur. Periiſſet, niſi ad graviora fuiſſet reſervatus. Poſtquam enim convaluit; in eodem crimine, de quo S. Epiſcopum arguebat, deprehenſus, ad capitale ſupplicium damnatus eſt. *Leuchr. 16. Aug.*

Detrahentes Sancto Attalo Abbati variis ſuppliciis pereunt; nam unus igne febrium exuritur, alter ſecuri percuſſus, tertius flumine aut mari ſubmerſus interiit. Qui autem culpam apud Sanctum Abbatem deprecati ſunt, Dei ſupplicia evaſerunt. E. *Detractio* n. 4.

Puella imprægnata falſo accuſat lectorem, & iſte condemnatur ab Epiſcopo ad eam ducendam. Verum in Monaſterium ad cuſtodiam data non potuit parere, terribiles dolores prolixo tempore paſſa, donec fateretur, ſe falſo accuſaſſe lectorem. E. *Diffamatio* n. 1.

Paphnutio quidam fratrum invidebat de fama illius ſanctitatis, & clam in ejus cella librum ſuum deponens, querebatur apud Abbatem, ſibi librum furto ſublatum fuiſſe. Excutiuntur cellæ omnium fratrum, & liber invenitur in cella Paphnutii: ſuſtinuit ille humiliter infamiam, ſed auctor infamiæ a dæmone obſeſſus eſt, quem nemo niſi Paphnutius, in teſtimonium ſuæ innocentiæ expellere potuit. E. *Diffamare* n. 4.

Mulier maledicentiæ aſſueta, & ſæpius incaſſum monita in morbum incidit, & linguam ſibi præmorſam, antequam confeſſionem faceret, exſpuit. J. 130.

### 411. *Solum attendit ad defectus, non autem ad merita proximi.*

Ranæ, quæ ſunt Symbolum detractorum, in menſe Aprili ſunt loquaciſſimæ, quaſi vellent ibi terræ ſuam ſterilitatem exprobrare: in menſe Auguſto autem, ut terra matura ſegete & meſſe fœcunda eſt, tam pertinaciter illis os concreſcit, ut nulla vi aperiri poſſit. VV. art. diſc. font. 48. ex. 2. Sic detractores ad defectus proximi ſunt valde loquaces, ad ejus merita obmuteſcunt.

Qui verno tempore urbem aut pagum ex parte Septentrionis intuetur, videt illam nivibus & glacie ſordeſcere. Qui autem aſpicit ex parte meridiei, videt illam amęnam, jucundam & bellam. Quid? eſtne hæc alia urbs, quam prior? Eſt una eademque! ſed ex te ſtat, an illam ex parte frigida, aut parte calida conſiderare velis. Parem in modum ex te ſtat, an actionem proximi ex parte calida, id eſt cum caritate, aut ex parte frigida, id eſt, cum invidia intueri velis.

Cum ſol ordinatiſſimo curſu per annum mundo prælucet, & terram calore fœcundat, nemo eſt, qui ejus beneficia æſtimet aut laudet, verum cum unica vice eclypſin patitur, omnes huc oculos attollunt, & ejus infirmitatem ſugillant. Ita lingua detractoria virtutis curſum in proximo non curat: at cum ille vel ſemel ceſpitet, fit clamoſa & garrula, ita ut errorem longe lateque promulget.

Sed cujus id malo? certe maxime ſuiipſius, quia prodit ſuam animi malignitatem! Ponamus duo animalia ſimul hortum ingredi, primum ſaluberrima gramina, floſculoſque delibat, alterum roſtro terram evertit, & obſcena pabula quærit. Quænam ſunt hæc animalia? primum ovicula, alterum porcus eſt. Ita qui in proximi non virtutes, ſed vitia indagat, non oviculæ Chriſti, ſed porcinam indolem præſefert.



### 412. *Fruſtra obtendit varias excuſationes.*

Statua Nabuchodonoſoris deſtructa eſt a lapillo: quis projecit lapidem? nemo: *ſine manibus* de monte avulſus eſt. Ita ſæpe deſtruitur fama, & cum quæritur, quis fecit? nemo vult feciſſe. B. ſer. 50. n. 33. Trauner Gall. cant. Anno 4. conc. 6. n. 14.

Si valerent excuſationes detractoris, tunc omnes qui Chriſtum crucifixerunt poſſent ſe excuſare. B. ſerm. 50. n. 33.

Dicit aliquis: delictum proximi non poterat non manifeſtari: Quid tum? tu non manifeſta: Moyſes a Deo ſcivit populum idololatrare, & tamen deſcendens de monte tantum dixit, eum cantare: *Voces cantantium audio, &c.* Alius dicit, proximus ipſe propalat ſuos errores: Quid tum? Diſcipulus ille, qui relicta ſyndone profugit nudus, ipſe ſe denudavit, & tamen Evangeliſta tacet, quis fuerit. M. conc. 21. aſſ. 2. n. 8. 9.

Dicit alius: Ego non fui auctor, ſed tantum audita narravi. Quid tum? tamen detractor es; ſicut ille fur eſt, qui evacuat ciſtam ab alio fure prius apertam.

Dicunt aliqui perfrequenter: Ego condolenter locutus ſum de errore proximi, & laudes ejus haud exiguas ſubnexui! Abſurda excuſatio! Quæſo, ſiquis vulnus tibi infligat, & dein emplaſtrum curando vulneri offerat, nonne dedignaris obſequium? ſine dubio; quia malles non vulnerari, quam curari. Imo malles non denigrari, quam poſtea dealbari. Accedit quod in memoria audientis enarrata vitia proximi longe profundiores radices agere ſoleant, quam præconia; quid ergo prodeſt illi, quod laudes ejus ſubnexueris? Nihil prodeſt! Teneris ad reſtitutionem!

Reponit iterum: Id quod enarravi, non tam ſingularem perſonam, quam totam familiam aut conſodalitatem tangit! Tanto pejus, quia tota communitas, etiam innocentes perdiderunt æſtimationem.
Num. 14. Filii Iſrael male locuti ſunt de terra promiſſionis, & ecce! id peſſime effecerunt, quod nemo illuc tendere, nemo terram illam ingredi ſuſpiraret, &c.

### 413. *Magna nocumenta famæ cauſat.*

*Lingua inflammat rotam nativitatis noſtræ.* Dicitur: Ille natus eſt ex tali, quæ fuit talis, aut talis. Erat aliquis in dignitate conſtitutus, lingua eum præcipitat. Mulier illa erat in amore mariti, lingua evertit amorem, &c. S. punct. 115. fol. 350.

*Concinnabat dolos.* Sunt aliqui qui ſuam detractionem perpoliunt, exornant, ut etiam bonum male interpretentur, uti illi exploratores, qui dicebant: *Terra devorat habitatores ſuos.* S. punct. 115. fol. 350.

Jeremias vidit olim *olivam, uberem, pulchram, fructiferam*, & tranſiens *ecce non erat* amplius: quid factum eſt interim olivæ? tacta eſt fulmine. Ita multi homines florent, ſed a detractione tanquam fulmine ad nihilum rediguntur. Trauner Gall. cant. Anno 4. conc. 6. nu. 10.

Monachus quidam David Pſalmodiam quidem cantare valet, ſed ad omnes alios diſcurſus mutus eſt. Utinam multi extra laudes Dei eſſent muti, o quot nocumenta famæ impedirentur. R. 1. part. mir. 38.

Non tantum nocumenta famæ cauſat detractio, ſed etiam ſupra totam communitatem iram Dei provocat: Iſraelitæ diu hærere debebant in Haſaroth, nec iter proſequi poterant. Quare? Abulenſis reſpondet: *Morati ſunt propter Mariam*, quę murmuravit contra Moyſen. B. Serm. 38. n. 48.

Deus creans aves, & piſces benedixit illis, non vero pecoribus in terra. Quare non? Anaſtaſius Synaita ait, quia Inter illa erat ſerpens, qui cum Eva locutus eſt contra Deum. Sic detractor benedictionem Divinam amovet a tota communitate. B. Serm. 38. n. 49.

Detractor comparatur viperæ, quia in aliqua communitate, viſcera fratrum, imo ipſius Matris ſeu communitatis rodit & lancinat. C. Jerem. 9. v. 4.

### 414. *Peccat, ſi prodat occultos defectus, etiamſi veri ſint.*

Joſephus Ægyptius omnes proceres exeſſe juſſit, dum fratribus objecit proditionem: ita tu cave arbitros habere, dum fratres corrigis. M. conc. 21. aſſ. 2. n. 6. 7.

Cum S. Barbara perſecutiones Patris in ſilva fugiebat, quæſivit Pater ex paſtoribus, an filiam ſuam non vidiſſent? Unus repoſuit, ſe non vidiſſe. Alter, ſe vidiſſe quod aperto rupis hiatu fuerit recepta: verum id quidem erat, ſed paſtor iſte ſtatim in rupem una cum grege fuit mutatus. Sanch. p. 6. c. 6. fol. 751.

S. Joannes Eleemoſynarius etiam publice peccantes taxari prohibuit; nam fieri poteſt, ajebat, ut peccatum pœnitentia deleverint: iniquum eſt autem id ab homine exprobrari, quod a Deo clementer eſt condonatum. C. Num. 12. v. 10.

Dicit

Dicit aliquis: delictum hoc debuit fieri manifeſtum: quid deinde? tu fac, ut per te non fiat: Moyſes etſi ſciverit populum idololatrare, tamen dixit: *Voces cantantium audio*, occuluitque crimen, etſi ſciret, quod Joſue paullo poſt illud ſciturus eſſet. Alius dicit: Meus proximus ipſemet propalat delictum: tu tamen tace: Evangeliſta non nominat illum adoleſcentem, qui relicta ſyndone profugit nudus, quia etſi ſeipſum denudarat, ille tegere voluit. Alius ait: Delictum jam eſt in publico: Nil refert: Chriſtus collocuturus cum Samaritana diſcipulos dimiſit, etſi illa eſſet peccatrix publica. M. conc. 21. aſſ. 2. num. 8. 9. 10.

Chriſtus Dominus tantum tres Apoſtolos ad transfigurationem ſuam vocavit; quia ſi ſolum Judam excluſiſſet, illius impietas fuiſſet manifeſtata, ut ergo ejus famæ conſuleret, non ſolum, ſed plures a monte Thabor excluſit. A. 1. lect. 3. n. 17.

3. Reg. 2. David in teſtamento reliquit Salomoni filio, ut Joab Ducem puniret. Quare? quia oſtendit aliis litteras quas ſibi ſecrete miſerat David de morte Uriæ. Traun. Gall. cant. Anno 4. conc. 6. n. 6.

Ille Rex non prodidit, quis fuerit homo non veſtitus veſte nuptiali, ſed vocavit amicum; quia tacenda ſunt nomina delinquentium, etiamſi digni ſint tenebris exterioribus. Traun. Ibid. n. 7. In Evangelio nominatur quidem mendicus, qui fuit ſalvatus, ſed dives Epulo non nominatur; quia prodendi non ſunt mali, utut digni inferno. Ib. n. 14.

Peccatum Judæ, dum ille accumbebat ultimæ cœnæ, jam erat notum Scribis & Phariſæis, & paullo poſt debebat innoteſcere omnibus Apoſtolis, & tamen Chriſtus non prodidit illud, nec illi Sacram Communionem denegavit: ut nos doceret peccata proximi occulere. D. 6. 41.

### 415. *Quomodo impedienda ſit.*

Cum detractio fit, diſcurſus alio avocandus eſt: Thomas Morus Angliæ Cancellarius cum aliquando detractorio diſcurſui intereſſet, ſubito ſubintulit: Quidquid ſit, laqueare hujus hypocauſti eſt valde munitum ac proportionatum. Quo loquendi genere averſionem oſtendit interrupto diſcurſu. D. 5. 21. in fine.

S. Joannes Eleemoſynarius, ſiquis coram eo alteri detrahebat, aliam induebat perſonam. Sin vero ille detrahere pergebat, præcepit cubiculario, ut eum non amplius admitteret, idque ad correctionem aliorum. S. Pachomius audiens quem detrahentem, avertens ſe ab eo, veluti a facie ſerpentis diſcedebat, repetens illud Pſalmiſtæ: *Detrahentem ſecreto proximo ſuo hunc perſequebar*. Marches Abbas in Vitis Patrum audiens detractionem ſtatim in ſomnum incidebat. C. Prov. 25. v. 23.

Bene Philoſophus, cum a Sophiſta interrogaretur, cur mihi maledicis? repoſuit, quia tu maledicentem non contemnis. C. Prov. 25. v. 23.

Laudabiliter erectæ ſunt ſacræ confœderationes, præſertim ſub patrocinio S. Martyris Joannis Nepomuceni, quarum confratres & ſorores ſibi regulam ſtatuunt, nunquam male loquendi de proximo, & aliorum etiam linguas hac in re, quantum fieri poteſt, compeſcendi. Utinam omnes fideles huic confœderationi nomen darent, ut extirparetur maledictum detractionis vitium!

## Suſurratio.

### 416. *Inimicitias & maxima mala cauſat.*

SUnt homines peſſimi, ſi videant inter hos & illos diffidias oriri, garriunt ex utraque parte, & ſeminant diſcordias maximo cum detrimento: Et eſto has perſonas iterum conciliari, raro antiqua fides denuo integra eſt, ſicut veſtis conſarcinata. Sanctus Thomas ait, amico fideli nulla eſt comparatio: igitur deterius peccas per ſuſurrationem auferendo amicum, quam fur furando pecunias: præſertim hoc vitium invenitur apud ſervos, & ancillas, ſi unam plus valere videant, denigrant. Item apud artifices, qui ſua artefacta invicem contemnunt, & ſic negotiationem minuunt. Hi ſunt proditores! C. in Jerem. 9. v. 4.

Puella quædam Galli cujuſdam filia a nativitate duplicem habuit linguam, muta tamen erat, uti refert Joannes Zahn in ſua Oeconomia mundi, Diſquiſitione 2. c. 6. §. 4. n. 2. Sed iſti ſuſurrones duplicem habent linguam, & in utramque partem diſſerti ſunt.

Santabarenus Leoni Principi filio Baſilii Imperatoris ſuadet, ut in venationem nunquam exiret ſine ſica: quod dum juvenis facit, ille parenti ſuggerit, filium ejus vitæ inſidiari: reperta ſica ſpeciem veritatis afferto fecit, parumque abfuit, quin Pater filium exocularet: verum hæc pœna in ſuſurronem recidit; quippe Leo, ut primum in ſolium evectus eſt, impoſtori oculos erui juſſit. D. 4. 73.



Lottericus Nobilis Danus apud Edmundum Angliæ Regem magnis in honoribus habebatur, id invidens Venationum præfectus Lottericum in ſilva occidit: Quamquam autem homicidium occultum putaret, fuit tamen illud per canem Lotterici proditum regi. Venationum præfectus tum fugiens abiit in Daniam & ſceleratiſſima falſitate evulgavit Lottericum a Rege Edmundo fuiſſe occiſum. Ortum eſt crudele bellum, ipſe Rex Edmundus miſere fuit obtruncatus. R. cent. 2. p. 1. mir. 1.

### 417. *Punitur graviter a Deo.*

Cum inter Albertum Ducem Bavariæ, & Chriſtophorum ejus fratrem quædam diſſidiæ exarſiſſent, Nicolaus Abenſpergius oleum huic igni infudit, ejuſque opera Chriſtophorus e thermis in captivitatem abductus 18. menſibus incarceratus fuit. Rebus compoſitis Dux Comitem Abenſpergium aliquando cum 63. equitibus occupans cum ſuis interfecit: ſtetit ſupra cadaver occiſi, & oculis ac gladio verſus cælum erectis, hæc, ajebat, hæc pœna eſt ſuſurronum, qui fraterna cient odia, &c. Ex Relationibus curioſis. Relat. 75.

Godvvinus Regis Eduardi Aulicus falſo accuſavit Emmam Matrem Eduardi, quod Epiſcopo Vindoniæ Albino turpiter conviveret. Propterea Emma & Albinus non ſine infamia in Monaſterium detruſi rogarunt, ut ſibi liceret ſuam innocentiam ferro ignito defendere: impetrata licentia incolumes ferro inambularunt. Poſtliminio Godvvinus menſæ accumbens, cum a Rege interrogaretur, an homicidii ſui fratris partem non haberet, pejeravit, ſe hoc bolo velle ſuffocari, ſi dicti homicidii reus eſſet. His dictis bolum non potens deglutire intercluſo ſpiritu repente mortuus eſt. R. 1. cent. par. 2. mir. 2.

Quidam Mandarinus Chinenſis nomine Chalao Succama Patrem Adamum Schall falſo criminis accuſat: Deus defendit innocentiam accuſati per terræ motus & ſigna terribilia: P. Adamus abſolvitur, & delator ad reſtim, quem alteri paraverat, damnatur. R. cent. 3. p. 2. mir. 37.

Michael Vaſconcellos Regis Hiſpaniarum animum contra Luſitanos exaſperat, illo auctore ac inſtigatore jura, libertas ac privilegia Luſitanorum oppreſſa ſunt: ſed qua coronide? Luſitani contra Regem Hiſpaniarum facta conſpiratione rebellarunt, proprium ſibi Regem conſtituerunt, & ſupra Vaſconcellium totius mali incentorem primario iram effuderunt: hunc globis trajecerunt, & per feneſtras præcipitarunt; indicibile eſt quantis furiis plebs contra occiſi cadaver ſævierit. Theat. trag. hiſt. 50. num. 24.

### 418. *Impedit multa bona.*

Cum Alexander Magnus in flumine Cydno lavans in gravem morbum incidiſſet, & Philippum Medicum ſuum auxilii cauſa vocaſſet, Parmenio Dux litteris monuit Regem, ne a Philippo pharmaca ſumeret, eum enim a Dario hoſte corruptum, & ad procurandam Alexandri necem emptum eſſe. Rex his non obſtantibus una manu medicinam ſumit, altera litteras Philippo legendas tradit; & paullo poſt convaluit, moriturus certe, ſi Parmenionis ſuſurro aures dediſſet. Ita multoties fit, per ſuſurrationem multa bona impediuntur, &c. D. 11. 10.

Qui in communitate, ſodalitate, aut Religione ſociis detrahunt, eos calumniantur, & tamquam viperæ viſcera fratris, imo Matris, ideſt congregationis ſuæ rodunt, a S. Bernardo proditores vocantur; quia omnia ea mala cauſant, quæ ex proditione oriuntur. C. in Jerem. 9. v. 4. S. Bern. Ser. 3. de Dedic.

*Ne appelleris Suſurro*, monet Eccleſiaſticus: Suſurro autem eſt, qui non in facie alicujus, ſed in aure loquitur de altero detrahendo. Hinc Pythagoræ ſymbolum fuit: *Hirundinem ſub eodem tecto ne habeas*, vult dicere, abſtinendum eſſe a conſortio garrulorum, & ſuſurronum. Eſt hoc pernicioſum ſcelus, quia non tantum rixas & ſæpe homicidia cauſat, ſed amicitiam tollunt Deo, & hominibus utilem, & pergratam. C. Eccli. 5. ver. 16.

*Sex ſunt, quæ odit Dominus, & ſeptimum deteſtatur*. Septimum eſt ſuſurratio, quæ ceteris ſex criminibus gravior eſſe videtur; licet enim homicidium per ſe ſit gravius ſuſurratione, tamen hæc deteſtabilior eſt coram Deo, quia tollit fraternum amorem, & caritatem, eamque quaſi interimit inter fratres, & ſæpe ſequuntur cædes, non una ſed multæ, &c. Prov. 6. v. 19.



UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN

## G U L A.

### 419. *Vitam hominis abbreviat, & cauſat morbos.*

TRitum eſt illud: Plures occidit gula, quam gladius. Rationem innuit Ariſtoteles: Varius cibus gravis eſt, turbulenta enim, nec æqualis concoctio ejus agitur. S. punct. 92. fol. 286. Ratio phyſica eſt in reactione ſita. Vinum autem intemperatum venenum eſt. S. punct. 92. fol. 287.

Petrarcha ingenioſa fabula ita moralizat: Aranea iter faciens obviam habet podagram, eamque interrogabat, quo & unde? illa repoſuit ſe hactenus ſerviiſſe ruſtico, ſed laboribus, inediis, vigiliis adeo fuiſſe male habitam, ut jam aliam Dominum quærere cogeretur. Aranea econtra ajebat ſe habitaſſe in domo divitis, ubi meræ lætitiæ, lautitiæ, vina, convivia, ſed quoniam Dominus omnes ædium angulos mundos terſoſque voluerit, ſe non potuiſſe exercere ſuam texturam, propterea jam profugam abire, & alium Dominum quærere. His auditis ſubintulit podagra, eja mutemus habitaculum, ſic utrique conſultum fore videtur, tu poteris apud ruſticum libere texturas tuas facere, & ego apud divitem nobilem delicatius habebor. Accepit aranea mutationem, atque hæc ratio eſt, cur podagra (idem eſt de aliis morbis) frequentius apud divites & delicatos gulæ ventres, quam apud pauperes, & jejunos inveniatur, &c. D. 8. 20.

Rationem illius effati, quod enunciat
Eccl. 10. Eccleſiaſticus: *Omnis potentatus brevis vita*, communiter refundunt auctores in delicatum nimis vivendi morem; dum enim eſui, potui, & conviviis multum vacatur, natura deſtruitur, dum econtra illi, qui multum laborant, ſudant, & frugaliter vivunt, ſani ac vegeti diu vivunt, &c. D. 10. 80.

Clem. Alex. 2. Pædag. c. 2. Clemens Alexandrinus ait: Vino immodico oculi detorquentur, præ humoris multitudine viſus tanquam in piſcina natat, &c. C. Prov. 23. v. 30.

Jonathas contra mandatum Regis guſtavit modicum mellis, & ideo ſententia mortis, contra illum lata eſt. Quid mirum, quod Dominus Deus contra voraces, qui vorando, & obliguriendo melleos dies ſibi procurant, prærnaturæ mortis ſententiam ferat?

Hugo a S. Victore ait: Ebrietas robur & naturalem virtutem enervat, infirmitatem generat, mortem adducit, rebus temporalibus ſpoliat, & quod deterius eſt, maledictionem Divinam inducit.

### 420. *Eſt fomentum luxuriæ.*

*Sedit populus manducare, & bibere, & ſurrexerunt ludere*: Tertullianus legit: Exod. 32. *ſcortari*. S. Gregorius ait: Dum ſatietate venter extenditur, aculei libidinis excitantur. S. punct. 93. fol. 287.

*Oculi tui videbunt extraneas*, id eſt, ait Cardinalis Hugo, mulieres ad concupiſcendum, nam vino incaleſcit luxuria: Lot, quem Sodoma non vicit, vinum vicit. S. punct. 93. fol. 289.

Superfluitas ciborum mater eſt libidinis, ait Anſelmus. S. punct. 116. fol. 354. Et S. Auguſt. *Fames amica Virginitatis eſt, inimica laſciviæ, ſaturitas vero caſtitatem prodit, nutrit illecebram*. C. Gen. c. 3. v. 6. S. Aug. Ser. 77. de temp.

Cæſar poſt relatas victorias toti populo Romano convivia fecit, erant aliquando præparata viginti duo millia cœnaculorum. Dicere ſolebat: *Nihil Romano populo ſaturo eſſe quidquam lætius*. Utinam nunc temporis non poſſet dici, nihil ſaturo eſſe luxurioſius. D. 12. 97.

S. Abbas Iſidorus ajebat: quamdiu macellum apertum eſt, non recedunt canes, quia bolum ſperant; cum autem clauſum eſt abeunt. Ita quamdiu homo gulæ vacat ſperat dæmon victoriam, ſi autem abſtinens eſt, recedit. Sanchez 5. part. c. 7. fol. 538.

S. Ammonius in laboribus & precibus indefeſſus fatetur, ſi vel unica die ſaturaretur pane, ſe carnis ſemper moleſtias ſentire. E. Verbo *Amor illicitus*, n. 4.

S. Ambroſius ait: Ebrietas eſt fomentum libidinis, incentivum inſaniæ, venenum inſipientiæ. C. Gen. c. 19. v. 38. C. Proverb. 12. v. 11.

Alphonſus Rex Arragoniæ interrogatus, cur adeo deteſtaretur ebrietatem? repoſuit, *quia ſcio, furorem & libidinem eſſe ejus filias*. C. Gen. 43. v. 34.

Græci vocarunt Bachum *Ignigenam*, tum quia penes Veſuvium habitat, tum, quia ignem furoris & libidinis excitat. C. Iſa. 5. v. 11. Et Dan. 5. v. 2.

Noe vir ſapiens, & timoratus, cum vino incaluit, turpiſſime ſe denudavit, eaque ſcandala dedit, quæ non jam cum filio ejus Cham deridenda, ſed deploranda ſunt. C. Prov. 12. v. 11.

Populus ſedit manducare & bibere, & ſurrexerunt ludere. Ludus autem erat luxurioſus & impudentiſſimus. Sic idololatria ex gula initium cæpit, dicente S. Ambroſio: *Ubi cæperit quis luxuriari, incipit deviare a vera fide*. C. Exod. 32. v. 6.

421. *Pu-*



### 421. *Punitur a Deo.*

Quædam monialis contra licentiam lactucas in horto comedens, ſimul diabolum ingerit, a quo obſidetur. Diſcipulus Abbatis Odilli carnes comedens oſſe ſuffocatur. Cum Monachus S. Hilarionis contra præceptum uvas comedere vellet, uvæ mutatæ ſunt in ſerpentes. Sanch. 5. par. c. 7. f. 535. Si Deus leves ejuſmodi tranſgreſſiones tam graviter punivit, quomodo puniet temulentias & ebrietates?

Balthaſar Rex ultimus Babyloniorum temulentus, vidit manum ſcribentem: *Mane, TeKel, Phares*. Et eadem nocte a Cyro regno & vita ſpoliatus eſt. Cogitet ebrius ſibi a Deo eandem ſententiam ſcribi: *Mane*: Numerati ſunt dies vitæ tuæ, brevi morieris. *TeKel*, appenſus es, & inventus minus habens. *Phares*, diviſum eſt corpus tuum ab anima tua, & illud datum eſt vermibus, iſta dæmonibus ad tormentum. C. Gen. 19. v. 38. in fine.

Scitur, quam graviter Deus idololatriæ ſcelus in populo Iſrael punierit: Ebrietas autem comparatur idololatriæ, *Quorum Deus venter eſt*. Ubi Tertullianus: Guloſo Deus venter eſt, pulmo templum, aqualiculum altare, Sacerdos coquus, cujus tota caritas in cacabis fervet, tota fides in culinis calet, tota ſpes in ferculis jacet. S. punct. 94. f. 290.

Pœna quaſi congenita, & intrinſeca ebrietati eſt, quod ebrius ſecreta animi effutiat, & ſæpe odia, inſidias, ipſamque mortem ſibi accerſat. Deinde, quod uxoris, & filiorum patrimonia decoquat, & ſe, illoſque, inter bella domeſtica, ad inopiam redigat. C. Prov. 12. v. 11.

Convivantibus, & compotantibus Philiſtæis domus cecidit ſuper illos. O quot domus corruunt, & ad inopiam rediguntur per convivia & compotationes &c.

O quoties ad Dominum Deum repeti
Nehem. 9. poſſent illa verba Prophetæ orantis: *Comederunt, & ſaturati ſunt, & abundaverunt delitiis in bonitate tua magna: provocaverunt autem te ad iracundiam*: Nullo enim ſcelere Deus magis irritatur ad vindictam, quam ebrietate; quia rariſſimo ſolum eſt, ſed multa alia poſt ſe trahit.

### 422. *Quomodo corrigi debeat.*

Vitium gulæ inprimis curatur memoria mortis; ideo aliqui Religioſi in uſu habent, quod in menſa Calvariam adhibeant. Domitianus mirabile convivium inſtruxit: Aula ubi epulabatur pullatis tapetibus erat veſtita, quilibet conviva ſedebat penes fulcrum, in quo mors depicta erat, feneſtræ erant clauſæ & tot ardebant obtuſæ lampades, quot convivæ, epulæ ferebantur a juvenibus veſtitis inſtar mortis, ſermo a nemine proferebatur niſi a Domitiano, iſque erat de morte &c. D. 7. 85. in fine.

Deinde corrigitur cogitando, quod caro, quo delicatius nutritur, eo turpius fœteat. Uxor Ducis Veneti dedignabatur ſe communibus aquis abluere, ex rore cæli ſibi balneum conficere ſolita: cibos manibus non tangebat: cubiculum omni aromatum genere redolebat &c. Mox autem a Deo tam fœtenti morbo percuſſa eſt, ut toto corpore computruerit: nemo potuit præ intolerabili fœtore ejus cubiculum intrare, & ſic extremum diem clauſit. E. *Delitiæ* n. 2.

Singolare remedium ad averſandam libidinem, gulam & crapulam eſt, ſiquis intueatur ſordes, & phlegmata, vomitus, & nauſeam, quæ ex ea ſequuntur. Eremita tentatus libidine circa certam feminam, ubi eam mortuam eſſe audivit, aperto ſepulcro fruſtum panni mortualis ſanie plenum ſecum tulit, & deinceps, quoties tentabatur, hunc fœtorem naribus admovit, ſibi ipſi inſultans: En habes, quod deſideraſti. Parem in modum pugnandum eſt contra gulam, ſi enim corpus guloſum iis ſordibus punitur, quibus punietur guloſa anima, &c. S. Jacoponus orexi carnis bubulæ tentatus, eam comparavit, & in cubiculo tamdiu ſervavit, donec putreſceret, & horrende fœteret per totum ambulacrum: qua mortificatione meruit, ut Chriſtus ei appareurit, eique promiſerit: Poſce, quod optas, & impetrabis! Idem gulam domuit abſynthio, quo quaſi ſale utebatur, ſic ſaporem cibi in unum Deum retulit, ita ut non niſi Deus ipſi ſaperet. C. Num. 11. v. 26.

### 423. *Multa mala poſt ſe trahit.*

Noe a filiis denudatur. Loth cum filiabus peccat. Balthaſar vidit ſententiam mortis ſibi in pariete ſcribi. Ammon in convivio occiditur. Epuloni æterna pernicies intentatur. Herodes Joannem capite plecti jubet. Siſara clavo configitur, & hæc omnia facta ſunt ob ebrietatem, & gulam. Sanch. 5 par. c. 7. f. 518.

Guloſus non eſt expeditus ad reſiſtendum tentationibus: Cervi cum impingueſcere ſe ſentiunt, in abditiſſima dumeta, & latebras ſe abſcondunt, bene gnari, quod ob pinguedinem non ſatis

ſint expediti ad currendum, fugiendum, & canibus reſiſtendum. Ita homo gula infarcinatus non eſt capax & excitatus ſatis ad reſiſtendum tentatori. S. Franc. Sales Philoth. c. 23.

Plinius ait: *Ex ebrietate oritur pallor, & genæ pendentes, oculorum ulcera, tremulæ manus, labenteſque pedes, & furiales ſomni, & inquies nocturna, & portentoſa libido, & jucundum nefas. Poſtera die ex ore halitus fœtidi, ac fere omnium oblivio, morſque memoriæ, prudentiæ & mentis.* Adde damna temporis, pecuniæ & conſcientiæ. Alfonſus Rex Arragoniæ rogatus, cur ebrietatem adeo deteſtaretur, reſpoſuit: *quia ſcio furorem & libidinem ejus filias eſſe.* C. Gen. 43. v. 34. Dan. 5. v. 2.

S. Baſilius ait: Ebrietas *eſt dæmon voluntarius, malitiæ Mater, virtutis inimica, fortem virum reddit ignavum, ex temperante facit laſcivum.* C. in Gen. 19. v. 38. C. Iſai. 5. v. 11.

Peſſimi effectus ebrietatis ſunt 1. Iram Dei provocat. 2. Mentem eripit. 3. Luxuriam inflammat. 4. Jacturam facit vitæ & fortunarum. 5. Tollit erubeſcentiam, ita ut erumpatur in verba ſpurca & rixoſa. 6. Hominem conſtituit in periculo æternæ damnationis, quia ebrioſi regnum Dei non poſſidebunt. Exempla habemus in Loth, Noe, Samſon, Holoferne, filiis Job &c. C. in Gen. 19. v. 38. C. Prov. 12. v. 11.

Occaſione temulentiæ Regis Balthaſar deſcribit S. Baſilius peſſimos ebrietatis effectus. Nam 1. Sicut aqua extinguit ignem, ſic vinum extinguit rationem: ſobrietas facit homines, ebrietas ex hominibus facit belluas. 2. Pravas cupiditates excitat; unde ebrioſus vocatur dæmon voluntarius. 3. Oculos, nares, omniaque ſenſuum organa facit fœdiſſimas voluptatis cloacas; hinc ebrii ſimiles ſunt paludibus, in quarum aquis ſerpentes, vermeſque naſcuntur. 4. Speciatim eſt fomentum luxuriæ; nam ſine Cerere & Baccho friget Venus. 5. Parit hebetudinem rationis & ſenſus; ſicut terra aquarum abundantia diſſolvitur; ita corporis vis molleſcit vini potu. 6. Hominem deteriorem facit animalibus, quæ potum ultra neceſſitatem non admittunt. 7. Inducit continuam dormitationem, capitis gravedinem, oculorum lippitudinem, &c. C. Dan. 5. v. 2.

Ebrius eſt voluntarius dæmon; ita enim clamat, furit, & omne nefas agit, ac ſi eſſet incarnatus diabolus, imo pejor diabolo, quia libere committit ſcelera, quæ dæmon obduratus facit ex neceſſitate. C. Prov. 23. v. 30.

424. *Immoderata, & mirabilis.*

Novellius Torquatus in præſentia Tiberii Cæſaris *tres congios bibit uno impetu*, congius continet circiter quatuor menſuras noſtrarum; adeoque iſte helluo uno hauſtu duodecim menſuras deglutivit. Maximinus Imperator ſæpe de die integram vini amphoram bibit, & ad ſexaginta pondo carnis devoravit. Clodius Albinus incredibilem frugum multitudinem devorare eſt ſolitus, uti quinquaginta ficus, centum perſicos, decem pepones, viginti botros. Aurelianus Imperator ſingulariter ſibi complacuit in quodam Phagone, qui ſub illius conſpectu una die aprum, centum panes, arietem, & porcellum helluatus eſt. Atque ejuſmodi monſtra guloſa ſolent etiam de ſua ingluvie, & decumanis hauſtibus gloriari. D. 5. 40.

Imp. Maximinus ſingulis diebus bibebat integram amphoram vini. D. 12. 95.

Miratur Cæſius, duo vitra a Nerone Imperatore ſex millibus ſeſterciorum fuiſſe coempta. Et ego puto, multa vitra vinaria cariori pretio conſtare (nempe ſi vinum epotum ſimul computetur) VV. art. diſc. font. 19. Ex. 8.

Videor mihi duos videre ſoles, ajebat ille ebrius Thebanus Senex; motus enim a vini calore viſus, ſæpe, quod unum eſt, multiplicatum apprehendit &c. C. Prov. 23. v. 30.

425. *A dæmone perſuadetur ſub ſpecie neceſſitatis.*

*Dic ut lapides panes fiant:* dixit Chriſto famelico dæmon: o quot ſenſualitates ſub ſpecie neceſſitatis perſuadet: Prophetam decepit per Pſeudo-Prophetam, ut comederet: ita multis adhuc dicit: ah! ne ſis ita ſtrictus, auſterus &c. ut porro poſſis Deo ſervire. S. p. 25. f. 151.

Cum Abbas Philibertus in gratiam hoſpitum plus ſolito comediſſet, noctu apparuit ei diabolus dixitque: nunc plane mihi places, quia venter tuus multis cibis tumeſcit. Sanch. 5. par. c. 7. f. 534.

S. Abbas Ivanitius a dæmone, quem expellere volebat, opprobrioſe vocatur bibulus: ſanctus Vir igitur viciſſim dæmonem ludificaturus petit vitrum vini, præcipitque Spiritui, ut antequam ebibiſſet, ipſe ex obſeſſo migraret, bibit, & dæmon fugit. Iſte Sanctus diabolum eiecit per potum, ſed milleni alii per pocula dæmonem advocant. Sanch. 7. par. c. 7. f. 1032.

Mul-



Multis ſuggerit dæmon: Perdis favorem amici, niſi illum convivantem vino, quantum voluerit, ingurgites. At nota: non eſt ibi amicus, qui facere te vult Deo inimicum! ſi & te, & alium inebriaveris, habebis hominem forte amicum, ſed Deum inimicum, ait S. Auguſt. C. Prov. 23. v. 30. *S. Aug. ſer. 231. de temp.*

426. *Eſt noxia Reipublicæ ordinatæ.*

Gentiles vehementer abhorrebant a gula & ebrietate, Imperator Claudius ſevere interdixit tabernas aquæ calefactæ. Ampelius Populi ac civitatis Romanæ Conſul prohibuit, *ne taberna vinaria ante horam quartam aperiretur.* Caligula cauponem ſuſpendi juſſerat, qui die funebri Bruſillæ potum vendiderat, quaſi ea venditione luctum publicum violaſſet. Tiberius Imperator ob ebrietates adeo erat exoſus, ut publico opprobrio vocaretur *Biberius.* D. 1. 25. in medio.

Cum in urbem Spartanam cocus veniret, qui ſe de inſolita notitia condiendi cibos jactitabit, cito ex urbe abeſſe juſſus eſt, nolebant enim Spartani ſuos per condimenta & delicias effeminari.

Antiqui in cibis ſuis erant ſimpliciſſimi, Achilles & Patroclus ſuis ipſi manibus cibos parabant Ælyſſi & Ajaci legatis Agamemnonis, &c. D. 10. 51.

Gula nocet Reipublicæ, quia inventrix eſt deliciarum, quibus homines corrumpuntur: Salomon ait: *Student calicibus,* id eſt, vino nunc albo, nunc rubro, claro, dulci, habent calices oblongos cryſtallinos, in varias formas deductos. Exclamat Plinius: alii glaciem, alii nivem potant, excogitaturque, ut alienis menſibus nix algeret: alieni menſes ſunt Julius, Auguſtus, ubi reſervatur glacies ad delicioſa gulæ irritamenta. S. p. 92. fol. 287.

Quanta mala in communitatibus humanis conſurgunt ex multiloquio, quod fere idem eſt ac ſtultiloquium: *Os impiorum redundat malis,* ait Sacer Proverbiaſtes: vinolenti ſimiles ſunt fluviis, qui ex alluvione creſcunt, & dum alvei fines tranſcendunt, agros devaſtant. S. p. 116. fol. 352.

Ebrietas ſæpe cauſa fuit hoſtilis invaſionis, qua urbes & arces vaſtatæ ſunt. Sic Balthaſar Rex perdidit vitam, & Monarchiam. Holofernes perdidit ſe, & Aſſyriorum caſtra. Troja a Græcis capta eſt: *Invadunt urbem vino, ſomnoque ſepultam.* C. Prov. 12. v. 11.

Ebrietas.

427. *Mala plurima cauſat.*

*Eris ſicut dormiens in medio mari, & quaſi ſopitus gubernator amiſſo clavo.* Prov. 23. Talis gubernator nec polum reſpicit, nec clavum gubernat, ſed in omnes ſcopulos navim illidi ſinit. Hinc temulentum Chryſoſtomus vocat vivum cadaver: & Seneca: Vile ſepulcrum rationis eſt ebrietas. Exemplum habemus in Noemo, cui ebrietas plus nocuit, quam totum diluvium, ait Ambroſius: quem nudare non poterant diluvia, nudaverunt vina. S. punct. 23. fol. 289.

Ebrietates & compotationes ut plurimum in rixas & diſſidias deſinunt: Salomon ait: *Cui rixæ, cui væ, cui foveæ? nonne his, qui ſtudent calicibus epotandis?* quid eſt ſtudere calicibus? eſt vino ſtudere albo, rubro, claro, dulci &c. S. punct. 23. f. 287.

Seneca fuſe deſcribit peſſimos effectus ebrietatis: cum vis vini aliquando animum occupaverit, omnia effutiuntur, quæ diu in animo delituerunt. Ebrietas non tam committit ſcelera, quam prodit. Laſcivus prorumpit ad flagitia, impudens eructat obſcena, temerarius nec linguam nec manum moderatur: creſcit apud vindicativum crudelitas, apud invidum livor, omnia vitia ſe manifeſtant. Nil dicam de ſtupiditate intellectus, nil de balbutie loquelæ, nil de titubatione greſſus, aliiſque abſurditatibus, quæ tolerandæ utcunque eſſent, niſi ebrietas etiam inimicitias, homicidia, & proditiones cauſaſſet &c. D. 2. 37. Eſt cauſa luxuriæ & idololatriæ. C. Exod. 32. v. 6.

*Nullum ſecretum eſt ubi regnat ebrietas:* Prov. 31. quibus verbis ſatis indicat Salomon, ebrioſos ineptos eſſe, qui fiant conſiliarii, quia ſecretum tegere nequeunt. Potator, ait S. Auguſtinus, nemine impellente cordis ſui arcana pandit. D. 10. 42.

Ebrietas quondam fuit medicina contra peſtem. VV. ar. diſc. font. 62. ex. 4. Nunc autem plerumque peſtem animæ affert.

428. *Ejus peſſimi effectus.*

Ebrietas iram Dei provocat, mentem eripit, luxuriam inflammat, facit jacturam vitæ, tollit erubeſcentiam, hominem conſtituit in periculo inevitabili damnationis. C. Gen. c. 19. v. 38.

Loth ebrius inceſtum committit: Noe a filio illuditur: Samſon a Dalila hoſtibus traditur: Holofernes a Juditha capite truncatur: filii Job ruina domus

 obruun-

obruuntur. Herodes Joannem Baptiſtam obtruncari jubet. Alexander Clitum occidit &c. C. Gen. c. 19. v. 38.

Noe dicitur vino miſcuiſſe ſanguinem ſimiæ, leonis, porci, & agni: hi ſunt effectus ebrietatis. Alios facit moriones, ut ſimias, alios mites, ut agnos, alios crudeles ut leones, alios fœdos ut porcos. C. Gen. c. 9. v. 29.

Salomon ait: cui væ? cui tribulatio? cui rixæ? cui ſuffuſio oculorum? nonne, qui calicibus ſtudent, & gaudent ebrietate? Homerus ait, barbarorum eſſe, calices, & cantharos pro armis uſurpare.

Pathetice autem S. Hieronym. *Longum eſſet ire per ſingula, & inſanias quas ebrietas ſuggerit, explicare*: quidam poculis utuntur pro armis, & calicem una cum vino alteri in faciem projiciunt, quidam alteri veſtem lacerant; quidam vociferantur, quidam dormiunt: qui potentior eſt ad bibendum, eſt glorioſior; accuſatur aut læditur qui Regis aut amici ſanitatem non haurit. Vomunt ut poſſint bibere, bibunt, ut poſſint vomere, &c. D. 10. 17.

*S. Hier. in Epiſt. ad Tit.* Balthaſar *præcepit temulentus*, ut afferentur vaſa templi, quæ dein ſacrilege profanavit. Ecce! ex temulentia Sacrilegia! Heumen. fol. 171.

Ebrius pronus eſt ad tranſgreſſionem omnium mandatorum; hinc Moyſes videns ebrietatem populi confregit tabulas, indignum exiſtimans, vinolentum populum legem accipere, ut ait S. Baſilius. *S. Baſil. Hom. 1. de jejunio.* Brev. Dom. 4. quadrag. Noct. 2.

429. *Cauſat diſcordias, & alia crimina.*

Ligna in plenilunio cæſa ad ædificia non quadrant, quia libenter verminant: Ita multi in plenilunio ebrietatis, verminant, id eſt vermes diſcordiarum, & rixarum producunt. VV. ar. diſc. font. 11. Ex. 19.

Caſeus vetuſtus verminat: remedium autem in contrarium eſt, ſi caſeus perfundatur vino; tunc enim vermes omnes prorepunt. Sic multi ſunt conſtituti, cum vino madent, verminant, varioſque vermes in animo deliteſcentes protrudunt.

*Exod. 37.* *Sedit populus manducare & bibere, & ſurrexerunt ludere.* Per to Ludere intelligunt aliqui, rixari, pugnare, confligere invicem. Alii intelligunt idololatrare. En! Ebrietas tam proximo, quam ipſi Deo bellum movet.

Hinc Dominus Deus, quoniam famulos ac Miniſtros ſuos ab omni vitio vult *Levit. 10.* eſſe immunes, expreſſe præcepit Aaroni, Vinum, & omne, quod inebriare poteſt, non bibes tu & filii tui, quando intrabitis in tabernaculum teſtimonii. Cur id præcepit Dominus? quia in homine ebrioſo manſuetudo, & modeſtia ſacerdotalis ſtare non poteſt. Ideo ulterius, *Num. 6.* quicunque ſe volebat Domino conſecrare, a vino, & ab omni eo, quod inebriare poteſt, abſtinere debebat.

Ammon filius David in convivio Abſalon temulentus fuit occiſus. *2. Reg. 13.* O quot homicidia, aut vulnerationes occaſione ebrietatis fuerunt peractæ.

430. *Dicitur eſſe vitium familiare Germanis.*

Quamvis ebrietas in jure Canonico, & in receſſibus Imperii graviſsime prohibeantur, fuere tamen, qui ſub ipſis Comitiis ludere auſi, biberunt in ſanitatem hujus conſtitutionis. Carolus V. de tollendo hoc abuſu ab Hiſpanis interpellatus repoſuit: Tam mihi eſt difficile Germanis ora claudere, ne ſe inebrient, quam conſtringere Hiſpanis manus, ne furentur &c. VV. ar. diſc. font. 52. ex. 1.

Hiſpanus & Germanus eodem ſcorto abuſi litigabant, cujuſnam eſſet filius a meretrice natus? litem decidit Philippus Archintus: puero ſitienti vinum & aquam apponi juſsit, cumque puer aquam præ vino eligeret, judicatus eſt proles Hiſpani, imo Germanus illum tanquam non ſuum deſpexit. T. n. 257.

Illa Sapientis gnome: *Plures occidit gula quam gladius*, videtur magis in Germania, quam in aliis regionibus verificari: quamvis Germani ſint generoſi milites, tamen multoties contingit illud, quod contingit Benadab Regi Syriæ: Temulentus in tabernaculo ſuo habebat maximam bellatorum multitudinem ſecum, *3. Reg. 20.* & tamen victus fuit, & in fugam actus per pueros principum provinciarum. O quot urbes munitiſsimæ inſperato expugnatæ, quot infauſta prælia & cædes cauſatæ ſunt per intemperantiam & crapulas Ducum Germanorum, &c.

431. *Improbatur per effata & ſententias.*

Seneca ait, ebrietatem eſſe voluntariam inſaniam. C. Gen. 9. v. 21. S. Baſilius dicit, eſt malitiæ mater, virtutis inimica. S. Ambroſius, eſt fomentum libidinis, incentivum inſaniæ, venenum inſipientiæ. Chryſoſtomus ait: Ebrius eſt dæmon voluntarius, mortuus animatus, morbidus veniam non habens &c.

Baſilius inquit, ebrii ſunt idola, oculos habent, & non vident, aures habent, & non audiunt &c. C. Gen. c. 19. v. 38.

La-



Lacedæmonii arbitrabantur non poſſe ebrietatem efficacius dedoceri, quam propoſito ebrio: ideo puerum agreſtem vino ingurgitabant, & ſic temulentum juvenibus exhibebant, ut a compotationibus abſterrerentur. Conviv. apparat. fol. 39.

*S. Aug. ad Sac. Virg.* S. Auguſtin. ait: Ebrietas eſt vitiorum omnium mater, radix criminum, origo vitiorum, turbatio capitis, ſubverſio ſenſus, tempeſtas linguæ, naufragium caſtitatis, amiſſio temporis, inſania voluntaria, turpitudo morum, dedecus vitæ, honeſtatis infamia, animæ corruptela &c.

*Idem.* Ebrius nullo alio cogente præter vinum cordis ſui arcana patefacit, & amicorum ſibi commiſſa ſecreta in medium prodit.

*Idem.* Sobrietas in feminis ad terram deponit aſpectum, ebrietas autem amiſſo pudore, inverecundos erigit vultus.

*Idem in lib. de panit.* Ebrioſus cum abſorbet vinum, abſorbetur a vino, abominatur a Deo, deſpicitur ab Angelis, deridetur ab hominibus, deſtituitur a virtutibus, confunditur a dæmonibus, conculcatur a ſui ſimilibus &c. Confundit naturam, amittit gratiam, perdit gloriam, incurrit damnationem æternam &c.

432. *Abominabilis Deo & Chriſto.*

*In me pſallebunt, qui bibebant vinum*: ubi Theophilactus putat flagellatores Chriſti fuiſſe ebrios. *Matt. 27.* S. p. 154. f. 497.

Chriſtus in cruce noluit guſtare vinum: *S. Hier. hic* S. Hieronymus ait: *Non accepit id, pro quo punitur.* Nempe propter vinum intemperatum ebrioſorum patiebatur ſitim in cruce. B. ſer. 9. n. 28.

In epulis & ebrietate fiunt homines audaciores & impudentiores, non eſt vitium tam pronum ad blaſphemias, quam *Jud. 9.* temulentia. Inter epulas & pocula maledicebant Abimelech. O Divine Abimelech, quam crudelia maledicta contra te evomuntur in ebrietate &c.

Herodes Natalis ſui feſtum celebrans immodice bibebat, & Herodias ſaltabat, tunc præceptum eſt, caput S. Joannis in carcere amputari. Nunquam magis occiditur innocentia, caſtitas, & timor Domini, quam inter vitra & cantharos.

Dominus Deus in famulis ſuis, ſacerdotibus odit, & execratur vitium ebrietatis; quia eſt ſervitium dæmoni præſtitum: *S. Chryſ. ſuper Matth.* ita S. Chryſoſtomus inquiens: *Nihil eſt dæmoni ita amicum ſicut ebrietas, quæ eſt mater omnium vitiorum, ante omnia autem vitetur a Clericis; quia omnium peccatorum radix, & nutrix eſt.*



Convivia.

433. *Vix ſunt ſine peccato.*

*Cumque in orbem tranſiiſſent dies convivii, mittebat Job .... & offerebat holocauſta*; ubi S. Gregorius: Vir Sanctus noverat, quod celebrare ſine culpa convivia vix poſſint, ideo culpas ſuas, & filiorum convivantium ſacrificio expiat. S. punct. 95. f. 290.

Scitis cur ſal ubique in menſis, & ſympoſiis apponatur? Sal ex aqua marina, & igne coagulatur elementis inimiciſſimis, adeoque Symbolum eſt pacis & concordiæ: apponitur igitur in menſa, ut convivæ admoneantur pacis & amicitiæ; unde nonnulli malum omen capiunt, ſi ſalem in menſa effundi contingat. Hinc Pierius Judam proditorem carpit, quod neque ſalis, neque panis communicati memor fuerit. C. in Act. 1. c. 4.

Convivia comparantur ſpinis, quia ſicut ſpinæ ſe invicem complectuntur; ita invitati invitantes rurſus invitant, & ſic convivia eunt in orbem, fiuntque aſſidua. Præterea comparantur ſpinis, quia convivæ ſua maledicentia ſæpe abſentes pungunt convitiis, & ſcomatibus. Quocirca M. Varro cenſuit, convivia incipere debere a numero Gratiarum, & non progredi ultra numerum Muſarum, id eſt, proficiſci a tribus, & conſiſtere in novem; ſi enim plures ſint, turbam facient dicacem, & turbulentam. Verum majora ſunt adhuc damna conviviorum, quia per illa ſæpe urbes & Reſpublicæ perierunt. Sic Ninive capta eſt, dum cives, hoſtium potentiam contemnentes, conviviis & ſympoſiis vacarunt. Ita capta eſt etiam Babylon convivante Rege Balthaſare &c. C. Nahum 1. v. 10.

Antiochus coegit Judæos, ut rejectis patriis legibus Bacchum ſympoſii Deum colerent, & hedera coronati orgia celebrarent. Qui facere id recuſabant, morte mulctabantur. C. Eccli. 32. v. 3. Vix fiunt immoderata, & ſumptuoſa convivia, ubi non gentilis morum diſſolutio accedit, & anima occiditur.

Damna epularum ſunt 1. Hebetudo mentis, quæ in ventre ſepelitur, & enervatur. 2. Quod capitis, ſtomachique dolores, febres, paralyſes, alioſque morbos cauſent. 3. Quod ad paupertatem redigant. 4. Quod homines protervos, procaces, & litigioſos faciant. Et inſuper 5. Ineptum ad ſtudendum, pugnandum &c. C. Jac. 5. v. 5.



434. *Ad-*

434. *Admiranda, & rara.*

Carolus V. Franciſcum Galliarum Regem Madriti excepit, dum centum lances argenteas menſæ ejus inferri juſſit non niſi cerebellis avium inſtructas: alias in ſuper centum aureas, ac totidem porcellanas iiſdem cerebellis repletas. Menſis remotis Regem per duodecim conclavia duxit, harum omnium volucrum plumis veſtita. Lohner Tom. 3. f. 594.

*Sueton. in Vitell. c. 13.* Frater Vitellii Imperatoris convivium apparavit, in quo duo millia lectiſſimorum piſcium, & ſeptem millia pretioſiſſimarum avium appoſita fuerunt. VV. art. diſc. font. 29. Ex. 1.

Cleopatra luxurioſo ſtilo convivio ſolum in roſas integrum talentum expendebat, per omnia diſcumbentium triclinia foliorum paſſim acervi cubiti menſura pavimentum tegebat. Quin & pocula, & cyathi roſis & hedera coronabantur. C. Eccli. 32. v. 3.

*Eſth. 1.* Aſſuerus Rex, potens Dominus ſupra centum viginti ſeptem provincias, tertio anno Imperii ſui fecit grande convivium cunctis Principibus ſuis, & Præfectis provinciarum, ut oſtenderet divitias gloriæ regni ſui, multo tempore, centum videlicet & octoginta diebus. Deinde ulterius ſeptem diebus omni populo civitatis Suſan convivium præparari juſſit in veſtibulo horti, ubi omnes bibebant & epulabantur in poculis & vaſis aureis & argenteis, &c.

*Dan. 5.* Balthaſar Rex fecit grande convivium optimatibus ſuis mille, ibi apparuit manus ſcribentis in ſuperficie parietis, quæ ſcripſit Regi ſententiam mortis. Illud ibi laudabile, quod *unuſquiſque ſecundum ſuam bibebat ætatem*. Nunc enim in talibus conviviis bibitur ſupra ætatem, &c.

435. *Sint moderata & parca.*

*Gen. 18.* Homines ditiſſimi antiquitus erant moderatiſſimi in eſu & potu. Abraham ſuis hoſpitibus nil aliud apponit, niſi panem ſub cinere coctum, carnem vitulinam, butyrum & lac. Et quod maximum eſt Sara domus Domina ipſamet panem pinſere, Abraham domus Dominus ipſemet vitulum mactare non detrectavit. Achilli Myrmidonum Principi pro epulo nil parabatur aliud, quam carnis ovina: Idem ipſe Achilles Regi Priamo appoſuit carnem ovinam, & quod plus eſt propriis manibus lanionem agebat, ejus focii vices cocorum obibant. Iſaac erat ditiſſimus, & tamen ipſe ſibi pulmentum coxit. Hæc eadem ſimplicitas Veterum eluxit ea eo, quod narratur de domo Ulyſſis: ibi adventantes hoſpites ligna findebant pro culina, cacabos aptabant igni, ſubulcus propinabat ſcyphos, & opilio infundebat potum, cocus ſerviebat ad menſam, in qua ſervus una cum Domino conſidebat &c. D. 2. 64.

Seneca ait: Unica ſilva ſufficit multis Elephantis nutriendis, & elementa omnia vix ſufficiunt ſaturandæ hominum voracitati. Sanch. 3. par. c. 7. l. 319.

Convivæ antiquitus ſe roſis & hedera coronabant, quia hedera ſua frigiditate temulentiæ, & ebrietati reſiſtit. C. Eccli. 32. verſ. 3.

Notandum etiam illud, convivia benedictione, & gratiarum actione claudenda eſſe, uti mos fert fere omnium gentium. C. Eccli. 32. v. 17.

Item pro more Chriſtiano prævenienda eſſe benedictione, ex variis cauſis. 1. Ut profiteamur, nos nutrimentum a Dei largitate accipere, ſicut Iſraelitæ de cælo acceperunt Manna. 2. Ut oſtendamus, nos cibis veſci velle ad Dei honorem. 3. Non inſtar pecudum, aut barbarorum. 4. Petimus ut cibus ſit valetudini utilis & ſalutaris. 5. Ut inter veſcendum mens aliqua pia cogitatione aut lectione paſcatur. 6. Ne cibus diabolica, aut magica poteſtate inficiatur. S. Auguſtinus ait: Docuiſti me Domine, ut ſicut medicamenta, ita & alimenta ſumpturus accedam. C. 1. Tim. 4. v. 5.

436. *Magnis ſumptibus celebrantur.*

Refertur de duobus Oeconomis duorum Cardinalium, Atheſtini & Farneſii, quod unus eorum peponem unicum præcocem decem aureis pro menſa Domini emerit, quem alter magnitudine pretii deterritus non erat auſus emere. Liberalis emptor ab hero ſuo laudatus, præmioque affectus, alter vero anguſtioris animi Oeconomus exauctoratus, & cum ignominia dimiſſus fuit. VV. art. diſc. font. 19. Ex. 5.

Convivium Nuptiale Galeatii II. Ducis Mediolanenſis fuit ſumptuoſiſſimum. In eo triginta phialæ gemmis pretioſiſſimis locupletes convivis fuerunt appoſitæ. Menſis remotis illis donati fuerunt 70. equi, pretioſiſſimis ephippiis, auro fulgentibus inſtructi. Ciborum lautitia, & abundantia ex eo patet, quod alteri menſæ decem millia hominum accubuerint. VV. art. diſc. font. 24. Ex. 4.

Vitellius Imperator cœnam quinque & viginti aureorum millibus æſtimatam inſtruxit. VV. art. diſc. font. 29. Ex. 1. *Plinius l. 35. c. 12.*

Heliogabalus Imperator ſexcentorum ſtruthionum capita in una cœna appoſuit, ad comedenda eorum cerebella. Idem non raro cœnas ſic inſtrui juſſit, ut una die non niſi phaſiani, alia non niſi pulli, alia non niſi dulciaria apponerentur: nunquam minori pretio, quam tribus millibus cœnavit. Geta Imper. maxima prandia per ſingulas litteras parari voluit, uti pullos, perdices, pavones, porcellos &c.



Iſaacius Imperator Græcus erat in conviviis ſumptuoſiſſimus, ita ut ajat Nicetas: *Convivium ejus erat collis panum, ſaltus ferarum, piſcium mare, & vini oceanus*. VV. art. diſc. font 39. ex. 2.

## Garrulitas, multiloquium.

437. *Denotat imprudentem.*

IN *ore ſtultorum cor eorum.* Quid? in ore habent cor? omnino ait Hilarius: quia ſine prævia meditatione cordis omnia effutiunt. S. p. 116. f. 352. in fine.

Verborum flumen in garrulis eſt mentis gutta. Ob id binas habemus aures, ait Zeno, & unicum os, ut pauca loquamur, & multa audiamus. Licon ajebat: ſicut hirundo perpetuo garritu perdit voluptatem familiaritatis: ita garruli moleſti ſunt auditoribus. Apollonius quæſitus, qui ſint optimi homines, repoſuit: Qui dicendo ſunt breviſſimi. Demoſthenes cuidam in convivio multa loquenti exprobravit: ſi tam multa ſapuiſſes, nunquam tam multa dixiſſes. Auſonius ait: ſicuti vaſcula vacua maxime tinniunt, ita quibus minimum ineſt mentis, ſunt loquaciſſimi. C. Lev. 15. v. 16. ad fin.

Tres ſunt, qui ſecretum ſervare non poſſunt, *Stultus* ſeu debilis judicio, ſecretum quod audivit, continuo in mente volvit, eaque verſatione ſe affligit, unde ut hac afflictione ſe liberet, illud effutit & prodit. *Melancholicus*, quod triſti mente volvit, ad exuendam triſtitiam, enunciat. *Scrupuloſus*, & afflictus, ad ſolandam afflictionem amico animum aperit. Melius autem aperiret Patri ſpirituali, qui malo mederi poſſet &c. C. Eccli. 19. v. 12.

S. Jacobus comparat linguam cum beſtiis, ut ſignificet in ea eſſe aliquid irrationale. Sic Philoſophi cenſent, loquacitatem eſſe ſignum parvi cerebri, adeoque ſtultitiæ. Solon cuidam dicenti illum ideo non loqui, quia inſanus eſſet, reſpondit: *Nullus ſtultus tacere poteſt &c.* C. Jac. 3. v. 7. Et c. 1. v. 19.

438. *Ad multa vitia incitat, & trahit.*

Sicut amnis exundans cito lutum colligit: ita lingua excedens limites taciturnitatis cito multa vitia contrahit: hinc S. Bernardus ſorori ſuaſit ſilentium. S. punct. 116. fol. 353. *S. Ber. l. de Ord. Vit.*

Sunt quidam, qui continuo conqueruntur, ſe cum proximo in diſſidia prolabi, nunc ab hoc, nunc ab illo offendi, & quæ ſunt ſimilia. Verum quid mirum id eſt? in omnes tricas, & nugas ſe ingerunt, ideoque facile ſugillantur. Mercurius in officinam ſtatuarii venit, & ibi Jovis, Junonis, & alias Statuas licitabatur, quæ omnes caro pretio ſtabant: quæſivit denique & de ſua Statua, & dum putabat, ſe magni æſtimari, expertus eſt ſe nauci haberi, & facile dono permitti. Recte factum, manſiſſet domi, quid ad illum officina ſtatuarii, &c. Similiter ille pictor retro picturam ſtans judiciis hominum ſugillatur, &c. D. 12. 6.

Iſocrates quæſitus a garrulo, cur duplicem mercedem ab eo peteret, reſpondit: unam peto, ut loqui, alteram ut tacere diſcas. C. Lev. 15. v. 16. ad fin.

Plutarchus ait: Quod in corde ſobrii eſt, id eſt in lingua ebrii, garrulitas odioſa eſt & ridicula. Simonides ait: locutum eſſe ſæpe me pœnituit, tacuiſſe nunquam. C. Lev. 15. v. 16. ad fin.

S. Bernard. de cuſtodia manus, linguæ, & cordis ait de homine loquace: Nunquid ejus lingua eſt vipera? ferociſſima plane; quia tres letaliter lædit uno flatu, ſe loquentem, audientem, & eum de quo loquitur. C. Eccli. 19. v. 12.

439. *Prodit ſecretum ſibi commiſſum perperam.*

Chriſtus ſuſcitationem filiæ Archiſynagogi, & transfigurationem arcanam voluit, hinc ſolos ad miraculum Apoſtolos tres, nempe Petrum, Joannem, & Jacobum admiſit, nimirum eos, quos jam ante de ſilentio probaverat in ſua transfiguratione. M. conc. 26. aſſ. 1. n. 5.

Samſon vitam perdit ob revelationem ſecreti: o quot damna exoriuntur, ſi imprudenter arcana revelentur, &c. M. con. 26. aſſ. 1. n. 6.

*Audiſti Verbum? commoriatur in te, fidens, quia te non diſrumpet.* Monet Eccleſiaſticus; quia nimirum Spiritus Sanctus maxime odit revelatores arcanorum M. conc. 26. aſſ. 1. n. 7. *Eccl. 19.*

Apollonius quæſitus, qui ſint optimi homines, repoſuit: qui dicendo ſunt Breviſſimi. Demoſthenes cuidam in convi-

vio multa loquenti exprobravit: ſi tam multa ſapuiſſes, nunquam tam multa dixiſſes. Plutarchus ait: Garruli ſunt pleni rimarum, & perfluunt tanquam vaſa, mente caſſi. C. Lev. 15. v. 16. ad fin.

De ſtulto indiſcrete loquaci Plutarchus ait: *Totus tranſlucet, totus diffluit, & nullo cogente, veluti ſi quæſtione* (id eſt equuleo) *interrogatus eſſet, arcana omnia manifeſtat*. C. Eccli. 19. v. 12.

## Vinum.

### 440. *Moderatum eſt utile.*

APoſtolus ad Titum ſcribit: *Modico vino utere propter ſtomachum, & propter frequentes tuas infirmitates*. S. punct. 23. fol. 288.

Pſ. 103. Vinum laudatur, quod *lætificet cor hominis*. Et Salomon ait: *Date … vinum* Prov. 31. *his, qui amaro ſunt animo, ut bibant, & obliviſcantur egeſtatis ſuæ, & doloris ſui non recordentur amplius*. Ideo moris eſt, in communis lætitiæ ſolemnitatibus, uti in coronationibus Regum, in triumphis, in nuptiis populo vinum propinare, id quod Mart. del Rio l. 2. ſing. c. 11. etiam Veteres facere conſueverunt, teſte Martino del Rio, &c. D. 2. 37.

Severiani hæretici, quorum auctor fuit Tatianus Diſcipulus S. Juſtini Martyris, docebant, abſtinendum eſſe a vino, quia vitis eſſet inventum Satanæ: Catariſtæ dicebant, Vinum eſſe fel diaboli. Hos con- S. Chryſ. Hom. 1. ad pop. futat S. Chryſoſt. inquiens: *Vinum Dei, ebrietas autem diaboli opus eſt: Non creaturam Dei accuſa, ſed conſervi inſaniam argue*. C. Eccli 31. v. 35.

Noe invenit vinum ad exhilarationem hominis tribulationibus, & ærumnis preſſi. Hinc Athenæus dicere ſolebat: Vinum, ſi recte eo utaris, eſſe optimum Deorum donum, ſi male, eſſe maximum malum. Et Anacreon: *Quando vinum bibo, dormiunt curæ*. Vinum nubila mentis depellit, & facit bibentem famulis mitiorem, & amicis jucundiorem. Hinc in cœna primus calix bibitur ſanitatis, ſecundus hilaritatis, tertius ſomni. Et vitis, cum ab arboribus in Regem eligeretur, reſpondit: Non poſſum deſerere vinum meum, quod Deos & homines lætificat. Denique Socrates ajebat, vinum mederi mœrori, ſicut oleum igni aſperſum auget flammam. C. Eccli. 31. v. 35.

### 441. *Immoderatum depravat hominem.*

Darius Rex Perſiæ Optimatibus ſuis propoſuit quæſtionem, quid ſit in mundo fortiſſimum? unus putabat mulierem, alter veritatem, tertius vinum; & iſte quidem non male; quia vinum animum depravat, temerarium, loquacem, impudentem, & honeſtatis oblitum facit. *Vinum apoſtatare facit ſapientes*: experti ſunt Noe, Loth, Holofernes, Alexander, & alii. D. 2. 36.

Fridericus Imp. tota vita non guſtat vinum: Eleonora ejus conjux cum eſſet infœcunda, perſuaſa eſt a medicis, ut uteretur vino: verum Fridericus eam interdixit hoc conſilio, inquiens, malle ſe uxorem ſterilem, quam bibulam habere. D. 4. 5.

Voluptuoſa vita in cibo & potu enervat hominis animum, & inutilem reddit ad ſapientiam, & fortitudinem; hinc Antiſtenes, quodam dilaudante delicias ajebat: *Hoſtium filiis contingat vivere in delitiis*. Diogenes eos, qui in voluptates profundebant facultates ſuas, ſimiles dixit arboribus per præcipitia creſcentibus, quarum fructus non homines, ſed corvi & vultures depaſcere ſolent. Socrates turpe eſſe ajebat, ſi Domini per voluptatem tales fierent, quales nollent habere famulos. Arceſilaus Scytha interrogatus, cur ex aliis Sectis multi deficerent ad Epicureos, & ex Epicureis nullas ad alias Sectas, repoſuit: *Quia ex Viris Galli fiunt, nequaquam ex Gallis viri, &c.* C. Oſeæ 4. v. 11.

### 442. *Abundans & generoſum, ubi?*

Rex Hiſpaniæ ab unica Regni ſui civitate, cui nomen Madera, quotannis duodecim millia vaſorum vini recipit. Hiſpalim quotidie ex diverſis locis quatuor millia vaſorum vini advehuntur. Juxta Stutgardiam in Ducatu VVirtenbergenſi tanta vini copia creſcit, ut dici ſoleat, totam Stutgardiam eo ſubmergi poſſe. VVormatia urbs Imperialis ad Rhenum tantam vini copiam intra muros quotannis producit, quanta toti urbi poſſet ſufficere. VV. art. diſc. font. 83. ex. 9.

1. Vinea ad progerminandum vinum generoſum requirit ſitum Auſtralem; nihil enim magis nocet vino, & fructibus nobilioribus, quam venti Boreales.

2. Vineæ amant certa quædam metalla & mineralia; hinc eſt, quod ubi ſulphur, aromata, & aurum reperitur, in iis locis vina plantata evadant valde generoſa, uti in Hiſpania, Græcia, Neapoli, Sicilia, Auſtria. Inde vites Tockaicæ in Hungaria non raro repertæ ſunt in ſuos botros granula auri infixiſſe. 3. In colliculis meliora creſcunt vina, quam

in



in plano; planum enim plerumque craſſis & putridis humoribus abundat, quos ſolis radii difficulter purificant.

In Aſia laudantur vina Perſica: quæ creſcunt in provincia Schiras valde generoſa ſunt: In provincia Aria, vina ad octoginta annos illæſa conſervantur. In provincia Margiana Botri reperiuntur duobus cubitis longi; adeoque non minores, quam erant illi, quos Joſue & Chaleb ex terra promiſſa retulerunt. In Inſulis Canariis tam abundanter creſcit vinum, ut inde quotannis vigeſies octies millena dolia in Hiſpanias deferantur.

## I R A.

### 443. *Ab inſania non differt niſi tempore.*

PHiloſophus ait: Iratus ab inſano non niſi tempore differt. Et alius: Ira eſt furor brevis.

*Sol non occidat ſuper iracundiam veſtram*. Ubi moraliter Patres per ſolem intelligunt rationem, hoc eſt, ſol rationis non occidat, non obſcuretur ab iracundia veſtra. S. p. 110. f. 325.

Irati inſanorum in morem in res inanimatas ſæviunt: Galenus ait, quemdam cum clavicula ciſtam reſerare cito non poſſet, dentibus inſtar belluæ claviculam momordit.

Cyrus cum in fluvio Ginde amantiſſimus equus fuiſſet illi aquis hauſtus, vindictæ ſtudio fluvium in quadringentos ſexaginta rivulos dividi, & cuivis hominum permeabilem fieri fecit. Thraces Adriaticum mare ſagittis configunt.

Xerxes tumultuoſo mari, quod inter Seſton & Abydon pontem illi confregerat, trecenta verbera infligi præcepit. Quid ineptius? D. 4. 63.

Pictavii in templo S. Hilarii lectulus eſt, in quo decumbentes furioſi rationi reſtituuntur. VV. art. diſc. font. 23. ex. 9. O utinam ejuſmodi lectuli ubique haberentur.

Quidam inimicum ſuum in ædium quarumdam tectum confugere compulit, unde ille cum effugii ſpem nullam haberet, ex alto ſe præcipitavit: verum perſecutor miſerabili illius interitu adeo non placatus fuit, ut ipſius cerebro, quo viam conſperſerat, ſibi os perfricuerit. J. 8.

### 444. *A leviſſima re ſumit anſam ſæviendi.*

Seneca de ira l. 2. c. 12. Et l. 2. c. 25. Seneca ait: *Iraſcuntur, ſi calida non bene præbeantur, ſi vitrum fractum, ſi calceus luto ſparſus eſt*. Et alibi. *Parum agilis eſt puer, aut tepidior aqua potus erogata, aut turbatus thorus, aut menſa negligentius poſita, ad iſta concitari inſania eſt*. D. 1. 25. fere in medio.

Seneca narrat de quodam Pollione, quod mancipium ob fractionem unius vitri in vivarium projici juſſerit piſcibus pabulandum: ſed mancipium fugit ad Imperatorem, qui re intellecta Pollionis vitra omnia confringi, & vivarium terra impleri præcepit.

Mahometes II. cum vidiſſet in arbore pomum, paulo antea conſpectum deeſſe, trium epheborum ventres exſcindi juſſit, bona ſors tulit, quod ſtatim in ſtomacho primi inventum ſit pomum, alias etiam innocentibus fuiſſet moriendum.

Bernardinus Corius Dux Mediolanenſis irrogabat Sacerdotem, quamdiu putaret ſe regnaturum: repoſuit ex ſimplicitate Sacerdos, regnaturum novem annis: id indignabunde ferens Dux jubet Sacerdotem in carcere inedia perimi.

VVenceslaus Imperator ob caponem male aſſatum juſſit coquum trajecto veru ad ignem aſſari. D. 7. 78.

Plane abſurdum eſt, quod homines ad iram proni ordinarie cauſam diſſidiorum velint refundere in alios, dicantque ſe prius ab aggreſſoribus fuiſſe laceſſitos. Rex Nabuchodonoſor poſtquam devicit Judith. 1. & 2. Arphaxad Regem, ſuperbire & omnem circa regionem ſuo imperio ſubjicere voluit: miſit ergo nuncios ad finitimos principes, at cum hi nollent ſervire Nabuchodonoſori, iſte indignatus per thronum ſuum juravit, quod *defenderet* de ſe omnibus regionibus his. Mira locutio! ipſe erat aggreſſor, & ait ſe velle defendere. Sic faciunt iracundi, ex quavis cauſa eruunt occaſionem diſcordiarum, & dein dicunt ſe fuiſſe compulſos ad defenſionem &c.

### 445. *Dum fervet, nil prudens decernit.*

Recte ſuadetur, ut in ipſo iræ fervore nihil decernatur, quia perturbato animo deficit prudentia: Teſſalonicæ ſeditio coorta eſt, in qua multi e Senatu lapidibus vulnerati ſunt. Theodoſius Imperator rei indignitate motus illico præcipiti ira præcipit, ut ſeditioſi cives morte mulctarentur, quorum ſeptem millia nulla habita innocentium aut reorum ratione occiſa ſunt. Theodoſius ob hanc cædem ab Ambroſio excommunicatus, nec antea in Eccleſiam admiſſus fuit, quam promiſerat, quod decreta Imperatoria, quæ vitam aut bonorum ſpolia-

vio multa loquenti exprobravit: ſi tam multa ſapuiſſes, nunquam tam multa dixiſſes. Plutarchus ait: Garruli ſunt pleni rimarum, & perfluunt tanquam vaſa, mente caſſi. C. Lev. 15. v. 16. ad fin.

De ſtulto indiſcrete loquaci Plutarchus ait: *Totus tranſlucet, totus diffluit, & nullo cogente, veluti ſi quæſtione* (id eſt equuleo) *interrogatus eſſet, arcana omnia manifeſtat*. C. Eccli. 19. v. 12.

## Vinum.

### 440. *Moderatum eſt utile.*

Apoſtolus ad Titum ſcribit: *Modico vino utere propter ſtomachum, & propter frequentes tuas infirmitates*. S. punct. 23. fol. 288.

Pſ. 103. Vinum laudatur, quod *lætificet cor hominis*. Et Salomon ait: *Date … vinum* Prov. 31. *his, qui amaro ſunt animo, ut bibant, & obliviſcantur egeſtatis ſuæ, & doloris ſui non recordentur amplius*. Ideo moris eſt, in communis lætitiæ ſolemnitatibus, uti in coronationibus Regum, in triumphis, in nuptiis populo vinum propinare, id quod Mart. del Rio l. 2. ſing. c. 11. etiam Veteres facere conſueverunt, teſte Martino del Rio, &c. D. 2. 37.

Severiani hæretici, quorum auctor fuit Tatianus Diſcipulus S. Juſtini Martyris, docebant, abſtinendum eſſe a vino, quia vitis eſſet inventum Satanæ: Catariſtæ dicebant, Vinum eſſe fel diaboli. Hos con- S. Chryſ. Hom. 1. ad pop. futat S. Chryſoſt. inquiens: *Vinum Dei, ebrietas autem diaboli opus eſt: Non creaturam Dei accuſa, ſed conſervi inſaniam argue*. C. Eccli 31. v. 35.

Noe invenit vinum ad exhilarationem hominis tribulationibus, & ærumnis preſſi. Hinc Athenæus dicere ſolebat: Vinum, ſi recte eo utaris, eſſe optimum Deorum donum, ſi male, eſſe maximum malum. Et Anacreon: *Quando vinum bibo, dormiunt curæ*. Vinum nubila mentis depellit, & facit bibentem famulis mitiorem, & amicis jucundiorem. Hinc in cœna primus calix bibitur ſanitatis, ſecundus hilaritatis, tertius ſomni. Et vitis, cum ab arboribus in Regem eligeretur, reſpondit: Non poſſum deſerere vinum meum, quod Deos & homines lætificat. Denique Socrates ajebat, vinum mederi mœrori, ſicut oleum igni aſperſum auget flammam. C. Eccli. 31. v. 35.

### 441. *Immoderatum depravat hominem.*

Darius Rex Perſiæ Optimatibus ſuis propoſuit quæſtionem, quid ſit in mundo fortiſſimum? unus putabat mulierem, alter veritatem, tertius vinum; & iſte quidem non male; quia vinum animum depravat, temerarium, loquacem, impudentem, & honeſtatis oblitum facit. *Vinum apoſtatare facit ſapientes*: experti ſunt Noe, Loth, Holofernes, Alexander, & alii. D. 2. 36.

Fridericus Imp. tota vita non guſtat vinum: Eleonora ejus conjux cum eſſet infœcunda, perſuaſa eſt a medicis, ut uteretur vino: verum Fridericus eam interdixit hoc conſilio, inquiens, malle ſe uxorem ſterilem, quam bibulam habere. D. 4. 5.

Voluptuoſa vita in cibo & potu enervat hominis animum, & inutilem reddit ad ſapientiam, & fortitudinem; hinc Antiſtenes, quodam dilaudante delicias ajebat: *Hoſtium filiis contingat vivere in delitiis*. Diogenes eos, qui in voluptates profundebant facultates ſuas, ſimiles dixit arboribus per præcipitia creſcentibus, quarum fructus non homines, ſed corvi & vultures depaſcere ſolent. Socrates turpe eſſe ajebat, ſi Domini per voluptatem tales fierent, quales nollent habere famulos. Arceſilaus Scytha interrogatus, cur ex aliis Sectis multi deficerent ad Epicureos, & ex Epicureis nullas ad alias Sectas, repoſuit: *Quia ex Viris Galli fiunt, nequaquam ex Gallis viri, &c.* C. Oſeæ 4. v. 11.

### 442. *Abundans & generoſum, ubi?*

Rex Hiſpaniæ ab unica Regni ſui civitate, cui nomen Madera, quotannis duodecim millia vaſorum vini recipit. Hiſpalim quotidie ex diverſis locis quatuor millia vaſorum vini advehuntur. Juxta Stutgardiam in Ducatu VVirtenbergenſi tanta vini copia creſcit, ut dici ſoleat, totam Stutgardiam eo ſubmergi poſſe. VVormatia urbs Imperialis ad Rhenum tantam vini copiam intra muros quotannis producit, quanta toti urbi poſſet ſufficere. VV. art. diſc. font. 83. ex. 9.

1. Vineæ ad progerminandum vinum generoſum requirit ſitum Auſtralem; nihil enim magis nocet vino, & fructibus nobilioribus, quam venti Boreales.

2. Vineæ amant certa quædam metalla & mineralia; hinc eſt, quod ubi ſulphur, aromata, & aurum reperitur, in iis locis vina plantata evadant valde generoſa, uti in Hiſpania, Græcia, Neapoli, Sicilia, Auſtria. Inde vites Tockaicæ in Hungaria non raro repertæ ſunt in ſuos botros granula auri inſuxiſſe. 3. In colliculis meliora creſcunt vina, quam in



in plano; planum enim plerumque craſſis & putridis humoribus abundat, quos ſolis radii difficulter purificant.

In Aſia laudantur vina Perſica: quæ creſcunt in provincia Schiras valde generoſa ſunt: In provincia Aria, vina ad octoginta annos illæſa conſervantur. In provincia Margiana Botri reperiuntur duobus cubitis longi; adeoque non minores, quam erant illi, quos Joſue & Chaleb ex terra promiſſa retulerunt. In Inſulis Canariis tam abundanter creſcit vinum, ut inde quotannis vigeſies octies millena dolia in Hiſpanias deferantur.

## I R A.

### 443. *Ab inſania non differt niſi tempore.*

Philoſophus ait: Iratus ab inſano non niſi tempore differt. Et alius: Ira eſt furor brevis.

*Sol non occidat ſuper iracundiam veſtram*. Ubi moraliter Patres per ſolem intelligunt rationem, hoc eſt, ſol rationis non occidat, non obſcuretur ab iracundia veſtra. S. p. 110. f. 325.

Irati inſanorum in morem in res inanimatas ſæviunt: Galenus ait, quemdam cum clavicula ciſtam reſerare cito non poſſet, dentibus inſtar belluæ claviculam momordit.

Cyrus cum in fluvio Ginde amantiſſimus equus fuiſſet illi aquis hauſtus, vindictæ ſtudio fluvium in quadringentos ſexaginta rivulos dividi, & cuivis hominum permeabilem fieri fecit. Thraces Adriaticum mare ſagittis configunt.

Xerxes tumultuoſo mari, quod inter Seſton & Abydon pontem illi confregerat, trecenta verbera infligi præcepit. Quid ineptius? D. 4. 63.

Pictavii in templo S. Hilarii lectulus eſt, in quo decumbentes furioſi rationi reſtituuntur. VV. art. diſc. font. 23. ex. 9. O utinam ejuſmodi lectuli ubique haberentur.

Quidam inimicum ſuum in ædium quarumdam tectum confugere compulit, unde ille cum effugii ſpem nullam haberet, ex alto ſe præcipitavit: verum perſecutor miſerabili illius interitu adeo non placatus fuit, ut ipſius cerebro, quo viam conſperſerat, ſibi os perfricuerit. J. 8.

### 444. *A leviſſima re ſumit anſam ſæviendi.*

Seneca de ira l. 2. c. 12. Et l. 2. c. 25. Seneca ait: *Iraſcuntur, ſi calida non bene præbeantur, ſi vitrum fractum, ſi calceus luto ſparſus eſt*. Et alibi. *Parum agilis eſt puer, aut tepidior aqua potus erogata, aut turbatus thorus, aut menſa negligentius poſita, ad iſta concitari inſania eſt*. D. 1. 25. fere in medio.

Seneca narrat de quodam Pollione, quod mancipium ob fractionem unius vitri in vivarium projici juſſerit piſcibus pabulandum; ſed mancipium fugit ad Imperatorem, qui re intellecta Pollionis vitra omnia confringi, & vivarium terra impleri præcepit.

Mahometes II. cum vidiſſet in arbore pomum, paulo antea conſpectum deeſſe, trium epheborum ventres exſcindi juſſit, bona ſors tulit, quod ſtatim in ſtomacho primi inventum ſit pomum, alias etiam innocentibus fuiſſet moriendum.

Bernardinus Corius Dux Mediolanenſis irrogabat Sacerdotem, quamdiu putaret ſe regnaturum? repoſuit ex ſimplicitate Sacerdos, regnaturum novem annis: id indignabunde ferens Dux jubet Sacerdotem in carcere inedia perimi.

VVenceslaus Imperator ob caponem male aſsatum juſſit coquum trajecto veru ad ignem aſsari. D. 7. 78.

Plane abſurdum eſt, quod homines ad iram proni ordinarie cauſam diſſidiorum velint refundere in alios, dicantque ſe prius ab aggreſsoribus fuiſse laceſſitos. Rex Nabuchodonoſor poſtquam devicit Judith. 1. & 2. Arphaxad Regem, ſuperbire & omnem circa regionem ſuo imperio ſubjicere voluit: miſit ergo nuncios ad finitimos principes, at cum hi nollent ſervire Nabuchodonoſori, iſte indignatus per thronum ſuum juravit, quod *defenderet* de ſe omnibus regionibus his. Mira locutio! ipſe erat aggreſsor, & ait ſe velle defendere. Sic faciunt iracundi, ex quavis cauſa eruunt occaſionem diſcordiarum, & dein dicunt ſe fuiſse compulſos ad defenſionem &c.

### 445. *Dum fervet, nil prudens decernit.*

Recte ſuadetur, ut in ipſo iræ fervore nihil decernatur, quia perturbato animo deficit prudentia: Teſsalonicæ ſeditio coorta eſt, in qua multi e Senatu lapidibus vulnerati ſunt. Theodoſius Imperator rei indignitate motus illico præcipiti ira præcipit, ut ſeditioſi cives morte mulctarentur, quorum ſeptem millia nulla habita innocentium aut reorum ratione occiſa ſunt. Theodoſius ob hanc cædem ab Ambroſio excommunicatus, nec antea in Eccleſiam admiſsus fuit, quam promiſerat, quod decreta Imperatoria, quæ vitam aut bonorum ſpolia-

liationem concernerent, ante triginta dies nunquam ſint executioni mandanda &c. Ita ſpatium dandum eſt iræ, donec animo ſerenitas redeat. D. 6. 93.

Recte dixit Architas Tarentinus: niſi jam iracundus eſſem, vellem te certo caſtigare; nempe pepercit tunc famulo perperam agenti, quia ſciebat in fervore iræ nihil prudens decerni. Sanc. 6. p. c. 8. f. 794.

Sicut dum febris actualiter effervescit in homine, abſtinendum eſt a medicinis, ne morbus irritetur, & increſcat: ita dum peccator ira exacerbatur, abſtinendum eſt a correptione, & exſpectandum, donec paſſio detumuerit, & mens ſibi reddita medicinam admittat. Pelicanus ſeu Onacrotalus rudit, & vociferatur ut aſinus, unde ſtoliditatis & imprudentiæ eſt ſymbolum; cum enim aucupes ejus nidum incendunt, ipſe advolat, & quaſſatione alarum ignem reſtinguere conatur, ſed tanquam flabello magis accendit, & alas etiam amburit, quo ſit, ut facile ab aucupe capiatur. Sic qui peccatorem iratum corripit, magis eum inflammat. C. Eccli. 8. v. 13.

446. *Quomodo compeſci debeat.*

Quidam civis ex Candia cum Galeno itineris comes ibat, vir intemperanti iræ deditus: factum eſt, ut aliquid quæreret ex famulis, & iſti ſiniſtrum reſponſum darent, mox ille effervescens gladio ad ſanguinem uſque percutit miſeros. Altera die facti pœnitens porrigit Galeno flagrum, & percuti ab eo poſtulat. Galenus fecit quidem rogatus, ſed poſtea edixit illi, iram non eſſe vitium, quod per verbera, ſed per victoriam paſſionum, & patientiæ uſum curari debeat.

Philippus II. Rex Hiſpaniarum erat imperturbabilis animi, quondam tota fere nocte litteras ſcribebat ad Romanum Pontificem: abſolutas tradit Secretario ſabulandas: verum iſte loco ſabularii arripit atramentarium, & litteras ſordide perfundit. Quid evenit? Alii forſan in furias fuiſſent acti, ſed Philippus II. nihil motus de novo ſcripſit litteras, nullo edito indignationis ſenſu &c. D. 7. 78.

Iram alterius mitiga per fugam & lenia verba: nunquam audiſti, quomodo venatores tigridis catulos rapiant? Venator exſpectat, donec tigris cubili ſuo exit, tum cito catulos ſumit in equum & fugit: tigris rediens ubi jacturam ſentit, veſtigia premit fugitivi, & iſte unum e catulis imminenti projicit, quem ſtatim in cubile reportat: ſequitur, iterum Venator catulum relinquit, idque tamdiu donec littus maris aſſequitur, navique tanquam tuto aſylo abit. Tu ſentis ferocientem tygridem inſtare? projice illi unum vel alterum lene verbum, idque tamdiu donec locum effugii invenias &c. D. 10. 21.

Optimum remedium iræ, ait Seneca, eſt mora: deſinet, ſi exſpectes: tota vincetur, dum partibus carpitur. Julius Cæſar omnes conjuratorum epiſtolas ſimul exuſſit: quod factum laudans Seneca, ait: *Gratiſſimum putavit genus veniæ, neſcire, quod quiſque peccaſſet*. C. Jac. 1. v. 19. item ad Epheſ. 4. v. 26. & v. 31.

Inimicitia. Vindictæ cupiditas.

447. *Quomodo exuenda, aut mitiganda.*

REx David veniens in tentorium Saulis invenit illum dormientem, quem Abiſai illico voluit occidere, ſed dehortatus eſt David: Quare? Chryſoſt. ait: *Conſpiciebat illum dormientem, & de morte omnibus communi philoſophabatur: ubi ille furor? ubi tot technæ, & inſidiæ? pereunt exigui ſomni incurſu.* B. ſer. 17. §. 4. &c. Primum itaque remedium tranquillandi bilem odio incenſam eſt conſideratio mortis, dicendo ſibi ipſi, quid prodeſt hodie vincere inimicum, & cras vinci a morte?

Alterum remedium eſt, cogitare, quam magna & diuturna damna ſæpe inimicitiæ poſt ſe trahant. Amalecitæ primi fuerunt, qui Iſraelitas, Nepotes Jacobi, itinerantes bello impetierunt. Quare? quia deſcendebant ex Amalec filio Eliphaz, nepote Eſau. Ecce! contentio, qua collidebantur, Jacob & Eſau ad feros poſteros, totamque familiam tranſibat. C. Exod. 17. v. 8.

Mitigari autem inimicitia in hoſte poteſt:

1. Humilitate & manſuetudine; ita Jacob adoravit fratrem Eſau eumque ſuum Dominum compellavit. C. Gen. 33.

2. Muneribus; ita Jacob præmiſit obvianti fratri greges ovium in munus. Gen. 33.

3. Fugiendo inimicum etiam reconciliatum; ita Jacob noluit ſibi comitem ire Eſau, ſed eum præmiſit: item pollicitus quidem eſt, quod ad fratrem divertere velit in Seir, ſed poſtea mutavit animum, nec venit in Seir, merito metuens, ne ira fratris recrudeſceret, præſertim ſi ſe hoſpitio & prandio recipiens vino incaleſceret. Gen. 33. v. 14.



Optimum remedium ſibi conciliandi inimicos eſt, ſi prius nobis conciliemus Deum; Deus enim in manu habet corda hominum, quare ſi nobis prius conciliemus Deum, facile ille nobis conciliabit hoſtes. C. Prov. 16. v. 7.

448. *Frivole excuſatur per illud:* Non poſſum.

Quæſo, quis tibi magis inimicus, quam caro, mundus, & dæmon? & tamen his inter multas moleſtias ſerviiſti. Quantumcunque igitur tibi proximus inimicus eſt, potes illum amare, potes remittere &c. B. ſerm. 24. n. 36.

*S. Aug. ſer. 61. de temp.* S. Auguſtinus ait: *In omnibus Scripturis Deus tibi dicit, quia potes, tu e contrario reſpondes, non poſſe: conſidera nunc utrum Deo, an tibi debeat credi?* Deus enim quod præcipit, non eſt impoſſibile, quia dat gratiam, confortat, ac roborat &c. B. ſerm. 59. §. 2.

Mulier Ægyptia filiolum a Crocodilo devoratum non deplorat; quia Crocodilum pro Deo habent Ægyptii. Proh pudor! falſa Deitas compeſcit ſenſualitatem naturæ, & verus Deus non poſſit compeſcere paſſionem iraſcibilem Chriſtiani? B. ſerm. 59. n. 26.

Leo quidam manſuefactus, cum olim ſui oblitus puerum unguibus arriperet, & a magiſtro clamaretur: *Siſte Leo*: ita violenter iram cohibuit, ut mortuus conciderit. Et tu non poſſis, quod bellua potuit. B. ſerm. 59. n. 26.

Abraham ſurgit, & uxorem ſuam in terram Chanaan ducit, non curans dicteria hominum, quia Deus præcepit: *Subire omnia, quam excuſare conſultius judicavit*, ait S. Ambr. Iſaias nudipes ingreditur Jeruſalem, *nihil honeſtius judicans, quam obedire præceptis Divinis*. Ait S. Hieron. Tu utinam in aliis rebus ſolicite honorem tuereris: an honorificum tibi eſt in ſceleribus vivere, ſciente toto populo? & tamen ibi non curas honorem: cum vero inimico ignoſcendum eſſet, obtendis frivole honorem tuum. Præterea error eſt turpiſſimus, ſi putes Deum præcipere minus honeſta &c. A. l. 6. n. 21. & 22.

*S. Ambr. l. 1. off. c. 34. S. Hier. in Comm. 3. c. Ier.*

449. *Punitur graviſſime.*

Duo vicini ſemper in diſſidiis viventes, & infernum potius quam reconciliationem eligentes, poſt mortem in gehenna & puteo proſilire & igniti enſibus digladiari atque in fruſta invicem ſecare, iterumque recreſcere, & hanc pœnam repetere videntur. E. *Dimittere* n. 5.

Mulier cæteroquin devota ſed pacis inimica, in ultima ægritudine faciem a Sacerdote avertit, & SS. Viaticum ſumere nequit. E. *Dimittere* n. 6.

Homo vindicativus per integrum annum non potuit videre SS. Hoſtiam in manu Sacerdotis. Poſtquam autem cum inimico reconciliatus eſt, & ſacramentaliter abſolutus, omnino vidit, quod antea videre non poterat. E. *Euchar.* n. 23.

Deus prohibuit in Mincha, ſeu Sacrificio panis adhiberi mel & fermentum. *Lev. 2. v. 11.* Quare? Quia mel bilem auget. Qui ergo bilioſus eſt, non admittitur ad ſacrificium Chriſti, nec poteſt eſſe particeps myſteriorum Dei. C. Lev. 2. v. 11.

Duo Religioſi hoſtiliter infenſi in odio continuo vivunt. Unus moritur, in refectorio coram fratribus apparet, & illi qui veniam dare recuſarat, jugulum frangit, ac ſecum in infernum rapit. T. n. 332.

Sicut ille, qui diligit inimicum, tria exinde bona reportat, victoriam ſui ipſius, lucrum proximi, & præmium a Deo. C. Prov. 25. v. 22. Ita e contrario, qui perſequitur inimicum, tria oppoſita mala in animam ſuam contrahit, inter quæ maximum eſt Dei punientis averſio.

450. *Oritur ex levibus cauſis.*

Paſtores de Gerara rixati ſunt adverſus paſtores Iſaac pro puteo, quem foderunt: *Gen. 26.* idcirco appellavit Iſaac puteum inimicitiæ. Sic hodiedum fit! ob rem nauci & nihili v. g. in capiendis aut dividendis hereditatibus colliduntur amici, conſurgitque inter illos acerrima hoſtilitas.

Quæſo, an operæ pretium erat pulmentum, quod Eſau fratri Jacobo vendidit, *Gen. 25.* ut inter eos conſurgeret inimicitia etiam inter nepotes duratura?

Nonnunquam invidia fomitem ſubminiſtrat inimicitiis: ſic fratres Joſeph oderant eum; *Gen. 37.* quod a Patre plus cunctis amaretur, nec poterant ei quidquam pacifice loqui: Sic multoties contingit: propter officiolum, propter favorem principis alienantur animi & incenduntur ad mutuos rancores. Rex Saul factus eſt inimicus *1. Reg. 18.* Davidis cunctis diebus; quia viderat, quod æſtimaretur a populo, & quod cuncta, quæ agebat, proſpere illi procederent.

Nonnunquam reſtauratur amicitia cum inimicis, ut poſſit tanto efficacius vindicari injuria contra tertium. Majores natu

Jud. 12. natu de Gabaa venerunt ad Jephte, dicentes: Eſto Princeps noſter: reſpondit ille: Nonne vos eſtis, qui odiſtis me? & de domo Patris dejeciſtis me, & nunc veniſtis ad me in neceſſitate?

Maledicta inimicitia, quæ ſimulatur erga amicum, ut iniquum aliquid ab eo ex- Jud. 14. torqueatur! Sic Dalila lacrymans conquerebatur erga Samſonem: Odiſti me, non diligis me, idcirco problema non vis indicare mihi! per hanc triſtitiam nocentiſſimum malum moliebatur illi inſligere.

Ordinarie exoritur inimicitia inter complices ejuſdem criminis: Sic Ammon ſororem Thamar, quam oppreſſerat, exo- 2.Reg.13. ſam habuit majore odio, quam ante eam amore dilexerat.

451. *Dedocetur a ſanctis, & ipſo Chriſto Domino.*

Joſephus Prorex Ægyptius fratribus, Moyſes Mariæ, David Sauli, Stephanus lapidantibus, Joannes Gualbertus fratricidæ ignoverunt. B. ſerm. 45. §. 4.

Rex quidam Ægyptius & gentilis Imperatori Diogeni, quem in bello captivum duxit, parcit, rationem ſubnectens, quia, ajebat, ſcio, quod Chriſtus veſter Deus jubet inimicos diligere. B. ſerm. 59. n. 26.

S. Th. Cantuar. Epiſcopus mirabilis erat in componendis diſſidentium animis. Duobus Comitibus ſibi invicem inſenſiſſimis ſingillatim poſt mortem apparet, & eos in ſacellum ſuum certa die citat: comparuere, & mira reconciliatione pacem ſanxere. R. cent. 2. p. 1. mir. 49.

Exempla Sanctorum nos provocant ad ejurandas inimicitias, docentque non eſſe virtutem Chriſtiano magis propriam, quam dilectionem inimicorum. Vide tit. *Dilectio inimicorum.*

Quin imo commovere nos debet admirabile, & omnibus Chriſtianis imitabile exemplum Redemptoris. Quis unquam hominum contradictiones, & perſecutiones paſſus eſt, quas Chriſtus Dominus? & tamen pro perſecutoribus oravit, & ſalvos voluit, qui ipſum opprimebant. Et, quas non injurias hodiedum tolerat in SS. Euchariſtia ita ut vere, prout orat Eccleſia, *in Sacramento mirabili nobis paſſionis ſuæ memoriam reliquerit?* hic ab hæreticis blaſphematur, a malis Chriſtianis inhonoratur, a peccatoribus ſacrilege devoratur! & tamen ſacerdotibus, etiam diſcolis poteſtatem dat conſecrandi &c. C. Prov. 23. v. 2.

452. *Non nobilem, ſed ignobilem animum denotat.*

Quis fuit ille furioſus, qui bis voluit occidere Davidem? Reſpondes fuiſſe Regem Saul: erras! Scriptura non vocat regem, ſed tunc tantum ſimpliciter Saul: nam talis vindicta nihil in ſe regium continet. Chryſoſt. ait: *Hic jam Rex eſt*, nempe David, quia fugit, quia ignoſcit. *Ille putatur.* B. ſer. 59. n. 14. & ſeq.

Latro in cruce tunc cognovit Chriſtum eſſe Regem, cum vidit eum ignoſcere interfectoribus. B. ſer. 59. n. 17.

Nunquid qui Davidem vincit, fortior eſt, quam qui vincit Goliathum? ita eſt. David autem vicit Davidem, hoc eſt ſeipſum, dum pepercit Sauli, conſequenter glorioſior fuit parcendo, quam vincendo. B. ſerm. 59. n. 17. M. conc. 3. aſſ. 2. toto.

Quidam dicunt: jam reconciliabor cum inimico, ſed prius injuriam vindicabo. Bella reconciliatio! Accipiter ſub nocturnum crepuſculum avem capit, quam tota nocte ſub pedibus tenet, exoriente autem ſole dimittit: obviam poſtea factam nunquam perſequitur. VV. art. diſc. font. 48. ex. 1. Sed, quid id beneficii eſt? utique ſatis timoris habuit miſera avicula, tota nocte hærens inter ungues raptoris. Sic multi faciunt, opprimunt inimicum, cumque pedibus calcant, dein non amplius offendunt: Specioſa dilectio inimicorum! Hi accipitres ſunt!

Poſt peccatum protoparentum Deus poſuit inimicitias inter ſerpentem, & mulierem. Ecce! inimicitiæ denotant ſerpentinum aut muliebrem animum.

Quidam inimicum ſuum multis vulneribus confecit, cumque vulneratus pro confitendis peccatis ſuis ſacerdotem inclamaret, etiam huic acceſſum ad morientem inhibuit, ut ei præter vitam temporalem etiam æternam eriperet. Nonne hæc indoles plus quam barbara, imo diabolica eſt? J. 8.

Vindictæ cupiditas ignobiliorem facit hominem beſtia: *Sanguinem veſtrum requiram de manibus cunctarum beſtiarum*, quaſi dicatur, homines vindicativos ita vileſcere, *ut propter vindictam beſtiæ nuncupentur*, ait Lyranus. M. conc. 3. aſſ. 2. n. 10.

Imo homo vindictæ cupidus pejor eſt dæmone: nam dæmon per cytharam Davidis compeſcebatur, non autem compeſci poterat ipſe Saul. B. ſer. 59. n. 3.

Siquis



*Siquis non acquieſcit ſanis ſermonibus Domini noſtri Jeſu Chriſti, . . . ſuperbus eſt, & nihil ſciens.* Vindicativi autem non acquieſcunt: quia dum alii peccatores tantum voluntate contradicunt legi Dei, iſti etiam repugnant intellectu, in quantum doctrinam Chriſti impoſſibilem, aut indecentem judicant. *Quaſi ſce-* 1.Reg.15. *lus idololatriæ eſt, nolle acquieſcere* &c. Segn. Manna 17. Juni in 1. & ſeq.

Vindicta eſt actio valde ignobilis & indigna, vilibus, & abjectis hominibus propria. Paoletti Feria 6. Cinerum.

453. *Sibi ipſi plus nocet, quam inimico.*

Cain occidit fratrem in campo non in paradiſo: cur? ut oſtendatur quod occidens hoſtem fructum nullum reportet, ait Ambroſius. M. conc. 3. aſſ. 1. n. 3.

Cain per occiſionem Abelis voluit gratiam Dei lucrari, quam illi invidit, & perdidit utramque. M. conc. 3. aſſ. 2. n. 4.

Homo vindicativus honorem quærit, ſed infamiam reportat. Sicut tinea rodendo pannum ſeipſam deſtruit; ita vindictæ cupidus &c. M. conc. 3. aſſ. 2. n. 5.

Quemdam Macedonium inviſere, rogareque venerat S. Ambroſius ut pacem cum hoſte componeret, ſed ille ſancto Epiſcopo portam domus in faciem occluſit. Poſtliminio Macedonius iſte certi delicti cauſa quærebatur ad tribunal, cum ergo inſequentibus apparitoribus in Eccleſiam intrare vellet, porta illi occluſa fuit. Sanch. 4. p. c. 4. f. 240.

Quidam injuriam ſibi allatam dimittere nolens in rancore mortuus eſt: cum ergo pro anima ejus orationes fierent, Crucifixus utramque aurem obturavit, & dixit: Nec pepercit, nec parcam. E. *Dimittere* n. 4.

Abbas Antonius videns fratrem, qui laudem, non autem injuriam ſuſtineret, ajebat: tu ſimilis es ædificio, quod ab ante habet ingreſſum ornatum, ex poſteriori vero parte a latronibus expugnatur. C. Num. 12. v. 3.

Quidam obſtinati & irreconciliabiles ſibi ipſis de induſtria nocent, ut eo magis nocere poſſint inimico. Imp. Nero, ut novam occaſionem haberet perſequendi Chriſtianos, ſeptem partes urbis Romanæ incendit, dein culpam incendii Chriſtianis imputans, illos crudeliſſimis tormentis excruciavit. Inſuebantur pellibus ferinis, ut a canibus lacerarentur, perfuſi pice & reſina inſtar lampadum accendebantur, aliiſque tormentis afficiebantur. D. 4. 45.

Qui in rancore, & hoſtilitate vivunt, perdunt victoriam ſui ipſius, ejuſque meritum, dæmoni faciunt lætitiam, cœlitibus triſtitiam, inimicum non lucrantur, Chriſto faciunt injuriam, ejuſque conſciſcunt inimicitiam. Nonne grandia hæc mala? Vide titulum, *Dilectio inimicorum.*

454. *Vindictam non quærentes Deus tuetur.*

Celebris quæſtio eſt, cur Deus Sanctos Martyres ab exquiſitis tormentis, rariſſimo autem ab ictu gladii præſervet? Reſpondetur: Gentiles & tyranni, qui S. Martyres pro veneficis habebant, erant perſuaſi veneficia valere quidem contra gladios, non autem contra exquiſita tormenta. Ideo ut Deus eorum honorem tueretur, eos contra exquiſita tormenta, non autem contra gladios defendit. D. 5. 89.

S. Silvani, qui erat diſcipulus S. Hieronymi, formam aſſumens dæmon mulierem ad nefas ſolicitabat, qua re S. Victorius populi fabula & ignominia factus eſt. Poſtea cum in templo oraret, acceſſerunt, qui injurioſis improperiis illum inhonorarunt, ſed omnes repentina morte exanimati ſunt. Cumque a tumultuante populo inter verbera & opprobria ad tribunal raperetur, apparuit S. Hieronymus, qui demonſtrata ejus innocentia illum ex eorum manibus liberavit. Petr. Sanchez 2. p. c. 1. *Aquilin 13. e. 106*

Imperatrix Othonis III. Uxor Nobilem de vi ſibi allata accuſatum, & innocentem ad gladii mortem promovet, verum abſciſſum caput poſtea in igne illæſum decapitati innocentiam demonſtravit. E. Verbo *Adulterium* ex. 8.

S. Gregorius Taumaturgus a muliercula, a malevolis ſubornata, publice de ſtupro ſibi illato accuſatur, & ab eo pecunia mercedis obſcenæ petitur. Obſtupeſcentibus aliis Gregorius jubet illi pecuniam numerari. Et ecce! mulier obſidetur a dæmone, qui a nullo poterat, quam a Gregorio expelli. E. *Dimittere* n. 8.

Laurentius Rattus excellentiſſimus Muſicus cantorem admonuit, ut pauſas deinceps accuratius numeraret, & muſicæ ordinem non perturbaret. Iſte ſto machatus parum abfuit ut in monitorem pugnis involaret. Sed continuo adfuit, quocum pridie rixas habuit, & cantorem egregie dedolavit. J. 144.

Ri-

## Rixæ, diſcordiæ.

### 455. *Impediunt benedictionem divinam.*

DOminus Deus tunc primum Abrahamo promiſit *omnem terram, quam conſpicis* &c. poſtquam ab eo diviſus eſt Loth: quare: Reſp. Nierembergius: *Facta eſt rixa inter paſtores utriuſque* & hæ diſſidiæ nocuerunt Abrahamo, & Loth: *Nocet peccatum ſervorum ſanctiſſimo hero.* Quis ſcit quantos favores Dei tu e domo excludas, dum in diſſidiis vivis? B. ſerm. 38. n. 41.

Juxta urbem Edepſum in Macedonia fluebat ſaluberrimus rivulus, cum Antigonus Rex de aquis ſalutaribus concertare, eaſque pretio vendere cœpit, rivulus omnis exſiccatus eſt. Troade in Aſia rupes populo ſalem miniſtrabat, cum autem Lyſimachus ſubditos ob uſum ſalis tributo pecuniario onerabat, ſal omne evanuit. Duo fratres Principes Bohemiæ, & Poloniæ ſaliſodinam habebant utrique regno ſufficientem, cum autem de illa litigare cœperunt, ſal omne deſiit, ita ut Bohemia hodiedum ex alienis regionibus ſal mercari cogatur. D. 4. 85.

Stagnum piſcium ferax fuit occaſio litium inter duos fratres: & ecce? ut inter eos pax ſanciretur, S. Gregorius ſtagno maledixit, quo facto ſtagnum exaruit, & migravit in ſolum in hodiernam diem ſterile. E. *Diſcordia* n. 8.

Rex David dignus non fuit ædificare domum Domini, quia multum ſanguinis fudit; hæc gloria reſervata fuit Salomoni, Regi pacifico.

### 456. *Multa aegravia mala poſt ſe trahunt.*

Qui contra tertium conjurant, dein juſto Dei judicio ipſi inimici fiunt: Moabitæ, & Ammonitæ ſe congregarunt contra Judam, dein in prælio ſeipſos mutuis vulneribus confecerunt. B. ſer. 50. n. 23.

Primum bellum in cœlo fuit auctore dæmone, & ideo e cœlo pulſus eſt: diſcordes & bellicoſi cœlum non obtinebunt. M. conc. 3. aſſ. 3. n. 1.

Homo ſapiens non inchoat lites, & ſi inchoatæ ſint, illas declinare, & ſopire ſtudet, quia multa mala poſt ſe trahunt: hæc mala ſunt, 1. Quia millenas afferunt curas, mœrores, pericula, ignominias, profuſionem opum &c. quæ longe plus damni afferunt, quam lucri ſperari poſſit ex lite. 2. Auferunt pacem, & ſecuritatem; unde Card. Bellarm. ait: *Melior eſt uncia pacis, libra victoriæ.* 3. Niſi ſuccidantur creſcunt in immenſum, fiuntque irreconciliabiles, ita ut lis una ferat aliam & aliam ſine fine; hinc lis comparatur ſerpenti, qui cum per foramen caput inſeruerit, per illud deinde totum corpus infert & irrepit. 4. Quia lis externa cum proximo, parit litem internam cum animo; anima enim irati & litigantis mille paſſionibus æſtuat, ſecum ipſo diſceptat, & litigat, dum ira, & cupido vindictæ cum recta ratione digladiantur. C. Prov. 20. c. 3.

Sed dices: Inglorium eſt, cedere inimico, & pacem quærere. Erras! quia honorificum eſt, quærere opus heroicæ virtutis, qualis eſt, reconciliationis, & amicitiæ. C. Ibid.

Richardus Angliæ, & Philippus Galliarum Rex gravibus inimicitiis diſſidebant: moniti ſunt pacem inire, ſed fruſtra: Beatus Fulco ſacerdos prophetico ſpiritu plenus prædixit illis, fore, ut niſi conciliarentur, unus eorum intra anni ſpatium mori deberet. Cum monita nihil proficerent, factum eſt, ut Richardus, qui arcem quamdam ſpe impetrandi ingentis theſauri obſidebat, jaculo vulneratus paulo poſt obierit. D. 5. 41.

Quid conquereris, te graviter fuiſſe injuriatum? tu ipſe in culpa es, quia alienis jurgiis ſine neceſſitate te immiſcuiſti: Moyſes diſſidentibus ſe ingeſſit, dicens *quare percutis proximum tuum?* Et iſte ſtatim reſpondit: quis te conſtituit judicem inter nos? an etiam me vis occidere, ſicut occidiſti Ægyptium &c. D. 10. 92.

Mercurius, ut exploraret, quid homines de ſe ſentirent, ivit in officinam ſtatuarii, & ibi licitatus eſt ſtatuam Jovis, Junonis & alias. Tandem & de ſua quæſivit, & dum putavit ſe magni æſtimari, audivit ab artifice, hunc nugivendulum facile dono permitti. Recte ipſi factum eſt, cur ſe ſine neceſſitate in illam officinam ingeſſit &c. D. 12. 6.

Pœna hominum diſſidioſorum ordinarie eſt infelix illorum exitus: Briautius bellicoſiſſimus juvenis in Gallia, cum Henricus IV. Rex pacem cum hoſtibus compoſuiſſet, pullato habitu in aulam venit. Quærente Rege, cujus funeri indoleret? repoſuit Belli, amici ſui optimi? Dein in Belgium delatus ſub Principe Naſſovio militabat, ibi ex hoſtili agmine Capitaneum ad duellum provocans, vincitur, capitur, & in inimicam urbem adductus, juſſu præſidiarii Ducis, Grobbendonck, obtruncatur. Theat. Trag. Princ. hiſt. 2.

Cum



Cum Gaſto Dux Aurelianenſis cum fratre Ludovico Rege Galliæ graviter diſſideret, & contra illum armatum exercitum conſcriberet, Dux Henricus Montmorancius partes illius tenuit, ſed ſuo malo; quippe in prælio captivatus, reconciliatis fratribus, tanquam perduellionis reus Toloſæ decapitatus fuit. Teat. Trag. hiſt. 36. Videtur Deus ita diſpoſuiſſe, ut in eos, qui temere ſe in alienas lites immiſcent; tota odiorum tempeſtas recumbat.

Balduinus ex Ordine Ciſtercienſi magnæ virtutis & meriti Epiſcopus Piſanus, quia fuit occaſio belli inter Piſanos & Lucenſes orti, graviter in purgatorio punitus fuit: apparuit autem cuidam Presbytero in Inſula Sardicenſi, cui revelatum eſt Balduinum e pœnis non liberatum iri, donec pax inter utrumque populum fuerit ſancita. E. *Diſcordia* n. 6.

Contra diſſenſiones ac contentiones recte ait Seneca: *Cum pari contendere an-*
Seneca *ceps eſt, cum ſuperiore furioſum, cum in-*
l. 2. de ira c. 34. *feriore ſordidum! puſilli & miſeri hominis eſt repetere mordentem.* Quid quæris, o Chriſtiane, dum contra Chriſti leges cum fratre contendis? utique ſcientiæ oſtentationem, & victoriæ laudem apud tui ſimiles ſuperbos & ſtolidos. Egregiam ſane laudem nanciſceris, ut audias contentioſus, arrogans, oſtentator, Sophiſta. Quanto glorioſius tibi foret abſtinere jurgio, ut apud cordatos audiri ſapiens, pacificus, Religioſus, mentis, linguæque compos & dominus poſſes. Sapienter Papias S. Joannis Apoſtoli diſcipulus, & S. Polycarpi ſodalis, auditus multorum clamoribus Dei veritatem lacerari; *Non multa dicentibus*, inquit, *ſed vera tradentibus auſcultandum eſt.* C. in Ep. S. Jac. 3. v. 14.

### 457. *Oriuntur ex re levi.*

Anconæ litteratus juvenis hanc theſin publice propugnabat: Poſſe filium immorigerum a patre exheredari. Fuit ibi Nobilis, quem pater exheredem bonorum fecerat. Is dictam theſin in ſe declamari ſuſpicatus, declamatorem interfecit. J. 132.

Mimus quidam joculariter quædam garriens, cum videretur Nobilem præſentem illis ſermonibus pungere, in ipſo theatro a retro incuſſo vulnere occiditur. J. 133.

Prov. 26. Sacer Proverbiaſtes monet: *Sicut, qui apprehendit auribus canem, ſic qui . . . commiſcetur rixæ alterius.* Sicut enim canis, cum auribus (ſeu cauda prout alii interpretes legunt) tangitur, facile irritatur, ut dentes exerat, & mordeat tangentem: ita qui rixæ imprudenter ſe miſcet, facile læditur & occiditur. Hinc omnes ſapientes monent, fomitem rixarum eſſe fugiendum, quia facile incenduntur, juxta illud: *Vis cave rixari? tenue os inter ipſos projice.* C. Prov. 26. v. 17. Vide ſupra tit. *Inimicitia &c.*

Antiqui etiam Philoſophi hac in re ſapiunt: Euripides ait: *A parvo initio lites magnas hominis lingua producit*; huic omnino ſuadent, ut homo ſapiens taciturnitate alterius dicteria vincat, aut diſſimulet: Demoſthenes conviciis laceſſitus ajebat: *Nolo tecum in hoc genus certaminis deſcendere, in quo, qui vincitur, ipſo victore melior eſt.* Quare ſicut nihil deformius, quam reſpondere furentibus, ita nihil utilius eſt, quam tacere provocatis. C. Prov. 20. v. 3. ad fin.

### 458. *Quomodo ſopiendæ ſint in domo, inter conjuges &c.*

Quælibet pars de ſua naturali propenſione aliquid remittere debet: *Simile eſt regnum cælorum fermento &c.* ſimplex ſed myſterioſa ſimilitudo: panis coquitur ex diſſimilibus ingredientibus, farina, aqua, ſale, & fermento: quodlibet autem de ſua naturali qualitate aliquid remittit, & ſic ſe mutuo complectuntur: ita a pari &c. B. ſerm. 62. n. 15.

Durante æſtu iræ omnino tacendum eſt. S. Aug. laudat Matrem, quod ſciverit viro irato cedere. *Humiliatus ſum, & ſilui a bonis.* Ubi Origenes: Dum frater amarulento eſt animo contra me, etiam bona verba ſileo, ne vel illi ignem ſuæ ditionis inflammem: Jacob nihil locutus eſt irato Eſau. S. punct. 110. fol. 322.

David manſuetudine vincit Saulem: ſicut noctu amicum etiam præſentem non agnoſcimus, die vero etiam diſtantem: ita in ira, quando intellectus quaſi nocte obfuſcatus eſt, amicum non agnoſcimus, vox audita, ſeu bona, ſeu mala nobis aliter ſonat. S. p. 30. f. 719. Vide tit. *Manſuetudo.*

Verba aculeata non cum retorſione, ſed cum joco aut faceta reſponſione accipienda ſunt. Thomas Morus cum Cardinali Volſæo, qui proregis dignitatem faſtuoſe ambiebat, reſtitit, ab illo in publico conſeſſu ſtultus fuit vocatus. Thomas cum modeſto riſu repoſuit: Grates habeo Deo, quod in Regno Angliæ unus tantum ſtultus reperiatur. D. 5. 21.

Adrianus VI. Pontifex graviter indigna-

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN

gnabatur famoſis libellis, & ideo Statuam Paſquinii, ubi aculeata ſcripta affigi ſolent, in Tyberim projici voluit. Diſſuaſum autem fuit hoc conſilium, quia ſicut ranæ in aqua ſunt loquaciores, ita & Paſquinius in Tyberi futurus eſſet loquacior, & dum antea fuit unus, poſtea in urbe futuri ſint innumeri. Ita diſſimulanda potius, quam carpenda ſunt malevolorum dicteria. D. 9. 36.

S. Macarius itinerans juſſit ſocium ſuum anteire: iſte cum gentilem ſacrificulum obvium haberet, dixit ad eum, quid facis diabole? ſacrificulus depoſita ſarcina quam gerebat, egregie pugnis dedolabat Monachum. Sequens S. Macarius ſalutabat ſacrificulum inquiens: quid agis laborioſe amice? hoc blandum alloquium ita mitigavit gentilis animum, ut ſecutus Macarium Chriſtianus, & Monachus factus ſit. Ecce pacificum verbum tranquillat iram. Sanch. 6. p. c. 8. f. 309.

### Homicidium.

#### 459. *Mirabiliter proditur.*

CAdaver occiſi in præſentia occiſoris ſanguinat, etiam ſæpe ex oſſibus aridis. C. Deut. 21. v. 4.

Latrones Ibyci Poetæ a gruibus produntur. Pyrrho Regi canis interfectores ſui Domini prodit. C. Deut. 21. v. 4.

Duo Arcades amici venerunt Megaram, alter ad amicum, alter ad cauponam divertit. Hic noctu apparuit alteri rogans, ut ſibi ſubveniret, quia ſibi interitus a caupone pararetur. Hic ſomnium eſſe ratus perſtitit in lecto. Rediit ergo altera vice alter rogans ut mortem ſuam non pateretur inultam: ſe enim occiſum eſſe, & craſtina die ſuum cadaver ſub ſtercore evehendum. Paruit tum iſte, & ad portam exſpectans cadaver, & cauponem deprehendit, caupo pœnas dedit. C. Deut. c. 21. v. 4.

Nobilis Gallus, cum improlis eſſet, fratris filium adoptavit: verum mulier Galli concubina metuens, ne adoptivus amorem ſui Domini ſibi præriperet, falſo illum furti attentati inſimulavit, & ex ædibus expulit. Prodita autem filii innocentia, ille in ædes revocatus, vindictam ſpirans mulierem in rurale prædium invitatam occidit, & ejus cadaver ante fores proximæ villæ humavit. Eo tempore filia Domini, ad quem villa pertinebat, liberioris auræ gratia ex urbe in villam venit, & cum aliquando in campum exire voluit, ſub ipſis foribus occulta vi detineri ſe ſenſit. Reſpiciens vidit ex humo emergere manum, quæ veſtem ſuam teneret: clamat ergo auxilium, reque magiſtratui detecta, foditur terra, eruitur cadaver, atque ex ſubucula agnoſcitur. Filius adoptivus a patruo ad quæſtionem vocatus, fatetur crimen, & fuga ſibi conſulens, prodit complices, qui extremo ſupplicio confecti ſunt. J. 62.

#### 460. *Punitur a Deo.*

Macarii Mytilenſis Sacerdotis homicidium cæde filiorum, & uxoris punitur. C. Deut. c. 21. v. 4.

Popielus Poloniæ Rex patruos necavit, & a muribus devoratur. C. Deut. 21. v. 4.

Boleslaus & complices poſt cædem Vvenceslai miſerrime pereunt. C. Gen. 4. v. 10.

Latro fit Monachus, & ſemper puerum ante ſe videt, & audit dicentem, cur me occidiſti? donec monaſterio egreſſus capite mulctatus eſt. C. Gen. c. 4. v. 23.

Quidam Archidiaconus ad Epiſcopatum aſpirans Epiſcopum per lapidem ſupra portam collocatum comminuto cerebro peremit. Famulus autem Epiſcopi vidit a Beata Virgine Archidiaconum coram Dei tribunali accuſari & ad judicium citari. Voluit autem Judex citationem per famulum illum fieri: flevit amare famulus, & dum cauſam fletus rogatus eam pandit, repente Epiſcopus mortuus concidit. E. *Judicium* 13.

Pœna intolerabilis homicidii eſt ipſa laniena conſcientiæ! habetur ab experientia, hujus criminis reos, morſibus conſcientiæ, & inquietudine animi tam miſere fuiſſe agitatos, ut ſeipſos coram tribunali juſtitiæ reos egerint, & ſolatio ſibi duxerint, per ſupplicium carnificis fugere poſſe carnificinam delicti. Exempla habentur innumera!

### ACEDIA.

#### 461. *Remedium habet meditationem noviſſimorum.*

ABbas Alexander fratri acedioſo dixit: *Si in cella tua ſolicite cogitares regnum cælorum, & cruciatum æternum, in cella tua acediam non ſentires.* Seipſum autem ita animabat: *Væ tibi Alexander! quanta erit confuſio tua, cum cæteri coronabuntur!* E. Verbo Acedia.

Senex quidam Philoſophis monitum dedit: *Sit Philoſophiæ veſtræ opus ſemper meditari mortem, ſilentioque, & quieti vos aſſuefacite.* Deut. 32. v. 29.



Monachus quidam, qui negligenter vixerat, ægrotus raptus eſt ad judicium, & invenit matrem ſuam jam mortuam cum his, qui judicabantur. Illa autem, ut vidit eum, obſtupuit, & dixit illi: quid eſt fili? & tu in hunc locum condemnationis juſſus es venire, ubi ſunt ſermones tui, quos loquebaris dicens: Volo ſalvare animam meam? confuſus ipſe, ac rediens ad ſe incluſit ſe pœnitens, ac deplorans negligentiam ſuam. Cumque multi eum rogarent, ut a nimio fletu temperaret, ne ſe læderet, ſemper reſpondit: *Si improperium Matris ſuſtinere non potui, quomodo Chriſti, & Sanctorum ejus Angelorum adverſum me confuſionem potero in die judicii ſuſtinere &c.* C. Deut. c. 32. v. 29.

Silvianus Abbas raptus, & rediens ad ſe flevit, dixitque: *Ego ad judicium raptus, vidi multos de habitu noſtro euntes ad tormenta, & multos ſæculares euntes ad regna!* Sic lugens concluſit ſe continuo in cella, cumque exire cogeretur operiens ſe cucullo ajebat: Quid prodeſt videre lumen temporale, in quo nihil eſt utile! C. Deut. 32. v. 29.

Senex aliquis dicere ſolebat: Si poſſibile eſſet in adventu Dei poſt reſurrectionem, præ timore interire animas hominum, omnis mundus moreretur præ terrore. C. Deut. 32. v. 29.

#### 462. *Quibus motivis ſuperari debeat?*

Conſideranda induſtria dæmonis tentatoris: O! quot homines vivunt tantum ad delicias corporis effuſi, tantum ob eſum & potum, toti obliti ſuæ ſalutis &c. Sed adverte periculum! an neſcis totum orcum adverſus te armatum eſſe? Quid diceres de illo, qui inimicum potentem ad certamen evocavit, bellum illi indixit, & in momenta ſingula ab eo ad necem quæſitus, prorſus inermis circumeat? nonne diceres, eſſe prodigum vitæ? En! tua res agitur; dæmon plenus iracundia circuit, diu noctuque tibi inſidias ſtruit &c. age, arma cape, vigil eſto in ſalutem tuam. B. ſerm. 46. n. 27.

Conſideranda induſtria hæreticorum, quantos labores impigre ſubeunt, prædicando, ſcribendo, diſputando, ut errores ſuos defendant, & veritati obſtinatiſſime reſiſtant ad ſuam, & aliorum perniciem! ridet diabolus, gaudet infernus. Et ego minus laborioſus ſim pro Dei gloria, pro defendenda veritate, ad ſalvandam meam, & aliorum animas?



Conſideranda induſtria hominum ſæcularium pro re temporanea: Quid non agit miles? præliis & millenis mortis periculis ſe committit, ut prædam rapiat. Quid non agit mercator? terra marique itinerum incommoda ſuſtinet, ut lucrum capiat. Quid non agit litteratus? diu, noctuque libris inſudat, ut altius aſſurgat. Quid non agit operarius? labore, & ſudore corpus fatigat, ut mercedem capeſſat. Et ego deſidioſus ac ſomnolentus ero, ubi agitur de lucro & mercede æternæ gloriæ &c.

#### 463. *Eſt malum difficulter ſanabile.*

Acedia comparatur paralyſi: 1. Sicut paralyſis oritur ex frigore, & craſſis humoribus, quibus nervi obſtruuntur: ita acedia oritur ex ſpirituali frigore, & defectu caritatis, quo homo fit immobilis ad bona opera. 2. Paralyſis eſt nervorum reſolutio, qua homo inſenſibilis efficitur: ſic acedia eſt torpor, qui omnes animæ virtutes ſtupefacit, ita ut ad officia pietatis impotens eſſe videatur. 3. Paralyſis ſequitur ad dominium phlegmatis: ſic acedia oritur ex crapula & fluxu luxuriæ. 4. Paralyſis eſt totius corporis apoplexia: ſic acedia facit, ut anima vivat quaſi mortua. 5. Ad paralyſin ſequitur pulſus ſtupidus: ſic acedia facit, ut homo nullum habeat rerum ſpiritualium ſenſum. 6. Apoplexia & paralyſis maxime contingit ſenibus: ſic acedia veteranos invadit, cum novitius fervor deferbuit. 7. Paralyſis eſt inſanabilis, ita fere acedia! An nullum ergo remedium? Reſpondeo, ſicut paralyſis utcunque curatur per res calidas, ita acedia ſuperari debet per caritatem Dei & fervorem: *Experimento probatum eſt*, ait Caſſianus, *acediæ impugnationem non declinando fugiendam, ſed reſiſtendo ſuperandam.* Nemo ſuperat acediam, niſi qui violenter ad laborem ſe cogit. C. in Matth. 9. v. 8. (Caſſian. l. [illegible] in b. [illegible])

*Sicut oſtium vertitur in cardine ſuo, ita piger in lectulo ſuo.* (Prov. 26.) Senſus eſt: ſicut cardo dum movetur, ſtridet; ita piger, dum a ſua deſidia extrahitur, obmurmurat, & ſtrepit. Et ſicut oſtium in cardine aperitur & clauditur, ita piger per vices vult & non vult. C. Prov. 26. v. 14.

#### 464. *Inepte excuſatur.*

Acedia malum eſt, ſpiritualibus, & ſolitariis præ cæteris infeſtum, ait Caſſianus: Hi ergo dicunt, teſte S. Auguſt. Si lectioni continuato ſtudio ſemper inſiſto, oculorum caliginem incurro: ſi in- (Caſſian. l. 10. de Inſtit. Mon. S. Aug. l. 9. [illegible] de Vit. & Virt.)

Cc deſi-

deſinenter lacrymas fundo, ipſos etiam oculos amitto: ſi protelatis vigiliis Pſalmorum curſum perſolvo, inſaniam capitis acquiro: ſi quotidiano labore me conficio, ad opus ſpirituale quando conſurgo? Audiant iſti, quid Gentilis Seneca (Seneca ep. 31.) reſpondeat; *Male mihi eſſe malo, quam molliter*. Mollities enim ex acedia proveniens multa ſcelera poſt ſe trahit. Tandem concludit: *Non iſta difficilia ſunt, ſed nos enerves ſumus* &c.

Perpendant iſti conatus hominum, & ſolicitudines, quas pro rebus vanis & temporalibus ſuſcipiunt. (Gen. 42.) Patriarcha Jacob tempore caritatis & famis præcepit filiis, ut ſine mora in Ægyptum deſcenderent, & emerent ibi neceſſaria. Quanto magis oportet ſolicitum eſſe pro ſterili æternitate? Iſaac licet a Deo benedictionem, & divitias promiſſas haberet, tamen agros in Geraris coluit. Negotiator pro pretioſa margarita dedit omnia ſua & comparavit eam. Homo ille ſciens in agro delitеſcere theſaurum, venditis omnibus emit eum. Quanto ergo magis laborandum, & ſudandum eſt pro margarita cæli, pro theſauro æternæ ſalutis! &c.

### 465. *Eſt cauſa, & origo multorum ſcelerum.*

(Num. 21.) Populus Iſrael, quamdiu in Ægypto laboribus occupabatur, fuit ſatis bonus, ſed in itinere profectus de monte Hor, nauſeare dulciſſimum Manna cæpit. Quare? quia illum tædere cæpit itineris, & laboris.

(2. Reg. 26.) Rex Saul verſabatur in periculo mortis, & Iſboſeth filius Saul occiſus eſt: Quare? quia Abner male cuſtodiebat Dominum (2. Reg. 4.) ſuum Saul; quando enim David venit ad caſtra ejus, neminem invenit vigilantem.

(2. Reg. 11.) Rex David in turpiſſimum adulterii, & homicidii crimen incidit. Quare? quia tempore quo ſolent Reges ad bella procedere, domi ſtertebat, otioſo obtutu incidens in Berſabaam.

(Jon. 2.) Navigium Jonæ jactabatur tempeſtate non ſine extremo periculo naufragii. Quare? quia Propheta deſcendens ad interiora navis, ibi ſopore gravi dormiebat.

(Matth. 1.) Inimicus homo optimo ſementi in agro ſuperſeminavit zizania. Quare & quando? cum dormirent homines.

Virgines fatuæ, etiamſi virginali pu- (Matth. 25.) dicitia eſſent laudabiles, excluſæ ſunt a nuptiis. Quare? quia neglexerunt inſtruere lampades ſuas.

(Matth. 25.) Servus a Domino auſtere habitus, & a negotiatione excluſus fuit. Quare? quia neglexit lucrum facere cum talento ſibi concredito.

(Matth. 26.) Apoſtoli excordes & puſillanimes facti, Dominum in paſſione deſeruerunt, aut negarunt: Quare? quia a Domino juſſi vigilare, morem non gеſſerunt, ſed dormierunt.

Ita multa alia ſcelera, ſi in radicem inquirere lubet, deprehendemus originem trahere ex acedia: unde enim otioſitas? unde ſomnolentia? unde tepiditas? unde negligentia in rebus Divinis, & animam concernentibus? unde alia mala, quæ ex his ipſis malignis effectibus ulterius conſequuntur, unde, niſi ex acedia, & torpore animi? Accedit, quod hic ipſe ſemi-volens nolens languor, quo cælo & mundo, Deo & diabolo, voluptatibus & precibus, templis & cauponis, dimidiato corde ſervitur, hanc frigido-calidam, & calido-frigidam vivendi rationem, peſſimo exemplo etiam in aliis poſt ſe trahat; cum enim vident ſubditi, quod Principes, Nobiles, Litterati, Superiores, quos Deus ad aliorum correctionem poſuit, voluptuoſe vivendo, muneris ſui partes negligant, putant, non minus ſibi, quam illis licere, ſicque relicta virtutis ſemita, viam latam perditionis, non minus quam illi currant! &c.

## Otium.

### 466. *Repugnat conditioni humanæ.*

ADamus in Paradiſo ponitur, ut operaretur: Ubi Bern. Quis filios ejus poſitos ad feriandum arbitretur? homo ad laborem natus eſt, ſi laborem refugit, non facit id, ad quod natus eſt. S. p. 148. fol. 460.

Natura ipſa per varia animalia ſemper laborioſa nos docet laborare: quam mirabilem texturam facit aranea, apes quanta ſedulitate mel excoquunt, formicæ quam ordinatam rempublicam faciunt, bombyces quam artificioſo glomo ſe intexunt, volucres quanta ſagacitate nidificant, ac pullos nutriunt &c. Hæc omnia dedocent hominem vitam otioſam. D. 11. 48.

Homo a Divino creatore ad hoc deſtinatus eſt, ut labore ſibi vitæ neceſſaria procuret; hinc a Divina & humana ſapientia, totartes, opificia, & ſtudia inventa ſunt, ut quilibet pro ſua indole occupatus eſſe poſſit. Id ſi negligit homo, ſeipſum perdit, & deſtruit, juxta illud: (Prov. 28.) *Qui operatur terram, ſatiabitur panibus, qui ſectatur otium, replebitur egeſtate*. Imo non tantum corpore, ſed etiam anima tenus ſe perdit & deſtruit, prout hunc textum intelligit, & explicat Caſſianus, (Caſſian. l. 10. de Spiritu aced. c. 2.) inquiens: *Otioſus replebitur paupertate viſibili, vel inviſibili; quia neceſſe eſt, otioſum quemque diverſis vitiis involutum teneri*. C. Prov. 28. v. 19.



### 467. *Eſt fomentum multorum peccatorum.*

Malus ſpiritus expulſus ajebat: *Revertar*: quis aperit portas domus? Paulus Granat. reſpondet: *Otium aperit portas hoſti intrare cupienti*. B. ſer. 60. n. 14.

David, quia non prodivit ab bellum, domi otiatus in turpiſſimum peccatum labitur. B. ſer. 62. n. 26. S. Bonav. ait: (S. Bonav. in opuſc.) *Quia eo tempore, quo ſolent Reges ad bella procedere, David otioſus remanſit, ideo occaſionem habuit grave adulterium committendi*. M. conc. 37. aſſ. 1. n. 9.

S. Pachomius ſæpe audiit malignos ſpiritus inter ſe conferentes ſua artificia, quibus animas devotas aggredi ſolent, lucra etiam, quæ inde reportant: aſſerebant autem a Monachis otioſis facile ſe reportare victoriam, a ſedulis autem & occupatis ſe vinci. A. l. 1. n. 15.

Sicut terra, quæ defectu culturæ utiles herbas non progerminat, lolium, & urticas parit: ita homo qui non eſt utiliter occupatus, ad nociva & illicita prorumpet. (Prov. 2.) *Per agrum hominis pigri tranſivi ... & ecce totum repleverant urticæ*. D. 3. 54. Hinc ille verſus: Quæritur Ægyſtus, quare ſit factus adulter: in promptu cauſa eſt, deſidioſus erat.

Matrona Romana ex urbe uſque in Palæſtinam venerat, ſolum ut Arſenium videret: cui Sanctus: An ergo nihil negotiorum habes, niſi ut Arſenium videas? &c. Sanch. 5. p. c. 3. f. 439.

Otium eſt parens criminum, & errorum omnium conceptaculum, ideoque omni ſtudio fugiendum. Paol. Do. Septuag.

Deus Iſraelitis itinerantibus præſcripſit innumerabilia Sacrificia & ceremonias: in Pentateucho continentur ultra ſexcenta legalia, & moralia præcepta. Quare hoc? (Abul. in Lev.) Reſp. Abulenſis: *Ut per occupationem variorum ſacrificiorum otioſitas tolleretur, quæ multis malis incrementum tribuit, & fomentum*. Ginth. Currus Iſr. conſ. 3. n. 2.

In rotis molendini, quæ continuo agitantur non conſidet, multo minus nidificat avis: ita apud hominem laborioſum infernalis corvus locum non habet, ſed apud otioſum. S. Antonius malis cogitationibus turbatus apud Dominum conqueſtus eſt, & conſilium petiit: Et ecce! foras egreſſus vidit quempiam ſibi ſimillimum, qui nunc orabat, nunc laborabat, dein iterum ad orationem, iterumque ad laborem reverſus, ſic tota die perſeverabat: quapropter advertens, quid ſibi dici velit, otium tanquam omnium malorum incentivum fugit. E. Verbo *Angelus* n. 3.

Ad eremum fratrum convolabat immenſa dæmonum multitudo, & ad portam civitatis excubabat unicus diabolus; ratio fuit, quia fratres laborabant, orabant; ideo a toto dæmonum exercitu non poterant ſuperari. Econtra in urbe erant deſidioſi, qui facile ab unico dæmone ſuperabantur. E. *Dæmon* n. 18.

Ferrum ſi jaceat, corrumpitur, ſi exerceatur ſplendet: ſimiliter ſe habet anima, ait: S. Chryſoſt. (S. Chryſ. hom. 35. in Act.) S. Antonius graviſſime tentatus conſilium accipit ab Angelo, ut laboret. Certe priſcorum hæc erat ſententia: Operans uno dæmone, otioſi multis pulſantur. C. Ex. 5. v. 17.

Chriſtus etiam non rogatus illi mendico manum aridam ſanavit, ut laboret, & non prætextu manus aridæ in otio multa ſcelera committat. B. ſer. 69. n. 27.

Sicut terra ſi non vomere ſcindatur, & ſemente fœcundetur, lolium parit: ſic otioſus homo, quoties non habet, quod laudabiliter, aut neceſſario agat, ad pravas actiones diſſluit. Certe tentationes diaboli, & mala deſideria neminem magis, quam otioſum moleſtant, juxta illud: *Deſideria occidunt pigrum; noluerunt enim manus ejus quidquam operari: tota die concupiſcit & deſiderat*. (Eccl. 21.) Conformiter ad illud: *Multam malitiam docuit otioſitas*, (Eccl. 33. S. Chryſ. hom. 18. in ep. ad Eph.) ſupra quæ verba S. Chryſoſtomus: *Nihil boni facere, nihil aliud eſt, quam facere aliquid mali*.

### 468. *Quibus remediis ſuperandum.*

1. Remedium ſuperandi otium, eſt *Amor Dei*: quia amor nunquam eſt otioſus, ſed ſicut ignis, cui comparatur, ſemper operativus. Si amor non operatur, amor non eſt.

2. *Conſideratio laborum & dolorum Chriſti*; quia qui hos præ oculis habet, erubeſcet, ſub ſpinoſo capite eſſe membrum delicatum.

3. *Exempla Mundanorum*, qui pro exiguis & momentaneis bonis, imo pro re ſæpe peccaminoſa decumanos labores perferunt. His perpenſis, quis non ſeipſum excitet ad ſervitutem Dei, cum illo Ana-

choreta, qui videns vaniſſime comptam mulierem, ſibi ipſi dixit: ſi vel decimam partem pro Deo facerem, quæ mulier iſta pro mundi vanitate facit, ac patitur, ſpem indubitatam ſalutis conciperem.

4. *Exempla Sanctorum*, qui pro mercede æterna indefeſſis laboribus ſeſe occuparunt, dolentes de quolibet momento, quod ad Dei gloriam non fuit impenſum. Quid fecerunt Apoſtoli, quid Martyres, quid Confeſſores, quid Virgines, quid omnes Sancti? laborarunt, ſudarunt, orarunt ſine fine, gaudentes maxime, ſi pro Deo magnum aliquid facere aut pati potuerint. Chriſtus Dominus olim apparuit S. Mechtildi dicens; O felices vos, qui in terris adhuc agitis; meritorum enim cumulum ſemper magiſque poteſtis augere! Gaudete, quoties dies vobis illuceſcit, quia Deo vivere & immenſis gratiarum theſauris vos locupletare poteſtis.

5. *Timor ſuppliciorum in altero mundo!* ibi enim ſervus, qui ſcit voluntatem Domini ſui, & non facit, vapulabit multis. Cogitet ſæpe Chriſtianus, quid daturus eſſet unus e damnatis pro unico momento temporis, quod in hac vita otioſe neglexit? certe daturus eſſet mille mundos, ſi compenſare errorem, & ſalutem operari poſſet. Milites tres conſideratione cæleſtis gloriæ converſi monaſterium ingreſſi ſunt, ſed primi duo paulo poſt intepuerunt, & regredi ſtatuerunt. Verum venientes ad tertium invenerunt illum ferventem, & firmum in propoſito, qui & dixit illis: Vos tædio & otio ſegnes eſtis, mihi autem tempus breve eſt, quia occupor. Quærentibus qua ratione occuparetur? repoſuit: tres litteras a Magiſtro meo didici, quas quotidie lego: Prima ſcripta eſt colore nigro, quæ ſignificat mea peccata, & pœnas inferni, hanc lego mane. Altera ſcripta eſt colore rubro, quæ ſignificat Paſſionem Salvatoris, & hanc lego meridie. Tertia eſt ſcripta colore aureo, quæ ſignificat amœnitatem gloriæ cæleſtis, & hanc lego veſperi. Sic vinco tædium & otium. Dixit hæc, & alios ædificavit. E. Verbo *Cæleſtis gloria* n. 11.

## Tepiditas.

### 470. *Quanta mala poſt ſe trahat.*

Gladius, qui non uſurpatur rubigine conſumitur: equi, qui non agitantur, in ſtabulo torpeſcunt: aqua, quæ non movetur, computreſcit: ita anima &c.

Quam multi, qui optime cœperunt, peſſime finierunt, qua de cauſa? propter tepiditatem: Deus ſubtraxit illis auxilia ſingularia: *Qui enim negligenter Deo ſervit, meretur, ut Deus viciſſim non tantam ejus curam gerat*, ait Leſs. B. ſer. 43. n. 38. Leſſ. de Perf. Div. l. 13. c. 15.

Dum oſtiaria dormiit, Isboſeth occiditur: ita ſi fervor indormiſcat, *ad interficiendum animam malignis ſpiritibus iter pandit*, ait Euch. B. ſer. 43. n. 38. Eucher. in l. 2. Reg. c. 2.

Sapiens ait: *Tranſivi per agrum pigri, ... totum repleverunt urticæ.* Quare ſolum urticæ? hæ urunt, ſed tantum eum, qui ſubtiliter attingit: attinge fortiter zizania, & non lædent. Quæ cauſa, quod cor tuum plenum ſit zizaniis? non alia, niſi tepiditas. B. ſer. 62. n. 25.

Populus Iſrael non ſtatim ad idololatriam pervenit, ſed prius dereliquit Dominum. Bernardus ait: *Nemo repente fit peſſimus*, ſed ſucceſſive, ordinarie autem ſceleratiſſima perverſitas incipit a tepiditate &c. A. l. 9. §. 4. Hinc tepiditas dicitur *Novitiatus* diaboli.

Homo tepidus, qui claudicat in utramque partem, expoſitus eſt multis tentationibus malorum ſociorum, qui eum abſque metu ad ſuas nugas invitant, & trahunt. Econtra homo revera devotus, quia hac ipſa devotione ſe declarat pro parte Dei, ſecurus eſt ab ejuſmodi incurſibus: non audent illi ſua retia tendere, ubi præſciunt, ſe nil effecturos &c. Segn. Manna 16. Sept. n. 2.

Quod tepiditas piis operibus meritum adimat, patet ex eo, quod animæ purgantes conqueſtæ ſint, preces, & pſalmodias fratrum ſibi nihil prodeſſe propter eorum tepiditatem, qua in choro rident, garriunt, dormiunt, & ad Verſum *Gloria Patri* non ſe inclinant. E. *Defuncti* n. 22.

### 471. *Ejus ſigna & indicia.*

Si homo tantum vivat ſecundum vanitates, & oblectamenta ſæculi, nec fugiat peccatum, niſi grave &c. B. ſer. 42. §. 1. Si templum ſubeat velut ad oſtentationem, & comœdiam, ſi uno tantum poplite flectat, crucem in fronte mutilet, in omnes templi angulos oculos emittat, garriat, & tergum altari obvertat, pyxidem tabacariam, ſæpe impuram, frequentius, quam roſarium extrahat: hæc ſigna ſunt tepeſcentis animi. O quam multi ſunt, qui in ipſis templis laſciviam ſpirant, tanquam templum domus Adonidis, non Dei eſſet! in nocte Nativitatis Domini, in Proceſſionibus publicis, in ſeptimana Paſſionis Dominicæ, quanta mala, quanta petulantia &c. B. ſerm. 70. §. 4.



Tepiditas facit, ut multi ſint valde inurbani erga Deum! v. g. ſi vir honeſtus te alloquatur, prolixo tempore illi colloqueris, cum Deo autem nunquam. Quæſo ſi alicui ex vicinis nec ſalutem, nec verbum diceres, an non putaret ille, te ſibi hoſtilem eſſe! Et quid melius cogitet Deus? tota hebdomada ſinis illum captivum eſſe in ſacrario, nec alloqueris! Accolæ Nili nunquam cælum reſpiciunt, quia agri fœcundantur a Nilo: ita tu Beneficia plenis manibus accipis, & nunquam Deum reſpicis, &c. Inſpirationes Dei minus curas, quam hominum alloquia: ſiquis te invitat ad compotationes, ad choreas, ſtatim illum ſequeris. Cum autem Deus te admonet ad bona operanda, ad peccata expianda, non audis, &c. Si opulentus Mercator tibi promitteret, quod velit te nutrire, certe illi fideres, at cum Deus promittit: Quærite regnum Dei, & hæc omnia adjicientur, minus in his verbis, quam in tua avaritia confidis. Porro promittit Deus, ſe pro eo, quod minimis ſuis datur, centuplum daturum, & tamen pauperem recedere jubes, nec obolum illi porrigis, &c. Si morbus te invadat, primo ad chirurgos, aut omnino ad vetulas & pythoniſſas convolas, & demum ultimo loco ad Deum, &c. Præcepta tua accuratius vis obſervari, quam Dei: ſi Deus in domo tua offendatur, diſſimulas, non curas, &c.

Sicut aſini non procedunt cum ſarcina, niſi continuo pungantur: ita multi ſunt qui in via virtutis ſiſtunt, niſi a Deo continuo caſtigentur. Quod ſi Deus deſinat punire, illi iterum deſinunt Deo ſervire. B. ſerm. 85. n. 19.

Signum maximum periculoſæ tepiditatis eſt in rebus temporalibus indefeſſe, in rebus ſalutis languide agere: periculoſa eſt, inquam, hæc tepiditas: Medici cum inſolitum langorem advertunt in eo qui antea nihil laboris exantlavit, malum aiunt eſſe prognoſticon: ita malum indicium eſt, nihil velle ſufferre pro ſalute. Sancti longe aliter ſenſerunt, affirmarunt hoc eſſe negotium, quod totum hominem poſtulat: illis utique credendum, quia melius ſciunt profunditatem fluminis, quod tranſvadarunt, &c. P. p. 1. diſc. 6. n. 10.

In Scotia pro naturæ miraculo habetur aqua lacus Myrtoi, cujus dimidia pars congelata eſt, altera fluit. VV. ar. diſc. ſont. 48. ex. 10. Hoc nihil eſt novi apud tepidos, interdum enim calent, interdum frigent. Avis Emme & prunas ardentes, & fruſta glaciei deglutit. VV. art. diſc. ſont. 48. ex. 1. Ita tepidi etſi hodie ardeant, cras frigeſcunt.

### 472. *Invenitur etiam apud litteratos, & doctos.*

S. David exultat: *Quoniam non cognovi litteraturam, introibo in potentias Domini.* O quot hominibus doctis ſua litteratura pedica fuit ad æternam perniciem! quomodo? ſunt multi, qui gnari ſententiarum probabilium cum Deo quaſi licitantur, dicentes: hoc nondum eſt peccatum: hoc non comprehenditur ſub præcepto: hoc non excedit rationem peccati venialis &c. qui ita ſordide, & tenaciter agit cum Deo perdit illius favores ſpeciales, & tandem in manifeſtum periculum ſalutis devenit. B. ſer. 48. n. 19. 20. Nam *qui negligenter Deo ſervit, meretur, ut Deus viciſſim non tantam ejus curam gerat*, ait Leſſius. B. ſer. 43. n. 38.

Decantatum eſt illud: Non per *verba* ſed per *adverbia* meremur: igitur non tantum taliter qualiter præcepta Dei ſervanda ſunt, ſed *ſolicite & accurate*: multi fugiunt quidem trabes peccatorum, ſed non feſtucas: perſuadent ſibi ipſis: Hoc & iſtud nondum eſt peccatum: hinc quidem non blaſphemant, ſed varias jurandi formulas non horrent: non fornicantur, ſed tamen occaſiones & affectus frequentant: non furantur, ſed varias diteſcendi artes, fraudeſque uſurpant: atque ſuper his diverſa dictamina ad tranquillandam conſcientiam excogitant. Iſti ſunt in peſſimo ſtatu, quia paulo poſt ad majora devenient. S. David ait: *Tu mandaſti mandata tua cuſtodiri nimis.* Nota *Nimis* non ſuperficialiter: hac de cauſa etiam frequenter dicit, ſe mandata meditari: *Mandata tua meditatio mea eſt. Meditabor in mandatis tuis &c.*

Hæc ipſa ratio eſt, cur tepiditas difficulter ſanetur, nempe, quia magis, quam alia vitia excuſatur. Tepidi non agnoſcunt ſuum malum, ſemper dicunt: Quid ego facio mali? non fornicationes, non adulteria, non rapinas commiſi! Horum ſtatus periculoſior eſt, quam hominis facinoroſi; ille enim intuitu ſuæ malitiæ citius compungitur, ſicut in tela alba maculæ magis notantur, quam in panno nigro.

### 473. *Punitur a Deo.*

Pœna tepiditatis maxima, & ordinaria eſt privatio luminis: Babylonicus ille raptor primo omnium e templo abſtulit can-

candelabrum aureum, in quo erant ſeptem lucernæ: ita infernalis executor, ubi per tepiditatem acceſſum in animam obtinuerit, lumen, cognitionemque rerum Divinarum ſurripit, inde fit, ut frequententur quidem Sacramenta, ſed perfunctorie & ſine fructu &c. Avertat a nobis Deus hoc damnum. S. p. 103. f. 305.

Deus in Veteri Teſtamento varia animalia in Sacrificium acceptavit, gallum autem gallinaceum rejecit. Cur ita? Reſpondet Joannes a S. Geminiano, ideo id factum eſſe; quia gallus uno oculo terram, altero cælum reſpicit. Sic etiam faciunt tepidi, volunt ſimul terra & cælo frui; hinc ad aram gloriæ non pertingent. Ginth. Curr. Iſrael. conſ. 1. n. 3.

Joann. a S. Gemin. l. 4. c. 51.

Thomas Kempenſis quotidiano precum penſo Beatiſs. Virginem venerari ſolitus, in ea devotione ſenſim intepuit, ut ad aliquot dies omitteret. Vidit igitur in viſione nocturna Sanctiſſimam Dei Genitricem de cælis venire, & fratres in colloquio rerum Divinarum ſtantes amice amplexari. Exſpectavit & ipſe amplexum: verum a Sanctiſſima ob negligentiam ſevere objurgatus, loco amplexuum minas expertus eſt. Quo viſo evigilans emendavit errorem. E. *Maria n. 48.*

S. Laurentius Martyr cœnobium ſibi dedicatum obambulans, virgam manibus tenere viſus eſt, & quoſdam Religioſos parum Religioſe viventes percutere. A quodam fratre interrogatus, ad quid veniſſet, reſpondit: O *frater venio iterum aſſari*. Crucifixi etiam imago lacrymari viſa eſt. *N. 14. Aug.*

Quæ major poſſet eſſe, magiſque terribilis pœna, quam quod tepidus derelinquatur a Deo, ut a tepiditate deficiat ad frigiditatem. Id, quod deſcribens Bernardus ait: Paulatim refrigeſcit caritas, abundat iniquitas, ut conſumemus carne, qui ſpiritu cœperamus: inde enim eſt, ut minus ea ſciamus, quæ a Deo donata ſunt nobis: indevoti, & ingrati timorem Domini derelinquimus, Religioſam ſolitudinem omittimus, verboſi, curioſi: faceti etiam detractores, & murmuratores, vacantes nugis, fugitantes labores diſciplinæ, quoties ſine nota id licet, quaſi vero confeſtim ſit etiam ſine noxa, &c.

S. Bern. Ser. 3. de Ann...

474. *Perducit ad graviora peccata & ad infernum.*

Monachus illibatæ caſtitatis cum ſumma devotione ſerviebat Deo, adeo ut dignus fuerit quotidie cælico pane, inſtructa ab Angelis menſula paſci: poſtea intepuit, impudentiſſimis cogitationibus detentus: quantum autem magis in peccatis defecit, tanto ſordidiorem panem cælitus accepit, ita ut demum ad ſæculum redire decreverit: Verum in via ad monaſterium delatus, cum a fratribus rogaretur, quomodo diaboli tentationes repellere deberent, zeloſe peroravit, & ad ſe rediens pœnitentiam egit. E. *Decere* n. 1.

Paradoxum quis putabit, cum dico tepiditatem perducere ad infernum? & tamen ita ſe res habet; cum enim tepidus nil niſi vanitates ſæculi, commoditates corporis in eſu, in potu, delicias in otio, ſomno, & recreationibus immoderatis quærit, de cætero autem verbum Dei, & res ſanctas negligit, pedetentim ad ſcelera declinat, & in ultimo certamine, cum tentationibus reſiſtere nunquam didicit, ſuccumbit. Cur dives epulo periit? an ſuperbia, luxuria, aliiſque peccatis deliquit? nihil ſimile illi, ſed illud exprobratum fuit, quod receperit bona in vita ſua &c. &c.

Animalia quæ ſuper terram reptant, & in foraminibus habitant, raro ſine veneno ſunt: ita homo qui terrenis inhæret, & ad cæleſtia ſeſe non erigit, raro ſine peccato eſt.

Tepidi ſunt Deo magis abominabiles, quam frigidi. *Melior eſt canis vivus leone mortuo*, quæ verba Card. Hugo ita exponit: *Melior eſt peccator pænitens, quam juſtus torpeſcens*, cujus rei ratio eſt, quia anima, quæ vivit in gratia, ſi a vita ſpirituali remittat, & tepide vivat, excidendi ab amicitia Dei periculum incurrit. Unde in Apocalyſi dicitur: *Quia neque frigidus es, neque calidus, ſed quia tepidus es, . . incipiam te evomere ex ore meo.* Utinam frigidus eſſes! quia ex tepiditate pernicioſiſſima oritur conſequentia; quando enim quis in ſervitio Divino relaxatur, & ſpiritualia exercitia intermittit, ut plurimum ad priſtina peccata revertitur, & inſuper averſionem concipit a facienda pœnitentia; unde Apoſtolus ait: *Impoſſibile eſt eos, qui ſemel illuminati ſunt, guſtaverunt etiam donum cæleſte . . . & prolapſi ſunt, rurſum renovari ad pœnitentiam.* Lohner v. Acedia §. 12. n. 8.

475. *Quibus remediis curanda.*

S. Aloyſius hæc puncta ſibi annotavit: judicia Dei inſcrutabilia, quis ſcit, an mea mihi ſcelera ſæcularia condonaverit. Columnæ cæli ceciderunt, quis mihi pollicebitur perſeverantiam? Mundus in profundo malitiæ jacet, quis omnipotentem iratum placabit? Viri ſacri Vocationis ſuæ



ſuæ obliviſcuntur, quomodo feret Dominus tantum regni ſui detrimentum? Fideles tepiditate ſua adimunt Deo gloriam, quis eam reſtaurabit? Væ ſæcularibus qui differunt pœnitentiam uſque ad mortem! Væ Religioſis, qui uſque ad illum articulum dormiunt, &c. His aliiſque incitamentis ſe quotidie ad ſanctum fervorem animabat. N. 21. Junii.

Ad corrigendam tepiditatem 1. ante omnia homo conetur radicem tollere morbi, qui plerumque eſt inordinatus amor alicujus creaturæ: ſic filii Ruben & Gad defatigati in itinere rogarunt Moyſen, ut ſibi permanere permitteret in loco ad paſcenda animalia peropportuno & fertili. *Regio enim uberrima eſt ad paſtum animalium.* Ecce cauſam, ob quam homines tepeſcunt, nempe ob nimiam adhæſionem ad bona terrena. Hinc S. Philippus Nerius dicere ſolebat, quod quantum de affectu ſuo homo tribuat creaturis, tantundem de hoc affectu ſuo adimat Creatori. 2. Præter honeſtas occupationes, confugiat ad orationem, id quod ſuadens S. Auguſt. ait: Agnoſce te in illa tentatione cadii, & clama ad Dominum: exaudiet te, ſi illi cooperatus fueris vincendo acediam. 3. Si hæc non proficiant, ſeveriora adhibe remedia, conſiderando, in quam pericoloſo ſtatu verſeris, ne ex ore Dei evomeris. Cogita, quid in vitæ termino de hoc vivendi modo ſis ſenſurus? revoca in memoriam verba Bernardi: Quis ille pavor erit, o anima, cum dimiſſis omnibus, quorum tibi jucunda eſt præſentia, ſola ingrediens incognitam regionem, teterrima monſtra videbis? Quis tuebitur te a rugientibus præparatis ad eſcam? quis conſolabitur? quis deducet &c. Lohner v. Acedia §. 12. n. 9.

476. *Prona eſt ad vanitates ſæculi, & conſenſum tentationum.*

Sponſa, quia ſe ipſam ignorabat, juſſa eſt paſcere hædos: ubi Bernard. foras mittitur, ut paſcat hædos, id eſt, oculos, aures &c. quæ nihil habet intus, vagatur foris, ſtudet paſcendis ſenſibus, quæ pabulum intus non habet cordis. S. p. 114. f. 345.

Revera tepidi ſunt illi, qui ita volunt ſervire Deo, ut non offendant diabolum: ſunt in bello ſpirituali contra dæmonem quaſi neutrales, & nulli volunt ſervire. Verum perpendant, quantum noceat in bello neutralitas: veſpertilio nec volucris, nec terreſtre animal eſt, ſed medium inter utroſque, propterea ab utriſque odio habetur, &c. D. 10. 92.

Venenum non enecat hominem, niſi cum penetrat ad cor: in iis autem animalibus cito penetrat ad cor, quæ habent laxas fibros: ita tentationes non enecant animam, niſi pertingant ad voluntatem. Ubi autem, & quanto cito penetrant ad voluntatem? in iis qui habent conſcientiam laxam: unde nemo minus fortis eſt reſiſtendi tentationibus niſi tepidi & homines laxi, qui tantum vivunt ſecundum oblectationes ſæculi &c. Segn. Manna 5. Jul. n. 4.

Sicut in ollam ferventem muſcæ non irrumpunt, ſed in tepidam: ita animum ferventer devotum non infeſtant tentationum inſultus, bene autem remiſſum. Sanch. 5. par. c. 6. f. 500.

Similiter dixit S. Arſenius, cum lampas ardet, non audent accedere mures, & oleum lambere, cum autem extincta eſt, ſine timore lambunt: ita cum animus fervet, non audent eum tentare dæmones, tentant autem, cum animus tepeſcit. Sanch. 5. par. c. 6. f. 505.

Apposite quidam tepiditatem vocat Novitiatum diaboli: ſicut enim Novitii a minoribus probationibus ſenſim ad majorem virtutem ducuntur: ita dæmon cum aliquando hominem in tepiditatem adduxit, facile illum ad peccata adducet.

477. *Eſt fomes hæreſum & atheiſmi.*

Ex putri naſcuntur vermes: ſic homo putris, & tepidus multos habet vermes in capite; unde enim illi diſcurſus contra fidem, & res Divinas, quam ex frigeſcente animo? dicit aliquis: Quid quæſo multa nobis garriuntur de altera vita? non eſt altera. Alius dicit: commenta ſunt poparum, quod infernus ſit tam calidus, dæmon tam niger! purgatorium eſt tantum inventum poparum ut diteſcant &c.

Celebris eſt quæſtio inter Geographos, quomodo poſt diluvium animalia pervenerint ad inſulas, & præſertim in Americam, ſiquidem illa a cæteris mundi partibus eſt omnino abrupta? reſpondent plerumque, id factum fuiſſe, quando per rigidas hyemes mare fuit conglaciatum: in Americam autem venerunt animalia per mare glaciale inter Moſcoviam & Livoniam verſus Grœnlandiam, & Spizbergiam, ubi continuum frigus eſt. Ecce, ubi frigus eſt, & glacies, ibi animalia penetrant & monſtra! O quot hæreſum & peccatorum monſtra ex animi frigore pullularunt, &c.

Qui prætéribant blaſphemabant Crucifixum, id eſt, illi, qui tantum obiter & perfunctorie tractant Divina, quorum mens non in Deo, ſed in mundi oblectamen-

mentis conquieſcit. Coſterus Med. 37. de Paſſ. conſ. 1. n. 3.

Si depravationem infeliciſſimorum hominum, qui a fide defecerunt facti hæreticorum coriphæi, ab ovo ſcrutari libet, ordinarie iiſdem gradibus a Deo receſſerunt, quibus olim Iſraelitæ: 1. Obliti beneficiorum Dei ad ollas reverti cupiebant. 2. Pœnituit eos, quod Deum vocantem ſecuti ſint. 3. De liberali Dei poteſtate deſperarunt. C. Gen. c. 16. v. 3.

478. *Unde, & a quo ortum trahat.*

Primo, cauſatur a temeraria ſecuritate, qua multi ſibi perſuadent ſe ſalutis ſuæ ſecuros eſſe: magna hæc eſt deceptio dæmonis, unde oritur ingens incuria tam apud juſtos, qui qualicunque vivendi ratione facile contenti ſunt, quam apud peccatores, qui nullam emendationis curam habent. *Mater negligentiæ ſolet eſſe ſecuritas*, ait S. Gregorius. B. Serm. 43. n. 1. & ſeq. 1.Reg. 3. v. 13.

Secundo oritur ex defectu orationis: multi diu in ſervitio Dei verſantur, nec Dei affectum ſentiunt: Quare? *Defecit ſufflatorium in igne.* Intellectus ceu follis eſt voluntatis, hæc friget, ſi deſit exercitium orationis. S. p. 30. f. 133.

Tertio oritur a pravitate naturæ corruptæ, quæ per ſe ad laxitates, & commoda ſæculi prona eſt: Homo ex luto creatus eſt, vas aliquod luteum ſemper magis inclinat ad frigus, quam ad æſtum; ut frigeſcat enim, ſufficit ſi ſibi ſoli relinquatur: ut autem incaleſcat admotione ignis opus eſt. Ita & in homine ſe res habet, &c. Multa animalia in generationibus ſuis ſenſim deficiunt: ſic ex pullis aquilinis alter a patre degenerat, & fit ex aquila haliætus: ex hoc non amplius haliæti generantur, ſed phenæ: ex phenis non phenæ, ſed milvi: neque etiam milvi procreant aves ſui generis, ſed diverſi. VV. art. diſc. ſont. 44. ex. 2. Ita virtus ſemper decreſcit, & tepeſcit. [illegible]

Quarto oritur a malo dæmone. Cum Abbas Moyſes de rebus ſpiritualibus cum fratribus colloqueretur, omnes obdormiebant. Ut ergo oſtenderet, hanc eſſe deceptionem diaboli, fabulam immiſcuit, & omnes expergefacti attente auſcultarunt, &c. B. *Somnolentia*, n. 1. 3. 4.

Quinto oritur a malo exemplo Superiorum; cum enim vident ſubditi, quod majores, quos Deus ad correctionem aliorum poſuit, viam latam inambulent, & ſæculi vanitates ſectentur, putant ſibi non minus licere, & in animo ſibi perſuadent, rigorem Legis Chriſtianæ, de obligatione mandatorum, de paucitate ſalvandorum, aliaque ſimilia, eſſe inania terriculamenta, &c.

479. *Tantum dimidio corde ſervire Deo, quam periculoſum.*

Petrus dixit ad JESUM: *Reliquimus omnia*, pauciſſimi ſunt, qui ita dicere poſſunt, & non aliquid pravarum affectionum ſibi retinent. Aliqui ſunt caſti, ſed avari, & in debitis exigendis tyrannici: aliqui liberales, ſed ambitioſi &c. Atque iſti, qui tantum ex parte boni ſunt in periculoſiore ſtatu verſantur, quam peccatores; hi enim ſæpe ex ipſa deformitate ſuorum ſcelerum convertuntur, dicente Propheta: *Arguet te malitia tua.* Jere. 2.
At illi bonis, quæ agunt freti ſecure vivunt. Piſcator etſi videat hamum a piſce apprehendi, non ſtatim ad ſe trahit, ſed ſpatium relinquit, donec hamum glutiat: ita dæmon ſæpe funem extendit peccatori, ut bonum faciat, & ſic malorum commiſſorum obliviſcatur: ita Herodes libenter audiebat conciones S. Joannis, non tamen emendabatur. In Levi- Lev. 13.
tico præcepit Deus: ſi lepra operuerit omnem carnem a capite ad calcem; judicabit Sacerdos eum mundum: quando vero caro vivens apparebit, immundus reputabitur: res mira! quomodo homo mundus eſt cum lepra omnem carnem obſidet, & ſi aliquas ſolum partes ſanas habeat, cur ægerrimus judicabitur? Nempe indicare vult Deus: majus periculum eſſe aliquod bonitatis ſpecimen habere, quam omnino malum eſſe. Samaritani 4.Reg.17.
Deum habentes ſimul idola colere volebant: Philiſtæi arcam, & Dagon ſociare 1. Reg. 5.
fruſtra contenderunt. Ananias & Saphira morte ſubitanea puniti ſunt, quia partem rei ſuæ ad pedes Apoſtolorum projecerunt, partem autem ſibi reſervarunt. Quid prodeſt civitatis obſeſſæ portas occludere, ſi quoddam poſticum utut modicum apertum relinquatur? ita licet homo cor ſuum omnibus vitiis occludat, ſi tamen uni duntaxat aperiat, hoc eum perdere poteſt. Diez in Communi Conſ. non Pont. conc. 2. a n. 6. 7. ſeqq.

Samaritani ex Aſſyria Samariam trans- 4.Reg.17.
lati coluerunt ſimul Deum Iſraelis, & Deos Aſſyriorum. Ita tepidi volunt ita ſervire Deo, ut non offendant diabolum: volunt hic gaudere cum ſæculo, & ibi regnare cum Chriſto.

FINIS SECUNDÆ PARTIS.

UANL
UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN ®
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

CAPILLA ALFONSINA
U. A. N. L.

Esta publicación deberá ser devuelta antes de la última fecha abajo indicada.

| | | | |
|---|---|---|---|
| | | | |

BX1757
C5
v.2
1768 45061

AUTOR
CLAUS, Josephi Ignatii

TITULO
Spicilegium Universale
~~sacro-profanum.~~

| FECHA DE VENCIMIENTO | NOMBRE DEL LECTOR |
|---|---|
| | |
| | |

UANL
UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
®
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

UAN
DAD AUTÓNOMA DE NUEV
CCIÓN GENERAL DE BIBLIOTEC